Es del Muy Celebre é Noble Colegio
de S.ta Catharina Virg.r de Ora-
cion.n de Siguenza Varon Portentoso y
Llamado (pero ay dolor!) D.r Pe.o de Acosta
mi siempre y bo Cathedratico Señor: Bes Vuestra
Mrd. ———— ———— ———— ————

VINCENTII
RAMIREZ
DE
SCIENTIA
DEI

R. PATRIS

VINCENTIJ RAMIREZ, DE SCIENTIA DEI.

Ayud 3ª
Vol 28

R. PATRIS
VINCENTII
RAMIREZ
DE
SCIENTIA
DEI

R. PATRIS
VINCENTIJ
RAMIREZ,
SOCIETATIS JESV
MATRITENSIS.

IN ACADEMIA COMPLVTENSI Sacræ Theologiæ Doctoris, & Primarij, Archiepiscopatus Toletani Synodalis Examinatoris, & in Collegio Imperiali Matritensi Maiorum Studiorum Regalium Præfecti; necnon eiusdem Collegij Rectoris.

TRACTATVS
DE SCIENTIA DEI.
TOMVS SECVNDVS.

Cede el Colegio de S.ta Cath.a Prim.d de Osma



Anno 1708.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

CVM PRIVILEGIO.

MATRITI: Apud Ioannem Garcia Infançon, Typographum Sanctæ Cruciatæ.

R. PATRIS

VINCENTII

RAMIREZ,

SOCIETATIS JESV

MATRITENSIS,

IN ACADEMIA COMPLVTENSI

Sacræ Theologiæ Doctoris, & Primarii, Archie-

piscopatus Toletani Synodalis Examinatoris,

& in Collegio Imperiali Matritensi Mario-

rum Studiorum Regalium Præfecti,

necnon eiudem Collegij

Rectoris.

TRACTATVS

DE SCIENTIA DEI.

TOMVS SECVNDVS.



Anno 1708.

CVM PRIVILEGIO.

MATRITI: Apud Ioannem Garcia Infanzon Typographum
Sanctæ Cruciatæ.

P. DOCTORIS VINCENTIJ RAMIREZ, MATRITENSIS SOCIETATIS IESV.

TRACTATUS DE SCIENTIA DEI.

TOMVS SECVNDVS.

DISPUTATIO XV.

DE SCIENTIA DEO LIBERA.

CONSTAT ex dictis, in divinæ ſcientiæ diviſionibus eam tantum ſcientiam eſſe Deo liberam, quæ ab eius libero exercitio dependet, quod cum erga contingentia duntaxat locum teneat; per conſequens manifeſtat, obiectum huius ſcientiæ debere eſſe contingens: idque in triplici contingentiæ ſtatus ſcilicèt præſentiæ, prætetitionis, & futuritionis abſolutæ, vt modo à contingentibus conditionatis præſcindamus. Hæc generaliter propoſita, in particulari diſcutere opus eſt præſentis diſputationis, cuius præcipuam partem abſumet, quidquid de fututis abſolutis contingentibus præcipuè nobis liberis controverti poteſt.

CAPVT I.

Proponuntur ea, quæ certa sunt circa obiectum Scientiæ liberæ.

1 CERTVM est primò: præsentia omnia, & præterita absoluta contingentia, sive positiva, sive negativa, sive dependentia à libertate creata, sive independentia ab ipsa esse obiectum scientiæ divinæ liberæ. Ratio est: quia certissimum est, tàm certitudine fidei, quàm naturalis rationis Deum hæc omnia cognoscere; sed certissimum etiam est hæc non per aliam scientiam, quàm per liberam cognoscere: ergo certum est dicta à Deo cognosci per scientiam liberam. Consequentia recta est, & minor certa. Siquidem omnia relata, vt talia, pendent ab exercitio libero diuinæ voluntatis; cum nihil sit, aut non sit, fuerit, aut non fuerit ex absolutè contingentibus independenter ab exercitio libertatis diuinæ: ergo cum veritas obiectiva eo modo, quo dependet à divina libertate non aliter; quàm per scientiam dependentem etiam ab exercitio Dei libero, ac proinde liberam, cognoscatur à Deo, omnia illa dicta non per aliam scientiam, quàm per liberam cognoscuntur à Deo.

2 Maior autem quoad primam partem constat ex Sacris litteris, toties amplitudinem, & vniversalitatem absque exceptione vlla conclamantibus, vt in antecedentibus manet ostensum: egregie namque dici posset Deus, *Scientiarum Dominus*, 1. Regum 2. Aut *qui habet omnem scientiam*. Esther, cap. 14. Aut *apud ipsum morari sapientiam*. Iob, cap. 12. Aut *numquid Deum docebit quispiam scientiam*? Cap. 21. Aut *cognovisse omnia novissima, & antiqua*. Psalm. 138. *Si quæ præsentia sunt, ignoraret, vel præteritorum esset oblitus*. Quoad secundam partem: nam vel ipsis stolidissimis dummodo scintilla aliqua rationalis luminis affulgeat, vt Deum esse fateantur, perfectionem eiusdem à præstantia scientiæ, qua reliqua inferiora excedit, maximè commendarunt; quæ autem esset hæc præstantia, si vel quæ nobis etiam in cognoscendo limitatissimis, sunt communia, vt cognoscere nobis præsentia, & præterita, non haberet: cognoscit ergo ea perfectissimè, vt exposcunt providentia, perfectio, & superioritas nuda ab omni imperfectione, & continens omnem perfectionem excogitabilem.

3 Inde apud Ciceronem, libro 2. de legibus rogatus Thales: An lateat Deum, qui peccat? Respondet: *Sed neque cogitans quidem latet*. Refertque Clemens Alexandrinus, libro 5. stromatum, apud Ruiz, disputatione 9. sectione 1. *Ægyptios aures, & oculos fabricantes ex materia pretiosa consecrasse Dijs; hoc vtique tacitè significantes, quod Deus omnia videt, & audit*. Sicut ex eisdem proponit Cyrillus Alexandrinus, libro 9. contra Iulianum: *Qui volentes significare, Deum, hoc est, summam, & quæ super omnia est, naturam, pingebant oculum, cui baculum substituebant, vt per hoc intelligatur, quod omnia videat, & per hoc sit ei regia dignitas*. Verum inutile est in re tam clara immorari, dicente Platone apud eundem Cyrillum, libro 3. contra Iulianum: *Deos, neque ignorare, neque vim sustinere possibile est*. Sunt tamen, qui Aristotelem in oppositò errore comprehendant; propterea quod libro 12. metaphisicorum, capite 9. textu 51. dixerit: *Aliquid aliud esse honorabilius Deo, si Deus intelligit aliud à se*, per quæ videtur planè excludere ab intellectu divino cognitionem omnis veritatis contingentis: ac per consequens præsentium, & præteritorum contingentium. Cæterum ab hac nota iam supra disputatione 6. Philosophorum Principem vindicavimus, & sensum verborum ipsius exposuimus. Dicta ibi hùc advocentur, vt repetitionis fastidium propulsetur.

4 Ratio autem ad hanc formam reducatur. Habere veritatem obiectivam, & intellectum carere actu correspondente eidem veritati, est formaliter ignorare: sed præterita, & præsentia omnia contingentia absoluta habent veritatem obiectivam, cui correspondere potest in intellectu actus affirmans de ipsis esse præsentia, & præterita: ergo intellectum carere actu ipsis sic correspondente, est formaliter ignorare: At Deus infinitè sapiens nihil ignorare potest: ergo nec carere actu cor-

correſpondente veritati obiectivæ præteritorum, & præſentium omnium contingentium; ideòque omnium illorum habet ſcientiam iuxta perſpicaciam illam videndi vniverſaliſsimè, quam per ſeptem oculos Dei propoſuit Zacharias, cap. 4. dicens: *Septem iſti oculi Domini ſunt, qui reſpiciunt ſuper omnem terram*; exponente Hieronymo ad intentum per id ſignificari: *Quod Deum nihil lateat, qui, & præteritorum, & præſentium conſcius eſt, & reddit vnicuique ſecundum opera ſua.* Quod ſi oppoſitum vſque ad inſaniam deduxit Auguſtinus, lib. 5. de Civitate Dei, cap. 9. in ignorantia futurorum, vt iam videbimus: quid non erit in ignorantia præſentium, & præteritorum à quorum notitiæ defectu multo plus intellectus divinus vileſceret, & nondum quaſi vnus ex nobis reputari deberet.

5 Pari certitudine certum eſt ſecundò: ad obiectum ſcientiæ divinæ liberæ pertinere omnia futura contingentia abſoluta, ſive poſitiva ſint, ſive negativa, ſive dependentia, ſive independentia à noſtra libertate. Ratio eſt: quia certiſsimum etiam eſt certitudine fidei, & naturalis rationis omnia hæc futura a Deo cognoſci; ſed certiſsimum etiam eſt ea non aliter; quàm per ſcientiam liberã cognoſcere: ergo pari certitudine certum eſt, Deum cognoſcere omnia futura contingentia abſoluta, qualiacumque ea ſint. Diſcurſus tenet, & minor certa eſt ex eo, quod certiſsimum eſt, omnia contingentia abſoluta pendere ab exercitio abſoluto Dei non ex neceſsitate; ſed ex libera determinatione poſito, ita taliter, vt pro nutu Dei ſublato, nullum contingens determinatè ſumptum, abſolutè exiſteret; aliàs Deus pateretur abſolutam neceſsitatem ad contingentia determinatè ſumpta, quod cum ſuo dominio, & independentia non componitur: at ſcientia dependens ab obiecto eo modo, quo per libertatem divinam impediri poteſt, evidentiſsimè ſcientia libera eſt: ergo certiſsimum eſt, quod ſi Deus talia obiecta cognoſcit, non aliter id fit, quam per ſcientiam liberam.

6 Maioris autem primæ deſiderari poteſt tantùm probatio, quam abundè, & paſsim nobis offert Scriptura Sacra, cuius præcipua loca congeſsit Ruiz diſput. 22. ſect. 2. vt ſunt Exodi, cap. 3. *Ego ſcio, quod non dimittet vos Rex Ægypti, vt eatis, niſi per manum validam.* Deuteron. cap. 31. *Scio cogitationes eius, quæ facturus ſit hodie.* Pſalm. 138. *Intellexiſti cogitationes meas de longè ſemitam meam, & funiculum meum inveſtigaſti, & omnes vias meas prævidiſti. Tu cognoviſti omnia noviſsima, & antiqua.* Sapientiæ cap. 8. dicitur de Divina Sapientia: *Signa, & monſtra ſcit antequam fiant, & eventus temporum, & ſæculorum ſcit præterita, & de futuris æſtimat.* Et cap. 19. *Præſciebat enim futura illorum.* Eccleſiaſtici, cap. 23. *Domino Deo antequam crearentur omnia ſunt agnita.* Et cap. 39. *Opera omnis carnis coram illo, & non eſt quidquam abſconditum ab oculis eius. A ſæculo, & vſque in ſæculum reſpicit, & nihil eſt mirabile in conſpectu eius.* Iſaiæ cap. 45. *Hæc dicit Dominus: venturæ interrogate me.* Et cap. 48. *Prædixi tibi ex tunc antequam evenirent: indicavi tibi.* Danielis, capite 13. Suſanna dixit: *Deus æternæ, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequam fiant.* Ioannis capite 13. & 14. *Dixi vobis priuſquam fiat, vt cum factum fuerit credatis; quia ego ſum.* Iudas Apoſtolus in Canonica: *Subintroierunt quidem, qui olim præſcripti erant in hoc iudicium.* Ad Roman. cap. 4. *Vocat ea, quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt.* Quibus in omnibus, ſicut in alijs pluribus, quæ adduci poſſunt continetur expreſsiſsimè ſcientia futurorum ſine exceptione.

7 Ad eandem claſſem reduci debent omnes Prophetarum libri in eiſdem ſacris litteris contenti, qui præſcientiam divinam futurorum clarè convincunt dicente Tertuliano, libro 2. contra Marcionem, capite 2. *Præſcientia Dei tot habet teſtes, quot fecit Prophetas*, & iure quidem: Nam prædictiones illæ, quæ omnes ab eventu veriſsimæ fuerunt comprobatæ, vel proceſſerunt à ſcientia, & notitia propria, & quaſi connaturali Prophetarum, vel ex ſcientia Dei revelantis, ipſis per loquutionem Dei communicatam? Si hoc ſecundo modo, vt dici debet, ſupponitur ſcientia divina futurorum, quam intendimus. Si primo: mirabile quidem erit, vel vt melius loquar, ineptiſsimum negare propriam Dei ſcientiam, quæ conceditur creaturis. Ideoque tantum extollitur vis prophetiæ ad ſuadendum

veluti emanata à divina ſcientia, vt dixerit Divus Petrus epiſtola 2. cap. primo, poſtquam retuliſſet Chriſti Domini ſplendorem admirabilem, & teſtimonium Patris: *Hic eſt Filius meus dilectus*, volens penitus convincere incredulos, *habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caligino ſo loco.* Et Divus Chryſoſtomus in Ioannem, Homilia 18. *Prophetia maximè Dei opus eſt, quod neque Dæmones imitari poſſunt, quamvis maiorem in modum admittantur: in miraculis enim ſub veritatis vmbra decipi poſſumus.*

8 Eadem veritas traditur à Patribus: Nam Petrus Apoſtolus apud Clementem Romanum, libro 1. recognitionum de Chriſto Domino, ſic loquitur: *Qui ſolus ſcit, quæ facta ſunt, vt facta ſint, & quæ fiunt, vt fiant, quæque erunt, vt erunt.* Dionyſius, de divinis nominibus, capite 7. *Idque divina ſcripta tradere exiſtimo, cum aiunt. Quis novit omnia antequam fierent.* Irenæus, libro 2. cap. 45. *Nihil omnino horum, quæ facta ſunt, & quæ fiunt, & fient, Deum fugit.* Gregorius Niſſenus, oratione Cathechetica, capite 8. *Sua prævidendi virtute æque intuens id, quod deinceps eſt futurum, atque id, quod eſt præteritum.* Et libro de opificio hominis, capite 22. *Omnia ante ortum ipſorum novit: Futuros eventus tanquam res præſentes intuetur.* Damaſcenus, libro primo fidei, capite 12. *Nihil eum latere poteſt; imo omnium inſpector? intuetur enim omnia priuſquam deducantur ad ortum.* Et capite 19. *Ipſius eſt ſimplici, & inſcrutabili cognitione cognoſcere omnia, & omnia divino, & omni conſpicaci, & immateriali oculo pœnitus intueri, præſentia quidem præterita, & futura priuſquam oriantur.*

9 In eodem iudicio ſunt Ambroſius, libro primo officiorum, cap. 14. *Non ſolum tractata; ſed etiam volvenda cognoſcit.* Et libro primo de fide ad Gratianum, capite 7. *Deo, quæ futura, præſentia ſunt, & ei, cui præcognita ſunt omnia, ventura pro factis ſunt, ſicut ſcriptum eſt, qui facit, quæ ventura ſunt.* Hilarius, libro 9. de Trinitate. *Cogitationes humanas non tantum præſenti motu excitatas; ſed etiam inſtinctu futuræ voluntatis agitandas Chriſtus Dominus non ignorat, Evangeliſta teſtante, ſciebat enim Ieſus ab initio, qui eſſent non credentes, & quis eſſet traditurus eum naturæ ergo eius virtus, quæ cognitionem rerum non extantium capit, & quieſcentium adhuc animorum, cum ſubituras inquietudines non ignorat.* Et libro 12. de Trinitate: *Quæ futura ſunt, licèt in eo, quod creanda ſunt, adhuc fient, Deo tamen, cui in creandis rebus nihil novum, ac recens eſt, iam facta ſunt, dum & temporum diſpenſatio eſt, vt creentur, etiam in divinæ virtutis, & præſcientiæ efficientia ſunt creata.* Hieronymus Zachariæ capite 4. inquit ſignificari: *Quod Deum nihil lateat, qui & præteritorum, & præſentium, & futurorum conſcius eſt.* Et Hieremiæ, capite 32. *Propheticus Sermo declarat nihil eſſe, quod fugiat providentiam, & ſcientiam Dei: quia alia propter ſe, alia in vſum hominum ſunt creata.* Auguſtinus, libro 10. de Civitate, cap. 12. *Nec aliter novit facienda; quàm facta, nec aliter invocantes exaudit, quàm invocaturos videt.* Et libro 15. de Trinitate, capite 13. *Nec aliter ea ſcivit creata, quàm creanda.* Gregorius, libro 20. moralium, capite 23. *Quippè, quia omne, quod nobis fuit, & erit in eius proſpectu præſto eſt.* Et poſt pauca: *Quia ea, quæ nobis futura ſunt, videt, quæ tamen ipſi ſemper præſto ſunt præſcius dicitur.*

Fulgentius, libro primo ad Monimum, cap. 12. & ſequentibus, & libro de fide ad Petrum, capite 33. *Firmiſsimè tenendum eſſe docet Deo incommutabili non ſolum præterita, & præſentia; ſed etiam futura omnia incommutabiliter eſſe notiſsima, cui dicitur Deus, qui occultorum eſt cognitor, qui ſcis omnia antequam fiant.* Daniel, capite 13. & ſequenti capite 34. *Deum rerum omnium, atque operum, tàm ſuorum, quàm humanorum certiſsimum cognitorem ante omnia ſæcula ſcire, quibus eſſet per fidem gratiam largiturus.* Boetius, libro 5. de conſolatione cecinit.

Huic ex alto cuncta tuenti
Nulla terræ mole reſiſtunt,
Non nox atris nubibus obſtat,
Quæ ſint, quæ fuerint, veniuntque
Vno mentis cernat intuitu.

Adduci etiam poſſent ex Ruiz à quo præcedentia mutuavimus. Proſper ad capita Gallorum, cap. 12. & 15. ſicut ad obiectiones Vincentianas, obiectione

13. & sententia 379. ex Augustino libr. 3. de libero arbitrio, cap. 4. Leo Magnus Sermone 16. de Passione, cap. 2. Anselmus toto peculiari, libr. de concordia præscientiæ divinæ cum libertate creata. Concilium Valentinum 3. cap. 3. professionis fidei, & reliqui omnes Patres, qui, vt post videbimus, fatentur esse propriam solius Dei præscientiam futurorum.

11 Statutum Dogma tam consonum deinde naturali rationi se ostendit, vt Div. Augustinus, libr. 5. de Civitate Dei, cap. 9. absque hæsitatione vlla protulerit, *nam & confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum apertissima insania est.* Et iure quidem: cum vltra rationes convincentes Deum omniscium, & perfectè providentem, in quarum partiali efficacia continetur præscientia futurorum sine qua illud totum plenissimæ scientiæ non consisteret: vnde, vel dicendum erit futura nullam habere veritatem obiectivam, qua vt talia verè cognoscibilia sint, vel ex suppositione, quod eam habeant vt in superioribus manet abundè probatum, Deum esse ignorantem, & in scientia sua defectuosum: quod naturalis ratio in ente vndequaque perfectissimo maximè horret; adsint aliæ speciales, vt est indubitatum dictamen, & generalis persuasio indita à natura humanis mentibus de præscientia futurorum cum divinitate coniuncta, adeò vt barbarissimæ, & stupidissimæ nationes in illis, quos divinitatis specie colebant, semper quæsierint oracula ritibus, & præcibus, vt de futuris eventibus contingentibus certiores fierent; insuper, quia talem præscientiam futurorum, vt specialem prærogativam divinitatis, agnoscebant vt latiùs cõstabit sectione sequenti. Tertiò indubitata scientia præteritorum, à qua ad scientiam futurorum nulla est disparitas: cum tam non existant præterita de præsenti; quam futura: & demum ab eversione fundamenti oppositi ex non cohærentia divinæ præscientiæ cum libertate creata, in quo extirpando rationibus naturalibus ducti fœliciter insudarunt Patres, quorum fundamenta, & cohærentiæ modum suo loco expendemus.

12 Inde visum fuit Augustino loco citato patentissimum esse ex ipso naturali lumine non esse medium inter *negare Deum*, aut concedere *præscientiam futurorum*: quomodo impugnavit Ciceronem, qui oppositi erroris dicitur Author iudicans contingentiam omnem, & libertatem creatam penitus evertendam ex tali præscientia: contra quem sic arguit magnus parens in fine cap. 9. citati: *aut si esse confitetur Deum, quem negat præscium futurorum, etiam sic dicit, nihil aliud, quàm quod ille dixit insipiens in corde suo: non est Deus. Qui enim non est præscius omnium futurorum, non est vtique Deus.*

13 Refert tamen Ruiz non deesse Authores, qui cum magno fundamento existimaverint Ciceronẽ, quamvis in lib. 2. de divinatione, & 2. de natura Deorum dixisset, *mihi qui dem videtur, neque in Deum cadere, vt sciat, quod futurum est: nam si scit, certo eveniet, quod si certò eveniat, nullus est casus, neque fortuna.* Cui occurrit Augustinus celebri illa sugillatione scilicèt, *quod vt faceret liberos, fecit sacrilegos.* At in libr. 3. de natura Deorum, velut magis consentaneum rationi putasse concedere Deo scientiam futurorum, dicendo sibi apparuisse propensiorem ad verisimilitudinem disputationem Balbi; quam Cottæ, qui contra Stoicorum placitum, & providentiam, atque præscientiam Deorum differebat, eis attribuens ignorantiam futurorum. Cæterum Augustinus hæc benè agnoscens in prædicto cap. 9. citato ab hac nota Ciceronem non liberat; sed potius censet hoc non ex animo dixisse, & quasi corrigens priorem sententiam; sed ad repellendam invidiam, quam sibi conciliasset, si velut arbiter in Dialogo illo sententiam tulisset pro Cotta, qui nullam naturam divinam dari contendebat; ne præsciret, & præsciens necessitatem arbitrio voluntatis imponeret.

14 Non distasse à prædicto errore Aristotelem iudicant aliqui Authores Scholastici, consequentia deducta ex eo, quod negaverit veritatem determinatam propositionibus singularibus de futuro; sed quomodo sit intelligendus, si aliquando quoad aspectum id insinuavit; necnon quæ sint fundamenta, vt oppositum tenuerit, iam supra manet expeditum. Tenuisse Simonem Magum, & Bardacenses refert Vazquez, disput. 64. cap. 1. apud Herice, prima parte, disput. 6. eidem adscribentem ex Hæreticis Vviclephum, Luterum, & Calvinum in quos egregiè

Vvaldenſis, Alphonſus de Caſtro, Roſenſis, Vega, Valentia, & alij controverſiſtæ.

15 Si inde inferas: præſcientiam futurorum non eſſe veritatem tam claram, vt pro ipſa, lumen naturale ſufficiat, quando homines non rudis, & inexperti ingenij; ſed vivacis, & culti in oppoſitum inciderint, benè reſpondet Izquierdo: id non vrgere, vel quia ſæpè voce negatur, quod animus amplectitur, vt de Cicerone dixit Auguſtinus: vel quia veritates aliquæ ad ſui evidentiam requirunt maturam conſiderationem omnium fundamentorum, quibus perſpenſis ſtatim affulget; non ſic quando leviter tantum attinguntur, & ex in conſideratione temerè prætermittuntur. Nec video, quid hic vrgeri poſsit, quod contra evidentiam ſupremi Numinis ex Athæis probare nequeat. Quare ſat nobis erit, ſi aſſequamur tam evidentem præſcientiam futurorum, ſemel quod Deus ſit; ac exiſtentiam ipſam Dei. Vnde licèt Herice per ſolutionem argumentorum conetur aſſerere aſſertam veritatem gaudere duntaxat certitudine fidei; meritò reijcitur à reliquis negantibus probabilitatem prædictis evaſionibus, vtpotè, quæ ex violatione aliorum rationi naturali concernentium parentur ſibi fugam, vt legenti conſtabit à nūm. 4. cap. 1. diſputationis citatæ eiuſdem Authoris.

16 Certum eſt nobis tertiò: præſcientiam futurorum contingentium in ſe ipſis, ſeu certam, & infallibilem, ita eſſe Dei propriam, vt nulli intellectui creato, ſive humano, ſive Angelico ex ſe, & naturaliter, ſeu independenter à ſupernaturali revelatione poſsit convenire; conſtare clarè videtur ex pluribus Scripturæ Sacræ locis, quæ adducuntur communiter ab Authoribus, & præ omnibus copioſiſsimè à Ruiz, ſect. 3. diſputat. 22. citatæ. Dicitur enim Eccleſiaſtes, cap. 7. *Quis ei poterit indicare, quid poſt eum futurum ſub ſole ſit* ad quæ Olympiodorus, *Præſens* (inquit) *hæc Authoritas omnem funditus evertit divinandi ſuperſtitionem: nullus enim mortalium certam futurorum ſcientiam conſequi poteſt.* Iſaiæ, cap. 41. *Accedant, & nuntient nobis, quæcumque ventura ſunt priora, quæ fuerunt, nuntiate, & ponemus cor noſtrum, & ſciemus noviſsima eorum, & quæ ventura ſunt indicate nobis. Anuntiate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos,* & poſt pauca: *Quis anuntiavit ab exordio, vt ſciamus, & à principio, vt dicamus: iuſtus es? Non eſt, neque anuntians, neque prædicans, neque audiens ſermones veſtros.* In quorum expoſitione inquit Hieronymus: *vbi Apollo Delphicus, & Loxias, Deliuſque, & Clarius, & cætera Idola futurorum ſcientiam pollicentia, quæ Reges potentiſsimos deceperunt? Cur de Chriſto nihil potuerunt prædicere, nihil de Apoſtolis eius, nihil de ruinis, & abolitione templorum? Si ergo ſuum interitum non potuerunt prædicere, quomodo aliena, vel mala, vel bona poterant anuntiare?*

17 Clariùs adhuc prædicta verba Iſaiæ explicat ad intentum Cyrillus Alexandrinus, libr. 4. inquiens: *Diuinæ, & ineffabilis gloriæ proprium, ac peculiare eſt, omnia ſcire nihil prorſus ignorare, neque præteritorum, neque inſtantium, neque futurorum.* Et paulò inferius: *Veniant igitur, qui putantur ab his eſſe Dijs, annuntient, quæ contingent, dicant priora, & noviſsima, & ventura: cognoſcemus enim tunc, quod Dij ſint. Verum* (inquit) *non poteſtis annuntiare.*

18 Iterum Iſaiæ, cap. 44. *Ego primus, & noviſsimus, & abſque me non eſt Deus. Quis ſimilis mei? Vocet, & annuntiet, & ordinem exponat mihi, ex quo conſtitui Populum antiquum; ventura, & quæ futura ſunt, anuntient eis.* Et poſt in fine capitis: *Ego ſum Dominus extendens Cœlos ſolus ſtabiliens terram, & nullus mecum irrita faciens ſigna divinorum, & Ariolos in furorem vertens.* Vbi rurſus Hieronymus, & Cyrillus Alexandrinus, ille: *Quis ſimilis mei eſt? Vocet ea, quæ non ſunt, quaſi ſint; & exponat ordinem creaturæ meæ: qui cuncta ratione liberaverim, ex quo feci hominem ſuper terram. Nec ſolum volo; ſed quæro etiam ſcientiam futurorum.* Hic: *Deo enim natura convenit omnem habere, & iam præteritorum, & futurorum notitiam. Sin nemo reperiatur in falſo nuncupatis Dijs, qui hoc ſit conſequutus, eos qui cognitione divina præditi non ſunt, Deos non eſſe, obſcurum non eſt.*

19 Danielis cap. 2. *Reſpondentes Caldæi coram Rege dixerunt: non eſt homo ſuper terram, qui ſermonem tuum, Rex, poſſit implere,* facta poſt exceptione, *exceptis dijs, quorum non eſt cum hominibus converſatio.* Super quæ obſervavit Hieronymus: *Confitentur Magi, confitentur Arioli, & omnis Scientiæ ſæcularis litteratura præſcientiam futurorum non eſſe hominum; ſed Dei: ex quo probatur Prophetas Dei ſpiritu loqua-*

quatos, *qui futura cecinerunt.* Quod confirmat ipse Daniel inferius eidem interrogationi respondens: *Mysterium, quod Rex interrogat, sapientes Magi, & Arioli, & haruspices non queunt indicare Regi. Sed est Deus in Cœlo revelans mysteria, qui indicavit tibi. Rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt novissimis temporibus,* adnotante Hieronymo: *Tollit Regi pravam suspitionem, ne humana æstimet inveniri posse solertia: quod Dei solius notitiæ reservatur.* Et Theodoreto: *Deum esse asseruit, arcana revelandi Magistrum, & adiecit in Cœlo, ijs Dijs, qui deorsum versantes colerentur, ejectis, & singulari quidem nomine, Deorum, qui non sunt expellit multitudinem; eo vero, quod in Cœlo degere ipsum dixit, eos qui deorsum viderentur non esse Deos ostendit.*

20 His testimonijs fulti, vltra citatos Patres, reliqui omnes in eàdem veritate conspirarunt cognoscentes, & affirmantes propriam solius Dei cognitionem certam futurorum. Ita Origenes contra Celsum lib. 6. column. 4. *Divini sermonis character est futurorum prædictio, quæ in naturam humanam non cadit, & indicatur ex eventibus, quando evidens sit divini Spiritus prænuntiatio.* Iustinus in quæstionibus ad Orthodoxos quæst. 146. *Quorum Dij non sunt Dij horum, ne vates quidem sunt veritatis Prophetæ, nec eorum prædictio inevitabilem, & verum habet eventum. Vt enim procul absunt à vera Divinitate; sic & à futurorum prænotione.* Et quæst. 19. ad Gentiles: *Futurorum prædictio est animæ, quæ à divino spiritu illuminatur ad cognitionem rerum hactenus incertarum.* Athanasius in vita S. Antonij proprius ad medium quam ad finem, de Dæmonum præsagijs inquit: *Non enim ea quæ nondum fieri apta sunt, referunt: quia Dominus solus conscius est futurorum.* Athanasius Nizenus quæst. in Scripturam, quæst. 23. column. 2. *Futurorum, aut Arcanorum nihil præsciunt Dæmones; sed solum Dominus, qui novit omnia, priusquam fiant:* quòmodo etiam dicit per Prophetam: *Non est qui enuntiet Prophera præter me.* Maximus Centuria 4. cap. 32. tom. 5. Bibliotecæ: *Cum igitur eorum, quæ sunt, nullum omninò se ipsum, aut aliud cognoscat, quidnam sit secundum substantiam, iusta de causa nihil extat, quod futura secundum naturam præcognoscat, præter eum, qui est super omnia, Deum; qui tum se ipsum novit, quid sit secundum substantiam; tum subsistendi prænovit rationem eorum, quæ facta sunt ab ipso, antequam fierent.*

21 Conveniunt etiam Damascenus lib. 2. de fide cap. 4. docens: *Futura quidem neque Angeli, neque Dæmones sciunt, prædicunt tamen Angeli, Deo illis revelante, & prædicere præcipiente. Prædicunt, & Dæmones quandoque ea, quæ longe futura sunt prospicientes, quandoque vero conijcientes: vnde, & pleraque mentiuntur.* & cap. 29. *Incomprehensibilis est divina providentia, & cogitationes nostræ, & rationes, & futura illi soli cognita.* Augustin. lib. 9. de Civitat. cap. 22. *Dæmones non æternas temporum causas, & quodammodo Cardinales in Dei sapientia contemplantur; sed quorundam signorum nobis occultorum maiore experientia, multo plura; quàm homines futura prospiciunt, dispositiones quoque suas aliquando prænuntiant. Denique sæpè isti; numquam illi* (id est boni Angeli) *omninò falluntur. Aliud est enim temporalibus temporalia, & mutabilibus mutabilia conjectare, eisque temporalem & mutabilem modum suæ voluntatis, & facultatis inserere, quod Dæmonibus certa ratione permissum est. Aliud autem in æternis & incommutabilibus Dei legibus, quæ in eius sapientia vivunt, mutationes temporum prævidere.* Isidorus lib. 1. de Summo bono, cap. 10. *Angeli in verbo Dei cognoscunt omnia, antequam in re fiant; quæ apud homines adhùc futura sunt. Angeli iam, revelante Deo, noverunt.* Anselmus Dialogo de casu Diaboli cap. 21. *Non posse sciri quod potest non esse; quod enim non esse potest, nequaquam esse, certa potest ratione colligi. Qua propter constat illum* (Diabolum scilicèt) *nullatenus potuisse præscire casum suum, quem necesse non erat futurum.*

22 Ex his eruitur ratio Theologica assertionis positæ. Siquidem id, quod est proprium solius Dei, & quasi distinctivum ipsius ab omni non ipso, non convenit creaturæ; sed habere ex se, & ex debito propriæ naturæ cognitionē certam futurorum contingentium, est proprium solius Dei, & quasi distinctivum ipsius: ergo habere ex se, & ex debito propriæ naturæ cognitionem futurorum contingentium, non convenit vlli creaturæ. Maior evidens est ex terminis, & minor certa apparet nobis certitudine fidei. Vnde conclusio rectè deducta, convincitur Theologica.

23 Pro discursu naturali: maior controversia est inter Doctores, præcipuè quoad futura contingentia libera; non quidem: quia vllus sentiat deficere rationem naturalem, & philosophicam

ad

ad efficàciter probandam prædictam Scientiam non posse convenire ex debito intellectus creati; sed quia alij intendunt id posse fieri à priori; alij vero tantum à posteriori: ex his est Vazquez, qui 1. part. disp. 208. cap. 2. post examen fundamentorum, quæ ab alijs censentur à priori, concludit: *Quo circa ego existimavem non posse ratione philosophica à priori veritatem prædictam probari; rectè tamen Scriptura, & Sanctorum Patrum testimonijs; id quod vero Theologo satis esse debet.* Per oppositum censet Ruiz cum alijs posse discursu naturali à priori ostendi, cuius summa hæc est: nam si Angelus; v.g. per naturales vires sui intellectus, & specierum, quas habet à natura congenitas, cognosceret actus liberos futuros; aut illos cognosceret in se ipsis, vel in aliqua causa: sed neutro modo cognoscit: ergo nullo modo cognoscit futura contingentia, quæ propriè sunt contingentia. Probatur minor. In primis futuros actus liberos in se ipsis cognoscere non potest Angelus: quoniam hoc est proprium Dei, cuius intellectus perfectissimus aliam conditionem ad cognoscendum non expectat, quàm cognoscibilitatem obiecti, vi cuius sit verè affirmabile. Deinde non cognoscit in causa: cum omnis causa actus liberi sit indifferens ad ipsum, & carentiam illius, ac proinde sit improportionata ad determinandam cognitionem futuri liberi; potius quàm carentiæ illius: ergo neutro modo Angelus potest cognoscere futura libera; quæ propriissimè sunt futura contingentia.

24 Hanc rationem impugnat Vazquez loco citato quoad vtramque partem; quoad primam: quia licèt in his, qui accipiunt speciem à rebus, vt sunt homines, benè probetur non posse cognoscere obiecta in se ipsis antequam existant; at in Angelis qui ob perfectionem sui intellectus non indigent speciebus à rebus acceptis, vt eas in se ipsis cognoscant, non videtur probari improportio, vt actus liberos futuros in se ipsis cognoscant; ac per consequens cognitio certa illorum non apparet tam propria excellentia solius Dei, vt ad Angelos non se extendat. Quoad secundam. Propterea quod sicut indifferentia arbitrij ex causa actus liberi futuri non tollit determinatam veritatem futurorum contingentium, nec relinquit, quasi in suspenso veritatem, & falsitatem vnius ex contradictorijs, sic nec obesse potest, vt in ipso arbitrio, & causa libera possint cognosci futura, quæ ab ipsa habeant determinatam veritatem.

25 Ad primum respondet Ruiz: Illam diversitatem inter intellectum Angelicum, & humanum, consistere cum repugnantia ex parte vtriusque ad faciendam sibi debitam cognitionem futurorum liberorum in se ipsis. Et ratio est: quia sic certò cognoscere futura contingentia, est cognoscere ea absolutissimè, & independenter ab omni conditione, quomodo cognoscere ex propria natura, est proprium solius Dei, vt constat ex eo, quod Angelus adhùc futura, quæ proveniunt à causa naturali necessaria, vt sunt Eclypsis, ortus, & occasus solis, aspectusque astrorum, non cognoscat nisi sub conditione, *nisi Deus speciali providentia voluerit impedire cursus astrorum, aut Cœli motum.* Ad secundum: veritatem determinatam futuri liberi semper relinquere causam suam indifferentem; ac proinde ineptam, vt ex determinatione ipsius cognoscantur. Etenim medium obiectivum indifferens ad duo extrema ad nullius determinati cognitionem determinat. Vnde licèt determinata veritas futuri convincat aptitudinem ipsius, vt in se cognoscatur; minimè verò, vt in causa sua indifferente ad vtrumvis valeat cognosci.

26 Nihilominus discursus ille semper manet implexus, qui displicet. Primò: propter limitationem ad sola futura contingentia libera, cum intentum sit probare generaliter nulli intellectui creato esse debitam cognitionem futurorum contingentium, vt probant vniversalissima, & generalissima verba, tàm Sacræ Scripturæ, quàm Patrum supra adducta. Secundò: quia pars illa de improportione intellectus Angelici, sivè creati ad cognoscenda futura in se ipsis ex eo, quod id tantùm competat Deo, nisi amplius explicetur, supponit probandum, & improbata relinquitur: desideratur enim ratio naturalis, quæ id ostendat. Tertiò: ex altera parte, qua asserit, propter indifferentiam causæ liberæ non posse cognosci futura in ipsa; nam licèt verum sit non posse cognosci in causa libera secundum se consideratam propter indifferentiam illius; ast non posse cognosci in ipsa provt applicata ad effectum per applicationem æternam,

æternam, & antecedentem, quæ se teneat ex parte Dei, quæ si concedatur; & tamen negetur cadere sub sphæram intellectus creati ex debito propriæ naturæ: vnde id constat: præcipuè si applicatio sit ad effectus liberos naturales; si verò negetur: iam reducitur ad litem communem de constitutivo, & essentia libertatis creatæ, manetque comprehensum sub eàdem difficili controversia; ac per consequens in ambiguo, & sine ea certitudine, quæ in prædicta veritate ex discursu naturali à priori intenditur.

27 Dicendum ergo est: impotentiam intellectus creati ad cognoscenda certò futura contingentia per se, & quasi ex debito propriæ virtutis non posse aliter à priori ratione naturali suaderi, nisi in quantum ex terminis notum est, sic cognoscere futura, esse excellentiam solius supremi Numinis per quam discernitur ab omni non ipso. Vnde formatur discursus: proportio illa in ordine ad cognoscendum obiectum aliquomodo tantum conveniens potentiæ intellectivę simpliciter infinitæ, nullo modo convenit potentiæ intellectivæ finitæ, & limitatæ; sed proportio ad cognoscenda futura contingentia certò ex se, & ex debito propriæ virtutis est proportio tantum conveniens potentiæ intellectivæ infinitæ: ergo nullo modo potest convenire potentiæ finitæ, & limitatæ: ac per consequens intellectus omnis creatus, qui potentia finita, & limitata est non potest per se, & ex debito propriæ virtutis cognoscere futura contingentia certò. Discursus est legitimus, & maior ex ipsis terminis evidentissima. Iam, minorem esse similiter evidentem, comprobat communis consensus nationum, quæ, dum non adeo barbaræ fuerint, vt omnem Deitatis speciem abiecerint, semper futurorum notitiam in aliquod divinum retulerunt; vt ostendunt appellationes ipsæ *divinorum*, & *divinationis*, quibus exprimebant, & manifestationem ipsam futurorum, & homines affectantes in se habere talem præcognitionem. Vnde Aristoteles communiter in præsenti citatus lib. de præsensione per somnium semel, & iterum docet certam futurorum præsensionem à solo Deo immitti posse, cum nulla alia sit causa proportionata, vt per somnium futura innotescant.

28 Hinc difficilis mihi redditur Vazquez, qui ponderans apud Ethnicos, & Gentiles adeò divinum existimatum prædicere futura, vt qui similia prædicerent in Deorum numerum referrentur, postea concludit; *quamvis ergo ratione naturali à priori non ita apperte hæc veritas probari possit, vsque adeò tamen nota est Philosophis etiam Ethnicis, & Gentilibus; vt omnium animis quasi naturaliter insita videatur.* Quod non capio; nam si hæc veritas tam nota est apud omnes, vt quasi naturaliter insita videatur: per consequens quasi naturaliter insitum est omnibus, vires intellectus nō divini non esse sufficientes ad eandem præscientiam; ac proinde intellectum non divinum esse improportionatum ad effectum cognitionis certò proponentis futura. Vnde proceditur ad ostensionem prædictæ veritatis ab improportione causæ ad effectum excedentem vires, & debitum potentiæ limitatæ; quid ergo aliud desideratur, vt ostensio per naturalem rationem dici queat à priori?

29 Constat etiam à posteriori, seu vt alij dicunt à signo, & experientia: quoniam si cognitio certa futurorum esset debita intellectui creato, saltem Angelico, non componeretur cum vehementissimo desiderio, quo æstudebant Dœmones ad arrogandos, sibi ex hominibus honores divinos per idololatriam, ne vera saltem, vt in plurimum, prædicerent, si futura certo cognoscerent, quin ad amphibologica, & æquivoca oracula confugerent ex quibus, fraude detecta per eventus sequutos corruebat cultus, & contemptibiles fiebant: signum ergo est evidentissimum futura contingentia ipsos latere, nec certam eorum prænotionem vlli intellectui creato esse debitam; alias ipsis non deficeret in præsenti providentia communiter, & regulariter, sicut in eàdem non negatur vlli rei, nisi in casu extraordinario & irregulari terminus ei connaturaliter debitus. Quo spectat illud Augustini lib. 7. de Civitat. cap. 30. *Sic enim Deus administrat omnia, quæ creavit, vt etiam ipsa proprios exercere, & agere motus sinat.* & lib. 5. contra Iulianum fertur dixisse apud Ruiz: *Neque Deus ita naturas creat, vt leges auferat, quas dedit motibus, cuiusque naturæ.* Congruenter quidem ad ea, quæ docuit Dionysius dicto cap. 4. de divinis nominibus: *Neque enim providentiæ est naturam interimere, & tollere.*

Ita-

Itaque, vt providentia vniuſcuiuſque naturæ conſervatrix, ea quæ ſuis appetitionibus vtuntur, vt huiuſmodi gubernat, & vniverſos, & ſingulos accommodatè vtriſque quatenus eorum, quæ providentia reguntur, natura, capit vniverſæ providentiæ beneficia, quæ cuique pro captu ſuo dantur.

30 Per quæ immediatè occurritur evaſioni, quam aliquis parare poſſet, vt eluderet efficaciam probationum ſtatutæ veritatis, dicens: ſaltem intellectum Angelicum habere potentiam certò cognoſcendi futura contingentia; tamen à Deo impediri in præſenti providentia, ne eos cognoſcat; idque tantum probare fundamenta Authoritatis adducta; ſicut, & rationis, ſcilicèt: ſolius Dei eſſe cognoſcere futura, vel ſine dependentia ab alio, vel abſolutè: in quantum de facto nullus alius niſi Deus eſt expeditus ad ea cognoſcenda ex ſe, & naturaliter, quamvis in alijs inveniatur potentia naturalis, & vires ſufficientes ad cognoſcenda futura ſecundum naturæ debitum.

31 Manet inquam excluſſum iſtud effugium: quia denegatio talis notitiæ non congruit cum ſuavitate præſentis providentiæ, cuius regimen conforme exigentijs rerum non denegaret, vt in plurimum intellectui creato, ſcientiam futurorum contingentium, ſi ex parte illius adeſſet naturalis virtus ad talem notitiam; quo fundamento moti, abs dubio Patres ſupra relati proferunt à bonis Angelis non aliter certò ſciri futura contingentia; quàm per revelationem ſupernaturalem, aut in Verbo, quod non eveniret, ſi in intellectu ipſorum eſſet vis naturaliter cognoſcendi prædicta futura, incredibile enim fit Deum volentem communicare ipſis notitiam certam eorum adhùc perſiſtere in impeditione potentiæ, vt naturaliter operantis, & ad ſupernaturalia tantum recurrere. Nec magis perſuaſibilis redditur, Beatitudinem naturalem Angelorum eſſe in omnibus diminutam ex defectu cognitionis naturalis ſummè appretiabilis, & eis debitæ, vt foret ſi ex Dei providentia notitia certa futurorum naturaliter acquiſibilis denegaretur.

32 Addendum etiam eſt, vt penitus corruat: actualem, & certam prædictionem futurorum contingentium non aliter eſſe veræ divinitatis argumentum, niſi in quantum ſupponit naturalem potentiam præſciendi ea certò: etenim ſcire certò futura non quaſi ex debito proprio; verùm ex directione, aut manifeſtatione alterius divinitatem non oſtendit, donec ſiſtamus in eo, cui ea cognitio ex propria natura eſt debita: ergo implicatio in terminis apparet concedere ex vna parte debitam naturaliter intellectui creato præſcientiam certam futurorum, & ex alia potentiam cui debita ſit, proponere impeditam à ſuperiori virtute.

33 Non magis vrget alterum de potentia dependente cognoſcendi futura, quaſi ſolum ſit divinitatis irrefragabile indicium potentia independens ea cognoſcendi, quod, ſi teneret, pariter probaret cognitionem præſentium, non minus; quàm futurorum eſſe divinitatis argumentum, ſiquidem æque potentia cognoſcendi præſentia, ac cognoſcendi futura in creato intellectu eſt dependens, & impedibilis per ſuperiorem poteſtatem; & in Deo independens omninò & abſolutiſsima: at cognitio præſentium, & poteſtatem ad talem cognitionem non propterea proponitur, vt ſolius Dei propria: ergo quia aliud præter potentiam independentem ſignificatur, quando futurorum cognitio, velut i Deo vnicè conveniens, deſignatur.

34 Duo in confirmationem adducit Doctiſsimus Ruiz. Primum; nam argumentum illud fictitiæ divinitatis, quod eſt ignoratio futurorum, proponitur in Scriptura Ethnicis tanquam lumine naturæ notum. Homines autem non valebant naturæ lumine perſcrutari peculiarem Dei providentiam impedientem Dœmones; v.g. aut quamvis alium intellectum creatum à cognitione futurorum; potius quàm à cognitione præſentium rerum naturalium. Quare futurorum præſcientia non aliter erat indicium ſpeciale mentitæ divinitatis, niſi in quantum ſupponebat intellectus creati naturalem facultatem ad id non poſſe pertingere. Secundum: quia de facto Dœmones impediuntur ne plures homines interficiant, nec eorum facultates abſſumant. Nihilominus nullus dixit eſſe Dei ſolius proprium homines interficere, aut facultates eorum deſtruere: ergo quòd intellectus, ſaltem Angelicus, non permittatur præcognoſcere futura; ſi tamen ea poſsit naturaliter præcognoſcere, non erit tantum Dei propria futurorum cognitio. Generalius

ad-

adhùc explicari poteſt. Siquidem defacto Deus plura impedit, quæ remanent in ſtatu purè poſsibilium ex denegatione concurſus ad ipſa, nec propterea effectus tales dicuntur illi ſoli proprij; quando in cauſis ſecundis, & ſi impeditis, ab eorum productione continentur.

35 Ex quibus obiter reiecta manet cogitatio illorum, qui aſſerunt ineſſe intellectui creato, ſaltem Angelico, virtutem naturalem rimandi, & penetrandi ſecreta cordium, tantumque de facto ab ea cognitione ſibi naturali per abſolutam Dei potentiam impediri: propterea quod non minus clarè in Sacris litteris oſtendatur Dei tantummodo propria, notitia certa cogitationum cordium; quàm certa futurorum Scientia. Inde ſi velint diſparitatem dare inter vnam, & alteram notitiam, difficiles ſatis, ne dicam inconſequentes, ſe oſtendent; ſi verò vtrumque conſequentius retineant, prementur ſatis rationibus propoſitis non aliunde; quàm ex Sacris litteris, & ex naturali rationis lumine ductis.

CAPVT II.

Nonnullis ex immediatè dictis procedentibus fit ſatis.

36 DVBITABIS primò. Quomodo cum generali doctrina ex Scriptura, & Patribus comprobata erga impotentiam naturalem intellectus creati cognoſcendi futura ſine vlla reſtrictione, aut limitatione prolata, componatur communis aſſertio Theologorum dicentium: intellectui Angelico eſſe debitam naturaliter cognitionem futurorum contingentium provenientium à cauſa naturali, & neceſſariò operante v. g. Futurum aſpectum, aut poſitionem ſiderum; necnon Eclypſes: quod ſi verum teneat, non parum videntur infringi loquutiones illæ vniverſaliſsimæ Scripturæ, & Patrum adſcribentium Deo tantùm potentiam naturalem cognoſcendi certò futura: quæ ſi ſub limitatione, & reſtrictione aliqua ſint admittenda, iam locum facient aliis limitationibus, quas quiſque meditabitur, vt propriam ſententiam componat, ſicut retulimus cap. præcedenti, nihilque firmum, ſivè ex rationis, ſivè ex authoritatis pondere remanebit?

37 Reſpondetur: hæc omnia rectè componi obſervata doctrina, quam tradit Ruiz, ſect. 5. diſputationis citatæ inquiens; futura illa, quæ procedunt à cauſis naturalibus, & non modò ſunt ex eis, quæ rariùs contingunt, & vocantur caſualia, vt terræmotus, tempeſtas, aeris corruptio, conflagratio turris, aut domus, vel ictus fulminis; verùm quæ dicuntur omninò neceſſaria, vt Eclyſis, ortus, & occaſus ſolis, necnon ſyderum aſpectus cognoſci ab intellectu creato, etiam Angelico non omnimoda certitudine; ſed ſub conditione tacita, vel expreſſa. *Niſi Deus aliter diſpoſuerit.* Vnde fit: ea tantum cognoſcere certitudine quadam fallibili, & prò modo determinationis cauſæ in qua cognoſcunt tales effectus; non certitudine metaphyſica, nec cognitione terminata ad effectus in ſe ipſis, & quæ falſitati non ſit expoſita. Quod expræſsiſse videtur Auguſtinus libro de divinatione Dœmonum cap. 6. ibi: *Falluntur; cum cauſis naturalibus aliqua, ſicut Medici, aut Nautæ, aut Agricolæ; ſed longe acutiùs, longequè præſtantius pro aeree corporis ſenſu ſolertiore, & excitatiore prænoſcunt; quia, & hæc ab Angelis Deo ſummo piè ſervientibus ex alia diſpoſitione ignota Dœmonibus ex improviſo, ac repentè mutantur; tanquam ſi ægro aliquid extrinſecus accidat, quo moriatur, quem Medicus veris ſalutis præcedentibus ſignis, victurum eſſe promiſſerat. Vnde concludit ita multa etiam ad præſcientiam prædictionemque Dœmonum pertinentia, quæ minoribus, & vſitatioribus cauſis futura prævidentur, eadem maioribus, & occultioribus cauſis impedita mutantur.*

38 Conſonat Magnus Antonius apud Athanaſium in eius vitam propriùs ad medium; quàm ad principium illis verbis: *Siquis cæperit proficiſci, & hunc viderint Dœmones in itinere ambulantem pernicitate memorata, poſſunt prædicere venientem. Ita, & de Nili inundatione ſolemni, cum multas in Æthiopia viderint pluvias præcurrentes ad Ægyptum annuntiant amnis adventum:* & poſt pauca, *ſed ſi fortè contigerit, vt Dei nutu ad finem cœpta non veniant, hoc eſt, ſi aut viator à media regrediatur via, aut ſuſpenſis nuvibus aquæ ad altum cœli cardinem deferantur, tunc decipientium vna cum credentibus error aperitur.* Pro eàdem

dem ſententia referri poteſt Anaſthaſius Nicenus quæſtionibus in Scripturam quæſt. 23. columna 2. vbi inquit: *Fructum, terræ fertilitatem, & ſterilitatem, ventorumque motus & imbres, & pluviæ retentionem, ſiccitateſque, & hyemis grauitatem, & quæ ſunt his ſimilia ex quibuſdam indicijs coniectantes prædicunt, ſicut, & homines* Favet etiam Euſebius Cæſarienſis præparat. Evang. lib. 6. cap. 1. & 4. comprobans Porphirij teſtimonio: *Dæmonum ſimulachra nihil amplius de futuris potuiſſe prænoſcere; quàm quod obſervatis Cælorum motibus, ac ratione mathematica poſſunt etiam homines Aſtrologi prædicere*: quare aſſerit: *In hoc Dæmonem non eſſe ſuperiorem homine.*

39 Ex hoc tamen modo cognoſcendi futura provenientia à naturali cauſa ſub conditione implicita, vel explicita: *niſi Deus aliter diſpoſuerit*, non licet inferre intellectui Angelico, vel humano eſſe naturaliter debitam cognitionem alicuius providentiæ ſupernaturalis, ſaltem quoad poſsibilitatem ipſius, contra id, quod communiter aſſeritur à Theologis. Vel quia, vt Deus impediat cauſas naturales à productione ſuorum effectuum, non ſemper eſt neceſſaria providentia ſupernaturalis; cum naturaliſsimè poſsit impedire applicationem ipſarum, aut inducere applicationem aliarum fortiorum, quarum activitati attendens, vt Author naturalis, ſuſpendat actionem aliarum: modo quo ſervans iura naturæ poteſt Deus inducere, tàm fertilitatem; quàm ſterilitatem terræ: tàm ſiccitatem; quàm irrigantium aquarum copiam: tam pæſtilentiam; quàm aeris puritatem: tàm fructuum copiam; quàm defectum, vt ſignificat Scriptura Sacra in Pſalm. 106. *Terram fructiferam in ſalſuginem à malitia habitantium in ea. Poſuit deſertum in ſtagna aquarum.* Et ſupponunt preces Eccleſiæ directæ ad Deum tanquam Authorem naturalem, potentem impedire, largiri, aut conſervare effectus aliquos cauſarum naturalium; v. g. Peſtem, famem, bellum, & fructus terræ, vel quia ſupernaturalitas tantùm Theologica, & quæ convenit donis pertinentibus ad ordinem Deificum eſt quæ ſola ſubterfugit cognitionem naturalem intellectus creati; ſecùs ſupernaturalitas Phyloſophica, vt volunt aliqui Theologi; vel quia intellectus creatus, ſivè Angelicus, ſivè humanus tantum cognoſcit providentiam illam ſpecialem poſsibilem ſub conceptu non diſcretivo providentiæ ſupernaturalis, & naturalis; ſed valdè abſtracto, & ſimili ei, quo cognoſcitur naturaliter ab intellectu creato ens ſupernaturale, in quantum cognoſcitur conceptus entis comprehendens ſub ſe ſupernaturalia, & naturalia.

40 Colligitur tamen quid ſentiendum de effectibus, & futuris liberis, quando cauſa libera patitur aliquam neceſsitatem ad illos; ex qua etſi non ſimpliciter auferatur libertas, & indifferentia ad vtrumvis, deficit tamen intra certam lineam libertatis moralis, in quantum impoſsibile moraliter redditur, quod exiſtat oppoſitum: quo caſu intellectus creatus, ſivè humanus, ſivè Angelicus tantum cognoſcet futuros tales effectus, non cum omnimoda certitudine; ſed pro modo determinationis cauſæ ad effectus, & veluti nos cognoſcere poſſumus actiones futuras hominis vehementer iracundi, aut ſuperbi, aut Matris erga filium vnicum, accepto nuncio hilari, vel triſti pro fælicitate, & infælicitate ipſius, & alias ſimiles, quæ ſi vi præſentium fundamentorum moraliter certæ non reddantur; ſed intra terminos probabilis eventus ſiſtant, pariter tantum probabiliter, ſivè ab intellectu humano, ſivè ab Angelico cognoſcentur; ea tantum adhibita differentia, quod Angelus, vtpotè acutior, & perſpicatior; quàm homo, longè præſtantius penetret fundamenta certitudinis, & probabilitatis: Vnde firmior in vtraque linea cognitio ipſius præ cognitione humana evadit.

41 Dubitabis ſecundò: an id quod de futuris dictum eſt quoad naturalem cognitionem intellectus creati, eo modo quo dictum eſt, ſivè de futuris provenientibus à cauſa naturali, & neceſsaria, ſivè à cauſa contingenti, & libera, intelligendum tantum ſit de futuris poſitivis; an pariter de futuris poſitivis & negativis: vel an ſit aliqua ſpecialis ratio, vt quamvis homo, vel Angelus non poſsit naturaliter, ſeu ex debito propriæ naturæ cognoſcere quid eventurum ſit; cognoſcere tamen valeat, quid non extiturum, aut non futurum ſit? Reſpondetur: nullam eſſe diſparitatem inter vnum, & alterum extremum; ideoque quidquid Authoritatis, vel rationis ſtat pro vna parte, aut nullius ponderis eſt reputandum, aut

vtri-

vtrique parti æqualiter, & efficaciter fi-
vere est concedendum.

42 Constat id, si attendatur Au-
thoritas Scripturæ, & Patrum supra
iam expensa, cuius principalissimus
modus procedendi in tribuenda soli
naturæ divinæ ex debito cognitione fu-
turorum, & deneganda limitatæ natu-
ræ, vt est natura hominum, & Ange-
lorum, nullam patitur commodam ex-
ceptionem: etenim par est contingen-
tia vtriusque veritatis; nec minus
apretiabilis notitia illius, quod non
erit; ac illius, quod erit; vt insitum
est omnibus, qui de futuris consulunt,
quibus æque funesti, aut placidi, &
fortunati possunt esse non eventus ali-
qui; ac eventus quidam: tum etiam
quia tàm futura negativa; quàm posi-
tiva numerantur inter arcana, & oc-
culta, cuius scientia ex propria natu-
ra, & perfectione Deo tantùm con-
venire passim proclamant Sacræ litte-
ræ, non modo sub expressione *eorum, quæ ventura sunt*, quæ positivum sonat;
verùm sub expressione *notitiæ futurorum*, quæ omnem notitiam de futuris, sivè
positivis, sivè negativis comprehendit;
sicut, & completum ordinem divinæ
providentiæ claudentem non minus ne-
gativa; quàm positiva.

43 Si attendatur ratio: siquidem
non minus ex terminis, & nationum
omnium consensu, argumentum sem-
per fuit divinitatis futurorum contin-
gentium prænotio, sivè quod non fu-
turum erat, præsentiretur, sivè quod
posisitive eventurum erat, anuntiare-
tur: neque distinctione vlla inter has
notitias vsa vnquam fuit communis
persuasio, vt ex vna, Numen divinũ cog-
nosceret, & ex altera respueret, vt ri-
diculum planè foret: cum tam requi-
rat conformitatem cum suo obiecto de
futuro longè à creata mente, & intelli-
gentia disito prædictio affirmativa de
futura calamitate, aut de secundo casu;
quam de defectu illius. Accedit id,
quod benè vrget Ruiz sect. 8. num. 6.
Nam si intellectus creatus certò sciret
aliquas res non esse futuras, etsi liberè,
& contingenter potuissent produci, sci-
ret certò similiter res contrarias esse fu-
turas; quamvis liberè, & contingenter
existerent. Etenim qui certò sciret Pe-
trum; v. g. nunquam esse peccaturum,
moraliter certò etiam sciret perseve-
turum in obedientia divinæ legis, & ex
suppositione notitiæ elevationis ad su-
pernaturalia esse assequuturum glo-
riam: sicut à contrario: certò sciens
non esse perseveraturum in obedien-
tia, & observatione præceptorum,
certò etiam sciret peccaturum morta-
liter, & damnandum. Item qui sci-
ret in aliqua Provincia, aut Regno
non esse futurum bellum, sciret etiam
ibidem futuram liberè pacem, & sic
de alijs. Quod magis premit, si noti-
tia esset non tantum de aliquo non fu-
turo; verùm de omnibus non futuris
collectivè: hic enim rogatus de quo-
vis futuro positivo, posset certò præ-
dicere eventurum: propterea quod de-
fectus notitiæ illius, vt non futuri, es-
set ipsi argumentum firmissimum futu-
ritionis: liqueat ergo notitiam, tàm fu-
turorum; quàm non futurorum esse
propriam solius Dei ex debito, & perfe-
ctione naturæ.

44 Dubitabis tertiò. Quomodo
absque naturali cognitione futurorum
adhùc in intellectu Angelico compo-
ni possit; quòd Dœmones nonnun-
quam, sivè immediatè per se, sivè per
idola, sivè per arrepticios, & fatidi-
cos vera nonnunquam prædixerint, vt
ipse comprobavit eventus? Respondetur
ex his, quæ latè Ruiz sect. 9. & alij
proponunt, multiplici ex capite absque
naturali facultate cognoscendi certò fu-
tura, accidere posse; vera quandoque
prædicere.

45 Primò quidem, Deo per se
immediatè impellente, vt legitur de
Balaam cap. 22. Numer. qui cum esset
Ariolus, dixit ad Balac: *Ecce adsum; numquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo?* & de Caipha Ioannis
cap. 11. *Hoc autem à semetipso non dixit; sed cum esset Pontifex anni illius prophetavit, quod Iesus moriturus erat pro gente.*
Vel non immediatè per se; sed mini-
sterio bonorum Angelorum, vt est fre-
quentius, & suavius, quibus ea reve-
lantur, vt ab illis discant Dœmones:
sic sentit Augustinus lib. 2. ad Simpli-
cianum quæst. 3. post medium ibi: *Cum enim vult Deus etiam per infimos, & infernos spiritus aliquem vera agnoscere, temporalia duntaxat, atque ad istam mortalitatem pertinentia, facilè est, & non incongruum, vt Omnipotens, & Iustus ad eorum pœnam, quibus ista prædicuntur, vt malum, quod eis impendet, antequam veniat, prænoscendo patiantur occulto apparatu*

myſteriorum ſuorum, etiam ſpiritibus talibus aliquid divinationis impertiat, vt quod audiunt ab Angelis, prænuntient hominibus: monet tamen pòſt de talibus prædictionibus, *tantum autem audiunt, quantum omnium Dominus, atque moderator, vel iubet, vel ſinit: miſcent tamen iſti fallacias ſuas, & verum, quod noſſe potuerint non docendi magis; quàm decipiendi ſtudio prænuntiant.*

46 Concordat Div. Thomas 2. 2. quæſt. 172, art. 6. ad 1. vbi poſtquam dixiſſet: Prophetas Dæmonum aliquando vera prædicere; explicans modum, quo hoc poteſt contingere, ſubdit: *Sed etiam quando Prophetæ Dæmonum à Dæmonibus inſtruuntur, aliqua vera prædicunt; quandoquidem virtute propriæ naturæ, cuius Actor eſt Spiritus Sanctus; quandoque etiam revelatione bonorum ſpirituum; vt patet per Auguſt. lib. 12. de Geneſi ad litteram; & ſic etiam illud verum, quod Dæmones enunciant, à Spiritu Sancto eſt.* Nec prætermittendum id, quod præmiſſerat in artic. 5. ad 3. ad diſcretionem Prophetarum Dæmonum, & Dei ſcilicèt: *Dicendum, quod aliquibus ſignis etiam exterioribus diſcerni poteſt Prophetia Dæmonum à Prophetia divina: vnde dixit Chryſoſtomus ſuper Mathæum; quod quidam prophetant in ſpiritu Diaboli, quales ſunt divinatores; ſed ſic diſcernuntur; quoniam Diabolus interdum falſa dicit: Spiritus Sanctus nunquam.* Quod coincidere videtur cum dicto Auguſtini, iam relato de admixtione falſi ad verum, etiam quando Dæmones vera aliqua aſſeverant.

47 Quæri non abs re poteſt circa hunc modum, quo Dæmones vera aliquando prædicunt, media divina revelatione, aut immediatè propoſita per Deum, aut mediatè per intimationem bonorum ſpirituum: an procedat ex cognitione ſupernaturali exiſtente in intellectu Dæmonis: an ex cognitione tantum naturali? Pendet reſolutio ab altera quæſtione, quæ diſputatur à Theologis, tractatu de Angelis, dum agunt de cæcitate mentis malorum Angelorum, & inquirunt: an per peccatum perdiderint omnem habitum ſupernaturalem; ſicut, & omnem cognitionem ſupernaturalem: an ſecus? In qua Alenſis 3. part. quæſt. 64. membro 7. & ſequentibus apud Suarium lib. 8. de Angelis cap. 6. tenet: manſiſſe in Dæmonibus habitum fidei quoad ſubſtantiam; quamvis informem. Inſuper Durandus in 3. diſt. 23. quæſt. 9. aſſerit: dari in damnatis non modo habitum fidei; verùm, & actum: de Dæmonibus autem non abſolutè affirmat; ſed ſub conditione, ſcilicèt: manſiſſe in ipſis fidem, ſi illam in via habuerunt; vt eſt communis ſententia: nec videtur alienum à mente Div. Thomæ 1. parte quæſt. 64. art. 1. in corpore docentis: cognitionem ſpeculativam, quæ eſt per gratiam non eſſe pravis ſpiritibus totaliter ablatam; verùm diminutam; verba ipſius ſunt: *Secunda autem cognitio, quæ eſt per gratiam in ſpeculatione conſiſtens non eſt eis totaliter ablata; ſed diminuta: quia de huiuſmodi ſecretis divinis tantum revelatur eis, quantum oportet, vel mediantibus Angelis, vel per aliqua temporalia divinæ virtutis effecta, vt dicit Auguſtinus 9. de Civitate Dei; non autem ſicut ipſis Sanctis Angelis, quibus plura, & clarius revelantur in ipſo verbo.* & 2. 2. q. 18. art. 3. ad 3. inquit, damnatos eſſe capaces fidei informis, licèt non ſint capaces ſpei, quod conſequenter apparet dictum ad Auguſtini ſententiam, tractatu 6. in Ioannem circa finem, comparantis fidem Dæmonum fidei peccatorum.

48 Oppoſitum: ſcilicèt, pravos Angelos propter peccatum fuiſſe privatos omni actu, & habitu ſupernaturali tenet Eximius Suarez cum communi ſententia innixa Authoritati Sanctorum Patrum Damaſceni, Auguſtini, & Iſidori; pro cunctis tamen clariſsimè Bernardus Epiſt. 77. ad finem dicens: *Reprobos ſpiritus deſtitutos eſſe participatione gratiæ ſpiritualis; non tamen vivacitate induſtriæ naturalis.* Et accedit ratio: quia omnis cognitio ſupernaturalis haberi non poteſt ſine gratia Dei: ſed Dæmones deſtituti ſunt omni gratia Dei: ergo nullam poſſunt habere cognitionem ſupernaturalem; inde conſtat de habitu ipſo ſupernaturali pertinente ad intellectum: qui etiam pertinet ad gratiam, & propter actum exiſtit: vnde ſi quando Div. Thomas dixit dari in Dæmonibus fidem quandam informem, inſuperque cognitionem ſupernaturalem non penitus extinctam; ſed diminutam; intelligendus eſt, vt inquit

idem

Idem Suarez, de cognitione rerum ſupernaturalium in divino teſtimonio aliquomodo fundata, & in ſe entitativè naturali, quæ genericè, & impropriè dici poteſt fides, quamvis non ſpecificè, & ſtrictè.

49 Ex his diſcurrendi modis quoad cognitionem Dæmonum, ex qua vera prædicant, nihil occurrit in primo, quæ præſenti quæſtioni obeſſe poſsit, quidquid ſit: an alijs difficultatibus implicetur. In ſecundo verò ſtatim ſe offert illatio: ergo Angelus cognitione naturali poteſt cognoſcere futura ita taliter, vt vera prænunciet: ac per conſequens iam erit potentia naturalis in Angelo ad cognoſcenda futura tali ſecuritate, vt in vi illius valeat vera prædicere. Cæterum ſequella iſta dictis non nocet. Siquidem non negavimus eſſe potentiam naturalem in Angelo ad cognoſcenda futura adhùc libera certitudine morali; quando de præſenti datur aliquod determinativum, in quo fundetur talis certitudo: cognitio autem naturalis fundata in revelatione Dei, aut immediatè communicata per Deum Angelis malis, aut medijs Angelis bonis, tantùm eſſet certa moraliter, ſecùs metaphyſicè: quare potentia naturalis ipſis correſpondens in intellectu Angelico non eſt potentia ad cognitionem omninò certam; verùm intra certum, & infimum gradum certitudinis: quomodo non repugnat Angelum cognoſcere naturaliter futura. Præter quamquod poſſet aliquis dicere non incongruè, intellectui creato tantum repugnare potentiam naturalem facientem ſibi debitam cognitionem certam futurorum; non ſic potentiam naturalem purè paſsivam ad recipiendam aliunde per alienam virtutem cognitionem naturalem certam futurorum. Sicut accidit in homine mediocris ingenij, qui per ſe non poteſt diſcurrere argumentum ſubtile, at ex propoſitione, & diſcurſu alterius benè poteſt ita inſtrui, vt convincat alios.

50 Secundum caput, vnde Dæmones valent prædicere verum, recidit in primum iam propoſitum; in quantum diſcentes ex ſacris litteris, aut ex ſermonibus Prophetarum, aut aliorum fidelium, quæ Deus revelavit, vel vniverſæ Eccleſiæ, vel peculiariter alicui ſancto ſua intelligendi perſpicacia, & accumine verum ſenſum non numquam attingunt: id docere videtur Div. Auguſtinus lib. 4. de Trinitate cap. 17. necnon clariſsimè Tertullianus in apologetico adverſus gentes cap. 22. poſt medium ibi: *Diſpoſitiones Dei; & nunc Prophetis annuntiatibus, excerpunt, & nunc lectionibus reſonantibus, carpunt. Ità, & hinc ſumentes quaſdam temporum ſortes emulantur divinitatem, dum furantur divinationem.* Idem ſentit Antonius apud Athanaſium in eius vita proprius ad medium, quam ad finem, cuius verba ſunt: *Quantos nunc putatis, qui velocitate pueri iſtum cœptum, noſtroſque contra ſe ſermones ante relatum aliquius hic poſiti, longè manentibus indicare.*

51 Tertiò: dum vident Dæmones, quæ valdè diſtant loco; tempore tamen præſenti fiunt, velut initium alicuius actionis conſumatæ; vnde colligunt; quod tempore ſequenti ſit eventurum. Quomodo prædicunt Civitatis alicuius obſidionem tali tempore exequendam ex viſione exercitus à longè properantis, & ex perceptione conſultationum, & conſiliorum Ducum: ſimiliter mercium copiam aſſeverant futuram, cum videant alibi comparari adhùc tranſportandum, & ſivè mari, ſivè terra iam iam confluere. Hunc prædicendi modum proponunt multi ex Patribus, & Doctoribus. Inter quos Athanaſius loco citato in vita Antonij. Damaſcenus lib. 2. de fide capite 4. Auguſtinus in præcitato lib. 4. de Trinitate cap. 17. Vti Hyppolitus Oratione de conſummatione mundi circa medium ſcripſit de Anti-Chriſto dicens: *Longinqua non aliter quàm præſentia denuntiabit*, quod, vt notat Ruiz de ipſius prædictionibus eſt intelligendum.

52 Quartò: quia multoties eà enunciant, quæ penes eorum libertatem ſunt, & facere decreverunt; proponunt verò quaſi per alias cauſas eventura, vt ſic divinationem mentiantur, & homines divinitatis ſpecie decipiant. Id obſervavit Div. Auguſtinus, tum loco immediatè citato, tum

lib. 2. de Geneſi ad litteram cap. 17. & lib. 9. de Civitate cap. 22. ſicut lib. de divinatione Dœmonum cap. 5. inſuper Tertullianus in Apologetico contra Gentes cap. 22. propè finem. Quintò : ex probabilibus coniecturis conijciunt Dœmones etiam operationes liberè futuras: vnde ſæpè coniunguntur prædictiones cum eventus veritate: ſicut inter homines iudicium tantum probabile, aut ex congruentijs formatum coniungitur multoties cum veritate ſui obiecti, qualiter per ipſum affirmatur. Hunc modum etiam retulit Auguſtinus lib. 9. de Civitate Dei cap. 22. & lib. de divinatione Dœmonum cap. 5. poſt medium, & fusè Div. Thomas 3. contra Gentes cap. 154. circa medium.

53 Sextò : caſuale ſæpè numero eſt reſpectu Dœmonis contigiſſe verum, id quod temerè tantum prædixit, & penitus ignorans. Quemadmodum caſus eſt, & fortuitus eventus, quod ludentibus inter ſe pueris paria inveniantur in re, quæ paria antea eſſe dixerunt, aut quod apperientibus libris occurrat verſus, aut dictio rei, quæ tunc familiariter tractabatur, non incongrua, & quoad eventum illius quaſi aliquid portendens. Tradidit Auguſt. lib. 4. Confeſsionum cap. 3. & lib. 7. cap. 6. & lib. 12. de Geneſi ad litteram cap. 17. & cap. 22. Neque multum diſtat id, quod Ariſtoteles (apud Ruiz) lib. de præſenſione per ſomnium propè medium notat de Garrulis, & melancolicis, quibus congruit illud proverbium. *Si multa torqueas, modò hoc, modò illud erit.*

54 Septimo : quia ſuas prædictiones ambiguitate, & æquivocatione ſenſuum ita componunt, vt facilè ſint vertibiles ad oppoſita, & æque felicem, ac infortunatum eventum ſignificent, vnde decipiantur audientes, putantes dixiſſe vera, quæ, vt talia, minimè prædixerunt: de quo Hieronymus ad cap. 41. Iſaiæ loquitur dicens : *Quod ſi aliquis dixerit multa ab Idolis eſſe prædicta, hoc ſciendum, quod ſemper mendacium iunxerint veritati, & ſic ſententias temperarint ; vt ſeu boni, ſeu mali quid accidiſſet vtrumque poſſe, intelligi: vt eſt illud Pyrrhi Regis Epirotarum (Aio te Eacida, Romanos vincere poſſe) & Cr ſi: Cræſus tranſgreſſus Halim maxima regna perder.* Quorum meminerunt Ennius apud Ciceronem de divinatione lib. 2. & Herodotus in Clio : quæque, vt vides, tàm in favorem ; quàm in detrimentum conſulentis erant exponibilia. Nec latuit Ariſtotelem modus iſte decipiendi per ſimulationem veri, quod ignoratur, inquiens lib. 3. Rethoricorum cap. 5. circa medium : *Dicendum eſt non ambigue niſi conſultò; ita quiſquam faciat, quod faciunt, qui cum nihil habeant dicere, aliquid tamen ſe dicere ſimulant, vt in præſenti fit, & Empedocles facit : decipit enim circuitio cum crebra ſit: ac ita auditores afficiuntur, ſicut multi; cum ambigua oracula audiant, annuunt, Cræſus cum Halim traiecerit magnum delebit Principatum.* Proſequitur deinde oſtendens tutiorem modum fallendi in divinationibus eſſe generaliter, in quantum fieri poſsit, & non contractè loqui : verba ſunt : *Omninò quoniam minor committitur error, idcircò rem in genere, qui vaticinantur, dicunt. Dicet enim aliquis fortè verum magis in ludo, paria, & imparia dicens ; quam quot, & magis quod erit; quàm quandò. Quo circa Aruſpices non determinant quando.* Plus adhùc ad rem Cicero lib. 2. de divinatione irridens oracula Appollinis, quæ certiſsima cenſebantur falsè ſatis inquit : *Sed iam ad te venio, ò Sancte Apollo.... Tuis enim oraculis Chryſippus totum volumen implevit, partim, falſis, vt ego opinor, partim caſu veris, vt fit in omni oratione ſæpiſsimè, partim flexiloquis, & obſcuris, vt interpres egeat interprete, & ſors ipſa referenda ſit ad ſortes, partim ambiguis.*

55 Multiplex iſta via prædicendi verum; quin ſit argumentum ad ſcientiam, & cognitionem certam veri, in id reducitur, quod per ſe omnibus debet eſſe manifeſtum, ſcilicet non eſſe idem dicere verum, ac dicere certò ſciens eſſe verum; imò neque eſſe idem proferre verum, & talem prolationem procedere ex iudicio, quo iudicetur eſſe verum quomodocumque. Patet primum. In eo, qui externè aſſeverat id quod in re verum eſt ductus iudicio tantum probabili de eo, quod ita ſit, ſicut cognoſcitur: conſtat ſecundum. In eo, qui falsò iudicat aliquod obiectum ſic, vel aliter, & ex animo fallendi, mendaciter loquitur manifeſtans per verba contrarium illius, quod ſentit. Vnde dicit verum,

rum, cum dicat oppoſitum falſi, quod iudicat; non verò dicit vere, neque ex ſcientia veri, cum non iudicet obiectum eſſe eo modo, quo exterius eſſe ſignificat: malè ergo ex prædictione veri, quæ aliquando in pravis ſpiritibus, & eorum oraculis contigerit, aut in poſterum contingat, argui poteſt eſſe ex ſe præditos futurorum ſcientia, quaſi ſibi debita ex viribus naturæ, & perfectione naturali intellectus Angelici.

56 Ex prædictionibus hominum ſolet etiam impugnari concluſionis generalis veritas; verùm ſi Angelis intellectu perfectioribus, futurorum cognitio naturaliter non convenit; minus adhùc hominibus inferioribus in intelligendo poterit eſſe debita connaturaliter. Nihilominus ea, quę in contrarium proponuntur, non ſunt omittenda. Proponitur primo Div. Auguſtinus lib. 12. Confeſsionum relatus à Div. Thoma 1. parte quæſt. 86. art. 4. ad 2. per hæc verba: *Ad ſecundum dicendum, quod ſicut Div. Auguſtinus dicit: Anima habet quandam vim ſortis, vt ex ſui natura poſsit futura cognoſcere, & ideo quando retrahitur à corporeis ſenſibus, & quodammodo revertitur ad ſe ipſam, fit particeps notitiæ futurorum.*

57 Rurſus idem Auguſtinus lib. 12. de Geneſi ad litteram cap. 17. propè medium, proponens aliquas veras hominum prædictiones: *Novimus* (inquit) *ſine dubitatione phreneticum futuram mortem cuiuſdam fœminæ prædixiſſe, non ſanè tanquam ſpecie divinandi; ſed tanquam factum, & præteritum recolentem. Nam cum eius apud eum commemoratio fieret: mortua eſt inquit, ego eam vidi efferri, hàc cum eius corpore tranſierunt, cum illa incolumis viveret. Poſt paucos autem dies repente defuncta eſt, & per eum locum elata eſt, quà ille prædixerat.* & cap. 22. eiuſdem libri refert de quodam Iuvene imitante iocoſe arreptitios Idolorum divinos: *Inter ſaltandum, facto ſibi ſilentio, iocabundus, ea nocte, quæ impendebat, in ea ſylva, quæ iuxta erat, hominem à leone interemptum iri, ad cuius cadaver ſpectandum, illuſcente die, confluxuram turbam prædixit, & factum eſt.*

¶ Tertiò Gregorius Magnus Dialogorum lib. 4. cap. 26. initio inquit: *Ipſa aliquando animarum vis ſubtilitate ſua aliquid prævidet, & quidem viribus naturalibus*, vt ſignificat illud: *ſubtilitate ſua*, quod magis explicat ſubiungens: *Nam quod vis animæ aliquando ſubtilitate ſua ea, quæ ſunt ventura, cognoſcit; patet ex eo, quod quidam advocatus, qui in hac vrbe ante biduum defunctus eſt, ante paululum, quàm moreretur, ſurrexit, veſtimento ſe induit, & per viam Appiam ad B. Sixti Eccleſiam ſe eſſe proceſſurum dixit; cumque poſt modicum eſſet defunctus, deliberatum fuerat, vt apud B. Ianuarium martyrem Prænestina via eius corpus poni debuiſſet. Sed quia longum hoc his, qui eius funus curaverant, viſum eſt, repentè orto conſilio, exeuntes cum eius funere per viam Appiam neſcientes, quæ ille dixerat, in ipſa eum Eccleſia, quam prædixerat, poſſuerunt.*

58 Quartò. Nam homines quando per extaſim, phreneſim, aut ſomnii diſtrahuntur à ſenſibus, ſolent futura cognoſcere, vt tenet Ariſtoteles lib. de divinatione. ſeu præſenſione per ſomnium, docens: *Somnia nec ſemper eſſe credenda, nec omninò contemnenda, quoniam omnes exiſtimant, & experientia comprobat, aliquando verificari, & impleri.* Vnde refert quod: *Fama circumferebat ſuo tempore apud Herculeas columnas, & apud Boſthenem, quoſdam divinare futura.*

59 Addi ſolet quinto: prædictiones Aſtrologiæ Iudiciariæ etiam in his, quæ à libertate pendent, vt ſunt homicidia, furta, evectio ad dignitatem, depulſio à munere honorifico, & alia huiuſmodi, quæ contingere ſolent, ſicut prædicuntur: vnde in cognitione futurorum videntur fundari orta quaſi ex nativa vi intellectus humani: quare non apparet tam diſtans à natura intellectus creati, vt inconcuſsè negari debeat naturalis præſenſio futurorum, non modo Angelis; verùm nec hominibus.

60 Pro his omnibus extirpandis opponendum eſt illud Eccleſiaſt. cap. 8. *Multa hominis afflictio: quia ignorat præterita, & futura, nullo ſcire poteſt nuncio.* Vel vt alij legunt apud Gloſſam *initio*, vel *indicio*, ſcilicèt ex ſe, & ex proprijs viribus independenter à divina revelatione. Sicut, & illud Chriſti D. apud Lucam in actis Apoſtolorum cap. 1. reſpondentis interrogantibus ſe de futura reſtitutione Regni Iſrael: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta quæ Pater poſſuit in ſua poteſtate.* In quibus verbis notandum eſt diſcrimen, quod obſervavit Auguſtinus Epiſtola 78. inter *tempora*, & *momenta*; ſiquidem *tempus* græcè idem eſt ac *ſpacium*, aut *menſura*, vt iudica, hora, dies, menſis, annus, ſæculum: at *momentum*, non ſpacium; verum temporis opportunitatem, occaſionem, & rebus

agendis maturitatem in eàdem linguà ſignificat. Vnde facilis redditur intelligentia ſententiæ huius Chriſti D. qui voluit ſignificare; ita eſſe proprium Dei ſcire futura, vt inanis ſit totus noſter labor in ordine ad eorum notitiam, niſi in quantum, Deus, qui novit, quo tempore aliquid fiat, & qua opportunitate, eam nobis velit diſpenſare. Quomodo res non contingerent, nec à Chriſto D. proponerentur, ſi connaturalis foret hominibus futurorum notitia.

61 Animadvertenda etiam eſt diſtinctio ſupra pro Angelis data inter *loqui vera, & loqui ex iudicio veri*, ſivè ex ſcientia veri: ex qua impertinens omninò redditur ad intentum impugnandi noſtrum aſſertum omnis prædictio veri ita caſualis reſpectu loquentis, vt vel ſit contra mentem, vel ex animo fallendi, vel ſi contra mentem non ſit ex iudicio tantum coniecturali, aut probabili; ſecus verò certò adhæſivè proveniat.

62 Iam ſigillatim recognitis obiectis. Ad primum reſpondet Ruiz, ſect. 10. textum illum citatum a Div. Thoma ex lib. 12. Confeſsionum, ibi non inveniri; imò diligenter quæſitum in omnibus operibus Div. Auguſtini nullibi apparere: quare præſumendum eſt ex incuria amanuenſis, aut Typographi eſſe defectum in litera Divi Thomæ, cuius non leve indicium eſt non citari ad marginem caput illius libri, vt mos eſt in ſcriptis Angelici Doctoris. Addit idem Author, partem aliquam prædicti loci inveniri lib. 7. Confeſsionum cap. 6. ibi: *Coniecturas hominum habere vim ſortis, & multa dicendo, dici pleraque ventura, neſcientibus eis, quid dicerent; ſed in ea non tacendo incurrentibus*; quæ palam fit non ſuadere aliam notitiam futurorum, quàm coniecturalem, & fortuitæ verificationis, cuiuſmodi non negamus, nec animus adverſi intenti eſt introducere, purè ſiſtendo in caſualitate illa, quam propoſuit Ariſtoteles lib. de divinatione per ſomnium, vſus illo proloquio, *ſi ſæpè iacias aliud, alìs ieceris.*

63 Secundum eiuſdem Auguſtini identidem probat tantùm caſualem quandam verificationem humanarum prædictionum, vt oſtendit maiori ex parte in veritate deficere, & pro mille falſis, vix accidit vna vera, quę à falſitate aliarũ obruitur, & deprimitur: neque aliud voluit Magnus Parens, vt ipſe explicat cap. 18, eiuſdem lib. 12. de Geneſi ad litteram dicens poſt enumeratos illos irregulares eventus: *Ego viſa iſta omnia viſis comparo ſomniantium: ſicut enim aliquando, & hæc falſa, aliquando autem vera ſunt: ſic etiam illa omnia.* Præterea dici poteſt: Dœmonis induſtria, & arte fuiſſe compulſos phreneticum illum; ſicut, & Iuvenem ſaltatorem, vt illos eventus prædicerent, quos, Deo permittente ob fines inſcrutabiles ſuæ providentiæ, habebant Dœmones in ſua poteſtate: vndè intulerunt mortem, & funus procurarunt ad arbitrium: quid ergo mirum contigiſſe, & potuiſſe prædicere, quę Dœmonis erant in propoſito vt ita contingerent; quemadmodum iam monuimus ſupra.

64 Tertium eſt difficilius, tum propter aſſertum Divi Gregorij abſolutè proferentis: *Habere animas ſubtilitate ſua vim, vt futura cognoſcat.* Tum propter motivum, quo in talem aſſenſum ducitur, ſcilicèt propter eventum conformem prædictioni illius hominis, cum potius facilius, & rectius poſſet illum reducere in bonum, vel malum Angelum prædicentem, quod procurare decreverat; aut taliter in divinam inſpirationem. Quod, cum ita ſit præcluditur via congruæ interpretationi pro vera ſententia taliter, vt ingenue fateatur Ruiz S. Doctorem in hoc exceſiſſe. Cæterum propter reverentiam ipſi debitam ſentio, adhuc poſſe trahi ſine violentia in rectum ſenſum. Præmiſa igitur doctrina D. Thomæ, quam tradit, citata quæſtione 86. artic 4. ad 2. vbi propoſita ſimilia verba nomine Auguſtini, quæ apud ipſum non reperiri notavimus, inquit: prædictiones illas contingere per impreſsionem cauſarum ſuperiorum ſpiritualium. Verba ſunt: *Sed magis per impreſsionem aliquarum cauſarum ſpiritualium; ſpiritualium quidem ſicut cum virtute divina miniſterio Angelorũ intellectus humanus illuminatur, & phantaſmata ordinantur ad futura aliqua cognoſcenda; vel etiam cum per operationem Dœmonum fit aliqua commotio in phantaſia ad præſignandum aliqua futura, quæ Dæmones cognoſcunt, vt ſupra dictum eſt.* Subiungitque immediatè: *Huiuſmodi autem impreſsiones ſpiritualium cauſarum magis nata eſt anima humana ſuſcipere, cum à ſenſibus alienatur: quia per hoc propinquior fit ſubſtantijs ſpiritualibus, & magis libera ab exterioribus inquietudinibus.*

65 Ecce quomodo Angelicus Præ-

Præceptor, & ſi fateatur prædictiones iſtas hominum non provenire ex viribus propijs ; ſed per impreſsionem cauſæ ſuperioris : agnoſcit tamen ex parte animæ aliquam maiorem aptitudinem ad dictas impreſsiones ſuſcipiendas, quando per abſtractionem à ſenſibus quodammodo recedit à materia & fit ſimilior ſubſtantijs adæquatè ſpiritualibus: de hac ergo ſubtilitate intelligo loquutum Div. Gregorium volentem tantũ docere per illam abſtractionem à ſenſibus, qua redditur quodammodo ſubtilior anima, reddi aptiorem ad aſſequendam cognitionem aliquam futurorum ; non per notitiam ſibi debitam poſitivè ; ſed tantum negativè : in quantum deficit indiſpoſitio, quæ obſtare poſſet, vt impreſsiones illæ procedentes à ſuperiori cauſa vividè perciperẽtur. Id ſi alicui, menti Gregorij non congruere, viſum fuerit; congruentiùs aliud proponat & in obſequium tanti Doctoris iucundè amplectar.

66 Ad quartum dicendum: ſomnia quando ex divino afflatu, ſeu revelatione non procedunt, vaniſsima eſſe reputanda, vt oſtendunt Sacræ litteræ Levitici cap. 19. *Non augurabimini, nec obſervabitis ſomnia*: ex quibus patet, quanti ſint deteſtanda ; quæ cum augurijs coniunguntur, & veluti æquiparantur: vt ponderat Gregorius libro 4. Dialogorum, cap. 48. ante medium addens illud Eccleſiaſtæ cap. 5. *Multas curas ſequuntur ſomnia.* Et Eccleſiaſtici cap. 34. *Multos enim errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis.* Id vero non eſt negare, poſſe aliquando ſumi ex ſomniis indicium aliquod incertum, & mere probabile ad eventus futuros, in quantum denotant corporis diſpoſitionem, & humorum prædominium, ſicut, & appetitus inclinationem: ex quibus modo dicto conijci poteſt aliquomodo eventus ex tali diſpoſitione, & temperamento imminens: ea adhibita cautione, vt ex prædicto fundamento probabilius, aut minus incertè colligi poſsit ſanitas, vel ægritudo ſubiecti, quam actiones liberæ eiuſdem ; & hoc quidem in illis tantum hominibus, qui naturalibus inclinationibus, vt bruta feruntur : ſecus in illis, qui eas vincere in plurimum aſſolent : ideoque leviſsimum, & incertiſsimum tantum poſſunt præbere fundamentum ad futura.

67 Similiter non eſt excludere, ſomnia ſæpè numero immitti per Spiritus bonos, aut malos, qua ratione certitudo futuri, quod inſinuant, totidem modis, erit accipienda ; ac certitudo cognitionis Angelicæ, ex qua boni, vel pravi Angeli diriguntur, vt ea immittant. Nec dubitandum etiam ex alteratione elementorum, aut ex mutatione aſpectus ſyderum commoveri humores, ad quorum inſtar excitantur phantaſmata inſinuantia diſpoſitionem præſentem cauſarum, ex qua ad effectus futuros ſumi valeat aliquale indicium. Cauſam verò; quare dormientes, aut extaſim, aut phreneſim patientes, aptiores reddantur ad ſimiles impreſsiones, iam dedimus, ex Divo Thoma ſequente doctrinam Ariſtotelis, libro de divinatione per ſomnium, quæ tota reducitur ad maiorem expeditionem ab exterioribus inquietudinibus, quibus magna ex parte diſſolvitur operatio phantaſiæ. Addunt alij rationem eſſe: quia cum homo eſt compos ſui, ſe ipſum agit, & ſic magis impedit motum exterioris agentis ; at quando per furiam extaſim, aut ſomnium à ſe alienatur, potius agitur; quàm agit: propterea que ad impreſsionem agentis alterius eſt magis proportionatus.

68 Ad quintum dicendum : illam, quam vocant artem, ſeu ſcientiam Aſtrologiæ Iudiciariæ, cuius notitia valeant divinari, & certò ſciri per aſtra omnia futura contingentia, etiam quæ à libertate dependent, ſemper fuiſſe exoſſam Eccleſiæ, & Patribus, veluti ſtultiſsimam, vaniſsimam, & ſuperſticioſam ; ideoque multiplicis deciſionis fulmine in Concilijs reprobatam. Nec mirum, cum tam clarè Sacris litteris opponatur, vt conſtat ex illo Ieremiæ cap. 10. *Iuxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis Cœli nolite metuere, quæ timent gentes: quia leges Populorum vanæ ſunt.* Et ad Galatas, cap. 4. *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos ; timeo vos, ne forte fruſtra laboraverim in vobis*: quem locum Sixtus V. in motu proprio 21. *Cœli, & terræ creator Deus*, expendit ad intentum concludens ex ipſo, *vt illos* (ideſt Aſtrologos iſtos Iudiciarios) *merito Apoſtolus arguat, atque increpet illis verbis. Dies obſervatis, &c.* De quibus etiam videtur intelligendum illud, quod dicitur Actorum, cap. 19. *Eos, qui fuerunt curioſa ſectati, tuliſſe libros,*

&

& *coram omnibus combuſiſſe* ; principaliſſimè vero ex illo Iſaiæ, cap. 47. vbi Deus deridens Babylonios, & Caldæos Syderum obſervationibus præfidētes, inquit: *Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laboraſti ab adoleſcentia tua, ſi forte quid proſit tibi, aut ſi poſsis fieri fortior. Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum, ſtent, & ſalvent te Augures Cœli, qui contemplabantur ſydera, & ſupputabant menſes, vt ex eis annunciarent ventura tibi* : de qua interrogatione; paulò ante dixerat: *Sapientia tua, & ſcientia tua hæc decepit te.*

69 Accedit ratio vrgentiſsima, quam cum Eximio Doctore ſic propono : Quia vel prædictiones iſtæ morum humanorum, & aliorum futurorum contingentium liberorum fundantur in conſtellationibus, & aſtris, tanquam in cauſa : & ſic fundatur in Hæreſi ; ideoque non ſolum ſuperſtitiones ſunt ; ſed hæreſis confeſsionem virtute continent; ſcilicèt fatalem, & ineluctabilem vim aſtrorum inducētem neceſsitatem omnibus noſtris actionibus ; aliàs quomodo ex cauſa non inducente neceſsitatem poſſet colligi determinatè, & certò eventus hic futurus præ oppoſito? vel fundantur in aſtris, vt in puris ſignis : & ſic continent diabolicam ſuperſtitionem, cum non ſint ſigna naturalia, vtpotè quæ, nec ſint cauſæ determinatæ rerum futurarum, vt ſupponitur, nec ſint effectus eorum, vt per ſe eſt patens: neque habent cum illis communem cauſam, in cuius influxu inter ſe neceſſario connectantur : ac per conſequens tantum ſint ſigna ad placitum ; ſed non ad placitum Dei, qui ea non eſſe talia ſigna ſignificavit : nec ad placitum bonorum Angelorum, qui à voluntate Dei non diſcrepant : nec homines per interpoſitionem ſuæ authoritatis decipiunt, vt deciperent per dicta ſigna ferè ſemper fallentia : ergo ad placitum Dæmonum per ipſos ſignificatum, & involvens conſortium, aut pactum ſaltem implicitum cum eis. Iam ſic : divinatio per aſtra in vno ex dictis debet conſiſtere, cum non ſit aliud in quo conſiſtat ; ſed vnum continet apertam hæreſim ; alterum continet apertam ſuperſtitionem : ergo prædictiones iſtæ Aſtrologiæ Iudiciariæ, vel continent apertam hæreſim, & libertatis creatæ excidium, vel evidentiſsimum commertium cum Dæmone : quod eſt ſuperſtitio.

70 Aliunde etiam convincitur divinationis Aſtrologicæ innanitas, ſiquidem vt experientia ipſa frequentiſsimè oſtendit : Syderum obſervatio etiam quoad effectus naturales ; id eſt, vt pluvias, commotionem ventorum, ſterelitatem, aut abundantiam multum fallit, quantò plus, quoad alios effectus, qui non à cauſa naturali, verùm libera, & ex electione operante procedunt. Iure igitur Auguſtinus ijs, qui talibus prædictionibus ſe fidunt poſt enarrationem in Pſalm. 61. acōmodat illud Pſalmi 4. *Filij hominum vſque quo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium* ? Quare dicendum eſt pro noſtro intento: quod ſi aliquando prædictionibus Aſtrologicis ineſt veritas, aut eſt omnino caſuale, aut ſi caſuale non ſit, nunquam tamen ex cognitione certa futurorum contingentium, quæ ſit, aut in obſervante aſpectus aſtrorum, aut in Dæmone dirigente, procedere ; ſed coniecturaliter plus minuſve totidem illis modis, quibus diximus, oracula Dæmonum aliquando cum veritate coniungi. Hæc diximus ex occaſione tantum : qui plura velit, & ex propoſito diſcuſa circa has ſuperſtitioſas prædictiones, adeat noſtrum Eximium Doctorem, tom. 1. de Religione, libro 2. de ſuperſtitione à capite 11. & Benedictum Pererium, tom. 1. in Geneſi, lib. 2. à cap. 1. vſque ad 5.

71 Dubitabis quartò : an idem, quod dictum eſt de futuris, intelligendum etiam ſit de præteritis : ita vt non minus ſit argumentum divinitatis cognitio præteritorum ; quàm futurorum cognitio ? Rationem dubitandi præbet locus ille citatus Iſaiæ cap. 41. in quo videntur proponi, vt argumentum inconcuſſum, & irrefragabile veræ divinitatis cognitio priorum, ſeu præteritorum, & cognitio eorum, quæ ventura ſunt : attendantur verba : *Accedant, & nuntient nobis quæcúmque ventura ſunt : priora quæ fuerunt nuntiate, & ponemus cor noſtrum, & ſciemus noviſsima eorum, & quæ ventura ſunt, indicate nobis ; annunciate, quæ ventura ſunt, in futurum, & ſciemus quia Dij eſtis vos.* En ad conſequens irrefragabile veræ divinitatis aſſumptæ ex æquo in antecedenti notitia priorum, & notitia futurorum. Iam ſic : aut cognitio præteritorum accipitur in tota ſua latitudine, & provt præſcindit à ſecretis cordium, vel non? Si primum: cogni-

tio

tio quævis præteritorum erit argumentum veræ divinitatis, quod est falsum; pariterque falsum probabitur de notitia futurorum, quæ in arguenda vera divinitate, notitiæ priorum, seu præteritorum æquiparat. Si secundum: ergo sicut quod præteritorum notitia sit divinitatis non fictæ argumentum est modificandum, & restringendum; sic etiam, quod notitia certa futurorum sit simile argumentum, erit restringendum; ita taliter, vt notitia certa futurorum, non quia futurorum, sit divinitatis argumentum; sed quia futurorum pertinentium ad secreta cordis; quemadmodum præteritorum notitia, non quia præteritorum notitia est; sed quia præteritorum pertinentium ad secreta cordium, argumentum veræ divinitatis proponitur.

72 Pendet resolutio ab expositione, & intelligentia illorum verborum: *Priora, quæ fuerunt nuntiate*, quæ si præteritorum notitiam non significent, & dubium manebit extinctum, & inconvenientia contenta in ratione dubitandi cessabunt. Prior, & aptior explanatio est, quam tradit Doctissimus Sanctius ad prædictum locum, inquiens ly *priora nunciate* referri ad oracula Idolorum, quæ præcesserunt, vt prædictiones de futuris eventibus: vnde sensus proprijssimus est: Recolite præterita oracula de futuris, quorum eventus iam essent impleti, si vera fuissent, & ex contrarijs successibus convincetur, sicut falsitas prædictionum, sic vana, & irrisoria divinitas, quam in vestris Dijs manu, & arte hominum factis, vos Idololatræ, veneramini. Verùm non omittenda verba præclari interpretis, quæ sic se habent. Duo statuit signa quibus Idololatræ possint explorare; an in mutis simulacris aliquid divinum sit, *Primum iubet, vt antiqua repetant oracula, expendantque, an veros habuerint exitus, & quæ antea fecerint, qui à gentibus colluntur pro Dijs: an eiusmodi sint, vt illis Deorum nomen, & locum conciliare debeant. Nuntiate* (inquit Dominus) *quæ prædixerunt Dij vestri, & noviſsima illorum, ideſt ſucceſſus conſiderabimus, & ex eventu iudicabimus, an verâ ſint loquuti: mendacij enim, vel leviſsima nota in divinam naturam cadere non poteſt.*

73 Hinc fit patens pro dubij decisione comparationem contentam in verbis Prophetæ non fieri inter notitiam futurorum, & præteritorum denuntiationem; sed inter præsentes prædictiones futuri eventus, cuius exitus adhuc desideratur, & prædictiones præteritas de futuro irritas, ex opposito eventu; vt falsitas illarum, & defectus notitiæ certæ prædictorum eventuum per experientiam ipsam comprobatus sit argumentum firmum non fidendi prædictionibus alijs, quarum eventus in posterum desiderantur. Quod est sistere intra limites scientiæ futurorum, vt signi Divinitatis, non assumpta scientia præteritorum ad discernendum verum Numen à falso.

74 Aliam interpretationem præbent alij apud eundem Sanctium, & Cornelium Alapide referentes ly *priora* ad initium Idolorum; sicut ly *noviſsima* ad eorum finem, & desitionem: quomodo sensus est ostendere fictitiam divinitatem simulacrorum, quæ honorabant Gentes, ex principio, & fine: etenim qualis Deus potest esse, qui in tempore cœpit, & corruptioni manet expositus, vt evenire necesse est ei, qui ex ligno per manus hominis dolatur, aut ex metallo conflatur? Optima sane erit divinitas, quam defectibilis construit, & ad arbitrium illius, qui Dei honores non meretur, existit. Cæterum quid consideratio præteriti initij idolorum ad arguendam divinitatis fictionē, cum notitia præteritorum ad convincendam veram Deitatem?

75 Verbà eadem intelligit Forerius, quem refert citatus Cornelius, censens in eis contineri comparationem inter facta veri Dei, quæ præcesserunt cum Populo fideli, & facta Idolorum cum suis cultoribus: quasi dicatur ex rebus, quas Deus cum Abraham, alijsque Patribus nostris operatus est miraculosè, licet coniectare, quem finem res illæ habituræ quoque sint, tanquam ex vmbris veritates. Pari modo: si quæ priorum, & præteritorum, ò Gentiles nobis annunciaveritis, quæ Dij vestri divine operati sunt, colligere poterimus eorum noviſsima, ideſt exitum, & finem divinum quoque fore. Ex quo modo interpretandi, nec per vmbram notitia præteritorum colligi potest, vt nota Divinitatis.

76 Vnus Origenes, libro 4. Periarchon. capite 2. exponit, *annunciate priora*, de scientia, quæ attingat æternam Dei dispositionem taliter, vt sensus sit dicite, *quid Deus à principio, & ab æterno fecerit, cogitaverit, decreverit; inde pone-*

nemus cor noſtrum; ideſt, intelligemus, & ſciemus; vos quoque ſcire *noviſsima eorum*; ideſt, ea quæ poſt illa priora iam dicta ſequentur, & evenient. Verum, neque id probat notitiam præteritorum abſolutè ſumptam, & quia notitia præteritorum eſt; ſed quia in notitiam futurorum indùcat, quomodo induceret notitia æternæ diſpoſitionis, quam Deus habet, & habuit, à qua ſicut dependent omnia, quæ exiſtunt, aut non exiſtunt; ſic etiam dependent omnia, quæ extitura, aut non extitura ſunt; ideo, qui calleret æternam Dei diſpoſitionem, & quidquid diſpoſuit, providit, & decrevit ab æterno Deus, poſſet annuntiare per conſequens, quidquid quovis tempore futurũ eſt, & poſſet veriſsime, & abſque fallentia vlla cognoſcere. Vnde iuxta hanc ſententiam argumentum veræ divinitatis erit, aut prædicere certe futura, aut ea quæ præceſſerunt, vt connexa cum futuris oſtendere, quod veriſsimum eſt, & in idem divinitatis ſignum collimat.

77 Sed demus notitiam certam præteritorum; ſicut, & futurorum ſcientiam aſſumi, vt argumentum veræ Deitatis: quid inde, vt futurorum notitia reſtringenda ſit, ſicut notitia priorum? Etenim convenit vtraque notitia in ratione ſigni, & argumenti ad diſcernendum verum à falſo Numine: verùm non conveniunt in omnibus; ideo licèt notitia præteritorum reſtringenda ſit ad præterita occulta, & pertinentia ad cordis ſecreta; non propterea ſimiliter notitia futurorũ limitanda eſt ad ea futura, quæ tantum contineantur intra ſecreta cordium; ſiquidem vna extenſius, & contractiùs alia participat rationem argumenti, in quo nulla eſt difficultas; ſed recurrendum ad fundamenta, quæ limitationem vnius notitiæ pro inferenda divinitate, & amplitudinem alterius, vt eiuſdem divinitatis ſit fundamentum, benè probent. Ex quibus abundè manet deciſum, & explanatum dubium, quod ex relatis verbis Iſaiæ excitari poteſt.

CAPVT III.

In quo medio cognoſcat Deus futura contingentia abſoluta?

78 SVpervacanea videri poſſet alicui præſens diſceptatio de medio obiectivo, in quo Deus futura contingentia abſoluta cognoſcat, vtpotè, quæ in antecedentibus controverſijs ſit ſufficienter diſcuſa, conſtetque ex doctrina generali de cognitione divina creaturarum in ſe ipſis: de cognitione vnius in alio: de conſtitutivo futuritionis independenter à decreto: & de determinativo obiectivo cognitionis divinæ, provt fertur ad ea, quæ extra Deum ſunt; quid in præſenti ſentiendum ſit erga obiecta futura. Cæterùm doctiorum morem obſervans putãtium ei non fieri ſatis per generalia principia cenſuimus eam proponere, & doctrinam generaliter traditam per varias propoſitiones contrahere ad determinatum obiectum abſolutè futurum, in quibus, ſi tranſacta refricata diſpliceant, non diſceſſus à communi methodo graviſsimorum Theologorum excuſſationem præbeat; quam ipſa ſententiarum diverſitas planam faciet.

79 Prima ſententia eſt eorum, qui dicunt, futura contingentia cognoſci à Deo tanquam in medio obiectivo in Divinis ideis, & rationibus æternis rerum, quam videtur inſinuaſſe Divus Thomas pluribus in locis, vt in præſenti quæſt. 14. art. 13. corpore, ſicut quæſtione 15. ſequenti artic. 3. ad 4. primo contra Gentes, cap. 66. propè finem, & 68. ſub initio: de veritate, quæſt. 2. art. 7. ad 6. & quæſt. 3. art. 6. Tenent etiam Albertus, Alexander, Div. Bonavent. Capreolus, Caietanus, & alij plures, quos citat Ruiz, dicens eſſe ſententiam communem Expoſitorum Divi Thomæ, quam ipſe ſequitur, diſput. 24. ſect. 3. ſub certis limitationibus, quas explicat concluſione 2. dicens: divinam potentiam, ideas, & rationes æternas non eſſe obiecta formalia prorſus determinantia ad iudicium de futuris contingentibus; niſi præſuppoſito actu libero divinæ voluntatis, & inſuper præſuppoſita futuritio-

tione, ſeu præſentia in æternitate liberæ volitionis creatæ.

80 Tenet ſecundo Durandus in 1. diſtinct. 38. quæſt. 3. num. 9, futura contingentia abſoluta cognoſci à Deo per eſſentiam divinam cognitam ſub ratione cauſæ potentis producere; negat tamen cognoſci poſſe per eandem eſſentiam ſub ratione exemplaris, & ideæ.

81 Tertia ſententia affirmat: futura contingentia abſoluta, quæcumque illa ſint, cognoſci à Deo in decreto efficaci ſuæ voluntatis, ita taliter vt reſpectu operationum liberarum creaturarum ſit antecedens, & prædeterminativum, vel intrinſecè ex derivata prædeterminatione intrinſeca, vel tantum extrinſecè ex ſola tendentia efficaci ad obiectum. Hæc eſt ſententia communis Thomiſtarũ poſt Bañez, quos ſequitur, & citat Illuſtriſsim. Godoy, tract. 4. diſputat. 39. §. 1. & 2. Conveniunt etiam plures ex antiquis Scotiſtis allegantes pro ſe ſuum Subtilem Doctorem in 1. diſtinct. 39. quæſt. vnica. Nec video, quo iure his adſcribat citatus Godoy noſtros Ruizium, & Granadum, qui tantum diſtant à decreto prædeterminativo, & ſolum concedunt prædefinitivum conſequens noſtram liberam operationem, quod ſi adhærere cenſeat Thomiſtis, & Scotiſtis; poterat non duos tantum; verùm omnes noſtros Doctores, qui prædefinitiones purè intentivas, & regulatas Scientia media non negant, in prædeterminantium albo reponere.

82 Quarta ſententia defendit: futura contingentia abſoluta cognoſci à Deo in ſe ipſis, & vlterius cognoſci à Deo in decreto prædefinitivo, ſicut in quovis alio medio connexo, quod detur ex parte Dei, cuius connexio, vt noſtram non lædat libertatem in actionibus, quæ ad eam pertinent, ſemper debet eſſe obiectivè conſequens; ita tamen, vt decretum tantum valeat ſe extendere ad noſtros actus bonos; ſecus ad malos; ſi aliter quàm purè permiſsivè accipiatur. Hoc eſt communiſsimum iudicium noſtræ Scholæ, quod ſequuntur Izquierdo, diſput. 27. quæſt. 7. Ribadeneyra, diſput. 13. de ſcientia, cap. 3. Herrera, quæſt. 11. de ſcientia, ſect. 2. & Avendaño, diſp. 3. de ſcientia, cap. 7. §. 2. apud quos invenies reliquos citatos. Excipiendi ſunt quoad medium decreti efficaciter prædefinitivi Vazquez, diſput. 65. cap. 2. Herice, tract. 1. diſput. 6. cap. 3. Alarcon, tract. 2. diſput. 2. cap. 6. & Iunius, ſect. 6. de providentia, cap. 11. qui omnes procedunt de effectibus nobis liberis; non ſic de effectibus tantum Deo liberis.

83 Iam inter admittentes poſsibile decretum prędefinitivum, modo dicto noſtrorum actuum liberorum; diſſenſio aliqua eſt, cum alij dicant omnem actum capacem prædefinitionis, aliter, quam prædefinitum à Deo exiſtere non poſſe: vnde ſemel, quod actio noſtra bonà futura ſit, non poteſt deficere prædefinitio illius; ideoque nec medium obiectivum cognoſcendi futura, quod decretum divinum ſit. Hi ſunt Arrubal, Sparza, Quirós, Avendaño; quos citat, & ſequitur Aranda, diſput. 34. de Deo, ſect. 4. Alij verò concedunt de facto dari; ſed non requiſitum: qui rurſus dividuntur inter cenſentes dari reſpectu omnis actus liberi honeſti; & iudicantes dari tantũ reſpectu aliquorum actuum; non ſic vniverſaliter reſpectu omnium, vt tenuit Suarez, libr. 2. opuſculorum, cap. 7. & libr. 3. cap. 17.

84 Ad claſſem huius quartæ ſententiæ debent reduci omnes illi, qui circa actiones noſtras liberas admittunt in Deo decretum efficax non antecedens; ſed comitans, quod vtpotè connexum metaphiſice cum obiecto contingenti libero, aptiſsimum eſt vt Deus in illo futura contingentia abſoluta libera cognoſcat: taliter exiſtimant graviſsimi ex Scotiſtis: tales ſunt Smiſsingus, tract. 3. de Deo, diſput. 2. quæſt. 5. à num. 151. Montepiloſus, prima parte, tom. 2. diſput. 57. artic. 4. Pontius in Curſu Philoſophico, diſput. 6. quæſt. 8. Maſtrius, in primo ſententiarum, quæſt. 1. artic. 8. quos ſequuntur communiter Recentiores ſubtilis Scholæ.

85 Quinta ſententia eſt Eminentiſsimi Bellarmini, libro 4. de gratia, & libero arbitrio docentis, vt probabile, Deum in noſtra voluntate videre noſtros actus futuros; in quantum perfectè cognoſcit omnem propenſionem, totum ingenium noſtrum, omnia quæ in ſingulis deliberationibus poſſunt illi occurrere, quodque congruentius, & aptius ſit, vt noſtrum animum moveat. Cui adhærere videtur Granado, diſput. 4. ſect. 4. citans pro ſe Durandum, & Argentinam, & inquiens: in voluntate moraliter determinata ad actum cog-

noſ-

noſcere Deum certitudine metaphiſicè infallibili eventum, ad quem moraliter determinatur. Latius adhuc procedit Molina, tum prima parte, diſput. 14. & 15. tum in concordia, diſput. 49. tenens in voluntate creata indifferente in actu primo, atque ideo abſoluta prorſus à conſenſu futuro, cognoſcere Deum talem conſenſum, ſuppoſito, quod futurus ſit, vi comprehenſionis, qua talem voluntatem perfectiſsimè comprehendit: cui adſtipulantur, apud Ribadeneyra, Becanus, cap. 10. quæſt. 7. & alij Recentiores; quibus addendus eſt Izquierdo, propoſitione 5. diſput. citatæ.

86 Sextò: probabile etiam iudicat idem Bellarminus, lib. 4. de gratia, & libero arbitrio, cap. 16. Deum cognoſcere noſtros actus liberos futuros in motione, & applicatione divina, per quam voluntas creata movetur, & applicatur ad ipſos dependenter à prævia determinatione negativa ipſius voluntatis creatæ ſinentis ſe moveri à Deo, ſeu non reſiſtētis, quatenus eſt ex ſe, motioni divinæ. Ab hac cogitatione non multum diſcrepant alij tenentes: Deum cognoſcere noſtros actus liberos futuros in quadam applicatione prævia noſtræ voluntatis ad ipſos, per quam liberè ſe determinet ad illos; quin propterea realiter, & phiſicè immutetur; ſed ad ſummum virtualiter, & moraliter. Sic ſentiunt Valentia, prima part. quæſt. 14. articulo 13. punct. 3. Raynaudus, in diſciplina morali, Salazar, tomo de Cōceptione, Coninc, de Sacramentis, quæſtione 77. artic. 1. Albertinus, in Corollarijs, & Franciſcus de Lugo, diſput. 32. cap. 4. & 5. quamvis formidolosè, vt ſignificat num. 26. nolens plenum aſſenſum præbere. Advertendum tamen eſt: omnes iſtos Authores pro vltimis ſententijs relatos, quamvis propoſita media deſignent, vt aptiſsima ad cognitionem divinam futurorum, non ideo velle excludere cognitionem eorundem futurorum in ſe ipſis, & quaſi ex meritis veritatis obiectivæ, quam independenter conſtitutivè à talibus medijs, in ſe habent. Iſta in opinando diverſitas innuit difficultatem aliquam gravem denuo vincendam; verùm, vt monui, nihil continet arduum, quod in anterioribus non ſit complanatum; ideoque levi opera conſequentiam doctrinæ ex ſtatutis principijs iam propono.

87 Et dico primò: Deus futura omnia abſoluta contingentia cognoſcit in ſe ipſis, ita vt ratio obiectiva ipſorum independenter conſtitutivè à quovis de præſenti connexo cum exiſtentia futura ipſorum, & quod ſe teneat ex parte Dei, ſit ratio intentionaliter motiva Divinæ ſcientiæ. Conſtat authoritate Divi Thomæ docentis in corpore præſentis articuli 13. quæſtione 14. *Deus cognoſcit omnia contingentia, non ſolum prout ſunt in ſuis cauſis; ſed etiam prout vnunquodque eorum eſt actu in ſe ipſo.* Et 2. 2. quæſt. 171. artic. 6. ad 2. *Divina præſcientia reſpicit futura ſecundum duo, ſcilicèt ſecundum quod ſunt in ſe ipſis; in quantum ſcilicèt, ipſa præſentialiter intuetur; & ſecundum quod ſunt in ſuis cauſis; in quantum ſcilicèt, videt ordinem cauſarum ad effectus.* Et in prima diſtinctione 38. articulo 2. in corpore ad 2. ad 5. & 6. ibi: *Curſus ſortis ſecundum quod eſt in potentia tantùm, non erat ſubijcibilis certitudini divinæ ſcientiæ. Si enim Deus vidiſſet ipſam cauſam, & non vidiſſet immediatè effectum in eſſe ſuo, nunquam potuiſſet ipſum ſcire*: Vnde ſic arguo. Iuxta Divum Thomam datur in divino intellectu modus cognoſcendi futura taliter in ſua obiectiva veritate, vt diſtinguatur à modo cognoſcendi eadem futura, ſive in cauſa, ſive in quovis alio medio dicente ordinem ad futura: ſed modus iſte cognoſcendi futura in ſua obiectiva veritate, provt contradiſtinctus a modo cognoſcendi in alio, eſt modus cognoſcendi proprijſsimè futura contingentia in ſe ipſis, & ex obiectiva determinatione eorum: ergo iuxta Divum Thomam Deus futura omnia contingentia abſoluta cognoſcit in ſe ipſis, ita vt ratio obiectiva ipſorum independenter conſtitutive à quovis de præſenti connexo cum exiſtentia futura ipſorum, & quod ſe teneat ex parte Dei, ſit ratio intentionaliter motiva Divinæ ſcientiæ.

88 Conſtat deinde ratione. Futura omnia contingentia abſoluta, provt diſtincta ab omni alio medio cum illis cōnexo, habent in ſe veritatem obiectivam correſpondentem ſcientiæ de futuro: ſed omne, quod, provt diſtinctum à quovis alio ſecum connexo, habet veritatem obiectivam, cognoſcitur in ſe ipſo ab intellectu divino: ergo futura omnia contingentia abſoluta cognoſcuntur à Deo in ſe ipſis. Conſequentia eſt legitima, & maior videtur certa. Siquidem omne connexum diſtinctum à futuro, eſt quid illativum illius, in quo for-

formaliter constitutivè stat futurum; ac proinde esse formale futuri, extra ipsum est constitutivè; quomodo non potest non habere in se veritatem correspondentem obiectivè scientiæ formaliter affirmanti futurum. Probatur minor. Omne, quod provt distinctum à quovis alio secum connexo, habet veritatem obiectivam, etiam provt sic distinctum, habet in se determinativum formalissimum, vt sit id, quod est: sed omne quod, provt distinctum ab omni non ipso, habet in se determinativum formalissimum, vt sit id, quod est; cognoscitur in se ipso ab intellectu divino: ergo quod, provt distinctum à quovis alio secum connexo, habet veritatem obiectivam; cognoscitur in se ipso ab intellectu divino. Maior est certa: cum nullum sit aliud strictius determinativum ad *esse* rei, quàm ipsum formale constitutivum *esse* rei. Probatur minor. Omne cognoscitur à Deo, cuius mens est perspicacissima, & acutissima, provt fuerit determinativum obiectivum ad ipsum: sed determinativum, quod res, provt distinctæ à quovis secum connexo, habent in se ipsis, est determinativum obiectivum, quod formaliter est in ipsis: ergo omne, quod, provt distinctum ab omni non ipso, habet in se formalissimum determinativum, vt sit id, quod est, cognoscitur in se ipso à divino intellectu.

89 Confirmatur, & explicatur: inter determinativa obiectiva ad *esse* futuri contingentis absoluti nullum est intimius, aut inseparabilius ab *esse* futuri, quàm ipsum *esse* futuri; patet: cum identitas præstari nequeat, aut in alligatione ad *esse*, aut in propinquitate ad illud, à connexione, quæ est extra ipsum *esse*: ergo inter determinativa obiectiva ad *esse* futuri contingentis absoluti nullus est impulsus obiectivus validior ad assensum futuri, quàm ipsum *esse* futuri: sed in omni impulsu obiectivo ad assensum futuri Deus cognoscit futurum: aliàs mirum esset, si intellectus divinus ob suam infinitatem determinatissimus ad cognoscendum obiectum, omni eo modo, quo fuerit cognoscibile, cognosceret obiectum in medio, & impulsu obiectivo remotiori, relicto medio, & impulsu obiectivo propinquissimo in se ferente iudicium divinæ mentis: ergo in ipso *esse* futuri absoluti contingentis, provt illud fuerit, Deus cognoscit futura absoluta contingentia; quod est formalissimè cognoscere futura omnia absoluta contingentia in se ipsis. Iam quidquid occurrere possit circa *esse* futuri, & constitutionem illius, habes resolutum supra in quæstione, seu disputatione de futuri constitutione. Insuper, si quid aliud resultet de cognitione creaturarum in se ipsis, & de specificativo divinorum actuum; recole dicta supra de motivo formali, & determinativo divinæ scientiæ; vndè præsentia lucem accipient.

90 Dico secundò: in quovis medio metaphisicè, & infallibiliter connexo cum futuris absolutis contingentibus, qualecumque illud medium sit, Deus cognoscit prædicta futura. Probatur facile: omne metaphisicè connexum cum futuro cognitum, vt tale, est inseparabilitas omnimoda obiectiva à futuro vt tali: sed omnis inseparabilitas omnimoda obiectiva à futuro, vt tali, cognita, vt talis, est medium, in quo Deus cognoscit futurum: ergo omne connexum metaphisicè cum futuris absolutis contingentibus, qualecumque illud sit, est medium, in quo Deus cognoscit prædicta futura. Maior constat ex conceptu ipso connexionis metaphisicæ, quæ eo modo, quo alligatur metaphisicè ad terminum, est omnimoda inseparabilitas ab ipso. Probatur minor: omnis inseparabilitas obiectiva à futuro, vt tali, cognita, vt talis, proponitur obiectivè menti divinæ, vt quid secum afferens infallibiliter rationem futuri: sed omne obiectivè propositum menti divinæ, vt quid secum afferens infallibiliter rationem futuri, est id, in quo Deus cognoscit futurum: ergo omnis inseparabilitas obiectiva à futuro, vt tali, cognita vt talis, est medium, in quo Deus cognoscit futurum.

91 Confirmatur. Omne, quod, vt obiectivè propositum menti divinæ, se ostendit, vt fundamentum infallibile existentiæ alterius sub aliqua ratione, est id, quod, vt obiectum, inducit divinam mentem ad cognoscendum aliud sub tali ratione: sed id, quod vt obiectum, inducit divinam mentem ad cognitionem aliùs sub aliqua ratione, est medium, in quo Deus cognoscit aliud sub tali ratione: ergo omne, quod vt ob-

obiectivè propositum menti divinæ se ostendit, vt fundamentum infallibile existentiæ alterius sub aliqua ratione, est medium, in quo Deus cognoscit aliud sub tali ratione : at omne connexum metaphisicè cum futuro, vt propositum obiectivè menti divinæ, se ostendit, vt fundamentum infallibile existentiæ futuri in ratione talis : ergo omne connexum metaphisicè cum futuro est id, in quo Deus cognoscit futurum.

92 Dices : per id non probari factum cognoscendi futura in medio connexo cum illis, & quod se habeat extra constitutionem futuri ; sed tantum aptitudinem ad ea cognoscenda sub tali medio, ita vt possit Deus pro libertate, aut cognoscere illa in tali medio, aut suspendere cognitionem, nolendo aliter cognoscere, quàm in se ipsis. Ratio desumi potest ex his, quæ in nobis contingunt, iuxta sententias probabilissimas Theologorum, & Philosophorum : dicunt enim plures : nobis esse liberum, proposita aliqua veritate obiectiva cum evidentia ad conspectum motivi efficacissimi illam ostendentis ; vel assentire prædictæ veritati propter se, vtendo illo motivo, tanquam applicatione ; aut assentire propter illud motivum, tanquam ratione formali, se habente tantum materialiter veritate illa obiectiva, quæ per motivum distinctum ostenditur : inde asserunt tractatu de fide : propositis sufficienter intellectui argumentis credibilitatis efficaciter suadentibus, tum existentiam revelationis, tum media ipsa revelatione obiectum revelatum, liberum esse ex voluntatis imperio, iam assentire revelationi, & obiecto revelato propter motiva credibilitatis, tanquam propter rationem formalem præstandi assensum ; quomodo non elicitur actus fidei ex defectu motivi ; iam propter motiva credibilitatis, tanquam per applicationem ostendentem veritatem ipsam revelationis, que se habeat, vt motivum, & ratio *sub qua* assensus : quomodo actus imperatus erit actus fidei.

93 Quam doctrinam etiam extendunt ad ipsam revelationem, quæ sufficienter proposita, liberum relinquit voluntati, aut imperare assensum rei revelatæ propter revelationem ; & sic assensus erit fidei, aut imperare assensum propter ipsam veritatem revelatam ostensam per revelationem, hac se habente vt pura conditione, & applicatione : quomodo assensus non erit fidei, & Theologicus ; verùm alterius rationis : quibus principijs permoti alij quasi ducti vi consequentiæ, idem concedunt in evidentibus, admittendo ; quod quando dantur præmissæ obiectivæ evidentes respectu alicuius conclusionis ; quamvis liberum non sit suspendere omnem assensum circa obiectum evidenter propositum ; liberum tamen esse vti præmissis tanquam applicatione ad assentiendum propter se, obiecto conclusionis ; quin assensus præstitus, sit conclusio formalis ; aut moveri ex præmissis, veluti ex ratione formali assentiendi obiecto conclusionis, hoc materialiter tantum attacto per assensum, qui sub tali modo respiciendi obiectum sortietur rationem conclusionis formalis. Accedit doctrina aliorum tuentium : quod si semel fiat satis veritati obiectivæ propositæ per assensum satisfacientem meritis obiecti, subditur imperio voluntatis assentire, aut non assentire ex quovis alio motivo inducente ex se ad assensum prædictæ veritatis.

94 Cur ergo similiter non erit Deo liberum cognoscere vnum in alio, ita taliter, vt licèt ea, quæ cognoscit in se ipsis, valeat etiam cognoscere in omni medio cum illis connexo, non ideo sit necessitas in Deo illa sic cognoscendi ; cum pro libito queat se à tali cognitione abstinere ; præcipuè, cum id non arguat ignorantiam vllam in divino intellectu ; pro qua vitanda, sufficit determinatio ad omnia cognoscenda in se ipsis : vnde locum relinquit divinæ libertati quoad modum alium cognoscendi : etenim non minus consulendum est amplitudini divinæ libertatis, dummodo aliunde non resultet imperfectio vlla ; quàm amplitudini, & perfectioni divini intellectus, & reliquorum attributorum in propria linea, dandamque propterea optionem divino arbitrio quoad talem modum cognoscendi : fietque inde, nullum dari fundamentum ad persuadendum, Deum de facto cognoscere futura in alijs medijs cõnexis non constitutivis eorum ; sed duntaxat aptitudinem, vt si velit, sic cognoscat.

95 Nec valet respondere : ad cognoscendum vnum in alio, sufficere illud cognoscere ex determinatione obiec-

iectiva alterius; sive sit per modum conditionis, sive per modum rationis formalis: cum semper verificetur, vnum, provt cognitum, ducere ad cognitionem alterius, tanquam fundamentum obiectivum illius; ex quo cum Deus, cognito fundamento connexionis metaphisicæ cum alio, sit obiectivè determinatus, vt istud cognoscat, semper verificatur, quod si de facto cognoscit, quidquid cum futuro metaphisicè connectitur, etiam defacto cognoscit futurum in illo medio metaphisicè connexo; quidquid sit: an ipsi liberum remaneat vti illo medio, veluti applicatione, aut tanquam ratione formali, cui innitatur ad cognoscendū futurum: igitur cum Deus de facto cognoscat quidquid cum futuro metaphisicè connectitur, non vtcumque, sed vt taliter relatum, & metaphisicè connexum; per consequens cognoscere de facto, & non tantum in aptitudine futurum in quovis alio obiecto, & medio cum illo metaphisicè connexo, est necessè.

96 Non inquam valet: quia cognoscere vnum in alio, non est vtcumque determinari ab vno obiectivè proposito ad cognitionem alterius; sed ab vno tanquam à ratione formali, & motivo assentiendi alteri; sicut cognoscere vnum in se ipso, non est quomodolibet cognitionem ad ipsum terminari; verum ad ipsum, tanquam ad rationem formalem, & motivam assentiendi: ergo dummodo non probetur necessarium in Deo, cognito fundamento connexionis metaphisicæ cum aliquo termino, moveri ex ipso, tanquam ex ratione formali motiva ad assentiendum alteri; sed sub indifferentia electionis manere, aut applicari tantum ad assentiendum ex alia ratione formali, aut moveri formaliter ex ipso; nec probatur necessariū, Deum cognoscere futura contingentia absoluta in quovis medio metaphisicè connexo cum illis: ac proinde nullum apparet medium suasivum iudicij de eo, quod Deus de facto sic se gerat in futurorum cognitione.

97 Sed contra: nam intellectus divinus non aliam dependentiam habet à divina voluntate, quàm circa constitutionem sui obiecti in contingentibus, quæ per divinam libertatem exercentur; secus quoad modum cognoscendi obiectum, suppósita aptitudine illius, vt cognoscatur: etenim cum subiectio intellectus ad voluntatem non aliunde proveniat, quam ex insufficiente propositione obiecti, aut ex defatigatione, quam patitur in ellicientia suorum actuum; quæ duo alieniſsima sunt ab intellectu infinito, & perfectiſsimo, qualis est divinus; inde nulla paritas desumi potest ex his, quæ in nostro modo limitato cognoscendi contingunt ad perspicaciſsimum, & non laborioſum intuitum divinæ mentis, cuius accumini competit satisfacere omni cognoscibilitati obiecti, non solum quoad substantiam, vt ita dicam; verùm quoad modum: quare cum quodvis connexum cum alio, & habeat cognoscibilitatem passivam formalem sui, & respectu illius, cum quo connectitur, vtpotè quod sit sufficiētiſsimum, & infallibile fundamentum vt alteri præstetur assensus, omnibus his meritis cognoscibilitatis passivæ obiecti propositi intellectus necessario satisfacit; quin, aut egeat, aut subdatur quoad hoc, voluntatis imperio. Nec negari posset; quòd si intentum contrarium subsisteret, dabilis esset casus, in quo intellectus divinus, & Deum, & omnia, quæ extra Deum sunt, comprehendens, non cognoſceret obiectum omni eo modo, quo de facto cognoscibile est, scilicèt secundum illum modum assentiendi alijs, cum quibus connectitur propter ipsum; quod ex terminis contra conceptum perfectæ comprehensionis est.

98 Prætermittendum autem non est, vt melius imbecillitas obiectæ difficultatis pateat; quod si paritas nostri intellectus tantum moveat, dicendum foret: etiam intellectum divinum quoad cognitionē obiectorum in se ipsis subijci voluntatis impulsui, vt in nobis accidere ostendunt proposita fundamenta: quid autem distantius ab intellectu expeditiſsimo, & determinatiſsimo ad cognoscendum omne, quod cognoscibile est, eo modo, quo cognoscibile est; quàm indigere auxilio alterius potentiæ, per cuius subtractionem cohibeatur à modo perfectiſsimo cognoscendi obiectum; cum id planè ostendat non esse intellectum divinum completiſsimum in suo genere, ex cuius completionis defectu oritur in nobis summiſsio ad voluntatis imperium. Quod si propterea dependentia limitetur ad modum cognoscendi in alio; inconsequentia discursus satis liquet, cum non minus dignum

ſit obiectum connexum cum alio, vt propter ipſum præſtetur aſſenſus connexionis termino; quàm quodvis obiectum, vt propter dignitatem propriam veritatis obiectivæ, quam in ſe habet, rapiat divinum intellectum in ſui aſſenſum propter ſe. Firmum igitur maneat, Deum non tantum poſſe cognoſcere vnum obiectum in alio, quod propter ſui connexionem, exiſtentiam alterius oſtendit; verùm de facto ſic cognoſcere; quin deficiat fundamentum probativum, non modo pro aptitudine; verum pro actu cognitionis.

99 Ex propoſitione rectè deducitur: ſcientiam viſionis futurorum abſolutorum contingentium, decretum prædefinitivum ipſorum, ſive intentivum, ſive exequutivũ, modo quo id admiſimus iuxta dicta tractatu de prædeſtinatione, diſputatione 12. ſcilicèt dependens, & regulatum ſcientia conditionali contingenti, ſi de actionibus nobis liberis ſit; coniunctũ decreti collativi libertatis noſtræ, & ſcientiæ conditionalis contingentis, ſcilicèt mediæ; necnon coniunctum ex ipſa libertate, & eadem ſcientia, decretum permiſsivum peccati, vel ex ſe, ſi dicat ordinem intrinſecum ad ſcientiam conditionalem inefficaciæ, vel aſſociatum cum tali ſcientia, ſi intrinſecus ordo ad ipſam in decreto deficiat, eſſe media in quibus Deus cognoſcit futura abſoluta contingentia: ſiquidem omnia hæc dicunt abſolutam, & metaphiſicam connexionem cum re futura, vt tali, quæ connexio, vt obiectivè propoſita, fert divinum intellectum in aſſenſum futuri propter alligationem, & connexionem, quæ in ſimilibus obiectis patefit. Non tamen doctrinam extendas niſi per conditionales ad decreta prædeterminativa, aut ad quaſcumque alias connexiones ſimpliciter antecedentes: quia hæc non habent locum ex incomponibilitate cum actionibus liberis, ex doctrina generali noſtræ Scholæ diſcuſſa à nobis, diſputatione quinta, & ſexta de prædeſtinatione. Addidi: *niſi per conditionales*; quia verum omnibus eſſe debet, quod ſi talia decreta libertati non officerent, & id ipſum, quod intendunt, non deſtruerent, aptiſsima eſſent media vi infallibilitatis, & connexionis, quam dicunt ad futurum, vt iſtud in illis Deus cognoſceret.

100 Id, quod diximus de divinis decretis reſpectu actionum, quæ per ipſa decernuntur, extendendum ſuo modo eſt ad omiſsiones decretorum, aut puras, aut non puras pro ſententiarum diverſitate, in quibus Deus videt futura omnia negativa excludentia futuritionem poſitivam illorum obiectorum, quæ reſpiciuntur per decreta poſitiva: id tamen intelligendum eſt, quando obiecta illa, vt ſint, egent tali decreto, valetque benè à defectu decreti ad defectum obiecti; ſecus quando talia obiecta non connectuntur cum decreto: modo quo in plurium, & in noſtra ſententia, licèt actus noſtri boni poſsint efficaciter prædefiniri à Deo, poſſunt etiam exiſtere abſque tali prædefinitione: quare tunc, licèt exiſtentia decreti ſit optimum medium ad videndum futurum obiectum; v. g. actum charitatis; defectus decreti non eſt medium proportionatum, vt Deus videat non futurum actum charitatis: quare requiſita eſt mutua connexio inter decretum, & obiectum: quæ ſi exiſtat, clarum fit, non minus aptam eſſe omiſsionem decreti ad videndum futurum defectum actus; quam exiſtentia decreti ad videndum actum; cum pariter connectatur omiſsio decreti cum defectu actus, ac connectitur decretum cum exiſtentia actus. Vnde rurſus defectus decreti non erit ſufficiens ad videndum defectum obiecti, quoties ſit defectus vnius tantum decreti, quod poſsit exiſtere circa obiectum; ſed opus erit eſſe defectum omnis decreti ſufficientis ad dandam exiſtentiam obiecto; niſi in caſu, quo obiectum, non ſolum probetur connexum cum actu aliquo divino prædefiniente, verùm cum tali actu individuo, & determinato.

101 Inſuper advertendum eſt: in tantum decreta Dei cenſeri à nobis media apta, in quibus Deus cognoſcat futura abſoluta contingẽtia; in quantum dicti actus contingentes ſint adequatè intrinſeci Deo. Nam ſi conſtituantur per aliquid extrinſecum, ſcilicèt per ipſa obiecta; aliter ſentiendum eſſet: quia tunc id, quod denominatur decretum, & ſe tenet ex parte Dei, per ſe ſolum non fundat connexionem cum obiecto, donec intelligatur illud extrinſecum, aut conſtitutivum, aut connotatum pro diverſis modis loquendi, quod, ſi ſit ipſum

sum obiectum, inferet: tum nihil esse ex parte Dei, quod non sit indifferens ad existentiam futuri: ac per consequens ineptum ad determinandam cognitionem infallibilem futuri; tum etiam futilem esse assertionem cognoscēdi vnum in alio; cum tota reducatur ad cognitionem tantum cuiusvis in se, si de medio aliquo divino contingenti sit sermo.

¶ Contra hunc modum cognoscendi futura in medio connexo, sive illud sit decretum intentivum, aut exequutivum, sive quævis alia causa, aut medium connexum metaphisicè cum effectu, sive eventu futuro. Objici potest primo ex Izquierdo: inde licere inferre futurum cognosci à Deo, vt tale, antequam tale sit, & ratio est: quia futurum ex tali suppositione cognoscitur in signo, in quo est determinatio metaphisica ad illud; sed signum, in quo est decretum, aut intentivum, aut exequutivum, vel causa infallibiliter determinata ad effectum, est signum, in quo est determinatio metaphisica ad effectum futurum: ergo in tali signo debet cognosci futurum, vt tale: at tale signum non est signum futuri, cum effectus futurus non intelligatur in signo causæ, sive alterius, quod prævium natura sit ad effectum; neque saltem est signum, in quo intelligatur futuritio effectus: aliàs futuritio consisteret in determinatione causæ ad effectum; quod negamus: ergo si Deus cognosceret futura contingentia absoluta in prædictis medijs, cognosceret futurum, antequam tale esset.

102 Secundò: quia ex tali modo cognoscendi videntur scientiæ divinæ inter se confundi, & quasi a proprijs signis extractæ transferri ad alia, sibi non convenientia. Exemplum simul, & probatio sit. Siquidem: si in futuro coniuncto libertatis creatæ, & scientiæ mediæ de consensu sub tali libertate cognosceret Deus consensum absolutè futurum, vtpotè, quod est medium ob suam connexionem metaphisicam, & absolutam cum consensu absoluto determinans ad cognitionem illius, cognosceret item per eandem scientiam, & consensum absolutum, & coniunctum libertatis, & scientiæ conditionatæ de consensu sub existentia libertatis; vnde per talem scientiam absolutam consensus cognosnosceret reflexè scientiam conditionatam de consensu sub hypothesi libertatis; quæ reflexio scientiæ conditionatæ ipsissima scientia conditionata formaliter est, quæ & suum obiectum conditionatè, & se ipsam absolutè repræsentat: esset ergo ipsissimus actus formaliter ille, qui repræsentat consensum absolutè, & qui repræsentat consensum conditionatum; confunderenturque scientia visionis absoluta, & scientia visionis conditionata.

103 Sed hæc non vrgent: non primum, cui facilè posset responderi ex doctrina eorum, qui admittunt futuritionem signi dicendo: in signo prævio ad effectum, in quo intelligitur, aut decretum intentivum, aut exequutivum, aut quodcumque aliud connexum cum effectu futuro, & in illum influens non intelligi effectum specificativè, & secundum se; at intelligi effectum, vt futurum, non aliter, ac in tempore præsenti, & si non intelligatur futurum specificativè: quia sic non esset futurum; sed præsens: intelligitur tamen vt futurum; nec inde inferri possit aliquid contra constitutionem futuri, quod constitueretur formaliter per non existentiam in signo decreti, aut causæ, & per existentiam post in suo signo, vt consequentissimè proceditur ad modum constituendi futurum temporaliter: quare ad summum tunc esset decretum mensura præsens futuri relatè ad quam consideratur non esse in *nunc* causæ, & esse post in *nunc* effectus; quemadmodum instans præsens est mensura defectus rei, quæ modò non datur, & existentiæ illius quæ post dabitur. Posset dici deinde: male confundi signum cognitionis futuri, & existentiæ futuri; quomodò malè confunderetur tempus, in quo est cognitio futuri, & tempus, in quo existit id, quod futurum est: ideo, si aliquid probat argumentum, id tantum est: in signo determinationis obiectivæ ad futurum esse cognitionem illius; secus futurum esse in tali signo, vt videre est in cognitione æterni Filij, quæ est in signo Patris æterni; quin ideo Filius sit in signo Patris.

104 Cæterùm melius, & consequentius respondetur negando: signum cognitionis futuri in decreto, aut causa esse signum ipsius decreti, aut causæ, cum cognitio determinata ab obiecto non existat in signo obiecti; sed in signo posteriori ad illud; sicut etiam in signo posteriori obiectivè ad quodcumque

aliud, quod in vi primi obiecti cognoscatur: quod aliud non est, seclusis vocibus *prioris*, & *posterioris*; quæ vt semel, & iterum notavimus, semper confusionem pariunt, nisi ad realitatem reducantur; quam decretum illud, aut causa, in quo effectus cognoscitur, influere in talem effectum; quin inde inferatur: cognitionem attingentem effectum in tali medio debere etiam influere in effectum cognitum. Non verò renuam, quidquid in contrarium refragetur Izquierdo vocare illud medium, in quo futurum cognoscatur, futuritionem quandam radicalem, aut arguitivam: in quo nihil est inconvenientis.

105 Non secundum: in quo, negato assumpto. Ad eius probationem dicendum: scientiam conditionalem contingentem, vt expressivam sui obiecti conditionati, & vt reflectentem supra se, esse formalitatem constitutivam scientiæ simul cum scientia alia repræsentativa libertatis, & exprimens respectum rationis formalis motivæ in tali coniuncto, ex qua resultat scientia consensus absolutè extituri sub tali coniuncto: ex quo minimè infertur; aut scientiam conditionalem extrahi à suo signo in ratione talis, aut scientiam conditionalem formalissimè acceptam, esse scientiam absolutè repræsentantem consensum; sed duntaxat constitutivè; in quantum adiectis alijs formalitatibus, resultat scientia absoluta consensus in coniuncto scientiæ conditionalis de consensu sub libertate determinata, & ipsius libertatis determinatæ: quod absque vlla immutatione conditionalis scientiæ existere potest: modo quo repugnantiam vllam non claudit, neque mutationem aliquam intrinsecam in natura, & essentia animæ rationalis, quod sit formaliter, & secundum se inspecta, spiritualis; & constitutivè corporea, scilicèt in coniuncto hominis, seu materiæ, formæ, & vnionis, quod constituit: insuperque quod secundum se considerata, sit quid inadæquatum, & incompletum, & constitutivè sit aliquid adæquatum, & completum, scilicèt homo. Quod si absque vlla difficultate percipitur, adhuc in entitate limitata, & finita, facilius percipi poterit in entitate infinita, & illimitata, vt est quævis scientia, quæ in Deo existat: ideoque benè componet, esse conditionatam formaliter, & constitutivè absolutam, esse in vno signo formaliter, & constitutivè in alio.

106 Rogabis: an idem, quod diximus de medio obiectivo cõnexo cum extremo determinato, vt futuro, sentiendum etiam sit de medio obiectivo vagè connexo cum hoc, vel illo extremo vt futuro: exempli gratia; libertas quævis est vage connexa cum existentia vnius, vel alterius ex extremis, inter quæ versatur; quin vllum determinatè præalio requirat; verùm quovis, in locum alterius subrogato, contenta sit: hinc; quando futura est libertas aliqua, futura per consequens est determinatio obiectiva, & connexio metaphisica subiectivè determinata, & terminativè vaga, cum existentia alicuius ex his, quæ sunt extrema prædictæ libertatis, & quæ penitus suspensa ab omni exercitio, sibi correspondenti existere nequit. Rogatur igitur: an in tali libertate obiectivè existente, vt futura in mente divina, dicendum sit: Deum cognoscere futurum vagè vnum, vel alterum extremum pro modo connexionis vagæ residentis in libertate; an potius diversimodè sentiendum sit, quoad media vagè connexa; quam quoad media connexa determinatè? Et ratio dubitandi formari potest ex eo quod appareat minus congruum intellectui perfectissimo, qualis est divinus, hic modus tendendi vagus circa obiecta, quæ in re vage non existunt, & qui in nobis tantum oriri solet ex defectu perspicaciæ, & penetrationis illius, quod in re determinatè, & absque vaguitate, & indecisione extiturum est.

107 His non obstantibus, respondetur: ita esse iudicandum, & pariter de vtroque medio procedendum. Sic enim postulat perfectio divini intellectus, qui in repræsentando debet se conformare cognoscibilitati passivæ obiectorũ; quin dedecus ei sit non amplius, aut eo tantum modo cognoscere, quo obiectum est in se cognoscibile, vel ratione sui, vel in vi medij determinantis ad illius cognitionem. Propterea non est imperfectio in Deo cognoscere conditionatè, aut posibiliter id ipsum, quod existit absolutè, & vltra veritates absolutas, & existentiæ habet in se veritatem obiectivam conformem modo tendendi conditionali, aut proponente posibilitatem modo quodam præcisivo ab existentia, & componibili cum defectu illius. Vndè similiter dicendum est: divinam mentem

tem habere in se perfectissimè modum illum tendendi disiunctivum correspondentem veritati obiectivæ termini, qui cognoscitur, vi medij non illum determinatè requirentis; sed illum, vel alterum, vt accidit in libertate quavis: aliter enim veritas aliqua maneret Deo imperceptibilis, & incognita, nec rogatus posset de illa rationem reddere.

108 Suadeo sic. Omnis vera connexio, provt talis, debet habere terminum aliquem verè assignabilem, respectu cuius detur in eo, quod connectitur, vera alligatio, & inseparabilitas ab altero extremo, vt per se est notum: sin minus; connexio esset inexplicabilis, & irridenda potius, quam æstimanda: sed connexio, quæ datur in libertate quauis cum aliquo ex extremis, inter quæ versatur, est vera connexio, sicut, & vera inseparabilitas, & alligatio: ergo aliquis terminus est ei verè assignabilis: ast nullus determinatus determinatè sumptus; cum à defectu nullius determinati determinatè sumpti valeat ad defectum libertatis: ergo tantum aliquis determinatus indeterminatè sumptus: ac proinde vagè, & provt exprimitur his terminis *hic*, vel *ille*: iam; aut Deus cognoscit tantum determinatè illud extremum libertatis, quod defacto existit; & sic non cognoscet connexionis terminum, qui talis est, vt ipso deficiente, nequeat existere connexio; quomodo existeret, quovis extremo determinatò deficienti, quod de facto existit; aut cognoscit insuper illud extremum determinatum, quod de facto existit dari, & non dari, vt necessarium pro existentia libertatis; & ita etiam non cognosceret terminum connexionis; cum non sit cognoscere terminum connexionis cognoscere aliquid, vt non requisitum ad illam; aut demum cognoscit vltra id, quod determinatè existit, non necessarium pro connexione, posse dari aliud non requisitum, æque tamen sufficiens, vt connexio persisteret, si in locum huius, quod existit, substitueretur; qua ratione nondum cognosceret connexionis terminum, quia non est idem cognoscere sufficiens ad aliquid, & cognoscere requisitum: multa enim sunt sufficientia, quæ non sunt requisita, sicut multa sunt requisita, quæ non sunt sufficientia propter indigentiam aliorum: rogatus ergo Deus de termino illius connexionis, non posset satisfacere quærenti, nisi per terminos vaguitatis, quibus illud iudicium vagum corresponderet, *hoc, vel illud extremum est requisitum.*

109 Ad fundamentum rationis dubitandi, solutio sit iuxta superius dicta de veritate determinata propositionum de futuro, vbi notavimus: verum esse nihil posse esse à parte rei absolutè, & purè vagum, ita vt in nullo determinato constituatur; at falsum esse, nihil obiectivum posse dari respectivè vagum, & indeterminatum pro modo, quo vagè requiritur, & respicitur ad aliud, & fundat suppositionem confusam minimè fictitiam, & non correspondentem rerum essentijs; vt accidit in termino connexionis libertatis cum aliquo ex suis extremis, qui cum sit determinatus in ratione actus charitatis; v.g. & omissionis illius; est verò indeterminatus in ratione requisiti secundum determinatam naturam: quia nec requiritur determinatè omissio, nec requiritur determinatè actus charitatis pro libertate ipsorum, non plus veri continet illud, quod additur de origine iudicij vagè tendentis in nobis, quasi tantum proveniat ex ignorantia, defectu notitiæ, aut non penetratione obiecti: pro cuius declaratione advertendum est: aliud esse iudicare disiunctivè pro meritis obiecti; aliud iudicare vtcumque disiunctivè, aut sistere præcisè in iudicio disiunctivo cum defectu iudicij determinatè circa id, quod determinatè existit. Primum ex se non dicit imperfectionem vllam: cum sit iudicare, & cognoscere pro modo, quo obiectum est in se cognoscibile: secundum, & tertium verò dicit imperfectionem, quæ tantum in nobis potest reperiri; ast non titulo iudicij disiunctivi; verùm aliunde ex circunstantijs, & adiunctis, quæ comitantur illum modum tendendi, & quæ longè sunt ab intellectu divino iudicante disiunctivè ex meritis obiecti, & iudicio certissimo, & clarissimo in tali linea; nec purè sistens in tali iudicio: cum vltra progrediatur ad iudicium determinatum illius, quod determinatè existit, & per quod fit de facto satis connexioni illi subiectivè absolutæ, & terminativè vagæ.

110 Dico tertiò: in nullo medio absolutè indifferenti ad futurum absolutum contingens potest Deus absolutè cognoscere futurum absolutum contingens,

gens, nisi fiat suppositio eiusdem futuri. Probatur: omne medium absolutè indifferens ad rationem futuri non est medium aptum, vt ipsi innitatur cognitio divina affirmans absolutè aliquid esse futurum: ergo in nullo medio sic indifferenti Deus cognoscit, aut cognoscere potest absolutè aliquid esse futurum. Probatur antecedens: omne medium absolutè indifferens ad rationem futuri est absolutè componibile cum defectu futuri: sed omne componibile absolutè cum defectu futuri non est medium aptum, vt ipsi innitatur cognitio divina absolutè affirmans aliquid esse futurum: aliàs sicut medium est absolutè falsificabile quoad existentiam futuri, ita cognitio eo innixa esset absolutè falsificabilis, & componibilis cum defectu sui obiecti, vti per ipsam repræsentatur; quod planè repugnat in intellectu diuino perfectissimo: ergo omne medium absolutè indifferens ad rationem futuri non est medium aptum, vt ipsi innitatur cognitio divina affirmans absolutè aliquid esse futurum. Confirmatur: omne medium absolutè indifferens ad rationem futuri non est ex se magis determinatum absolutè ad esse futuri; quàm ad non esse futuri: sed quod obiectivè non est magis determinatum absolutè ad esse; quàm ad non esse futuri, non potest intellectum determinare ad affirmandum absolutè potius esse, quàm non esse futuri: ergo nullum medium absolutè indifferens ad existentiam futuri tale est, quod possit movere Deum ad cognoscendum absolutè futurum.

111 Cuius vlterior ratio, & explicatio esse potest: omne medium obiectivum pro modo connexionis sui cum altero obiecto infallibilizat assensum præstitum alteri obiecto non ex meritis obiecti; sed sui: at medium absolutè indifferens ad existentiam futuri non habet connexionem absolutam cum existentia futuri: ergo neque infallibilizare potest absolutè iudicium de futuro se innitens; ac proinde, si iudicium Dei in vi talis medij absolutè tenderet in futurum, maneret absolutè falsificabile, & componibile cum defectu sui obiecti eo modo, quo per ipsum repræsentatur.

112 Vnde deducitur: quòd neque libertas plenè indifferens, & quasi ad pondus constituta ex æqualitate motiuorum hinc, & inde allicientium, & retrahentium, neque applicatio indifferens Omnipotentiæ, neque causa, aut principium sivè moraliter, sivè naturaliter determinata ad effectum valent esse media obiectiva, in quibus Deus absolutè cognoscat futura; patet ex dictis: quia omnia ista; aut habent plenissimam indifferentiam ad existentiam futuri, vt primum, & secundum; aut si habent aliquam determinationem, vt tertium, & quartum, eam componunt cum absoluta indifferentia, vt futurum tale sit: sed media, aut habentia omnimodam indifferentiam, aut absolutam indifferentiam, vt futurum tale sit, non sunt media apta, vt Deus in illis cognoscat futura; cum aut nullam determinationem obiectivam habeant, aut non penitùs firmam, & qualem exigit Scientia infallibilis, & absolutè infalsificabilis: ergo omnia enumerata, & his similia, debent excludi à ratione medij obiectivi, in quo Deus cognoscat absolutè futura contingentia absoluta. Vide, si placet, latius impugnatam infallibilitatem Scientiæ divinæ ex medio obiectivo tãtum moraliter connexo, disp. 8. de prædestinatione cap. 1.

113 Dices: medium, aut causa naturaliter connexa non impedita per superiorem potentiam ab effectus productione est medium, aut causa naturaliter nantum connexa cum effectus existentia: sed in hoc medio, vt futuro, potest Deus cognoscere infallibiliter, & absolutè existentiam futuram effectus, vt talem: ergo medium naturaliter tantùm determinatum ad existentiam futuri, & cum illo tantùm naturaliter connexum, est medium obiectivum aptum, vt in illo Deus infallibiliter, & absolutè cognoscat futurum. Probatur minor. Omne connexum naturaliter cum effectu non impeditum ab assequutione sui effectus per superiorem potentiam est tale, quod per nullam potentiam potest separari ab existentia termini naturaliter exacti; cum nulla sit potentia ad impediendam potentiam naturalem non impeditam: sed in medio per nullam potentiam separabilem ab existentia illius, cum quo connectitur, potest Deus, si vt futurum illud cognoscat, pariter cognoscere infallibiliter, & absolutè futurum effectum, seu connexionis terminum: ergo in eo medio naturaliter tantùm connexo potest Deus cognoscere absolutè, & infallibiliter futu-

tu-

turam existentiam effectus, provt talem.

114 Sed contra: quia hic fit transitus ab specificativo medij naturaliter connexi, & non impediti ad reduplicativum ipsius, provt naturaliter secundum se connexi, & non impediti; & connexio quæ est in toto, fallaciter traducitur ad partem. Itaque, si connexio naturalis accipiatur; secundum id, quod de se dicit, adhùc quando non est impedita per superiorem potentiam, semper manet ex se separabilis à termino per superiorem virtutem, & vincibilis ab ipsa, si non pro sensu composito non impeditionis, saltem pro sensu diviso illius, quem facere antecedenter potest: si verò intelligatur reduplicativè, provt non impedita; iam sic non est connexio purè naturalis; sed metaphysica, vtpote, quæ provt talis, non potest separari ab effectu per vllam potentiam possibilem, cum tantum restet potentia ad duplex contradictorium, vt sunt *impeditum, provt non impeditum*: ideo non negabimus, in illo coniuncto connexionis naturalis, & decreti non impediendi talem potentiam, seu in non impeditione illius posse Deum cognoscere, & ita de facto cognoscere absolutè, & infallibiliter futurum effectum: sed quid inde contra nos, si medium illud, quod objicitur, non est duntaxat connexum naturaliter; sed metaphysicè? Vnde ad formam distinguenda est maior primi syllogismi: causa naturaliter connexa cum effectu non impedita *specificativè* per superiorem virtutem est causa naturaliter tantum connexa cum effectus productione, concedo maiorem: non impedita *reduplicativè*: nego maiorem: & distinguo minorem: in hoc medio *specificativè* accepto, potest Deus cognoscere infallibiliter, & absolutè effectum futurum: nego minorem: *reduplicativè accepto*, concedo minorem; & nego consequentiam. Quomodo etiam per eosdem terminos *specificativè*, & *reduplicativè* distinguenda venit ratio minoris probativa.

115 Addidi in propositione *absolutè*, vt denotetur: non excludi à divino intellectu modum alium cognoscendi futurum restrictè in medio absolutè indifferenti, quando medium talis conditionis sit, vt habeat determinationem physicam, aut moralem ad existentiam futuri: tunc enim Deus, cognoscet futurum in illo medio, cognitione attemperata efficaciæ determinationis ipsius ad futurum, provt ea fuerit moralis, aut physica; tamen cum omnimoda infallibilitate cognitionis in eo modo repræsentandi restrictè. Explico: pone medium esse connexum, aut determinatum moraliter ad existentiam futuri: in eo medio cognoscet Deus futurum, non absolutè; verùm restrictè ad modum determinationis, ideſt; cognoscet Deus esse futurum moraliter, & esse moraliter necessarium, quod existat, idque cum omnimoda infallibilitate; cum tam certum metaphysicè sit, necessarium moraliter esse tale, & extiturum esse moraliter; ac, necessarium metaphisicè esse tale, & extiturum esse metaphysicè: quod totum componitur absque vlla falsitate divinæ cognitionis cum defectu physico, aut metaphysico futuri, propter modum restrictum illud affirmandi; cui non deficit conformitas cum obiecto in ratione futuri; quamvis istud physicè, aut metaphisicè deficiat: semper enim verùm metaphysicè est, provt in plurimum, effectus sub tali determinatione constitutos non deficere; & rarissimum quid esse, si deficiant. Idem potiori titulo ob altiorem gradum determinationis iudica, si medium sit connexum cum futuro naturaliter, in quo pro connexionis restricto modo, cognoscet Deus eventum futurum naturaliter cum omnimoda infallibilitate illius sub tali reduplicatione; quod nihil aliud est, quàm cognoscere, illum eventum non defecturum, nisi impediatur à superiori agente: vt evidentissimum est, etiam in casu quo per potentiam absolutam impediatur.

116 Si objiciatur: id videri concedere in Deo Scientiam quandam coniecturalem futurorum, & quæ non sit infallibilis absolutè circa futura; sed tantum restrictè, & in ratione futuri moraliter, aut physicè, respondendum est: Id esse concedere scientiam obiectivè coniecturalem, secus subiectivè, & non quidem futurorum in se; verùm in medio, & provt indispensabiliter exigit, Deum esse omniscium, & cognoscentem naturam, & conditionem omnium obiectorum, sicut, & connexionis, & determinationis eorum ad alia in gradu illo, & efficacia, in quo resideant tales connexiones, & determinationes iuxta inconcussam divisionem earum in *morales*,

les, phyſicas, & metaphyſicas; & vlterius non eſſe ſcientiam, in qua Deus ſiſtat; quin intellectus divinus vltra procedat ad cognoſcendum omnimoda infallibilitate quid eventurum abſolutè ſit, attentis omnibus circunſtantijs; ſed potius non modo cum illa aſſociata; verùm ex intrinſecis determinata, vt ſine illa non exiſtat; qualiter non eſt abſurdum in admiſsione talis ſcientiæ; imò maxima perfectio ſummè cognoſcentis in ipſa exiſtit. Non abſimiliter ac eſt maxima perfectio Dei ſcientis, cognoſcere, vt poſsibilia, & vt conditionata, ea ipſa obiecta, quæ abſolutè de facto exiſtunt; quia verè ſunt taliter cognoſcibilia, & quia nec ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & conditionatorum talis eſt, vt in ea ſiſtat divinus intellectus ignorans, aut exiſtentia, aut abſoluta; quinimò ſit determinata eſſentialiter, vt cũ ſcientia clariſsima exiſtentium poſitivè, aut negativè, & abſolutorum ſub eiſdem conſiderationibus identicè coniungatur. De ſcientia huiuſmodi coniecturali ſcilicèt, *obiectivè* intelligit Faſolus quæſt. 14. artic. 13. dubitatione 1. num. 6. illud Sapientiæ cap. 8. vbi de Deo ſciente dicitur: *ſcit præterita, & de futuris æſtimat*; id eſt: cognoſcit futura, provt coniecturaliter continentur in ſuis cauſis; quod eſt proprie æſtimatio futuri; non ſcientia. Quomodo etiam Div. Thomas concedit Deo cognitionem futurorum quæſt. 2. de veritate artic. 12. ad 9. dum ait: Deum ſcire futura: *In quantum ſcilicèt aliquas cauſas ad aliquem effectum eſſe inclinatas*, & quidem ordinatione non connexa infallibiliter, vt habet quæſt. 12. de veritate artic. 10. ad 7. vbi planè docet: aliquid poſſe verè dici futurum ex inclinatione, & diſpoſitione cauſarum, quin obſtet veritati huius aſſertionis, quòd in re non contingat effectus.

117 Addidi vlterius: *niſi fiat ſuppoſitio veritatis obiectivæ ipſius futuri*, propter conſequentiam doctrinæ ad conſtituta in ſuperioribus diſputatione de cognitione vnius in alio; vbi probare conati ſumus: connexionem abſolutam reſtrictè, & pro aliqua ſuppoſitione vnius cum alio non obſtare indifferentiæ abſolutæ medij independenti ab omni ſuppoſitione; ideoque Deum in ſuis prædicatis neceſſarijs abſolutiſsimis ab omni conceptu contingentis; imò, & ab omni neceſſario, neceſsitate extrinſeca, cognoſcere prædictos conceptus ex ſuppoſitione, quod tales in ſe ſint; licèt Deus ex ſe nullo modo trahat talem ſuppoſitionem: vnde pro præſenti, & quoad futurorum abſolutorum contingentium cognitionem, reſultat altera propoſitio, quæ in promptu immediatè eſt.

118 Dico quartò: ex ſuppoſitione, quod futura contingentia talia obiectivè in ſe ſint, Deus in quocumque divino, ſivè neceſſario, ſivè contingenti ex ſe indifferenti abſolutè ad exiſtentiam futuri, cognoſcit abſolutè futurum. Probatio eſt quam generaliter dedimus contracta ad præſentem caſum, & determinatam materiam: & ſic ſe habet. Quodvis divinum, ſivè neceſſarium, ſivè contingens, connectitur *ſubiectivè abſolutè, & terminativè conditionatè* cum eo, quod ſi aliquid abſolutè futurum ſit, vt tale cognoſcatur à Deo; patet: quia ſicut eſt oppoſitum cum ignorantia Dei pro tali caſu, ita eſt determinatum ad cognitionem divinam futuri neceſſariam ad excludendam ignorantiam Dei pro tali caſu: ergo connectitur ſimiliter *ſubiectivè abſolutè, & terminativè conditionatè*, cum cognitione metaphyſicè connexa cum exiſtentia futuri abſoluti pro tali caſu: ſed omne metaphyſicè connexum cum vno extremo metaphyſicè connexo cum alio, metaphyſicè connectitur eum illo, vt eſt principium firmum: ergo omne divinum, ſivè neceſſarium, ſivè contingens ex ſe indifferens abſolutè ad exiſtentiam futuri connectitur *ſubiectivè abſolutè, & terminativè conditionatè* cum exiſtentia futuri abſoluti pro caſu, quo futurum abſolutum tale ſit.

119 Subſumo: omnis connexio *ſubiectivè abſoluta, & terminativè conditionata*, & quæ provt contraponitur connexioni terminativè abſolutæ, & independenti ab omni ſuppoſitione contingenti, dicitur conditionata; purificata conditione tranſit in abſolutam: ergo pro caſu purificationis conditionis, ſcilicet exiſtentiæ futuri abſoluti in eſſe talis, ſeu veritatis obiectivæ illius eſt connexio abſoluta cuiuſvis divini, ſivè neceſſarij; ſivè contingentis cum eo, quod futurum abſolutum tale ſit: at in omni medio abſolutè connexo cum futuro abſoluto Deus cognoſcit futurum abſolutum: ergo in quocumque divino, ſivè neceſſario, ſivè contingenti abſolutè indifferenti ad veritatem, & exiſtentiam

Pro-

futuri absoluti in ratione talis Deus cognoscit futurum absolutum, facta suppositione, quod istud futurum tale sit.

120 Proponitur idem brevius. Cognitio divina, pro casu, quo futurum absolutum tale sit, connectitur metaphysicè absolutè cum veritate, & existentia futuri absoluti in ratione talis, quam repræsentat: sed omne divinum, qualecumque illud sit, pro tali casu connectitur cum cognitione divina, sicut cõnectitur cum perfectione divina, quę sine ea cognitione pro tali casu existere nequit: ergo omne divinum, qualecumque illud sit, pariter pro tali casu connectitur absolutè cum veritate, & existentia futuri absoluti in ratione talis; ac per consequens, cum Deus in omni connexo absolutè cum futuro in ratione talis cognoscat prædictum futurum; in quocumque divino, sivè necessario, sivè contingenti, & ex se absolutè indifferenti ad veritatem, & existentiam futuri absoluti in ratione talis Deus illud cognoscet ex suppositione, & casu, quod tale futurum absolutum obiectivè, & in se ita sit.

121 Fluit ex iacto fundamento: non solum in quocumque divino, sivè necessario, sivè contingenti; sed insuper in quocumque creato, sivè conceptus obiectivus necessarius sit, vt posibilitas, imposibilitas, & veritates pertinentes ad quidditates, & essentias rerum; sivè contingens, vt veritates pertinentes ad statum existentialem rerum contingentium. Deum cognoscere futura contingentia absoluta ex suppositione, quod ea in se talia sint. Etenim non minus connectitur cum cognitione divina futuri absoluti, eò quod futurum absolutum tale sit, & cum perfectione divina exigente talem cognitionem pro tali casu propter oppositionem cum ignorantia infinitè sapientis, quodvis creatum, qualecumque illud sit; quàm quodvis divinum: ergo nec minus habet connexionem *subiectivè absolutam*, & *terminativè conditionatam* cum existentia futuri absoluti sub conditione existentiæ illius, quæ purificata conditione, transeat in absolutam: ergo si propter hanc rationem, quodcumque divinum ex se absolutè indifferens ad existentiam, & veritatem futuri est medium obiectivum proportionatum, vt Deus in illo cognoscat futura absoluta contingentia; pariter quodcumque creatum, in quo, vt constat, eadem ratio ipsissima militat, erit medium obiectivum proportionatum, in quo Deus cognoscat futura absoluta contingentia ex suppositione quod talia sint. Nec amplius in hac re oportet immorari, cuius difficultates, sivè ex natura connexionis conditionatæ, & transitu ipsius in absolutam, sivè ex capite libertatis creatæ, cui hic modus connexionis videtur nocere, sivè ex modo arguendi in consequentia, que formatur in omni vera connexione, supra vniversaliter sunt solutæ in disputatione de *cognitione divina vnius in alio*, quæ fas non est repetere, dum contractio ad determinatum obiectum non includat specialem difficultatem, vt legenti constabit.

122 Advertes: in hanc nostram cogitationem, & modum defendendi cognitionem futuri absoluti in mediis absolutè indifferentibus ad existentiam illius incidere sententiam illam Molinę, Izquierdo, & aliorum dicentium: in Omnipotentia inconnexa cum posibilibus, semel quod posibilia sint; & in libertate indifferente ex se ad hoc determinatum exercitium, quod de facto datur, cognoscere Deum titulo comprehensionis, aut supercomprehensionis, tum posibilia, tum determinatum exercitium; quæ solo modo exposito, fit mihi perceptibilis; & aliter apparet, non posse facilè suadere determinationem illam, & connexionem obiectivam, quæ requiritur in medio, vt ex illo infallibiliter moveatur intellectus divinus ad præstandum assensum alteri obiecto, eamque simul componere cum absoluta indifferentia obiectiva ad illud. Quod autem id explicent terminis *comprehensionis*, aut *supercomprehensionis*; ad voces pertinet; & quidquid de re potest esse, non immutat; cum ad illam connexionem absolutè conditionatam, & respectivè absolutam, purificata conditione, debeant pervenire; si debitum obiectivum ad cognitionem futuri absoluti in medio ex se indifferenti velint subsistere. Vnum tantum displicet in Molina, quod etiam observavit Izquierdo, nempè: à doctrina illa sua generali supercomprehensionis, tanquam tituli sufficientis ad cognoscendum aliquid in medio indifferenti excipere decreta, & exercitia immediata divinæ libertatis: quæ, inquit, si Deus in medio suæ liber-

ta-

tatis cognoscere, sine dispendio, & eversione eiusdem libertatis non posset contingere. Cuius consequentiam in sapientissimo Magistro non video; cum non minus opponatur, aut non opponatur connexio libertatis cum suo exercitio determinato ex suppositione eiusdem exercitij; quàm libertas divina cum determinato suo exercitio ex suppositione, quod tale exercitium sit: ergo si absque vllo nocumento stat in libertate creata ob supercomprehensionem, quam de illa habet Deus, esse medium, in quo videat determinatum exercitium; pariter absque læsione libertatis divinæ ratione comprehensionis, quam de illa Deus habet, stabit in ea cognoscere decretum, & determinatum exercitium divinum, quod de facto sub illa ponitur.

123 Dico quintò: inter modos assignatos, quibus Deus cognoscit futura contingentia absoluta, scilicèt *in se ipsis, & in alio*, primario cognoscit futura contingentia absoluta in se ipsis; & secundario in quovis alio medio obiectivo determinante ad eorum cognitionem. In hac propositione consentire videtur Granado disput. 4. de Scientia sect. 5. Dum modum cognoscendi in alio vocat *abstractivum*, & modum cognoscendi in se vocat *intuitivum*; ac proinde nobiliorem; & qui propterea, titulo talis non debet Deo negari, vt eius plenissima, & perfectissima Scientia ex nobilissima attingentia obiectorum cognoscibilium ostendatur. Probatur assertio: quia in eo primariò attingitur quævis *obiectiva* veritas à divino intellectu, quod est immediatissima, & formalissima ratio præstandi assensum firmissimum, & infallibilem prædictæ veritati: sed quævis veritas *obiectiva* secundum, quod formalissimè in se est, continet immediatissimam, & formalissimam rationem, vt sibi præstetur assensus firmissimus, & infallibilis: ergo quævis veritas *obiectiva*, ac proinde veritas *obiectiva* futuri absoluti primariò cognoscitur in se ipsa. Discursus est legitimus, & maior videtur certa: Siquidem illud debet esse primaria ratio attingendi veritatem obiectivam per actum intellectus perfectissimi, qualis est divinus, quod est formalis ratio conformitatis veritatis attactæ ad modum intentionalem, quo exprimitur: sed tantùm immediatissima, & formalissima ratio præstandi assensum infallibilem, & firmissimum id habet: ergo sola illa est id, in quo primariò attingitur quævis obiectiva veritas à divino intellectu.

124 Iam probatur minor primi syllogismi. Quævis veritas obiectiva secundum, quod formalissimè in se est, continet conformitatem formalem immediatissimam ad modum, quo per divinum intellectum, & scientiam affirmetur: sed quævis veritas obiectiva secundum, quod continet conformitatem formalem immediatissimam ad modum, quo per divinum intellectum, & scientiam affirmatur, continet immediatissimam, & formalissimam rationem, vt sibi præstetur assensus firmissimus, & infallibilis: cum nulla sit ratio immediatior, & validior ad iudicandum conceptum aliquem ita esse; quàm ita in se esse, sicuti affirmatur: ergo quævis veritas obiectiva, secundum quod formalissimè in se est, continet immediatissimam, & formalissimam rationem, vt sibi præstetur assensus firmissimus, & infallibilis.

125 Confirmatur primò. Omne formale veritatis obiectivæ attactæ per actum, est primaria conformitas actus cum obiecto, respectu ad omne arguitivum veritatis obiectivæ attactæ per actum: sed omnis veritas obiectiva attacta per actum in se ipsa, est formale veritatis obiectivæ attactæ per actum: ergo in se ipsa est primaria conformitas actus cum obiecto: ast id, quod ex parte obiecti est primaria conformitas actus cum obiecto, est id, in quo primariò cognoscitur obiectum; cum id quod primariò, & principaliùs movet intellectum ad assensum, sit id, quod in obiecto est *se habere formaliter, sicut per actum repræsentatur*: ergo omnis veritas obiectiva; ac per consequens veritas obiectiva futuri absoluti contingentis provt formaliter est in se ipsa, est id, in quo primariò attingitur talis veritas à divino intellectu. Confirmatur secundò. Veritas obiectiva, provt ex proprijs terminis evidentissimè proposita, est veritas obiectiva primariò evidentissima: sed veritas, provt est primariò evidentissima, primariò cognoscitur: ergo veritas obiectiva, provt est in se, & ex proprijs terminis evidentissima, primariò cognoscitur: at veritas futuri absoluti, sicut, & quæcumque alia obiectiva veritas, Deo evidentissimè proponi-

tur

tur ex terminis: ergò provt sic proposita, primariò movet divinam scientiam, & primariò cognoscitur a divino intellectu.

126 Amplius adhùc vrgeri potest. Siquidem cognitio vnius in alio primariò respicit vnum, ex quo movetur; quàm aliud, ad quod propter illud terminatur: sed non ob aliam rationem primariò movet, & respicitur; nisi quia movet ratione sui: ergo id, quod movet ratione sui, primariò respicitur; quàm illud, quod movet ratione alterius: at omnis veritas obiectiva, qualis est veritas futuri absoluti attacta per divinam Scientiam in se ipsa, movet divinum intellectum ratione sui, & attacta in quovis alio medio movet divinum intellectum non ratione sui; sed ratione alterius, in quo attingitur: ergo omnis veritas obiectiva; ac proinde veritas obiectiva futuri absoluti contingentis primariò cognoscitur à Deo in se ipsa; quàm in quovis alio, quod obiectivè propositum ad assensum illius determinat.

127 Rationes istæ probant generaliter de omni futuro absoluto contingenti, sivè sit vnicè dependens à libertate divina, sivè sit dependens à nostra libertate, & per eam vnicè determinabile, debere cognosci à Deo primariò in se; quàm in quovis alio medio obiectivo: cæterùm si specialiter procedamus de solis futuris absolutis contingentibus dependentibus à nostra libertate, & per eam vnicè determinabilibus, specialis adhùc adest difficultas, quæ sic formari potest. Id est primaria ratio cognoscendi futurum, quæ & est aptissima, & præ reliquis sufficientissima, vt in futurum adhæsivè firmissimè tendat intellectus divinus, & vlterius est ratio, à qua à priori dependet omnis alia ratio obiectiva in ratione inferentis futurum, & moventis ad eiusdem assensum: sed veritas obiectiva ipsius futuri absoluti in se est aptissima, & præ reliquis sufficientissima, vt in futurum adhæsivè firmissimè tendat intellectus divinus: cum sit ratio identicè formaliter inseparabilis à futuro intima, & constitutiva illius, taliter vt habeat ab ipsa formaliter *futurum esse in se, sicut per scientiam infallibilem repræsentatur*; & vlterius omnis alia ratio obiectiva in ratione inferentis futurum, & moventis ad sui ipsius assensum, ab ipsa à priori dependet, vt omne connexum cum exercitio libero ab ipso debet dependere; ne aliter eius libertatem destruat, vt ex principijs generalibus de libertate seruanda in nostra Schola constat: ergo ratio ipsa formalis, & obiectiva veritas futuri absoluti, quod sit exercitium libertatis creatæ, est id, in quo primariò Deus prædictum futurum cognoscit,

128 In subsidium prædicti fundamenti advocanda est celebris illa, & toties animadversa causalis adversativa Patrum, nimirum: *Deum scire futura; quia talia in se sunt; secus esse in se talia; quia Deus illa scit*: quæ, si probat dependentiam, quam à priori habet Scientia divina à veritate, quàm cognoscit in genere causalitatis purè obiectivæ, vt salva consistat libertas futuri, identidem probat dependentiam cuiusvis alterius connexi in ratione talis, & inferentis futurum à priori obiectivè ab ipso futuro; ne connexio illa sit antecedens simpliciter, & inimpedibilis per libertatem se determinantem ad exercitium futurum: quomodo ipsam libertatem destrueret: ergo primaria ratio, vt quodcumque aliud medium distinctum ab *esse* ipsius futuri sit proportionatum ad movendum divinum intellectum in Scientiam futuri dependentis à nostra libertate, est ipsum *esse*, & veritas obiectiva futuri sumpta formaliter.

129 Contrà propositionem, illationes duæ fortè obijcientur, quæ eandem videntur incommodare. Vna est: Deum non cognoscere futura absoluta in se ipso; vt in propositione quinta asseruimus: quia quidquid Deus in se ipso cognoscit, cognoscere debet in se ipso pro modo, quo Deus obiective est in mente divina: ergo cum Deus obiectivè sit in sua mente non aliter quàm, vt obiectum primarium: per consequens non aliter posset cognoscere futura absoluta in se ipso; quàm veluti in obiecto primario: sed hoc modo per nos non cognoscit: quia primariò tantum cognoscit futura absoluta in se ipsis; & secundariò in omni alio medio distincto ducente ad cognitionem futurorum, qualiter Deus est secundum necessaria, & contingentia: ergo rectè apparet inferri, Deum nullo modo cognoscituram futura absoluta in se ipso. Altera, quæ immediatè fluit: videlicèt, non Deum, vt alibi supra diximus, agentes de obiecto primariò Scientiæ divinæ;

ſed aliquid, quod non ſit Deus, eſſe obiectum primarium Scientiæ, qua Deus cognoſcit futura contingentia abſoluta, patet: quia illud debet eſſe obiectum primarium alicuius ſcientiæ, quod eſt primaria ratio obiectiva movens intellectum divinum ad talem Scientiam, & in qua dicitur Deus primariò cognoſcere obiectum: ſed reſpectu Scientiæ futurorum, quæ plerumque non ſunt aliquid contingens divinum; verùm aliquid contingens creatum, veritas ipſa obiectiva futurorum eſt primaria ratio obiectiva movens intellectum divinum ad talem Scientiam, & in qua dicitur, Deus primariò cognoſcere obiectum futurum, vt noſtra continet aſſertio: ergo ſaltem quoad Scientiam futurorum Deus non eſt obiectum primarium; ac per conſequens ea generalitate, qua ſupra diximus Deum eſſe obiectum primarium, tum materiale, tum formale Scientiæ divinæ, non poteſt ſubſtineri.

130 Quarum neutra legitima eſt, & pariter contra ſententias alias communes vna, & altera poſſunt opponi. Vrget prima ſententiam dicentium: Deum cognoſcere primariò futura contingentia abſoluta in decreto; quin hoc obſtet, vt etiam cognoſcantur in natura divina pro modo, quo hæc obijcitur divinæ menti, ſcilicèt tanquam obiectum primarium: vrget etiam in quolibet prædicato divino contingenti, aut relativo, quod quidem cognoſcitur primariò in ſe ipſo; nec propterea impeditur ab eo, quod cognoſcatur in neceſſario, aut abſoluto, vt eſt eſſentia divina, quæ obijcitur divino intellectui, vt quid primarium reſpectu relativi, & contingentis, vtpotè neceſſarium, & abſolutum: vrget demum in obiecto ſecundario Scientiæ divinæ, quod cognoſcitur non modo in ſe; ſed in, & ex vi primarij, tanquam quid ſecundarium. Vnde clarum fit non eſſe idem cognoſcere aliquid in obiecto primario, & cognoſcere illud primariò; imò potius, quia cognoſcitur in obiecto primario, cognoſcitur ſecundariò.

131 Itaque verum eſt: Deum non aliter poſſe cognoſcere futura abſoluta in ſe ipſo; quàm vt obiecto primario menti divinæ, & quod nobiliſsimum tenet locum inter obiecta Scientiæ; vnde movetur intellectus divinus ad cognoſcenda reliqua omnia ignobiliora, ſivè realiter, ſivè formaliter tantum talia: cæterùm inde non probatur movere ad cognoſcenda illa primariò; ſed ſecundariò, & eo tantùm modo, quo vnum obiectivè propoſitum poteſt movere ad cognoſcenda alia à ſe diſtincta; quod quidem movet ad cognitionem ſui primariam, & primariò, & ad cognitionem alterius ſecundariam, & ſecundariò: quare non eſt confundendum *obiectum primarium movens* cum *obiecto primariò movente*; aut *obiectum primarium movens ad cognitionem alicuius obiecti* cum: *obiecto movente ad cognitionem primariam alicuius obiecti*: quia ad primum ſufficit, obiectum primariù, vtcumque movere, & adquamcumque cognitionem obiecti determinare; ad ſecundum verò requiritur quod moveat, vt primaria ratio illius, quod cognoſcitur, & quod determinet ad cognitionem obiecti primò expetibilem in linea cognoſcendi tale obiectum; quod non datur, quando Deus cognoſcit futura abſoluta contingentia in ſe ipſo, & quamcumque aliam veritatem; licèt detur primum, id eſt, cognoſci in obiecto, quod eſt primarium, & vt primarium determinare ad cognitionem, & modũ tendendi non primarium erga futura.

132 Secunda etiam vrget eos, qui dicant: cognoſci contingentia primariò in decreto aliquo contingenti, & exercitio divinæ voluntatis; quod quidem non eſt abſolutè obiectum primarium Scientiæ divinæ: cum id tantum competat eſſentiæ divinæ, vt ipſi dicunt; quod etiam extendi poteſt ad relativa comparata cum abſolutis: vnde vlterius comprehendit eos, qui aſſerunt: cognitionem Dei vnius in alio eſſe abſtractivam; & cognitionem cuiuſvis in ſe eſſe intuitivam; cum tamen ſcientia Dei abſolutiſsimè, & vniverſaliſsimè dicatur intuitiva. Dicendum: Scientiam Dei poſſe conſiderari inadæquatè, & partialiter *partialitate, & inadæquatione formali*; & poſſe conſiderari adequatè, & provt eſt vna integra Scientia divina completiſsima, & perfectiſsima, quæ attingit modo perfectiſsimo quidquid cognoſcibile eſt, ea propriſsima ratione, qua cognoſcibile eſt; ſeu quod idem eſt formaliter conſtitutivè; in quantum ex illo modo tendendi reſultat in Deo Scientia vna adæquatiſsima, & omnium perfectè comprehenſiva. Si primo modo Scientia divina vſurpe-

petur, & provt est præcisè Scientia futurorum contingentium, habet pro ratione primaria attingendi ipsa, non ipsum Deum; sed veritatem propriam futurorum: si secundò modo, scilicèt, provt est vna scientia realiter, aut provt formaliter constituit cum alijs integram divinam Scientiam, habet pro ratione primaria attingendi ipsum Deum.

133 Quæ sine absurdo vllo, & sine oppositione benè inter se componuntur. Sine absurdo quidem: quia tale non est, concedere, Scientiam divinam inadæquatè formaliter consideratam non habere pro ratione primaria, & motiva id, quod est nobilissimum: sicut absurdum non est sub eàdem consideratione in omnium sententia non habere obiectum materiale primarium omnium nobilissimum, & divinum; imò perfectio infinita Scientiæ integrè sumptæ id exposcit: modo quo in exemplo nobis versatissimo voluntarij divini perfectio summa est, quod inadæquatè sumptum, videlicèt, aut pro voluntario libero, aut pro necessario non sit perfectissimum in ratione talis secundùm diversos modos opinandi, aut circa excessum in libero, aut circa excessum in necessario. Deinde sine oppositione; cum nullam contineat, Scientiam inadæquatè sumptam habere pro ratione primaria motiva aliquid creatum; & adæquatè sumptam aliquid infinitum, & divinum. Et ratio est: quia respectu Scientiæ divinæ adæquatè sumptæ, illud dicitur ratio primaria movendi, quæ, & per se movet, & est ratio motiva omnium, quæ attinguntur à Scientia estimabilior, & ad cuius perfectam comprehensionem reliqua, quæ attinguntur à Scientia, ordinantur: quod idem dicendum est de Scientia inadæquatè consideratà; quomodo potest habere vnam rationem primariam; & alteram constitutivè, & provt in complexo cum alijs Scientijs, ex quibus omnibus resultat adæquatissima, & perfectissima Scientia.

134 Exempla sunt ad manus, quibus id facilè percipi possit. Siquidem ipsa Scientia divina inadæquatè considerata, & provt dirigit Deum ad producendum, & operandum ad extra, est ita simpliciter practica, vt non suscipiat rationem speculativæ; at considerata adæquatè constitutivè, & provt in complexo Scientia divina est simpliciter speculativa, vt in antecedentibus manet probatum. Vlterius: Anima rationalis, provt homo est inadæquatè, est spiritualis; & tamen homo adæquatè sumptus, est corporeus, & impenetrabilis; ipsaque Anima constitutivè, & complexivè dici potest corporea; in quantum constituit cum alia comparte quid corporeum: ad quorum modum sine oppositione, aut repugnantia vlla benè cohærent in Scientia divina habere pro ratione primaria cognoscendi solum Deum simpliciter; & habere respectivè, & inadæquatè consideratam, rationem aliam primariam, quæ non sit Deus: vnde hæc propositio absolutè prolata: *Ratio primaria cognoscendi in divina Scientia non est Deus*, est falsa: licèt hæc sit vera: *Scientia divina, provt est Scientia creaturarum, & secundum se consideratur, habet pro ratione primaria motiva cognoscendi, aliquid, quod Deus non est, & à veritate ipsa creata non distinguitur.*

CAPVT IV.

An, & quomodo cum certissima Scientia, quam Deus habet de absolutè futuris, componantur, & eorum contingentia, & creata libertas?

135 INFALLIBILEM Dei Scientiam, qua cognoscit, sivè præsentes, sivè futuras nostras actiones, non obesse libertati earum, veritas fidei est. Nam cum fides ex vna parte doceat perspicaciam intellectus divini, & vniversalitatem Scientiæ illius, ex quibus nihil ipsum latet, sivè præsens sit, sivè præteritum, sivè futurum; & ex altera etiam intimet, Deum etiam concessisse nobis libertatis arbitrium, ex quo pænes electionem nostram iam sic, iam aliter operari sit; ideoque à voluntate creata

prodire actus ſub indifferentia ad eos non exercendos; conſtat etiam ex ipſa, fidei cohærentia, & compoſitio præſcientiæ infallibilis Dei cum libertate creata, & noſtrorum actuum electivo dominio: etenim ſi benè inter ſe non cohærerent, vnum ex illis deficere opus eſſet: ſcilicèt aut Deum eſſe omniſcium, & infallibilem; aut libertatem noſtram deficere; & non aliter quam ex neceſsitate voluntatem creatam ad ſua exercitia adigi: vnde argueretur Deus mendax in ſuis dictis, aut revelatio prædictarum veritatum inſubſiſtens. Cæterum quamvis hoc ita ſit; quærere rationem, aliunde, quàm ex fidei lumine huius cohærentiæ, qua ſuaderi poſsit ijs etiam, qui fidei lumine ſunt deſtituti, & ſolvere difficultates, quę contra id, quod fide credimus, poſſunt obijcere, vt prudentiam, & certitudinem eius labefactent, præſens aſſumptum eſt. Id ipſum fuit intentum Patrum in præſenti controverſia; iam contra Gentiles negantes præſcientiam futurorum, vt fecit Tullius lib. 2. de divinatione: iam contra Gentiles, & hæreticos negantes libertatem creatam, vt liberius male agerent ex infallibilitate præſcientiæ, vt tenuerunt antiquitus Stoyci, Simon Magus, Manichæi, & proximius Vbiclephus, & Calvinus, quos referunt & impugnant Eminentiſsimus Bellarminus lib. 3. & 4. de gratia, & libero arbitrio, & Eximius Suarez in metaphyſicis diſputatione 19. Inter Patres hoc munus accuratiſsimè, & ſubtiliſsimè tractandum aſſumpſit Anſelmus toto libro, cui titulus eſt: *De Concordia præſcientiæ, & prædeſtinationis, necnon gratiæ cum libero arbitrio.*

135 Rei difficultas, & dubitandi ratio, ſic proponitur: ſi Deus cognoſcit ab æterno infallibiliter, quid libere futurum ſit à me in tempore; v. g. meam converſionem, aut quamcumque aliam operationem, talis Scientia ab æterno erit connexa eſſentialiter, & metaphyſicè cum mea operatione in tempore futura: ergo ante exiſtentiam exercitij meę libertatis, imò, & voluntatis, & libertatis effet determinatio infruſtrabilis meæ operationis; patet: quia pro modo, quo eſt connexio metaphyſica cum aliquo extremo, datur determinatio infruſtrabilis ad illud: ſed operatio, quæ ante ſui exiſtentiam; imò voluntatis, & poteſtatis ad illam, iam eſt antecedenter determinata, non eſt operatio libera, quæ omnem antecedentem neceſsitatem excludit, ſicut, & omnem impoſsibilitatem antecedentem ad oppoſitum: ergo cum præſcientia infallibili futurorum componi non poteſt creata libertas, & indifferentia ad ſuas operationes. Confirmatur: ſemel, quod Scientia divina exiſtat de mea operatione futura, talis operatio non poteſt non exiſtere pro inſtanti, & menſura, qua à Deo cognoſcitur extitura; & ſemel quod exiſtat libertas pro tali menſura, operatio poteſt non exiſtere pro tali menſura: ergo nè exercitium noſtrum chymæricè tantùm poſsit non exiſtere, & ſimul non poſsit non exiſtere; aut infallibilis futura præſcientia futurorum eſt auferenda, aut libertas noſtra ſub tali præſcientia neganda. Iterum confirmatur. Ex eo quod poſita in Deo prædicta Scientia de mea operatione, nec poſſum ponere defectum eiuſdem operationis compoſitum cum Scientia; aliàs hæc non eſſet infallibilis, & Dei propria, vtpotè quæ cum oppoſito illius, quod repræſentat eſſet coniungibilis; neque poſſem ponere in ſenſu diviſo: quia cum præextitiſſet ab æterno ante meum exercitium; præterita per conſequens foret in exiſtendo ad omnem meam poteſtatem operandi, quæ in tempore exiſtit: ergo cum ad præteritum nulla ſit potentia, nulla per conſequens eſſet in me poteſtas ad dividendam eam Scientiam à meo exercitio: ſed impedimentum oppoſiti mei exercitij, quod in nulla ſuppoſitione poſsibili, vt eſt quæ complectitur disiunctum exiſtentiæ Scientiæ, aut defectus illius, relinquit exequibilem defectum exercitij, plenè aufert exercitij libertatem: ergo nè libertas creata deficiat, tollenda eſt Scientia; aut nè iſta deficiat, libertas creata pènitus ableganda.

137 Pariter pro contingentia eventus futuri provt contradiſtincta à libertate ipſius ratio dubitandi, & in oppoſitum vrgens deſumi poteſt ex conditione eiuſdem ſcientiæ, quæ quia divina, & ab æterno exiſtens, indefectibilis debet eſſe in ſuo *eſſe*, ſicut ipſum *eſſe* Dei: ſiquidem omne, quod ab æterno eſt, & aliter, quàm ab æterno exiſtere nequit; per conſequens neceſſarium, & indefectibile in exiſtendo eſt; aliàs, quod argumentum deſumi poſſet pro ſtatuenda neceſsitate Dei, ſi exiſtentia ab æterno,

no, & impotentia existendi in tempore non esset argumentum irrefragabile necessitatis in existendo: sed si scientia divina, quæ me futurum videt, est necessaria in existendo, non componitur cum mea contingentia in existendo: cum evidentissimum sit, tanquam primum principium, impossibile esse: fundamentum connexionis metaphisicæ absolutæ cum aliquo extremo esse necessarium, & indefectibile in existendo, & terminum exactum eo modo, quo exigitur, habere contingentiam in existendo: valet enim, sicut à defectu absoluto termini absoluti exacti metaphysicè ad defectum absolutum exigentis, sic à potestate, & contingentia in non existendo termini absoluti exacti metaphysicè, ad potentiam, & contingentiam in non existendo exigentis, seu fundamenti connexionis cum tali extremo: ergo non benè componitur Scientia divina futurorum, & eorum contingentia.

138 Antequam difficultas ex propositis capitibus expediatur, & concordiam exponere tentemus, animadvertere oportet: nihil specialiter vrgere in Scientia divina reddens difficilem compositionem eius cum libertate creata, & contingentia operationis liberæ, quod non etiam conveniat statui ipsi futuritionis respectu libertatis præsentis, & contingentiæ, sivè electionis, sivè existentiæ exercitij, quod in præsente mensura ab illa procedit. Itaque: aut excludendus omninò est status futuritionis actus liberi, aut contingentis, tanquam commentitius, & repugnans; aut inofenso pede admitendum quidquid in divina præscientia aliquam ingerere possit difficultatem. Paritas vtriusque clarissima est, & ex naturalis rationis lumine patens. Etenim: sicut Scientia divina de liberis, & contingentibus ab æterno existit, ita futuritionis status contingentium, & liberorum suo modo ab æterno datur; cum quidquid contingenter in tempore, & liberè existit, si antequam existat, futurum fuit, ab æterno fuerit futurū: datur enim pro quavis antecedente mensura, & sic in infinitum à parte ante eadem ratio, vt sit futurum id, quod in aliqua antecedente mensura futurum est. Deinde non aliter, ac Scientia divina ab æterno cum re futura libera, & contingente connexa est metaphysicè, ac proinde anterior determinatio ad liberum, & contingens: status futuritionis connexus metaphysicè est cum existentia rei liberæ, & contingentis relatè ad illam mensuram, penes quam ab statu futuritionis respicitur, vt extitura: nec minus, aut falsificaretur; aut impediretur status futuritionis, si res contingens, & libera de præsenti non existeret; ac impediretur, aut falsificaretur scientia, si contingens, & liberum nunquam ad præsens deduceretur.

139 Ex alio item capite contingentiæ non difficilius redditur suasibilis convenientia. Nam quidquid incomponibilitatis habet scientia, vt non sit id, quod repræsentat; & quidquid impossibilitatis, vt semel quod sit Scientia, non sit illud, quod repræsentat pro mensura, qua illud signat, habet incomponibilitatis, & impossibilitatis futurum, vt tale, cum eo, quod non sit in aliqua duratione præsens id, quod in re est futurum: si insuper æternitas scientiæ est argumentum inrrefragabile indefectibilitatis, & necessitatis in existendo, æternitas etiam futuri in esse talis erit argumentum irrefragabile indefectibilitatis, & necessitatis in existendo sub tali ratione: vnde, cum aliunde evidentissimū sit; quod si fundamentum connexionis metaphysicæ absolutæ sit indefectibile, & prorsus necessarium in essendo; necessarius itidem sit in essendo terminus eiusdem connexionis modo, quo ab ea respicitur; nec minus sit patens futurum, vt tale, esse connexum metaphysicè cum existentia rei futuræ; & quidem absolutè pro conditione ipsius futuri absoluti; planum fit: quod si Scientia divina, quia necessaria in existendo auferret contingentiam obiecto, quod cognosceret: futurum, quia necessarium in existendo suo modo, ablaturum contingentiam in existendo illius, quod per ipsum ex parte rei constituitur futurum. Igitur non nisi inconsequenter negari potest ob difficultates propositas, divina præscientia futurorum contingentium, admisso ex parte rei statu futuritionis contingentium, & liberorum.

140 Iam si propterea, vel vt Gentilis, vel vt hæreticus consequentia ducaris, & respondeas: statūm futuritionis contingentium, & liberorum, & esse à rebus explodendum & propterea duos duntaxat status concedendos, scilicèt *præsentiæ, & præteritionis*. Quid absurdius, & plus à naturali ratione distans, quæ futuritionem rerum contin-

gentium,& liberorum actuum convincit? Equidem ſi contingens, & liberum extitiſſe,& modo non exiſtere tibi evidenter demonſtrat, præteritionem cadere ſupra contingens, & liberum: ea non extitiſſe ante;& modo exiſtere tibi debet inconcuſſe oſtendere non eſſe alienam futuritionem à libero, & contingente, vtpote quod relatè ad inſtantia præcedentia habuit aliquem ſtatum ex poſsibilibus; non tamen *præſentis, præteriti*, aut *purè poſsibilis*: ergo *futuri*. Si autem fatearis: dum præſens liberum, & contingens eſt, verè cognoſci fuiſſe futurum; cum nullum ſit præteritum in tempore, quod aliquando in tempore non fuerit præſens: cogeris ad deſignandam præſentiam ſtatus futuri in inſtantibus antecedentibus ad rei præſentiam: vnde inſurgent difficultates, quas vitare ſtudes. Deinde: quid magis omnium menti conſtans; quàm quod, ſi quis dicat hodie *aliquid futurum cràs*;& ita accedente cràs, contingat, verum dixerit: ergo propoſitio illa capax veritatis eſt, quam de præſenti habuiſſe hodie, cràs dicitur: ſed veritas illa non eſt de *præſenti, præterito*, aut *purè poſsibili*: ergo de *futuro*: ergo aliquis ſtatus obiectivus eſt futuritionis ſtatus, à quo illa propoſitio hodie eſt vera de *præſenti*, quando profertur, & cràs dicitur fuiſſe veram de *præterito*. Accedit etiam omnium conſenſus accipiens, vt evidentiſſimum divinitatis ſignum potentiam naturalem prædicendi futura. ſed ſi nullus eſſet futuritionis ſtatus; nec talis potentia daretur; nec ſi apprehenderetur in aliquo, eſſet æſtimanda: ergo lucè clarius eſt, nullum magis inconſequentem in ſuis erroribus; quam, qui ductus nimia conſequentia; & auferat divinam præſcientiam,& ſimul cum ipſa futuritionem rerum,quæ liberè,& contingenter exiſtunt.

141 Hoc ſuppoſito, rationem cohærentiæ divinæ præſcientiæ,& libertatis noſtræ, inquit Granado: petendam eſſe ex conditione, & natura ipſius *ſcientiæ viſionis*, qua Deus clariſsimè videt quidquid abſolutè eſt futurum. Etenim Scientia divina, quò clarior, & perfectior eſt, eò plus diſtat ab immutatione ſui obiecti: ſi enim per ſui exiſtentiam, & tendentiam ad obiectum,ipſum immutaret, & in alio ſtatu diverſo conſtitueret deſtructivo illius, cum quo, & in quo obiectum repræſentatur,nec clara eſſet ob obiecti perturbationem, nec vera, & infallibilis propter conſtitutionem obiecti non modò in alio ſtatu diverſo ab illo, in quo repræſentatur; verùm incomponibili cum illo quem obiectum habere repræſentat: ergo ex terminis ipſis, quibus proponitur divina Scientia, vt clariſsima, & veriſsima erga libera,& contingentia,oſtenditur etiam componibilis, & benè cohærens cum libertate,& contingentia illius, quod, vt liberum,& contingens repræſentat; & tantum ab eſt, vt Scientia talis libertatem, & contingentiam adimat; quod potius ex ipſa quodammodo adſtruatur, & firmetur;in quantum quod ſcientia certiſsima, & infallibilis aſſerit, certiſsimum, & infallibile ſub tali Scientia ſit. Quod expreſsiſſe videtur magnus Parens Auguſtinus lib. 3.de libero arbitrio cap.3. ad finem, dicens ad idem intẽtum: *Non igitur per eius, ſcilicèt Dei,præſcientiam mihi libertas adimitur,quæ propterea mihi certior aderit: quia ille cuius præſcientia non fallitur, affuturam mihi eſſe præſcivit.*

142 Et confirmari poteſt exemplo, quo ad id explicandum, vtuntur Patres, familiariſsimè, deſumpto quidem ex noſtra intuitione, & viſione. Nam licèt ego,aut quiſque alius intueamur ex luce clariſsima candorẽ parietis, aut papyri non proprerea cãdor ipſe parietis,aut papyri immutatur in ſe propter intuitionem, taliter, ac alius in ſe ſit, & quoad intrinſeca viſus,quàm in ſe, & quoad intrinſeca erat, antequam videretur: nec nexus aliquis ſtrictior ad ſubiectum, in quo candor exiſtit, reſultat ex intuitu, quo clariſsimè, provt in ſe eſt, percipitur. Et ratio eſt: quia quò perfectior fuerit viſio,magis conformatur in repræſentando ad *eſſe*,quod obiectum habet in ſe: vnde oportet relinquere obiectum in ſe, & quoad ſuum *eſſe*, ſicut eſſet non viſum, ſi de illo perfectè informare debet videntem. Non abſimiliter ergo Scientia divina, quæ ſplendidiſsima luce divinæ mentis omnia perfectè intuetur, ea provt ſunt in ſe, relinquit; imò ita perfectiſsima intuitio eorum conſtituitur non aliud proponens; quam id quod obiectum in ſe habet,videlicèt contingens,vt contingens, liberum, vt liberum, neceſſarium, vt neceſſarium, ne aliter divinæ menti con-

contingeret, quod rudibus, & non peritis artis pictoriæ, qui cum exemplar, ſeu prototypum per imaginem adamuſim velint exprimere; aliud, poſt imaginis conſtructionem, valdè diſsimile menti obijciunt.

143 Inde ex parte ipſorum, quæ liberè, & contingenter eveniunt, erui poteſt ſimilis ratio pro cohærentia præſcientiæ divinæ cum libertate, & contingentia intendens ex proprijs terminis contingentiæ, & libertatis fieri manifeſtum non deſtrui; ſed foveri per infallibilem Dei ſcientiam. Proponi poteſt ſic: omne contingens, & liberum benè componitur quoad exiſtentiam cum *eſſe*, & *exiſtere* entis perfectiſsimi, à quo dependet: ergo & benè componitur cum exiſtentia illius, quo deficiente, non eſſet ens perfectiſsimum: eſt clarum; quia quod benè componitur cum vno extremo, benè componitur cum omni illo, ſine quo eſſe, & exiſtere non poteſt tale extremum pro tali ſuppoſitione: ſed ens perfectiſsimum, dum contingentia, & libera ſunt ſine ſcientia, qua ſemper ea cognoverit, exiſtere non poteſt; aliter ens perfectiſsimum inſcium, & aliquando ignorans probaretur propter defectum ſcientiæ futurorum contingentium, & liberorum, quando contingentia, & libera futura erant: ergo ſi contingentia, & libera ex propria conditione, & natura benè compoſita manifeſtantur cum *eſſe*, & *exiſtentia* entis perfectiſsimi, à quo dependent, benè etiam cohærentia oſtendūtur cum exiſtentia ſcientiæ infallibilis, & æternæ, qua deficiente, ens perfectiſsimum, & totius imperfectionis expers non conſiſteret.

144 Confirmatur: nullus ſtatus obiectivus rerum per ſe eſt connexus cum ignorantia ſui in *ſummo ſciente*: ergo ex terminis per ſe eſt componibilis cum ſcientia ſui in *ſummo ſciente*: ſed ſtatus futuritionis rei contingentis, & liberæ eſt ſtatus obiectivus aliquis rerum: ergo eſt componibilis cum ſcientia ſui in *ſummo ſciente*: at ſcientia correſpondens futuritioni contingentium, & liberorum in *ſummo ſciente* eſt ſcientia infallibilis, & quæ quando contingentia, & libera nondum exiſtunt; imo ſemper, & abeterno debet exiſtere; nè *ſumme ſciens* ſit aliquando ignorans: ergo contingentia, & libera ex ſe, & proprijs terminis ſunt componibilia cum ſcientia infallibili, quæ præcedat eorum exiſtentiam, & qua excludatur quæcumque ignorantia in *ſummo ſciente*; ac per conſequens cum ſcientia divina infallibili, cui hæc competunt.

145 Verùm hæc ratio, niſi amplius firmetur, difficultatem cohærentiæ non ſuperat: namque, dum non probetur ſcientia infallibilis, quæ in Deo circa futura contingentia, & libera intenditur adſtrui, non habere prædicatum incomponibile cum modo, quo obiectum in ſe eſſe proponit; vana omninò redditur, & omninò chimærica claritas illa, & infallibilitas divinæ intuitionis, quæ ſignatè tantum, & in expreſsione noſtra talibus prædicatis gaudebit; at *in re*, & *exercitè* obſcura fallibilis. & Deo omnino repugnans comprobabitur. Prædicatum autem illud immutativum obiecti non adeſſe ſcientiæ, vnde probatur ſub prædicta forma arguendi? cum non excludatur determinatio orta ex infallibilitate, & antecedentia orta ex æternitate, quæ libertati, & contingentiæ eorum, quæ in tempore exiſtunt, valde infenſa ſe produnt. Vndè reſponderi poterit: ſcientiam clariſsimam, & intuitivam perfectè obiecti iſtud in ſuo *eſſe* non immutare, quando in *repræſentando* commenſuratur cum conditione illius, taliter vt ſi obiectum ſit fallibile, ſcientia clara ſit etiam fallibilis, ſi in tempore exiſtat, eius exiſtentiam non antevertat. Quomodo cernere eſt in intuitione noſtra pro confirmatione, & exemplo allata, cuius claritas ſtatui obiecti non officit: quia nec connectitur, nec antecedit, & prævenit exiſtentiam illius, quod intuetur.

146 Non operoſius oſtenditur invtilis ratio altera accepta ex conditione ipſius exercitij liberi, & contingentis, cuius natura, & ſi dependens ab ente perfectiſsimo; non ideo ducit dependentiam iſtam, vſque ad chimæras deſtructivas ſui, & entis perfectiſsimi, à quo dependet, vt accideret, ſi haberet exigentiam ſcientiæ ſibi oppoſitæ in divino intellectu, cuius exiſtentia nihil pro perfectione conduceret, quæ intra terminos poſsibilitatis debet contineri, ne contemnenda potius, quã eſtimanda reſultet divina perfectio: vnde illud, quod additur de ignorantia in ſummo ſciente locum non tenet, donec probetur: veritatem illam eſſe cognoſcibilem ſine immutatione ſui per ſcientiam

in-

infallibilem ; & æternam ; interim tamen nulla innoteſcet ignorantia, ex defectu notitiæ, cum talis non ſit neſcientia illius, quod eſt incognoſcibile ; ſed defectus notitiæ illius, quod cognoſci poteſt : aſt quod ſine immutatione cognoſci nequit in ſuo *eſſe* abſolutè incognoſcibile eſt in ſuo *eſſe* : ergo licèt liberum, & contingens benè componantur cum *eſſe*, & *exiſtentia* entis perfectiſsimi, à quo dependent, ac proinde cum omni perfectione ipſi debita, & poſsibili, non inde infertur, benè componi cum ſcientia æterna, & infallibili, qua videantur extitura in ſua menſura temporali.

147 Vtque magis conſtet ineffi-cacia huius rationis ad vincendam difficultatem, quæ in cohærentia præſcientiæ libertatis, & contingentia noſtrorum actuum occurrit, transferat perdoctus iſte Magiſter diſcurſum factum in ſcientia, & ſimilem modum arguendi ad efficaciam voluntatis divinæ, vt cohærentem cum libertate noſtrorum actuum per eam prædefinitorum, & arguat, nullam efficaciam divinæ voluntatis, qua prædecernat noſtros actus liberos, poſſe eorum libertati nocere. Propterea quod efficacia divinæ voluntatis prædecernentis non immutet obiectum in quod tendit; ſed ſecundum *eſſe*, quod habet, reducit ad exiſtentiam: ergo actus divinus efficaciſsimus erga meam converſionem liberam tantùm diſtabit ab eo, quod converſio mea ſub libertate non exiſtat, vt potius per ipſam quodammodo magis roboretur inducta ſecuritate de non deficientia illius, quod efficaciter vult ſub modo libertatis exiſtere : quæ ratio, ſicut in præcedenti poteſt etiam inſtitui ex terminis ipſius actus liberi, & iuxta conditionem illius, qua debet ſubijci *primo agenti*, & *primo libero*, & modo, quo componibilis fuerit cum *eſſe*, & perfectione ſumma *perfectiſsimi agentis*, erit etiam componibilis cum eo, quod eſt debitum tali perfectioni, vt eſt infruſtrabilitas efficacis voluntatis eiuſdem; nec minus diſſonum ſit, ſtatum exiſtentialem rerum contingentium creatarum eſſe incomponibilem cum efficaci volitione ſui *ſummi volentis*; quam aliquem ſtatum rerum earundem eſſe incomponibilem cum intuitione, & clariſsima ſcientia ſui *ſummi ſcientis*.

148 Rogo igitur : an modus iſte componendi cohærentiam efficaciæ divinæ voluntatis, & prædeſtinationis, & libertatis creatæ reputetur ab ipſo efficax, vel non ? Si primum : cur reijcit decreta antecedentia, & prædeterminantia, tanquam cum libertate non benè compoſita, ſi pro recta compoſitione ſufficit inſpicere tendentiã decreti ex ſe efficaciſsimè tendentis in exiſtentiam exercitij liberi, & quodammodo adſtruentis eius libertatem per affectum in ipſam ; quomodo non poteſt immutare obiectum volitum ; ſed potius eo modo, quo volitum eſt, adſtruere? Cur inſuper reputat infirmiſsimum modum illum arguendi aliquorum Thomiſtarum, & qui, vel pluribus ex eorum agmine diſplicet, quo intendunt probare prædeterminationem phiſicam libertatis creatæ non deſtructivam : quia datur à Deo ex fine, & intentione, vt libertatem ipſam foveat, & conſervet, cui voluntati, vtpotè efficaciſsimæ, & infruſtrabili debet correſpondere effectus qui eſt actus liber prædeterminatus ? Si ſecundum : ergo ſicut tendentia illa voluntatis, quæ proponitur efficaciſsima ex antecedentia, quam dicit ad obiectum non vult illud proportionato modo, vt in ſuo *eſſe volito* non immutet, & ad exiſtentiam perducat ; ita ſimiliter ſcientia illa, & intuitio Dei, quæ proponitur clariſsima circa id ipſum, quod obiectum in ſe eſt, vti per ſcientiam repræſentatur ex antecedentia, quam dicit ad obiectum coniunctam cum infallibilitate non repræſentabit obiectum modo proportionato, vt illud in ſuo *eſſe ſcito* non immutet, & in conſtitutione, quam in ſe habet, relinquat. Aliquid ergo amplius deſideratur, vt obiecta difficultas, & dubitandi ratio ſedetur, vltra tendentiam ipſam ſcientiæ, & eiuſdem clariſsimam repræſentationem obiecti liberi, & contingentis.

149 Verba citata Auguſtini præfatum diſcurſum non roborant; quæ, vel procedebant arguendo ex ſolis principijs fidei, ex quibus nobis conſtat; & dari ſcientiam in Deo æternam ; & infallibilem actionum noſtrarum, quæ libertati ſubſunt, & has manere liberas: quod ſufficit ad nos firmandos in libertate noſtra compoſita cum divina præſcientia; quamvis non ſciamus modum compoſitionis ; non ex rationibus naturalibus, quæ intendant nodum ſolvere apud illos, qui rationibus naturalibus, fide ſe-

clu-

cluſa, aut contempta, prædictam cohærentiam impugnarunt. Vel ſi ex alijs capitibus, & provt ad intentum præſens, ſupponebat aliunde victam difficultatem per rationem, quam ipſemet magnus Parens adducit, & ſtatim dabimus: qua ſuppoſitione facta, legitimum antecedens eſt ad inferendum conſequens noſtræ libertatis compoſitæ cum divina præſcientia, eam de facto, & poſsibiliter dari in divina mente infallibilem, & connexam metaphiſicè cum exiſtentia obiecti in ratione liberi, & contingentis; quomodo per ipſam proponitur, & repræſentatur: etenim optimum argumentum eſt: *In Deo datur practicè antecedens connexum metaphiſicè cum exiſtentia contingentis, & liberi*: ergo *illud antecedens non deſtruit contingens, & liberum*; ſed benè componuntur antecedens, & conſequens; imo non tantum componuntur; verum conſequens ex antecedenti quodammodo adſtruitur, & roboratur: vnde nihil favorabile, niſi quoad apparentiam, & ſonitum vocum pro intento, ad cuius confirmationem referuntur a Granado.

150 Vera igitur, pro cohærentia divinæ præſcientiæ cum noſtra libertate ratio eſſe debet, quam adduxit citatus Author pro confirmatione; & principaliſsimè à SS. Patribus hac ſuper re diſputantibus cum Ethnicis, & Hæreticis traditur ad extirpandam difficultatem obiectam de fatali neceſsitate, quam noſtris operibus imponeret divina notitia, ſi antequam exiſterent, infallibiliter extitura cognoſcerentur. Quæ reducitur ad dependentiam *à priori*, quam in genere obiectivo, & intentionali ab obiecto libero repræſentato dicit divina ſcientia: ex qua verificatur ſcientiam exiſtere determinative in Deo, quia obiectum liberum ſe habet in ſe, ſicut per ſcientiam repræſentatur: ex quo clarè deducitur, prædictam ſcientiam non poſſe obeſſe libertatis exercitio, quod ſub libertate extiturum infallibiliter proponit, illud immutando ad ſtatum neceſſarij; cum patentiſsimum ſit: omnem connexionem, & determinationem cum exercitio libero, quæ ab ipſo exercitio ortum ducat, nec poſſe obeſſe libertati, nec illud ad ſtatum neceſſarij traducere: reputatur enim talis neceſsitas, & determinatio ad actum liberum, ſicut illa, quæ datur de eo, quod liberè exiſtat ex ſuppoſitione, quod liberè à voluntate procedat, cum impoſsibilitate de eo quod non ſit liberè ex eadem ſuppoſitione: quam neceſsitatem nullus reputabit libertati oppoſitam, non ob aliam rationem, niſi quia ex ipſo exercitio, vt libero, provenit, & eſt neceſsitas *conſequens* non *antecedens* ipſam rem.

151 Quod clarius conſtat ex diſtinctione, & diverſitate neceſsitatis *antecedentis*, & *conſequentis*; ac proinde *auferentis*, & *non auferentis* libertatem, quam tradit Div. Anſelmus celebri illo ſuo tractatu *de concordia*: & nos alibi dedimus tractatu *de prædeſtinatione* agentes de nocivis, & proficuis libertati creatæ, diſputatione 5. cap. 1. dicens cap. 1. *Pro difficultate præſenti Dei ſcientiam, & providentiam eſſe neceſsitatem conſequentem: quia neceſsitas conſequens deſcendit de libera voluntate*; & addit, *ſola voluntas determinat ibi quid teneat, neque aliquid fit, vi neceſsitatis, vbi operatur ſola electio voluntatis*; ſed expreſsius, & magis per otium in libro 2. *cur Deus homo* cap. 18. ibi: *Eſt namque neceſsitas antecedens, ſeu præcedens, quæ cauſa eſt, vt ſit res: & eſt neceſsitas conſequens; quam res facit. Præcedens, & efficiens neceſsitas eſt, cum dicitur Cœlum volvi: quia neceſſe eſt vt volvatur; ſequens vero, quæ nihil efficit; ſed ſic eſt, cum dico te ex neceſsitate loqui; quia loqueris, non quod aliquid te cogat ad loquendum: nam violentia naturalis Cœli cogit cœlum volvi; te vero nulla neceſsitas facit loqui.* Ecce ergo diſtinctionem neceſsitatis libertatem auferentis, & aliùs neceſsitatis cum libertate compoſitæ: etenim omnis illa neceſsitas, quæ ex ipſo exercitio libero non provenit, ſi detur, cum libertate rei determinatæ non componitur; at neceſsitas illa, quam res per ſuum eſſe determinat, & eſt in cauſa vt ſit, libertatem non adimit: cum ſit neceſsitas, quam libertas ſibi ipſi imponit, & ſapit conditionem neceſsitatis illius, qua quævis res dum eſt, neceſſe eſt eſſe; & qua quævis electio libera ex ſuppoſitione, quod ſit, impoſsibile reddit non eſſe.

152 Ad quem modum conſideranda eſt neceſsitas, quæ vi divinæ præſcientiæ agnoſcentis futurum liberum datur, vt tale ſit, & ducit originem in linea obiectiva, & determinativa ab ipſo obiecto libero futuro, quod quia tale in ſe erit, ſic à Deo cognoſcitur futurum, cum præcedentia ad ipſam ſcientiam in linea intentionali. Vnde neceſsitas ſcientiæ æſtimanda eſt in ordine ad futurum li-

liberum, ſicut neceſsitas, quam ſibi imponit futurum, vt tale ſit, ſemel quod tale ſit, & ſicut impoſsibilitas ad oppoſitum pro ſenſu compoſito ſui, quam includit quidquid quomodolibet exiſtit, ideſt quamvis exiſtat liberè, & contingenter. Pro quo memoranda eſt inſtantia illa, quam propoſuimus ex ſtatu obiectivo futuritionis rei contingentis, & liberæ, qui quidem non eſt minus infallibilis, ac connexus per totam æternitatem antecedentem cum exiſtentia rei liberæ, & contingentis in menſura poſteriori, in qua de præſenti exiſtit, quin immutet futurum, nec ſit neceſsitas antecedens illius; non ob aliam rationem, niſi quia ex exiſtentia ipſius rei liberæ, & contingentis oritur, quæ ideo eſt futura, quia taliter liberè, & contingenter de præſenti exiſtet.

153 Ex tradita ratione conſtat ſolutio ad formam difficultatis obiectæ provt libertatis noſtræ, & præſcientiæ divinæ compoſitionem impugnat: Ad quam, conceſſo primo antecedenti de infallibilitate, & connexione metaphiſica ſcientiæ divinæ cum mea converſione liberè futura, diſtinguendum eſt primũ conſequens: antecedenter ad exiſtentiam exercitij meæ libertatis; imò voluntatis, & libertatis ad ipſum *antecedentia ſimpliciter tali, & excludente influxum obiectivum exercitij liberi* eſſet determinatio infruſtrabilis meæ operationis: nego conſequentiam: *antecedentia pure temporali, aut in æternitate, dependente tamen ab influxu obiectivo exercitij liberi, quod prævidetur futurum, & ſimili ei, quem habet ſtatus futuritionis exercitij liberi ad præſentiam eiuſdem*: concedo conſequentiam. Vnde diſtinguenda eſt minor ſubſumpta. Operatio, quæ ante ſui exiſtentiam, imo voluntatis, & poteſtatis ad illam, iam eſt determinata, *antecedentia ſimpliciter tali determinationis, & excludente influxum obiectivum operationis in ipſam* iam eſt antecedenter determinata, non eſt operatio libera: concedo minorem: *antecedentia non ſimpliciter tali; ſed procedente ab influxu obiecti in eam determinationem* non eſt operatio libera: nego minorem, & conſequentiam. Ad probationem implicitam minoris, ſcilicèt: *operationem liberam omnem determinationem antecedentem excludere*: pariter diſtinguenda eſt propoſitio, & concedenda de excluſione determinationis *antecedentis ſimpliciter*; ſecus de *antecedentia ſecundum quid*, & *in exiſtendo* dependenter ab influxu obiectivo exercitij liberi: quia hæc eſt determinatio ſimpliciter conſequens, & vt convenit ſcientiæ divinæ de operatione libera.

154 Ad primam confirmationem dicatur: ſemel quod exiſtit ſcientia divina de mea operatione futura, talem operationem non poſſe non exiſtere pro inſtanti, & menſura, qua à Deo cognoſcitur extitura, *impotentia quidem conſequenti, & reſpiciente ſenſum compoſitum non operationis, & ſcientiæ*; non ſic *impotentia antecedenti, & quæ reſpiciat ſenſum diviſum non operationis, & ſcientiæ*: quomodo pariter exiſtere, aut non exiſtere poteſt non operatio ſub libertate: ſcilicèt non poteſt exiſtere *impotentia conſequenti, & reſpiciente ſenſum compoſitum non operationis, & operationis*; aſt poteſt exiſtere *potentia antecedente, & quæ reſpiciat ſenſum diviſum non operationis ab operatione*: quod ſine vlla repugnantia, aut ex parte exercitij, aut ex parte poteſtatis ad illud contingit, vt videre eſt in quavis re contingente, quæ pro ſuppoſitione; quod ſit in aliquo ſtatu ex contingentibus, non poteſt non exiſtere in tali ſtatu *conſequenter, & per non exiſtentiam compoſitam cum exiſtentia talis ſtatus*; at benè poteſt non exiſtere *antecedenter, & per non exiſtentiam diviſam ab exiſtentia eiuſdem ſtatus*; aliàs quodvis contingens independenter à divina ſcientia eſſet, aut impoſsibile, aut neceſſarium: impoſsibile quidem, ſi ſemel non exiſtat: quia pro tali ſuppoſitione non poteſt exiſtere; neceſſarium verò ſi ſemel exiſtat: quia pro tali ſuppoſitione non poteſt non exiſtere.

155 Ad ſecundum. Verum eſſe: poſita ſcientia Dei de mea operatione, me non poſſe ponere defectum *operationis*, ſeu *non operationem compoſitam* cum ipſa ſcientia propter inconveniens expoſitum fallibilitatis; at benè poſſe ponere *operationis defectum* diviſum ab eadem ſcientia propter dependentiam, quam à priori obiectivè habet ſcientia divina à tali operatione, provt exercita in tali menſura determinata: quam dependentiam non impedit antecedentia temporalis ſcientiæ ad operationem, quæ vt diximus, non eſt antecedentia ſimpliciter talis, & quæ auferat poteſtatem ad oppoſitum, vtpotè antecedentia, quæ oritur ab exiſtentia ipſius exercitij. In quo, vt ſemel, & iterum advertimus;

non

non est specialis difficultas pro scientia, quæ pariter non comprehendat statum ipsum obiectivum futuritionis rei, quæ semel futura talis est, vt non possim ponere defectum rei compositum cum ipso statu futuritionis; benè tamen possim ponere defectum rei divisum ab ipso statu futuritionis, & si præcedente existentia propria status de futuro existentiam ipsius rei futuræ, non vtcumque; sed ab æterno, & non ob aliam rationem, nisi quia tota illa præcedentia æterna status futuri est orta ab existentia ipsius rei futuræ, & quædam necessitas existentiæ rei facta per ipsam rem. Vbi observandum semper est pro vitanda æquivocatione propositionum: Pro sensu composito scientiæ dari potestatem ad operationis defectum; cæterum numquam dari, neque pro sensu composito, neque pro sensu diviso scientiæ potestatem ad sensum compositum non operationis, & scientiæ.

156 Axioma illud *ad præteritum non datur potentia* non maiorem vim continet; quàm aliud: *quodvis ex suppositione quod sit, necesse est esse; aut impossibile est rem non esse, dum semel sit*, quod tantum sonat *impotentiam consequentem* ad non existentiam illius quod est, aut *necessitatem consequentem*, & quæ impediat duntaxat non *esse* rei con positum cum *esse* illius; quomodo etiam tenet quoad præteritum; in quantum denotat impotentiam consequentem, & defectum præteriti, ex suppositione, quod semel præteritum fuerit; quin impediat potentiam antecedentem ad præteritum, aut significet potentiam antecedētem ad faciendum, quod non fuerit præteritum id ipsum, quod tale fuit. Vel dicito: ad præteritum non dari potentiam quando præteritum in suo *esse* est independens ab exercitio præsenti; aliter verò, quando in suo *esse*, vt præexistenti, est dependens ab exercitio præsenti; vt negari non potest in statu futuritionis rei prēterito quidem, quando res existit; neque ideo inimpedibile per non existentiam rei de præsenti; non ob aliam causam, nisi quia totum illud *esse* præcedens status de futuro extitit dependenter ab existentia, & potestate rei, qua de præsenti existit.

157 Altera dubitandi ratio opposita contingentiæ eorum, quæ per scientiam divinam cognoscuntur, & quæ etiam contra libertatem nostram vergit, nam licèt omne contingens non sit liberum; omne tamen liberum contingens esse debet; probat, non modò non dari in Deo scientiam futurorum contingentium; verùm nec præsentium contingentium; & ratio est: quia cum quævis scientia Dei sit ipse Deus, ne actus divini immanentes sint creati, & imperfecti; per consequens scientia de præsentibus contingentibus debet esse realiter Deus; quod si probet indefectibilitatem, & necessitatem scientis in existendo, probabit etiam indefectibilitatem, & necessitatem existentiæ cuiusvis, quod de facto existit in ea mensura, & pro ea mensura, pro qua existit; ex eo, quod impossibile sit, fundamentum connexionis metaphisicæ esse necessarium, & terminum eiusdem connexionis contingentem: ponant ergo Deum ignorantissimum præsentium, nè horum auferatur contingentia, aut saltem operantem ex necessitate naturæ propter indefectibilitatem suorum actuum voluntatis, & intellectus; aut demum subtrahant Deo omnem influxum, & providentiam circa creata: quod non erit tantum negare scientiam, sed Deitatem.

158 Dicendum ergo est: in ea difficultate tangi controversiam gravissimam de cōstitutivo actuum liberorum, & contingentium Dei; in qua quisque pro suo opinandi modo solutionem parabit, iam per recursum ad defectum non realem; sed virtualem operationis: iam per purum defectum connotati extrinseci, & realiter distincti à Deo; iam per defectum denominationis; non entitatis. Nos verò iuxta dicta supra disputatione 4. cap. 1. vbi asseruimus: actus contingentes Dei constitui per terminationem realiter defectibilem; nec propterea realiter, aut virtualiter distinctam ab ipso Deo; dicemus: contingentiam respectivam non opponi cum æternitate, nec æternitatem cum tali defectibilitate: quare, licèt valeat ex *indefectibilitate per essentiam ad æternitatem in esse, & existere*; non valet mutuò *ab æternitate in esse, & existere ad indefectibilitatem simpliciter talem*, quam in Deo non prædicamus, assumpta pro medio æternitate; sed ex alijs titulis, vt iudica prædicatum *entis à se, & perfectionis supra omnem aliam perfectionem finitam*: necnon ex ratione entis completissimi, & perfectissimi, provt Deus debet esse; ne ab alterius libertate in existendo dependeat; & eo

ge-

genere ſubiectionis, qua alia ſibi inferiora ſubijcit, alteri ſe ſubijceret.

159 Si replicent : axioma eſſe Patrum *quidquid ab æterno eſt, vel Deus eſt, vel nihil eſt* : ſed ſcientia Dei non eſt nihil : ergo Deus eſt : ac proinde eandem neceſsitatem ſubſtinet in exiſtendo, ac ipſe Deus. Reſpondetur : nos non negare, benè valere ab æternitate in exiſtendo ex intrinſecis, taliter, vt ſi exiſtat, aliter quam ab æterno exiſtere nequeat, ad identitatem cum Deo ; imo loquendo de facto, ex quacumque exiſtentia æterna rei poſitivè valet ad identitatem Dei : at quod negamus, eſt : ex identitate cum Deo inferri indefectibilitatem, tàm quoad *eſſe reſpectivum*, quàm quoad *eſſe abſolutum*; vndè peſsimum argumentum eſt : *Scientia Dei identificatur realiter cum ipſo Deo* : ergo *eſt indefectibilis, ſecundum omnem rationem, tàm abſolutam, quàm reſpectivam* : cum oppoſitum exigat ipſa ſumma Dei perfectio, & indefectibilitas proportionata, vt non ſit inſcius, & non liber.

160 Vnde conſtat : poſita ſcientia in Deo de contingentibus, nullum dari fundamentum indefectibile connexionis metaphiſicæ, quod reddat neceſſarium antecedenter, & ſimpliciter terminum connexionis, & auferat abſolutam contingentiam eiuſdem : quia ſi aliquod tale eſſet, maximè ſcientia repræſentativa illius, & ab æterno in diuina mente exiſtens : hæc autē minimè id habet : quia connexio metaphiſica, quæ in ipſa reſidet, eſt ſecundum *reſpectivum*, quod dicit ad obiectum : quomodo non vtcumque ; ſed realiter poteſt deficere, & ſi quoad *eſſe abſolutum, & independens* à contingentibus, tanquam à connexionis termino ſit neceſſariſsima. Proinde locum præbet, vt à defectu poſsibili termini valeat ad defectum ſcientiæ diuinæ, vt repræſentativæ illius, & ſalvam relinquit contingentiam extremi, quod vt exiſtens proponit, tanquam impedimentum defectus pro ſenſu compoſito ſui ; ſed quod per defectum termini poteſt impediri, vt ſufficit ad contingentiam illius.

¶ Nihilominus adhuc reſtant argumenta alia, quæ ex ſubſtantia propoſitarum rationum, quas expedire conati ſumus, hac, vel illa forma propoſita, difficultates obiectas vrgent, & ſolutione indigent : obijciunt ergo primò. Omnis ſcientia Dei eſt certiſsima, & infallibilis : ergo nulla ſcientia Dei poteſt eſſe de contingentibus. Antecedens eſt certum. Conſequentia probatur : Contingens eſt incertum, & fallibile, quia quod neceſſario non eſt, fallibile eſt *in eſſe* eo ipſiſsimo modo, quo *in eſſe* eſt defectibile ; & quod ita eſt, vt poſsit non eſſe, non habet certitudinem in *eſſe* : ſed omne incertum, & fallibile non poteſt cognoſci per ſcientiam certam, & infallibilem, dicente Divo Thoma, 1. diſtinctione 38. quæſt. 1. articul. 5. *Oportet enim invenire ad hoc, quod ſit certa ſcientia aliquam certitudinem in ſcito* : ergo ſi omnis ſcientia Dei eſt certiſsima, & infallibilis, nulla ſcientia Dei poteſt eſſe de contingentibus.

161 Reſpondetur, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ad cuius probationem dicendum : omne contingens, qua tale, eſſe antecedenter fallibile, & incertum, eo modo quo antecedenter poteſt deficere, & non eſſe ; at conſequenter eſſe infallibile, & certiſsimum, eo modo quo ſuppoſito *eſſe* non poteſt illud non habere, nec in ſuo eſſe deficere : cum ergo diuina ſcientia feratur in obiectum contingens provt conſequenter tale eſt : habet enim id ex ſuis prædicatis, vt taliter in obiectum ferri non poſsit : habet per conſequens quidquid eſt neceſſarium, vt ex incertitudine, & fallibilitate antecedenti obiecti nulla fallibilitas, aut incertitudo in ſcientia reſultet. Nec aliud voluit Div. Thomas, vt denotant verba ipſius aliquam infallibilitatem, & certitudinem ex parte ſciti ad infallibilitatem, & certitudinem ex parte ſcientiæ requirentia, quæ eſt illa conſequens, & ex ſuppoſitione, quam diximus ; non vero antecedentem, & quæ contingentiam obiecti excludat, quamque non ſub terminis aliqualis infallibilitatis ; ſed omnimodæ Angelicus Doctor proponeret.

162 Obijciunt ſecundò tria fundamenta, quæ ſibi obiecit Div. Thomas in præſenti artic. 13. Quorum primum eſt. Quando cauſa eſt neceſſaria, effectus neceſſarius eſt : ſed ſcientia Dei, quæ eſt cauſa contingentium, eſt neceſſaria : ergo & effectus ipſe eſt neceſſarius ; ac proinde nullus eſt liber, aut contingens. Secundum : omnis propoſitionis conditionatæ, cuius antecedens eſt abſolutè neceſſarium, conſequens etiam eſt ſimpliciter neceſſarium : ſed huius propoſitionis conditionatæ : *Si Deus ſci-*

vit

vit converſionem Petri eſſe futuram, futura erit, antecedens eſt ſimpliciter, & abſolutè neceſſarium: ergo, & conſequens futuræ converſionis eſt abſolutè, & ſimpliciter neceſſarium: quod ſimiliter argui poteſt in reliquis liberis, & contingentibus. Diſcurſus eſt legitimus, & maior videtur certa: quia ſic ſe habet antecedens ad conſequens, ſicut principia ad concluſionem; ex principijs autem neceſſarijs non poteſt oriri, niſi concluſio neceſſaria: vnde nec ex antecedenti neceſſario aliud conſequens; quàm neceſſarium. Minor autem probatur: quia in prædicta conditionali antecedens eſt ſcientia Dei de converſione futura, quæ ponitur pro conditione ad exiſtentiam illius, & hæc eſt neceſſaria; tum quia æterna; tum quia ſignificatur, vt præterita relatè ad menſuram, in qua exiſtet converſio Petri. Tertium. Omne ſcitum a Deo neceſſe eſt eſſe, quia etiam omne ſcitum à nobis neceſſè eſt eſſe, quid ni ſcientia divina, quæ certior eſt noſtra? Sed nullum futurum contingens neceſſe eſt eſſe: ergo nullum futurum contingens eſt ſcitum à Deo.

163 Ad primum reſpondetur, per diſtinctionem maioris: quando cauſa eſt neceſſaria *in exiſtendo* effectus eſt neceſſarius; nego maiorem: quando cauſa eſt neceſſaria in *cauſando*, effectus eſt neceſſarius: permitto maiorem, & per diſtinctionem minoris. Scientia Dei, quæ eſt cauſa contingentium eſt neceſſaria *in exiſtendo*; concedo minorem. Eſt neceſſaria *in cauſando*; nego minorem, & conſequentiam. Itaque; ſicut quamvis Deus ipſe cauſans, & omnipotentia, media qua cauſat, habeant neceſſitatem *in exiſtendo* non benè infertur habere neceſſitatem in cauſando; nec alia quæ de facto non fuerunt, potuiſſe facere; ita, licèt ſcientia Dei, qua Deus dirigitur ad cauſanda contingentia, ſit neceſſaria in exiſtendo; non benè infertur eſſe neceſſariam in cauſando, & non potuiſſe ſe habere ſine illo effectu, quem cauſat.

164 Replicabis: ergo ſcientia viſionis eſt neceſſaria in exiſtendo; ac proinde erit neceſſaria in cauſando; cum ſit cauſa, provt cognoſcit abſolutè contingens, & provt cognoſcit abſolutè contingens non poſsit exiſtere ſine illo ex metaphiſica connexione, quam ad obiectum dicit. Illatio prima, à qua reliqua pendent, probatur; quia obiectio procedit de ſcientia viſionis, vt eſt illa, qua Deus videt futura abſoluta contingentia, & provt fertur in titulo articuli: aliàs Div. Thomas eam obiectionem non ſibi propoſuiſſet, vtpotè, quæ non erat ad rem, & ſolam directionem alterius ſcientiæ, ſcilicèt ſimplicis intelligentiæ impugnabat.

165 Nego ſequelam primam, quæ non infertur; ad cuius probationem dicendum eſt ex Granado: verum eſſe S. Doctorem in hoc articulo agere potiſsimum de ſcientia viſionis, qualis eſt ſcientia tendens in futura contingentia abſoluta; non de ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Nihilominus obieciſſe ſibi argumentum, in quo proceditur contra ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: quia huic convenit eſſe neceſſariam, & cauſam futurorum. Quin ſit inconveniens; ſi argumentum contra doctrinam articuli adductum minus ad rem eſſe videatur: quia poteſt adhuc afferri ad declarandam veram doctrinam de contingentia futurorum, de quorum notitia hic controvertitur. Quam explicationem congruentiſsimam reputo menti Div. Thomæ, qui ſi procederet de ſcientia viſionis, minimè admiſsiſſet eſſe neceſſariam, vt planè facit in ſolutione inquiens. *Ad primum ergo dicendum, quod licet cauſa ſuprema ſit neceſſaria; tamen effectus poteſt eſſe contingens propter cauſam proximam contingentem, & ſimiliter ſcita à Deo ſunt contingentia propter cauſas proximas; licèt ſcientia Dei, quæ eſt cauſa prima, ſit neceſſaria.* Quæ eſt ſolutio coincidens cum noſtra, & maximè obſervanda, ne ex præſenti loco arripiatur contra nos occaſio probandi, ſcientiam viſionis ex ſententia Doctoris Angelici eſſe cauſam rerum.

166 Ad ſecundum, etiam diſtinguenda eſt prima maior: omnis propoſitionis conditionatæ, cuius antecedens eſt abſolutè neceſſarium, *in exiſtendo*, & *inferendo*, conſequens eſt etiam abſolutè, & ſimpliciter neceſſarium; concedo maiorem. Cuius antecedens eſt abſolutè neceſſarium tantum in *inferendo*; *ſecus in exiſtendo*, conſequens eſt abſolutè, & ſimpliciter neceſſarium; nego maiorem, & diſtinguo minorem: huius propoſitionis conditionatæ: *Si Deus ſcivit converſionem Petri futuram, futura*

erit talis conversio antecedens est absolutè necessarium *in existendo*, & *inferendo*; nego minorem; præcisè *in inferendo*; concedo minorem, & nego consequentiam. Ad suppositionem certitudinis maioris constat ex datis terminis; quo sensu certo vera sit, & quo sensu falsa: siquidem solum antecedens necessarium *in existendo*, & *inferendo* est quod comparari potest cum principijs necessarijs, quæ non modò necessariò inferunt, dum sunt; sed habent necessitatem in essendo suo modo, quatenus habent veritatem indefectibilem; non sic antecedens necessarium tantum in *inferendo*, & quod absolutè est contingens *in existendo*. Ad minoris probationem constat ex dictis pro rationibus dubitandi, vbi explicuimus; quomodo nec æternitas scientiæ, nec antecedentia ad obiectum cõtingens in existendo arguant, nisi solam necessitatẽ consequentem, & secundum quid; minimè verò aut necessitatem simpliciter talem scientiæ, aut obiecti per ipsam sciti.

167 Doctrina solutionis clara est in quavis entitate contingenti, circa quam formari possunt propositiones conditionales necessariæ veritatis, quarum antecedens sit necessarium pari necessitate, ac est antecedens conditionalis obiectæ; v. g. *Si Petrus existat, excludet suum contradictorium: si terminus existat, existet actio illius: si existat actio, existet terminus: si existat vnio, existent extrema.* In quibus omnibus, quam is antecedens sit necessarium, terminus est contingens; nimirum exclusio defectus Petri, existentia actionis, & termini, & existentia extremorum; non ob aliam rationem; nisi quia quamvis antecedens sit necessarium *in inferendo*, & per sui suppositionem inferat metaphisicè, & infallibiliter consequens; non est necessarium *in existendo*, neque habet antecedentem necessitatem ad sui suppositionem: nec iudices solutionem traditam esse diversam, aut disconformem ei, quam docuit Divus Thomas: nam si benè inspiciatur, invenietur vniformis; cum vna, & altera conveniant in concedenda necessitate illationis, quæ est necessitas consequens, & in neganda necessitate existentiæ, quæ est necessitas antecedens, quod explicuit Magister Angelicus dicens: ex illa necessitate proposita in antecedenti non deduci necessitatem absolutam consequentis conversionis; verum sub quadam reduplicatione *in esse scitæ, & cognitæ per divinam scientiam.*

168 Ad tertium respondetur, explicando maiorem per distinctionem illius: omne scitum à Deo necesse est esse, *necessitate consequente*, & *faciente sensum compositum cum scientia* concedo maiorem: *necessitate antecedente, & faciente sensum divisum à scientia*; nego maiorem, & distinguo minorem. Nullum futurum contingens necesse est esse, *necessitate antecedente, & faciente sensum divisum scientiæ*; concedo minorem: *necessitate consequente, & faciente sensum compositum scientiæ*; nego minorem, & consequentiam. Ita Divus Thomas dicens: *vnde, & hæc propositio: omne scitum à Deo necesse est esse*, consuevit distingui, quia potest esse de re, vel de dicto: si intelligatur de re, est divisa, & falsa, & est sensus: *Omnis res quam Deus scit, est necessaria*; vel potest intelligi de dicto; & sic est composita, & vera; & sensus est: *hoc dictum scitum à Deo esse necessarium.* Ad insinuatam maioris probationem dicendum: excessum certitudinis ex parte scientiæ divinæ comparativè ad nostram non stare in eo, quod obiectum attactum debeat esse antecedenter necessarium; sed in eo, quod scientia Dei sit inseparabilis ab obiecto repræsentato; quod non semper accidit in scientia nostra: inde non solum concedimus scientiæ Dei id, quod concedimus scientiæ creatæ ex parte necessitatis rei scitæ; verùm aliquid amplius ex parte ipsius scientiæ per infallibilem determinationem, & inseparabilitatem à re scita eo modo, quo scitur, & repræsentatur per ipsam.

169 Verùm contra se ipsum proponit replicam Angelicus Doctor sub hac forma. Distinctio data solum potest habere locum in formis separabilibus à subiecto, vt si dicatur: *Album possibile est esse nigrum*, quæ vera est in *sensu diviso*; licèt vera non sit in *sensu composito*: at in formis inseparabilibus aliter res se habent, vt accidit in hac propositione *corvum nigrum esse album est impossibile*, quæ vera est non modo in *sensu composito*; verum in *sensu diviso*; ac proinde reddit necessarium absolutè *corvum esse nigrum*: ergo cum scientia divina sit inseparabilis ab obiecto scito, taliter vt im-

possi-

possibile sit, Deum noscere futura, & ea futura in se non esse; ideò hæc propositio: *omne scitum à Deo est necessarium*, erit vera in *sensu composito, & diviso*. Sed respondendum ex doctrina eiusdem: rationem obiectam tantum tenere quando, aut formæ sunt mutuò inseparabiles à subiecto *specificativè accepto*, aut quando licèt non sint mutuo inseparabiles; inseparabilitas, quæ datur, se tenet ex parte subiecti; vt contingit in exemplo adducto de corvo nigro, vbi corvus *secundum se, & specificativè acceptus* dicit inseparabilitatem à nigredine, quod non invenitur in scientia; nam &si hæc sit inseparabilis a conversione scita, & futura; conversio tamen scita, & futura secundum sua prædicata est separabilis à scientia: quia eo modo, quo secundum sua prædicata est contingens, potest non esse futura; ac proinde, nec scita.

170 Si nondum quiescant, & dicant: futurum vt futurum, esse mutuò inseparabile à scientia: verum quidem dicent; sed quid inde ad intentũ, quamvis verificetur sub tali reduplicatione futurum esse necessarium, tàm in *sensu composito*, quàm in *sensu diviso*; si talis reduplicatio non impediat id ipsum, quod est futurum, posse esse in *sensu diviso* futuritionis non futurum? quomodò proprium est cuiusvis suppositionis, & *necessitatis consequentis*, quæ cum non impediat sensum divisum sui per rem *specificativè acceptam*, quæ sub tali suppositione, & *necessitate consequente* considerator, etiam componit, non posse desinere esse talem, neque in *sensu composito sui*, neque in *sensu diviso*; quod non est aliud quàm dicere: futurum, vt futurum nullo modo posse esse non futurum.

171 Ahuc vrgent. Aut futurum, posita scientia, est necessarium *absolutè*, & in *sensu diviso*, aut non est necessarium in *sensu composito*: ergo vel futurum scitum à Deo est absolutè necessarium; aut pro sensu composito scientiæ potest deficere, & scientiam Dei falsificare. Consequentia est legitima, & antecedens probant: quia vel futurum, posita scientia, nullo modo potest deficere; vel cum scientia componitur potentia ad non futurum, ex qua existente scientia, adhuc remanet futurum contingens: sed hoc est; aut futurum, posita scientia esse *absolutè*, & in *sensu diviso* necessarium; aut non esse necessarium in *sensu composito*: ergo vel futurum, posita scientia, est necessarium *absolutè*, & in *sensu diviso*; vel non est necessarium in *sensu composito*.

172 Nego maiorem: ad cuius probationem dicendum: compositionem potentiæ, & contingentiæ cum scientia non impedire necessitatem futuri in *sensu composito*: quia &si sit potentia, & contingentia in *sensu composito* scientiæ non est ad sensum compositũ defectus cum scientia: quod solum obstare posset necessitati futuri in *sensu composito*, in quo nihil speciale est relatè ad scientiã, quod passim non verificetur in quavis entitate contingente, & liberâ, quæ quidem pro *sensu composito sui* habet potentiam, vt non sit, & vt sit defectus; quin ideo talis potentia composita cum entitate sit potentia ad non *esse* compositum cum entitate: quomodo solum auferret *necessitatem consequentem* rei, & in *sensu composito* existendi.

173 Obijcies tertiò argumentum transcendens, & iam à nobis alibi solutum, disput. 12. de prædestinatione, cap. 2. quod sic se habet. Si posita scientia divina de meo consensu possem liberè consentire; possem liberè non falsificare scientiam divinam de tali consensu: sed nulla creata voluntas potest liberè non falsificare scientiam divinam de suo consensu: ergo nec possum, posita scientia de meo consensu liberè consentire: rediturque propterea incomponibilis præscientia Dei cum nostra libertate. Probatur maior, probanda postea minor. *Consentire*, posita scientia illum repræsentante, est *non falsificare* eandem scientiam affirmantem dari consensum; cùm existere obiectum eo modo, quo affirmatur per actum, sit constituere veritatem: ac per consequens excludere falsitatem; quod est formaliter non falsificare: ergo liberè consentire sub scientia, est liberè illam non falsificare, vt demonstrat iste syllogismus: *Istud consentire, est non falsificare: istud consentire est liberum*: ergo *non falsificare, est liberum*.

174 Iam probatur minor: scilicèt, quod nulla creata voluntas possit liberè non falsificare scientiam divinam de suo consensu. Scientiam divinam de consensu falsificari, est antecedenter impossibile; non minus quam est antecedenter impossibile scientiam divinam non esse summè perfectam: ergo scien-

tiam divinam de cõnſenſu non falſificari, eſt antecedenter neceſſarium ; cum *impoſsibilitas antecedens* vnius contradictorij ſit *neceſsitas antecedens* alterius ; ſed nihil antecedenter neceſſarium poteſt eſſe liberum : ergo nulla creata voluntas poteſt liberè non falſificare ſcientiam divinam de ſuo conſenſu. Confirmatur: eſſe liberum *non falſificare ſcientiam* voluntati creatæ, eſt dari in voluntate creata indifferentiam ad *non falſificare*, & *falſificare* ; quod cum *non falſificare* opponitur : ſed in voluntate creata nulla poteſt eſſe indifferentia ad falſificare, & non falſificare ſcientiam divinam de ſuo conſenſu : quia impoſsibile omnino eſt ſcientiam divinam, quæcumque ea ſit falſificari : ergo nec poteſt eſſe libera ad non falſificandam ſcientiam divinam de ſuo conſenſu.

175 Probat argumentum primò. Nec ſcientiam divinam poſſe componi cum libertate Dei ; cùm determinatum exercitium divinæ voluntatis ; v. g. *decretum huius mundi* non minus ſit *non falſificare* ſcientiæ repreſentantis hunc mundum, & decretum illius ; quàm conſenſus creaturæ eſt *non falſificare* ſcientiæ divinæ illum repræſentantis : & deinde ; nec minus liberum ſit Deo ſuum decretum erga exiſtentiam huius mundi ; quàm eſt liber meæ, aut alterius hominis voluntati ſe exercere per conſenſum. Probat ſecundò : nec vllam poſſe dari libertatem ad aliquod extremum, præſcindendo à divina præſcientia ; conſtat id, quia omne exercitium cuiuſvis voluntatis, vtpotè excluſivum formale ſui contradictorij, eſt non exiſtentia duplicis contradictorij : ergo libera exiſtentia cuiuſvis extremi eſt libera non exiſtentia duplicis contradictorij : ergo cui libera non ſit exiſtentia duplicis contradictorij in ſuo exercitio, libera non erit *non exiſtentia* duplicis contradictorij per ſuum exercitium : ſed nulli voluntati libera poteſt eſſe exiſtentia duplicis contradictorij *ſimpliciter*, & *antecedenter* impoſſibilis : ergo nec libera poteſt eſſe non exiſtentia duplicis contradictorij, quæ in exiſtentia cuiuſvis determinati extremi continetur : ac proinde Chymærica omninò eſt omnis libertas creata, & divina.

176 Inde : non inæquali iure traduci poteſt inſtantia ad contingentiam, provt à libertate præſcindit, probando, omne, quod exiſtit, neceſſariò exiſtere, & omne quod deficit, neceſſariò deficere ; patet, obſervata eadem forma : omne *exiſtere* ſicut, & omne non *exiſtere* eſt non exiſtentia duplicis contradictorij reſultantis ex *non eſſe*, & *eſſe* : ergo omne *exiſtere contingens*, ſicut, & omne *non exiſtere contingens*, eſt contingens non exiſtentia duplicis contradictorij : ſed non poteſt eſſe contingens *non exiſtentia* duplicis contradictorij, quando *exiſtentia* duplicis contradictorij non eſt contingens ; imò potius eſt antecedenter impoſsibilis : ergo vel vnum *eſſe*, aut *non eſſe* poteſt eſſe contingens ; vel duplex contradictorium poteſt exiſtere : quod eſt vndequaque facere contingentiam impoſsibilem.

177 Solutio pro omnibus in difficultate communi ſit advertere : *Non falſificare ſcientiam* duo dicere, ſcilicèt : vel *non exiſtere ſcientiam de conſenſu* ; v. g. vel *exiſtere cum conſenſu* : ex his quodvis determinatè ſufficit ad non falſificandam ſcientiam ; neutrum determinatè requiritur ; & vnum, vel alterum eſt neceſſarium ; ſufficit quodvis : quia, nulla exiſtente ſcientia de conſenſu, non eſt ſcientia falſa de conſenſu : ſcientia enim, quæ non eſt ; nec vera, nec falſa eſt : pariter ſufficit exiſtere conſenſum, exiſtente ſcientia : quia ſcientia, quæ coniungitur cum obiecto eo modo dato, quo per ipſam repræſentatur, eſt ſcientia vera ; ac proinde non falſa : neutrum determinatè requiritur : quia quodvis determinatè ſumptum ſine non falſificationis præiudicio poteſt deficere ; cum reſtet aliud, per quod fiat ſatis non falſificationi ſcientiæ : etenim ſi deficiat *exiſtere ſcientiam cum obiecto*, exiſtit alter modus non falſificationis per *non exiſtere ſcientiam* : & ſi deficiat *non exiſtere ſcientiam*, exiſtit alter modus *non falſificationis ſcientiæ*, per *exiſtere ſcientiam cum obiecto* ; vltimò : vnum, vel alterum eſt neceſſarium : quia eo modo, quo ſcientia Dei eſt neceſſario vera, exigit eſſentialiter non deficere omnem modum ſufficientem *ſuæ non falſificationis* : ac per conſequens exiſtere aliquem modum, ad *ſuam non falſificationem* ſufficientem : ergo cum non ſit alius modus ſufficiens *non falſificationis* ſcientiæ ; ipſa neceſsitas veritatis vnum, vel alterum reddit neceſſarium.

Ex

178 Ex his præmissis, descendit; quod & si *non falsificatio* scientiæ, provt dicit illud disiunctum, scilicèt: *vel non existere scientiam*; *vel existere conformem ad obiectum*, sit necessarium: ac proinde non contingens, nec sub vllius libertatem cadens: quia eius contradictorium est impossibile, ideſt *vtriusque modi non falsificationis sufficientis defectus*; at *non falsificatio*, sumpta determinatè, & in modo determinato non falsificandi; v. g. *per non existentiam scientiæ*, aut *per coniunctionem scientiæ cum obiecto, provt per scientiam repræsentatur* est contingens, & sub libertatem cadens; cum eius contradictorium sit possibile, & contingens: quod quidem non est *falsificatio scientiæ*; sed defectus *non falsificationis* per tale medium determinatum *conformitatis scientiæ ad obiectum*, aut *non existentiæ scientiæ*, idque diversissimum sit à falsificatione ex inconcussa permanentia *non falsificationis*, per existentiam alterius medij *non falsificationis*, quod, vno deficiente, necessarium est dari, vt fiat satis necessariæ infalsificabilitati scientiæ. Vbi obiter notandum: non esse confundendam in scientia divina, *necessariam non falsificationem*, aut *necessariam infalsificabilitatem*, cum *necessaria veritate eiusdem*. nam licèt omnis scientia Dei habeat *necessariam non falsificationem*; non tamen habet *necessariam veritatem*, vt clarum est in omni scientia Dei contingente, quæ sicut potest non existere in divino intellectu; sic potest non existere vera, aut non habere veritatem. Hæc, quæ notavimus, sicut, & quæ ex notatis intulimus, vt fiant perceptibiliora, comparentur cum disiuncto duplicis prædicati contradictorij contingentis, in quo dicta de scientia inveniantur, mutata materia evidenter expressa.

179 Vnde ad argumenti formam facilis est solutio, distinguendo maiorem. Si posita scientia divina de meo consensu possem liberè consentire, possem liberè non falsificare scientiam divinam de tali consensu *absolutè*: nego maiorem: *per determinatum medium, & modum non falsificationis*: concedo maiorem: & distinguo minorem; nulla creata voluntas potest liberè non falsificare scientiam divinam de tali consensu *absolutè*; concedo minorem: *per determinatum medium non falsificationis*; nego minorem, & consequentiam. Ad minoris probationem, concesso antecedenti; distinguo consequens. Scientiam divinam de consensu non falsificari *absolutè, sive per disiunctionem mediorum non falsificationis*, est antecedenter necessarium; concedo consequentiam: *per medium determinatum non falsificationis determinatè acceptum*; nego consequentiam: & concessa minori subsumpta, nego consequentiam. Ad confirmationem respondendum, distinguendo maiorem. Esse liberum *non falsificare scientiam absolutè* voluntati creatæ, est dari in voluntate creata indifferentiam ad *non falsificare* & *falsificare*, quod cum *non falsificare* opponitur; concedo maiorem: esse liberum *non falsificare scientiam per hoc medium determinatum non falsificationis* voluntati creatæ, est dari in voluntate creata indifferentiam ad *non falsificare*, & *falsificare*, quod cum *non falsificare* opponitur: nego maiorem, & concessa minore, nego consequentiam. Solutionis termini ex præmissis ita clarè innotescunt, vt nova explicatione non indigeant, sicut clarus etiam est defectus illius syllogismi propositi in extremo difficultatis, in quo arguitur ab indistributo *non falsificationis* ad distributum eiusdem.

180 Insistent: scientia divina de meo consensu est omnibus modis antecedenter infalsificabilis: ergo omnis modus *non falsificationis* est antecedenter necessarius: sed per nos consensus, qui est obiectum scientiæ, est aliquod medium *non falsificationis* scientiæ: ergo est antecedenter necessarius; ac per consequens non potest esse liber. Distinguo antecedens enthymematis positi pro maiori. Scientia divina est omnibus modis antecedenter infalsificabilis *negativè*: concedo antecedens: est omnibus modis antecedenter infalsificabilis *positivè*: nego antecedens, & distinguo consequens: omnis modus non falsificationis est antecedenter necessarius *positivè*: nego consequentiam; *negativè*: concedo consequentiam, & distinguo minorem: per nos consensus est aliquod medium *non falsificationis positivè* scientiæ; concedo minorem: aliquod medium non falsificationis *negativè* scientiæ; nego minorem, & consequentiam. Ratio solutionis, & terminorum explicatio est: necessarium esse antecedēter nullum existere medium falsificationis scientiæ; & in hoc sensu scientiam dici esse antecedenter infalsificabilem *negativè*; cæterum non esse antecedenter necessarium existere omne

medium *non falsificationis* scientiæ; & in hoc sensu dicitur scientia non esse antecedenter infalsificabilis *positivè*. Similiter intelligendum est de consensu, qui quidem est medium *non falsificationis* scientiæ *positivè acceptæ*; in quantum est medium sufficiens, & si non necessarium, ad non falsificationem scientiæ: quare potest existere contingenter; sed non est medium nō falsificationis scientiæ *negativè acceptæ*, vt est carentia omnis medij falsificantis, quæ quidem est antecedenter cecessaria, & propterea nullius libertati subiecta.

181 Obijciunt quartò. Nulla potest esse in voluntate vera potestas, vt in hoc instanti determinato, quod de præsenti existit, impediat existentiam mundi, quæ præcessit, aut faciat, quod mundus non extiterit, sive productus fuerit: sed hoc ex nullo alio titulo provenit, nisi quia præcessit existentia, & productio mundi: ergo in voluntate creata nulla potest esse vera potestas ad impediendum in præsenti nunc id, quod ante præextitit; ac per consequens, nec poterit impedire nunc scientiam divinam de suo exercitio, quæ non vtcumque; sed ab æterno præcessit; eritque propterea quid connexum metaphisicè cum voluntatis operatione, & inimpedibile per nullum eiusdem voluntatis exercitium, quod cū libertate ipsius non cōponitur.

182 Si argumentum teneret, non minus futuritio nostri exercitij liberi libertatem eius destrueret, quàm scientia divina: & ratio est, quam iam insinuavimus de præcedentia, quam habet futuritio ad præsentiam actus voluntatis in instanti, in quo liberè exercetur: quare, si quod præcessit ad voluntatis exercitium, per nullam eius potentiam potest accidere, ne fuerit futuritio exercitij, quę præcessit, & est cum exercitio connexa, erit quid connexum, & inimpedibile, simulque exercitij voluntatis, quod ab ipsa denominatur aliquando futurum, in ratione liberi destructivum. Si dicas: id non convenire futuritioni, quæ si præcedit, præcedit dependenter à præsentia exercitij, quod futurum dicitur: quare accedente tempore præsentiæ exercitij in *nunc*, quod de facto existit; potestas, quæ sit ad *dari*, vel *non dari* exercitij; est etiam potestas, vt *fuerit*, aut *non fuerit*, *præcesserit*, aut *non præcesserit* futuritio eiusdem. Si autem id dicas: idem quoad divinam scientiam, & in nostrum favorem accipe: cum scientia sit etiam dependens, dependentia supra explicata ab exercitio voluntatis, quod habet pro obiecto, illud respiciendo in tali tempore determinato, quo de præsenti existet; & quo accedente, potestas voluntatis, quæ est, vt sit, aut non sit suus actus, est etiam potentia, vt fuerit, aut non fuerit ab æterno scientia.

183 Ad paritatem existentiæ, & productionis mundi dicendum: esse verum per nullum exercitium, quod de præsenti incipiat, nunc à voluntate creata esse impedibiles; verùm id non provenit ex sola præcedentia, quam mundus in existendo habuit de facto, & provt Deus in præsenti providentia voluit res decernere ab exercitio voluntatis creatæ in futurum exercendum. Aliter verò res se haberent, si Deus provt potuit, existentiam mundi decrevisset cum dependentia ab aliquo exercitio voluntatis creatæ in futurum, & durationē posteriori ad existentiam mundi libere exercendo: quomodo recte explicatur ab Herrera, quæst. 11. sect. 3. num. 49. per suppositionem possibilem casus, in quo Deus prius decerneret existentiam voluntatis Petri pro tempore, & durationē determinatis, taliter vt ipse Deus in se assumeret independenter ab alijs concausis conservationem voluntatis in tali instanti: quo posito, deinde decerneret mundum producere quinquaginta sæculis retrò ante productionem, & existentiam Petri, casu quo ipse Petrus videretur eliciturus actum aliquem; v. g. amoris Dei in illo tempore, pro quo est decreta voluntas eius; secus producturus, si non prævidisset: tunc casus, eliciente Petro actum amoris in sua duratione, fuisset mundus existens ante Petrum per quinquaginta sæculorum spatium; & non eliciente, defuisset in existendo anterius: ergo potestas, quæ, existente Petro, esset potestas ad amorem, & non amorem, esset identidem potestas, vt mundus retrò actus fuisset, aut non fuisset: ergo non antecedentia, sed independentia, quam mundus de facto habet ab actibus voluntatis creatæ, est ratio inimpedibilitatis per subsequutos actus eiusdem; cum verò scientia divina defacto existens, etsi habeat præcedentiam in existendo ad actus cuiuscumque voluntatis creatę; qui per scientiam cognoscuntur; non tamen habeat independentiam; ideò

impedibilis redditur per non existentiam actus in tempore succedenti, & componibilis cum potestate libera ad actum *nunc*, & *de præsenti* exercitum.

184 Obijcient quintò. Impossibilis, & omninò repugnans est potestas ad id, quod iam destructum non extiterit; quia esset potestas, vt non extiterit id, quod extitit: ergo nulla potest esse in hoc instanti præsenti determinato vera, & non chymærica potestas, vt revelatio de peccato committendo in hoc instãti, quæ extitit in instanti antecedenti, & iam est destructa, non extiterit: ergo neque etiam potest esse vera, & non chymærica potestas ad hoc, vt non extiterit scientia de peccato committendo in instanti, quod signat revelatio. Probatur hæc vltima illatio: nam potestas ad faciendum, nè extiterit scientia visionis de peccato commitendo est potestas ad faciendum, nè extiterit prædicta revelatio, quæ cum Scientia visionis de peccato connectitur metaphysicè, & ab ipsa est essentialiter dependens: ergo potestas vna non potest esse sine altera potestate; & repugnante vna, vtramque repugnare est necesse.

185 Deficit obiectio: quia ex casu particulari, in quo vltra scientiam detur revelatio de voluntatis exercitio, intendit convincere vniversaliter non cohærentiam divinæ præscientiæ cum libertate nostra: deficit iterum. Nam adhùc in casu particulari non probat non cohærere libertatem, & Scientiam; sed coniunctum libertatis Scientiæ, & revelationis: idque si respondetur non cohærere ex capite revelationis; quid pro Scientia, quę existit indefectibiliter consequenter? quomodo non existit revelatio. Deinde habet contra se instantiam futuritionis exercitij liberi, & contingentis, quæ futuritio præextitit, & quando existit res futura, iam est destructa; cum de illa in tali instanti verificetur *fuit futura; sed iam non est futura, cum sit præsens*: ergo potestas libera, aut contingentia, quæ datur in instanti, quo est res, vt non sit, est libertas, aut contingentia, vt id, quod est destructum, non extiterit; per consequensque; aut omnis futuritio repugnat, aut omnis res, quæ existit, necessariò existit.

186 Ad argumentum distinguo antecedens. Impossibilis, & omninò repugnans est potestas ad id, quod iam destructum non extiterit *in sensu compositi destructionis*: concedo antecedens: *in sensu diviso* destructionis: nego entecedens; & sub eisdem terminis concedo, & nego consequentiam. Itaque, sicut semel existente re, non est chymærica potestas ad faciendum, nè existat *in sensu diviso* existendi: sic potestas ad faciendum nè extiterit id quod iam est destructum non est chymærica; dummodo sit potestas ad faciendum, nè extiterit faciendo simul, nè fuerit destructa; quod est facere sensum divisum non existentiæ rei à destructione: exquo patet ad vltimam illationẽ ex vitatione inconvenientis deducti ex impedibilitate scientiæ; quod totũ sistebat in impedibilitate revelationis, semel quod extiterit, & fuerit destructa.

187 Obijciunt sextò. Per explicatum modum componendi præscientiam, quæ in Deo est cum libertate, & contingentia ex parte nostri obiectorum, quæ per Scientiam repræsentantur, videri destrui certitudinem, & infallibilitatem, tum præscientiæ; tum divinæ revelationis de mea operatione extitura: ergo non rectè per modum propositum componuntur ea, quæ intendimus: nec fit satis difficultatibus, quæ contra cohærentiam ipsorum emergunt. Probatur antecedens; quia modus destruens securitatem eventus, aut sciti, aut revelati, etiam dum sufficienter, imò evidentissimè constet de existentia Scientiæ, & revelationis, est modus componendi destruens certitudinem, & infallibilitatem, tum præscientiæ, tum revelationis: sed modus à nobis expositus destruit securitatem eventus, aut sciti, aut revelati, etiam dũ sufficienter, imò evidentissimè constet de existentia scientiæ, & revelationis; cum pro sensu composito scientiæ, & revelationis, & propositionis prædictæ earum stet potestas in nobis ad oppositum per impeditionem vtriusque; necnon iudicium de tali potestate cum quibus non componitur securitas, quæ sicut importat infallibilem eventum, importat etiam impossibilitatem ad oppositum, tàm eventus, quàm fundamenti; vnde securitas emanat: ergo per explicatum modum componendi præscientiam, quæ in Deo est, cum libertate, & contingentia ex parte nostri, obiectorum, quæ per Scientiam repræsentantur, videtur destrui certitudinem, & infallibilitatem, tum præscientiæ, tum revelationis divinæ de nostra operatione extitura.

Ar-

188 Argumentum iſtud nihil addit dictis; ſed eadem repetit, & inculcat: pro quo, revocanda etiam eſt inſtantia in futuritione obiectiva, qua data certiſsimum, & infallibile eſt me operaturum in inſtanti *B.* v.g. talem, aut talem, operationem; quin per eam infallibilitatem, & certitudinem futuritionis vana reddatur contingentia, & libertas exercitij in inſtanti *B.* Dicendum ergo eſt: aut argumentum procedere de infallibilitate, certitudine, & ſecuritate eventus fundatis in ſcientia, & revelatione; aut de certitudine infallibilitate, & ſecuritate *ſubiectiva* ex parte illius, cui talem ſcientiam, ſicut, & revelationem dari, vel cum evidentia omnimoda, & totali, vel cum evidentia ſaltem *morali* manifeſtetur? Si primum: ſicut certitudo illa, infallibilitas, & ſecuritas eſt ita conſequens, vt non impediat contingentiam ſui, ex qua verificatur, *hæc certitudo, & ſecuritas, quæ datur, potuit non dari*: ſic non impediet contingentiam eventus, ex qua verum etiam ſit; *hic eventus, qui pro ſenſu compoſito ſcientiæ, & revelationis eſt conſequenter neceſſarius, potuit antecedenter cum tali neceſsitate non dari.* Vnde tàm facilè erit componere certitudinem, & ſecuritatem illam obiectivam cum contingentia eventus; quàm eſt facilè componere cum contingentia ſui, vt paſsim occurrit in alijs, quæ certiſsima obiective ſunt; v. g. exiſtentia hominis, quem videmus, & præſens nobis eſt, quæque potuit non eſſe obiectivè certiſsima, ſicut potuit ex parte rei non dari. Si ſecundum: certitudo illa *ſubiectiva*, etſi impediat iudicium formidoloſum, aut prudens de eo, quod oppoſitum per poteſtatem ad illud eveniet; non tamen impedit, nec poteſtatem veram ad oppoſitum in ſenſu diviſo, nec iudicium de exiſtentia talis poteſtatis; ſicut cognitio evidentiſsima, quam ego habeo de exercitio illo, ad quod de præſenti me determino, etſi impediat iudicium, aut prudentem formidinem de oppoſito; non impedit iudicium de eo quod ſit in me vera poteſtas ad oppoſitum illius, quod facio compoſitum cum ſumma ſecuritate, & infallibilitate, de eo quod oppoſitum non ſim facturus.

189 Ex dictis deprehendes non difficilè, quantò expeditior reddatur cohærentia divinæ præſcientiæ, & libertatis creatæ in noſtra ſententia, quæ, & conſequentiam Scientiæ ad obiectum quod repræſentat, & impedibilitatem illius per oppoſitum exercitij, ſi à voluntate creata, & loco illius, quod ponit, & per Scientiam repræſentatur, determinaretur; quàm in ſententia Thomiſtarum, & aliorum, qui vtrumque negant: vnde recurſus alius pro compoſitione eis non reſtat; niſi vel dicendo: Scientiam Dei rectè cum libertate noſtra componi: quia certiſsimè exercitia noſtra non vtcumque; ſed vt libera repræſentat: quare libertatem noſtram potius firmat; quàm deſtruit; in quo videntur probandum ſupponere, & difficultatem cœco quodam modo deglutire; vel ſi id renuant, vt peritiores ex ipſis renuunt, intendendo: Scientiam Dei, etſi connexam, præexiſtentem, & à voluntate inimpedibilem, & indeterminabilem, nullum conſtitutivum poteſtatis proximæ ad actum, & carentiam illius excludere; quomodo cum libertate componi eſt neceſſe: in quo omnibus difficultatibus prædeterminationis phyſicæ, & decretorum Dei antecedentium, & prædeterminantium voluntatem creatam, implicantur.

190 Vltimò advertit Herrera pro alijs; quæ occurrere poſsint, & fallaciter doctrinam datam obſcurare: hanc propoſitionem *In ſigno Scientiæ conſenſus non datur vera poteſtas ad diſſenſum*, dupliciter intelligi poſſe: vno modo, vt ſignificet ipſam Scientiæ diviuæ poſitionem, aut involvere in ſuo ſigno carentiam abſolutam poteſtatis ad diſſenſum; aut ſaltem eam eſſentialiter, & metaphyſicè inducere: quomodo falſa eſt propoſitio. Altero: vt ſignificet, ſignum ſcientiæ non eſſe ſignum poteſtatis ad diſſenſum, in quantum ſignum talis poteſtatis, & libertatis eſt extra ſignum Scientiæ; quod aliud non eſt, niſi quod libertas, aut poteſtas ad diſſenſum non cõſtituitur per ſcientiã, neque ſcientia per libertatem; alias ſignum libertatis eſſet ſignum connexionis, & determinationis ad vnum; qua ratione veriſsima eſt, & nihil continet incommodi; non ſecus ac nullum inconveniens eſt pro compoſitione libertatis, & exercitij illius, quod pro ſigno vnius exercitij non ſtet poteſtas ad illud, aut poteſtas ad oppoſitum; & quidem per excluſionem tantum *reſpectivam*, aut *præciſsivam*; non vero per excluſionem *abſolutam*, & *incompoſsibilitatis*.

DIS-

JHS.

DISPUTATIO XVI.

PRÆVIA AD SCIENTIAM contingentem Deo non liberam.

De Futuritione conditionata in tota ſua latitudine.

CAPVT I.

Examinatur conſtitutio futuri conditionati in tota ſua latitudine.

1 LOQVENTES de futuro *generatim*, & *communiter* accepto, diximus ſupra diſp. 13. illud adæquatè conſtitui, & in integrum reſultare *formaliter*, & provt contraponitur ipſi *arguitivè* ſumpto, ex *non eſſe nunc*, & *de præſenti*, & ex *exiſtentia poſt habenda*, *ſeu correſponſura durationi poſteriori provt tali*. Vnde liquet; quòd ſi futurum abſolutum iuxta hanc doctrinam in *non exiſtere nunc*, & *exiſtere abſolutè poſt in duratione ſuccedente*, & *poſteriori* conſiſtit; futurum conditionatum conſequenter erit conſtituendum per non *exiſtere nunc*, & exiſtentiam poſt habendam *non abſolutè*; ſed *conditionatè* tantùm, & pro caſu, quo poneretur aliqua hypotheſis, ſeu conditio. Cæterùm hæc conſtitutio, quæ primò aſpectu propoſita, & conſequens apparet ad conſtitutionem futuri abſoluti, & facilè perceptibilis per ſolam immutationem lv *erit* in *eſſe* ſeduliùs conſiderata, gravibus implicatur difficultatibus, quas extricare operæ pretium eſt, vt firmiùs iaciamus fundamentum, vnde incipit erigi ædificium noſtræ Scholæ, quod non exiguis impenſis ſuſceperunt fabricandum Societatis Doctores.

2 Et priùs circa *non eſſe*, quod requiritur, & includitur in futuro conditionato, venit examinandum: quomodo ſit intelligendum, & qua ratione comparandum cum re futura conditionatè? Pro qua, renovanda ſunt dicta diſp. proximè citata cap. 5. in ſolutione cuiuſdam obiectionis, & quæ ibi obiter tantùm, & ſuccintè tradita ſunt; hìc fuſſiùs, & ex profeſsò examinanda. Quod vt fiat, advertendum eſt: futurum conditionatum dividi in futurum conditionatum *purè tale*, & futurum conditionatum *non purè tale*. Hoc ſecundum dicitur illud, in quo entitas, aut conceptus, qui conditionatè dicitur extiturus relatè ad durationem poſteriorem, ſi ponatur aliqua conditio, *de præſenti* exiſtit: vt quando de Petro exiſtente *hodie*, verificatur extiturum *crás*, ſi ponatur actio illius pro tali tempore, aut ſi exiſtant preces apud Deum de eius vita conſervanda. Primum dicitur illud, in quo entitas, aut conceptus, qui conditionatè dicitur extiturus relatè ad durationem poſteriorem, ſi ponatur aliqua conditio, de præſenti non exiſtit. Quod ſubdividi poteſt in futurum conditionatum *purè tale ſtrictiſsimè*, & futurum conditionatum *purè tale aliqua latitudine*. Primum dicitur illud, in quo entitas, aut conceptus, qui conditionatè dicitur extiturus relatè ad durationem poſteriorem, ſi ponatur aliqua conditio, de præſenti non modo abſolutè non exiſtit, verùm nec conditionatè ſub tali conditione. Exempli gratia futurum hoc conditionatum: *Si exiſtat talis libertas determinata, exiſtet conſenſus in B.* quando non modò non exiſtit abſolutè talis conſenſus in *A*; verùm nec conditionatè pro *A*. ſub exiſtentia talis conditionis. Ratio huius acceptionis eſt: quia ſicut futurum

ab-

absolutum *purè tale* illud *strictissimè* censetur, quod absolutè existet in duratione posteriori, quin de præsenti absolutè existat: sic futurum conditionatum *purè tale strictissimè* illud debet intelligi, quod existet in duratione posteriori, si ponatur conditio; quin de præsenti conditionatè existat.

3 Secundum dicitur illud, in quo entitas, aut conceptus, qui conditionatè dicitur extiturus relatè ad durationem posteriorem, si ponatur aliqua conditio, de præsenti absolutè tantùm non existit, secus conditionatè sub tali conditione; v.g. *Si existat alter Mundus, existeret decretum illi proportionatum*: quod quidem futurum conditionatum necessarium tale modò est relatè ad durationem posteriorem, vt quamvis de præsenti absolutè non existat conditionatum, scilicèt, *decretum de altero mundo*; tamen de præsenti existit conditionatè sub tali conditione: quia si existeret alter mundus pro duratione posteriori, existeret decretum illi correspondens, non modo pro *tunc*; sed pro *nunc* sub tali conditione: cum id, quod ex se est æternum, aut semper, aut nunquam existat, si cum æternitate coniungat contingentiam: idem videre est in quovis alio futuro conditionato contingenti, quando id, quod sub conditione contingenter extiturum dicitur, tale sit, vt si semel existat, semper saltem à parte ante debet existere: vt sunt *actus contingentes Dei, & futuritio cuiusvis rei*, de qua diximus, iuxta suum modum existendi habere quandam æternitatem *à parte antè*, dum semel aliquid futurum sit: sicut de præteritione habere secundùm suum modum existendi quandam æternitatem à *parte post*, si semel aliquid præteritum est.

4 Vlterius. Futurum conditionatum, sivè *purè*, sivè *non purè tale* dividi potest in futurum conditionatum, *cuius conditio nunquam extitura sit*; aut in futurum conditionatum, *cuius conditio aliquando extitura sit*. Et hoc subdividi potest in futurum conditionatum, cuius conditio existat *tempore anteriori ad eius existentiam*; vel *tempore posteriori ad eius existentiam*; vel *tempore eodem*, in quo *extiturum est dependenter à conditione*: sicut, & illud in futurum, *cuius conditio existeret tempore anteriori*; aut *tempore posteriori*, aut *tempore eodem*. Quæ tres differentiæ ex parte conditionis possunt considerari in hoc futuro conditionatò: *Si existat decretum de perseverantia finali Pauli post centum dies, existet talis perseverantia finalis*, quæ quidem si absolutè extitura sit, futurum illud conditionatum erit de conditione existente tempore anteriori comitanti, & posteriori ad existentiam perseverantiæ finalis: siquidem, in quocumque ex illis temporibus, quod existat decretum, est conditio, sub qua existet perseverantia finalis post centum dies ad tempus præsens, in quo consideratur perseverantia finalis; quod si non sit absolutè extitura, erit futurum conditionatum de conditione non extitura, seu non purificanda, quæ tamen si daretur, in quacumque ex illis differentijs temporis existeret perseverantia finalis post centum dies.

5 Sic simultaneè ad idem conditionatum; divisim verò ad plura conditionata potest apponi exemplum in meritis Christi, & gratia collata hominibus intuitu ipsorum, ex quo verificabatur, antequam existerent antiqui Patres, quod si existeret Christus, & applicasset sua merita pro antiquis Patribus, esset illis gratia: si pro coexistentibus Christo, esset illis gratia: si pro subsequutis ad applicationem Christi, esset illis gratia. Ecce respectu futuri conditionati de collatione gratiæ Sanctorum Patrum præcedentium erat conditio extitura tempore posteriori; respectu futuri conditionati de collatione gratiæ coexistentium erat conditio extitura de præsenti, & respectu reliquorum, qui non dum tempore applicationis Christi existebant, erat conditio de præterito.

6 Tertiò dividi potest futurum conditionatum in futurum conditionatum tale, quod si existeret conditio, existeret; at si non existeret illa conditio, aut variaretur, etiam existeret: & in futurum taliter extiturum sub existentia illius conditionis, vt ea conditione non existente, aut variata, non existeret: exemplum illius sunt preces vrgentissimæ alicuius doni respectu hominis liberalissimi, ex quibus verificari potest hoc futurum conditionatum: *Si Petrus enixè, & vrgentissimè petat à Ioanne liberalissimo donum A, Ioannes illud conferret*: cum etiam possit verificari; *quod si deficerent preces*, aut *absolutè*, aut *in tali gradu vehementiæ, illud etiam conferret*. Similiter: si actus non sint essentialiter liberi ea libertate,

qua

qua de facto gaudent, nihil vetat sub verificatione huius futuri conditionati: *Si existat libertas A. existet consensus*, simul verificari, quod *etiam si non existeret libertas A, daretur idem consensus, vel liberè. vel necessario.* Exemplum huius sit omne futurum conditionatum, in quo conditionatum sit connexum metaphysicè cum existentia conditionis: *Vt si existat aliqua actio, existet terminus: si existat aliquod decretum efficax erga existientiam Ioannis, existet Ioannes*, aut quodcumque aliud futurum conditionatum, cuius conditionatum, & si non connectatur cum hypothesi; aliunde tamen accidentaliter, & contingenter componatur cum veritate alterius conditionalis: *Si deficiat libertas A. sub qua prævidetur consensus, non existet consensus.*

7 Ex his præsuppositis constat pro diversitate futurorum conditionatorum non vnum, & idem *non esse* singulis, aut comitari, aut ad constitutionem convenire; sed iam vnū, iam aliud pro diversa cōditione futuri exposcere. Quare oportet discernere quodnam *non esse* sit illud, quod vniformiter, & vnivocè omni futuro conditionato, secundum quod futurum conditionatum est, conveniat pro sua constitutione, quodnam verò accidentale sit rationi futuri, & tantum proprium cuiusvis, quasi specificè considerati, & quæ sint illationes, quæ expeculiari illo *non esse* deducantur.

8 Dico primò. *Non esse* constitutivum omnis futuri conditionati *vniversaliter accepti*, ac proinde inseparabile à ratione futuri conditionati est *non esse de præsenti* illud, quod futurum conditionatum denominatur, *provt foret in duratione consequenti, & posteriori, si poneretur conditio.* Ratio est: quia illud *non esse de præsenti* debet esse constitutivum omnis futuri conditionati, quo præcisè deficiente, illud, quod conditionatè dicitur, non esset formaliter futurum conditionatum: sed præcisè deficiente *non esse de præsenti, provt foret in duratione consequenti, & posteriori, si poneretur conditio*, illud, quod conditionatè dicitur, non esset formaliter futurum conditionatum; ergo *non esse* constitutivum omnis futuri conditionati vniversaliter accepti, ac proinde inseparabile à ratione futuri conditionati est *non esse* de præsenti illud, quod futurum conditionatum denominatur, *provt foret in duratione consequenti, & posteriori, si poneretur conditio.* Mai videtur omninò certa: nam quodnam aliud *non esse* poterit habere rationem constitutivi futuri conditionati generaliter, & genericè accepti, ac proinde rationis futuri conditionati, nisi illud, quo præcisè deficiente deficit formaliter talis ratio. Prob. min. Præcisè deficiente *non esse de præsenti, provt foret in duratione subsequenti, & posteriori*, illud *provt foret in duratione subsequenti, & posteriori*, esset præsens comparativè ad durationem præsentem: sed quoties illud *foret*, eius quod conditionatè dicitur, est præsens comparativè ad durationem præsentem, illud, quod conditionatè dicitur, non est futurum conditionatum; sed præsens conditionatum: ergo præcisè deficiente *non esse* de præsenti: *provt foret in duratione consequenti & posteriori, si poneretur conditio*; illud, quod conditionatè dicitur, non esset formaliter futurum conditionatum.

9 Confirmatur primò. Futurum conditionatum, provt tale, debet distingui in sua constitutione à præsenti conditionato, vt per se patet: sed si futurum conditionatum non includeret de præsenti *non esse* illius; *provt foret in duratione, per ordinem ad quam est futurum conditionatum*, confunderetur cum præsenti conditionato; siquidem totum illud *foret*, considerarетur relatè ad durationem præsentem: ergo, vt futurum conditionatum distinguatur à præsenti conditionato, debet includere de præsenti *non esse* illius *provt foret in duratione posteriori, si poneretur conditio.* Confirmatur secundò. Futurum absolutum, vt tale, & provt distinguitur à præsenti absoluto, vt tali, dicit essentialiter constitutivè *non esse sui* de præsenti *provt correspondentis absolutè durationi posteriori*: ergo futurum conditionatum, provt tale, & vt distinguitur à præsenti conditionato, vt tali, dicit essentialiter constitutivè *non esse* de præsenti *sui, provt correspondentis conditionatè durationi posteriori.* Consequentia apparet legitima: cum inter futurum absolutum, & conditionatum, nulla sit alia disparitas, nisi quod vnum sit absolutè quoad durationem posteriorem: alterum verò conditionatè quoad eandem durationem.

10 Inferes inde in conceptu conditionali existentiali rerum, distinctionem triplicis status, *futuri conditionati; præsentis conditionati, & præteriti conditionati*: ex quibus *præsens conditionatum* dicitur;

tur; cuius *foret* cõsideratur relatè ad durationem præsentem. *Futurum conditionatum*, cuius *foret* consideratur relatè ad durationem posteriorem: & *præteritum conditionatum*, cuius *foret* consideratur relatè ad durationem anteriorem. Conveniunt omnia in eo, quod involvant veritatem conditionalem; differunt præteritum, & futurum, à præsenti in eo, quod istud non dicat de præsenti *non esse sui provt foret*; illa verò dicant de præsenti *non esse sui*, provt *forent*: conveniunt præteritum, & futurum inter se ex eo, quod dicant de præsenti *non esse sui provt forent*; disconveniunt inter se; propterea quod *foret* præteriti est cum respectu ad durationem anteriorem; *foret* verò futuri est cum respectu ad durationem posteriorem, & subsequentem. Inferes etiam: quod sicut in futuro absoluto ad veniente tempore, in quo existit absolutè; deficit in ratione absoluti; ita adveniente tempore, in quo futurum conditionatum existit conditionatè, deficit in ratione futuri conditionati, & transit ad statum præsentis cõditionati: vnde sub infertur: non esse idem de aliquo subiecto, aut extremo verificari propositionem conditionalem, ac verificari futuritionem conditionatam: nam licèt omne futurum conditionatum sit antecedens inferens veritatem conditionatam; non ideò omnis veritas conditionata est antecedens inferens futurum conditionatum: quare si aliquando videantur vsurpari apud Authores pro eodem veritates conditionales, & futura conditionata, erit abusivè, & impropriè: nam presè, & iuxta rigorem loquendi, veritates conditionales debent partiri inter *præsentia conditionata*, *præterita conditionata*, & *futura conditionata*.

11 Dico secundò. Hoc *non esse* de præsenti, quod constitutivum futuri conditionati vniversaliter, & genericè accepti diximus, ita comparatur ad conditionem, & hypothesim futuri conditionati, vt sivè hypothesis existat, sivè non existat, semel quod futurum conditionatum verificetur, semper in rebus verificativè datur. Ratio est: quia illud *non esse* nullam habet incomponibilitatem cum defectu hypothesis, sicut cum eodem defectu nullam habet incomponibilitatem futuritio conditionata: ergo si futuritio conditionata constituitur per tale *non esse*, istud non est inconiungibile cum defectu hypothesis: deinde nullam habet inconiungibilitatem cum existentia hypothesis: quia quod futuritio transeat in absolutam, nullam habet incomponibilitatem verificativè in rebus cum futuritione conditionata, imò ipsam supponit: ergo neque habet incomponibilitatem cum constitutivo futuritionis conditionatæ verificativè in rebus, vt per se est clarum: at constitutivum futuritionis conditionatæ, vt diximus, est illud *non esse* de præsenti: ergo illud *non esse* de præsenti non est incomponibile verificativè in rebus cum purificatione hypothesis: ergo hoc *non esse* de præsenti, quod constitutivum futuri conditionati vniversaliter, & genericè accepti diximus, ità comparatur ad hypothesim, & conditionem futuri conditionati, vt sivè hypothesis existat, sivè non existat, semel, quod futurum conditionatum verificetur, semper in rebus verificativè datur.

12 Dixi *non esse* designatum pro constitutivo futuri modo dicto *verificativè semper existere, & coniungi, sivè cum carentia hypothesis, sivè cum existentia illius* ad denotandum hanc coniunctionem non debere esse, quasi physicam semper, & pro eadem duratione; sed sufficere vnum, vel alterum simul verificari in rebus, quamvis successivè existant: modo, quo in futuro absoluto *non esse* de præsenti, quod illud constituit, & si non coniugatur simultaneè physicè, & quoad eandem durationem cum *esse* absoluto illius, quod futurum absolutum dicitur; coniungitur tamen simul verificativè, in quantum id ipsum, quod modo præsens absolutè est, & futurum fuit, non habet incomponibilitatem in rebus, vt verificetur futurum fuisse; & non esse illius, quod modò absolutè datur, præcessisè, & sic considerari debet coniunctio *non esse*, quod constituit futurum conditionatum, tàm cum defectu hypothesis, quàm cum illius existentia. Addidi modo: *Coniunctionem non debere esse physicam semper* ad excludendam necessitatem talis coniunctionis physicæ, & pro eadem duratione, & ad denotandam simul capacitatem, vt talis coniunctio aliquando detur, vt dabitur, quoties purificatio conditionis non sit pro eadem mensura, & duratione, pro qua verificatur futurum extiturum sub conditione: tunc enim non modo verificativè in rebus; sed etiam physicè

quoad

quoad eandem durationem componentur defectus, seu *non esse* de præsenti cum purificatione conditionis.

13 Quod, vt clarum videas: pone futurum conditionatum esse huiusmodi, vt potest contingere, scilicèt; quod in *A.* verificetur aliquid futurum conditionatum in *D.* si conditio existat in *B.* Ecce in hoc casu obiectum illud; de quo verificantur dicta, est futurum conditionatum in *A.* & *B.* cum hæ sint mensuræ, & durationes, quas non respiciat *foret* illius obiecti; vt ipsis correspondens; sed vt correspondens durationi *D.* illis posteriori. Deinde in hoc casu *non esse* futuri conditionati, quod de præsenti datur in *A.* coniungitur physicè cum *non esse* hypothesis: quia mensura huius non est *A*; sed *B.* & coniungitur verificativè cum existentia hypothesis pro *B.* si in tali mensura sit purificanda: deinde in *B.* coniungitur physicè cum existentia hypothesis, si hæc sit purificanda, & coniungitur verificativè cum non existentia hypothesis, quæ præcessit, & quæ per existentiam hypothesis, quæ succedit, non destruitur in esse præcedentis. Aliter res evenit, si hypothesis illius, quod verificatur futurum conditionatum, respiciat eandem mensuram, & durationem, quam respicit conditionatum: siquidem tunc *non esse* futuri conditionati, quod de præsenti datur, non poterit coniungi physicè cum purificatione conditionis; sed tantùm verificativè in rebus pro diversis durationibus, quamvis possit physicè coniungi cum non existentia hypothesis: ex quo constat capacitas, & non necessitas talis coniunctionis.

14 Inferes ex hucusque dictis circa *non esse* de præsenti constitutivum futuri conditionati: quidquid talis conditionis sit, vt si semel verificetur sub aliqua hypothesi semper, & ab æterno debeat verificari, vt conditionate existens sub tali hypothesi, id non posse habere futuritionem conditionatam respectu *sui esse* simpliciter, & absolutè sumpti; verùm tantùm reduplicari in aliqua determinata duratione. Probatur. Id, quod tale sit, eo modo se habet, vt si verificetur conditionatè extiturum in duratione aliqua posteriori ad durationem præsentem, non possit secundum suam existentiam non verificari præsens conditionatè relatè ad durationem præsentem: sed id, quod ita se habet, non potest habere futuritionem conditionatam respectu *sui esse* simpliciter, & absolutè sumpti, verùm tantùm reduplicati in aliqua determinata duratione: ergo id, quod tale sit, non potest habere futuritionem conditionatam respectu sui *esse* simpliciter, & absolutè sumpti; verùm duntaxat reduplicati in aliqua duratione determinata. Mai. est certa: quia id, quod tale sit ex sua natura, vt si simul existat, semper ab æterno debeat existere, est id, quod si semel verificetur extiturum conditionatè relatè ad aliquam durationem, per consequens debeat verificari conditionatè extiturum relatè ad omnem durationem anteriorem per totam æternitatem à parte ante. Prob. min. Id, quod ita se habet, necessariò debet habere præsentiam conditionatam *sui esse* relatè ad durationem præsentem: sed id, quod debet habere præsentiam conditionatam *sui esse* relatè ad durationem præsentem, non potest habere futuritionem conditionatam respectu *sui esse* simpliciter, & absolutè sumpti; verùm tantùm reduplicati in aliqua duratione determinata: quia tantùm sub hac consideratione *foret* illius potest non esse de præsenti: ergo id, quod ita se habet, non potest habere futuritionem conditionatam respectu *sui esse* simpliciter, & absolutè sumpti; verùm tantùm reduplicati in aliqua duratione determinata.

15 Exemplum rem primo aspectu lubricam, & implicatam declarabit, & palam faciet. Itaque actus Dei contingentes, aut intellectus, aut voluntatis talis conditionis sunt, vt vel nunquam existant, vel si aliquando existant, semper existant: propterea quod ob suam perfectionem, & divinitatem non possint incipere in tempore, aut dum semel existunt in tempore deficere: id autem accidit, si consideretur existentia eorum absolutè; at si consideretur respectivè ad aliquam durationem; v. g. ad diem crastinum, facta tali reduplicatione, neque existit semper à parte ante; neque permanet semper à parte post. Et ratio est: quia cum sub tali consideratione involvat durationem crastinam, quæ nec semper extitit, nec semper extitura est, sub tali consideratione habet non esse de præsenti hodiè, non

modò, prout conſideratur abſolutè; verùm provt conſideratur conditionatè in ordine ad durationem crastinam: idem conſiderari valet in conceptu futuritionis cuiuſvis, qui, vt ſupra notavimus, habet ſuam æternitatem obiectivè iuxta modum, quo futuritio poteſt de præſenti exiſtere, quamvis diſcrepet ab actibus divinis contingentibus in eo, quod hi ſemel, quod fuerint ſemper extiterint, & ſemper ſint permanſuri; cæterum futuritio, & ſi ſemel, quod ſit ſemper fuerit; non ideò ſemper permanet: cum deſinat eſſe adveniente duratione per ordinem ad quam res modo eſt futura, ſivè abſolutè, ſivè conditionatè.

16 In his ergo dicimus, non poſſe habere futuritionem conditionatam relatè ad exiſtentiam abſolutè ſumptam: quia cum ad talem futuritionem neceſſarium ſit, quod exiſtentia ipſorum incipiat conditionatè in aliqua duratione poſteriori, quin præceſſerit conditionatè in duratione præſenti; id autem habere non poſsint: ſiquidem dum intelligantur conditionatè in vna duratione per ſuam eſſentiam debent intelligi conditionatè in omnibus ſub eadem conditione, ideò neque habere poſſunt futuritionem conditionatam relatè ad exiſtentiam abſolutè ſumptam; poſſunt tamen habere ſi accipiantur reduplicativè quoad aliquam durationem determinatam poſteriorem: quomodo non militat eadem ratio: cum ſub tali reduplicatione non habeant exiſtentiam conditionatam æternam, & propterea componantur cum *non eſſe* de præſenti requiſito ad futuritionem conditionatam.

17 Dico tertiò. Non eſſe de præſenti, quod inuenitur in futuro conditionato *purè tali*, aut *ſtrictiſsimè*, aut *minus ſtrictè* iuxta diviſionem traditam non eſt de eſſentia futuri conditionati generaliter accepti: id eſt non eſt inſeparabile à ratione futuri conditionati. Probatur. Id, ſine quo poteſt eſſe ratio futuri, non eſt de eſſentia futuri conditionati generaliter accepti, neque inſeparabile à ratione futuri: ſed *non eſſe* de præſenti, quod invenitur in futuro conditionato *purè tali*, aut *ſtrictiſsimè*, aut *minus ſtrictè*, eſt id, ſine quo poteſt eſſe ratio futuri, vt conſtat in futuro *non purè* tali ſub vtraque conſideratione: ergo *non eſſe* de præſenti, quod invenitur in futuro conditionato *purè tali*, aut ſtrictiſsimè, aut minus ſtrictè iuxta diviſionem traditam, non eſt de eſſentia futuri generaliter accepti, id eſt, non eſt inſeparabile à ratione futuri: vnde per oppoſitum conſtat: dictum *non eſſe de præſenti* tantùm ſe habere conſtitutivè ad futurum conditionatum ſpecificè acceptum, vt eſt futurum conditionatum *purè* tale in vtraque conſideratione dicta, aut in qualibet ex eis.

18 Inferes: iſtud *non eſſe de præſenti* quod conſtitutivè ſe habet ad futurum conditionatum *purè tale minùs rigidè*, & *ſpecificè* acceptum taliter comparari cum hypotheſi futuri conditionati, vt in aliquibus futuris valeat coniungi *verificativè* cum purificatione hypotheſis; in alijs verò ſit impedibile per ipſam purificationem hypotheſis. Conſtat: quia cum futurum conditionatum *purè* tale, non *rigidè* ſit illud, quod de facto non habet exiſtentiam; eſſet tamen in duratione poſteriori, ſi poneretur conditio: per conſequens in omnibus illis, quæ ſi exiſtant in duratione poſteriori ſub purificatione conditionis, verificabitur, *ſem er extitiſſe*, non erit coniungibile illud *non eſſe* de præſenti, quod datur quando taliter purè conditionatè futura ſunt, cum purificatione conditionis, & exiſtentia abſoluta futuri: cum impoſsibile ſit ſemper extitiſſe, & aliquando veritatem conditionalem, & futuritionem conditionatam fuiſſe coniunctam cum non exiſtentia illius de præſenti, at in reliquis, quæ, etſi exiſtant in duratione poſteriori ſub purificatione conditionis, non ideò debet verificari *ſemper extitiſſe* tale *non eſſe* de præſenti ſpecificum futuri conditionati purè talis minus rigidè eſt coniungibile verificativè cum purificatione conditionis, & exiſtentia abſoluta rei futuræ.

19 Subinferes propterea: in aliquibus futuris conditionatis purè talibus *minus rigidè*, verificari eſſe talia, quæ, provt futura conditionata purè talia, ſunt *minus rigidè*, non poſsint tranſire in abſoluta ex eo, quod purificatio conditionis taliter ſit impedimentum illorum, vt debeat verificari, nunquam extitiſſe: in quo non eſt maior difficultas ea, quæ invenitur in quovis purè poſsibili, vt tali: etenim licèt poſsibile tale ſit, vt ſi exiſteret, non repugnaret; at

vt

vt *purè* posſibile, tale eſt, quod ſi exiſteret repugnaret; patet, nam exiſtere purè posſibile eſt exiſtere nunquam exiſtens: ſed exiſtere nunquam exiſtens eſt exiſtere repugnanter: ergo *purè* posſibile, vt tale, ſi exiſteret repugnaret: inde benè valet: purificatur conditio huius conditionalis: *Si exiſtat, non repugnabit*: ergo non fuit purè posſibile: & inſuper: *Eſt purè posſibile: ergo nunquam purificabitur conditio*, ſub qua illud, quod purè posſibile dicitur conditionaliter, verificat non habiturum repugnantiam, ſeu excluſurum ſuum contradictorium: iuxta quem modum conſideranda eſt pura futuritio conditionata non rigidè accepta in illis omnibus, quæ ſi aliquando exiſterent, ſemper, & in omni duratione à parte antè extitiſſent.

20 Nec arguas. Nos inconſequenter procedere ex illatione immediatè poſita, in qua admittimus futurum abſolutum inconiungibile cum ſua futuritione conditionata, & futuritionem conditionatam inconiungibilem cum futuritione abſoluta, ad impugnationem aliam, quam propoſuimus eadem diſput. 13. citata contra conſtituentes futurum conditionatum per abſolutum defectum rei conditionatè futuræ: vnde inferebamus veritatem cõditionalem, & connexionem conditionatam, quæ in illa involvitur, reddi nullius efficaciæ, & prorſus irriſſorias ex eo, quod nequirent purificata conditione tranſire in abſolutas, cum per purificationem conditionis evaneſcerent.

21 Non inquam id arguas: cum ex præcedentibus animadverſionibus, ſit præcautum per conſequentiam non mutuam inter conditionalem, & futuritionem conditionatam: quod ſignum eſt, futuritionem conditionatam aliquid amplius includere, quàm veritatem conditionalem, quæ, etſi cum purificatione conditionis debeat ſaltem verificativè eſſe coniungibilis propter rationes in prædicta impugnatione expoſitas; at non ſecundum illud, quod ſuperaddit, & complexivè ſumpta, provt cum alio conſtitutivo futuritionis conditionatæ intelligitur, & futuritio conditionata denominatur, opus eſt, quod valeat coniungi cum purificatione conditionis, & exiſtentia abſoluta conditionati ſub ipſa: ea ipſiſſima ratione, qua diximus de posſibili, & purè posſibili: in quibus ſi posſibile non poſſet coniungi cum purificatione conditionis, quam involuit, non eſſet posſibile; ſed repugnans; at ipſum posſibile, provt cum aliquo alio adiuncto conſtituit *purè posſibile*, tantum diſtat à coniungibilitate purificationis conditionis, quæ involvitur in conceptu *posſibilis*, vt potius indigeat inconiungibilitate cum ipſa ad conſervandum conceptum *purè posſibilis*, & non tranſmutandum in conceptum *imposſibilis*.

22 Authores autem illi, quos impugnavimus ſub tali diſtinctione non procedunt, imò potius futuritionem conditionatam rerum contingentium cum veritate conditionali confundunt taliter, vt ſicut futuritionem conditionatam eorum, quæ aliquando exiſtunt, non admittunt, ſic nec vllam veritatem conditionalem de his, quæ aliquando exiſtunt, concedunt, nolentes admittere in Deo veritatem conditionalem *obiectivè*, niſi eorum, quæ exiſterent, ſi poneretur aliqua conditio, nunquam tamen ſub tali conditione exiſtent: conſtet igitur impugnationem alibi factam, non eſſe inconſequentem ad illationem proximè relatam.

23 Diximus: *Ad futurum conditionatum purè tale minus rigide*: nam ſi de futuro conditionato *purè tali rigidiſsimè* procedamus, tunc *non eſſe de præſenti* proprium, & ſpecificum talis futuri, ita comparatur ad purificationem hypotheſis, vt vel non detur in rebus, vel ſi detur, ſemper ſit coniungibile cum ipſa. Conſtat propoſitio, recognita eſſentia futuri conditionati *purè talis rigidiſsimè*, de quo diximus eſſe illud, *quod ſi daretur aliqua conditio exiſteret in duratione poſteriori, ita vt ſub eadem conditione, non verificetur extiturum in duratione præſenti*. Vnde conſtat tale futurum eſſe determinatum ad ſola illa obiecta, quæ ſi aliquando exiſterent, non ſemper ab æterno extitiſſent: nam in illis, quæ ſi aliquando ſub aliqua conditione exiſterent, ſemper, & ab æterno extitiſſent, non habet locum futurum conditionatum *purè tale rigidiſsimè* acceptum: propterea quod omnia illa ſub eadem conditione, ſub qua afirmãtur in ordine ad durationem poſteriorem exiſterent ſimiliter de præſenti ſub eadem conditione: ergo tale futurum per ſe eſt determinatum ad illa tantùm obiecta, quæ ſi exiſterent ſub aliqua conditione in duratione poſteriori,

ab æterno ſemper non exiſterent: ſed in his omnibus *non eſſe* de præſenti conſtitutivum futuri conditionati purè talis *rigidiſsimè* eſſet coniungibile cum purificatione conditionis coniungibilitate ſaltem verificativa: cum nulla detur repugnantia ad coniunctionem ex parte ipſorum: ergo *non eſſe* de præſenti proprium, & ſpecificum futuri conditionati *purè* talis *rigidiſsimè* ita comparatur ad purificationem hypotheſis, vt vel non detur in rebus, vel ſi detur, ſemper ſit coniungibile cum ipſa.

24 Dico quartò. Accidentale omninò eſt rationi futuri conditionati, quod exiſtat, aut non exiſtat hypotheſis: vndè tantum poterit eſſe eſſentiale facta aliqua reduplicatione in ratione talis futuri. Conſtat prima pars propoſitionis. Quia id, quod ſivè adſit, ſivè deſit, ſtare poteſt ratio futuri, eſt quid accidentale rationi futuri: ſed ſivè adſit purificatio conditionis, & hypotheſis, ſivè deſit per non purificationem, ſtare poteſt ratio futuri, vt conſtat: quia non repugnat futurum conditionatum tranſire in abſolutum, quo caſu erit futurum conditionatum de conditione purificanda: neque repugnat futurum conditionatum non tranſire in abſolutum, quo caſu erit futurum conditionatum de conditione non purificanda: ergo accidentale omninò eſt rationi futuri conditionati, quod exiſtat, aut non exiſtat hypotheſis. Conſtat ſecunda pars. Quia conſideratum futurum conditionatum, vt futurum conditionatum eſt de conditione purificanda, aut vt futurum conditionatum de conditione non purificanda, implicat eſſe tale futurum, aut ſine purificatione hypotheſis, aut ſine defectu purificationis hypotheſis, provt fuerit reduplicatio futuri: ſed id ſine quo aliquid repugnat eſſe, eſt illi, vt ſit, eſſentiale: ergo facta aliqua reduplicatione in futuro conditionato eſſentiale quid ipſi erit, aut purificatio hypotheſis, aut deffectus purificationis illius, provt fuerit reduplicatio.

25 Dico quintò. Non modo *non eſſe abſolutum* purificationis hypotheſis eſt accidentale rationi futuri conditionati; verùm *non eſſe reſpectivum, ſeu reſpectivè ſumptum ad tempus futuritionis.* Probatur. Id cum cuius defectu componibilis eſt futuritio conditionata, ſi exiſtat cum futuritione conditionata, accidentale eſt tum rationi futuritionis conditionatæ, tum rationi futuri conditionati: ſed *non eſſe reſpectivum* hypotheſis, aut reſpectivè ſumptum ad tempus futuritionis, eſt id cum cuius defectu componibilis eſt futuritio conditionata: ergo non modo *non eſſe abſolutum* purificationis hypotheſis eſt accidentale rationi futuri conditionati; verùm *non eſſe reſpectivum*, ſeu *reſpectivè ſumptum* ad tempus futuritionis. Mai. eſt certa: Probatur minor. *Non eſſe reſpectivum* hypotheſis ad tempus futuritionis eſt defectus hypotheſis ad tempus futuritionis: ſed deficiente hoc defectu per exiſtentiam reſpectivam hypotheſis ad tempus futuritionis, ſtare valet, tàm futuritio conditionata, quàm futurum conditionatum: quia pro his ſufficit, illud, quod denominatur futurum conditionatum, vt conditionatè extiturum, non reſpicere tempus futuritionis, ſivè correſpondeat, ſivè non correſpondeat hypotheſis tempori futuritionis: ergo *non eſſe reſpectivum* hypotheſis, ſeu reſpectivè ſumptum ad tempus futuritionis eſt id, cum cuius defectu componibilis eſt futuritio conditionata.

26 Inferes: *eſſe reſpectivum* hypotheſis non eſſe menſuram, ex qua dignoſci valeat: an veritas conditionalis ſit de præſenti conditionato, aut de præterito conditionato, aut de futuro conditionato; ſed vnicè id competere ei, quod in futuro conditionato, aut in veritate conditionali, dicitur *conditionatum*, penès cuius exiſtentiam reſpectivam, ſi ſit ad tempus præſens erit *præſens conditionatum*: ſi ſit ad tempus præcedens, erit *præteritum conditionatum*, ſi denique ſit ad tempus poſterius, erit *futurum conditionatum*. Ratio eſt: quia quomodocumque conſideretur hypotheſis, vel de præſenti, vel de præterito, vel de futuro; ſi id quod ſub ipſa foret, foret in tempore præſenti, non poteſt non conſiderari, vt *præſens conditionatum*: ſi foret in tempore præterito, non poteſt non conſiderari, vt *præteritum conditionatum*: ſi autem foret in tempore futuro, non poteſt non conſiderari, vt *futurum conditionatum*: ergo menſura, & regula *præſentis, præteriti, & futuri* conditionati non eſt attendenda penès *præſentiam, præteritionem*, aut *futuritionem* hypotheſis; ſed vnicè per ordinem ad id, quod in veritate conditionali eſt *conditionatum*.

27 Di-

27 Dico sextò. Accidentale etiam est omninò rationi futuri conditionati, *non esse conditionatum illius sub absoluto defectu conditionis*, & provt explicatur his terminis: *Id ipsum, quod si existeret talis conditio A, existeret in duratione posteriori: si non existeret talis conditio A. non existeret in duratione posteriori.* Probatio est facilis: quia id, quod si deficiat, non tollit, quod si existeret conditio, existeret coexistens conditionato, est id, quod si deficiat, permittit rationem futuri conditionati, quæ in illa conditionali coexistentia conditionis, & conditionati formalissimè, & essentialiter consistit: sed id, quod si deficiat, permittit illæsam rationem futuri conditionati, est id, quod si existat coniunctum cum ratione futuri conditionati accidentaliter ipsi omninò est, & coniungitur: ergo illud *non esse conditionatum*, correspondens illi veritati conditionali, *si non existeret hypothesis, non existeret id ipsum, quod si existeret hypothesis, sub ipsa existeret*, accidentale quid omninò est rationi futuri conditionati: quare ad modum, quo diximus in præcedentibus, tantùm poterit esse proprium alicuius futuri conditionati determinatè sumpti, & quod per tale *non esse* modificetur in ratione talis, & quasi ad determinatam speciem futuri conditionati contrahatur.

28 Propter eandem rationem si aliquando inveniatur in futuro conditionato *non esse* mutuæ conditionalis, ab existentia conditionati, seu rei, quæ extitura est sub conditione ad existentiam hypothesis, id non tribuendum est necessitati ortæ ex constitutione futuri conditionati; sed reputandum est accidentale tali rationi. nisi fiat aliqua reduplicatio, vt constans debet esse cum dentur plura futura conditionata, in quibus benè valeat ab existentia conditionati ad existentiam hypothesis: ideoque conditionalis est mutua inter hypothesim, & conditionatum taliter; vt hypothesis vnius conditionalis sit conditionatum alterius; & conditionatum vnius sit hypothesis alterius, vt eveniret semper, ac conditionatum sit connexum cum conditione; v.g. in hac conditionali: iuxta probabilem aliquorum sententiam: *Si existat Deus, existet homo*, in qua benè valet è converso: *Si existet homo, existet Deus.*

29 Vbi obiter advertes: non esse idem in futuro conditionato benè valere mutuò conditionaliter ab hypothesi ad conditionatum, & à conditionato ad hypothesim, & valere mutuò ad futuritionem conditionatam: nam potest contingere vnam conditionalem esse de hypothesi, & conditione de præsenti ad conditionatum de futuro: & tunc quamvis conditionatum sit connexum cum existentia conditionis, erit mutua conditionalis; sed non erit mutua futuritio conditionata: quia conditionalis, quæ verificatur à conditionato ad conditionem, non est de futuro conditionato; verùm de præsenti conditionato, propter correspondentiam hypothesis vnius conditionalis, quæ est conditionatum alterius ad tempus præsens. Pone exemplum in hac conditionali: *Si existat nunc decretum Dei de existentia crastina Petri, erit Petrus cras*: vide conditionalem de Petro futuro conditionatè, in qua Petrus est quoddam futurum conditionatum, à cuius existentia benè valet mutùo ad existentiam decreti in præsenti *nunc*, vt exprimitur his terminis: *Si Petrus sit cras, existet nunc decretum Dei de existentia crastina Petri*; sed non valet ad futuritionem conditionatam decreti provt existentis nunc: cum conditionatum huius secundæ conditionalis non respiciat durationem posteriorem; sed præsentem.

30 Quando ergo erit mutua conditionata futuritio? Quando hypothesis, & conditionatum respiciat durationem posteriorem, tunc indispensabiliter erit mutua non solum conditionalis ab hypothesi ad conditionatum; & è converso; verùm etiam futuritio conditionata ab hypothesi ad conditionatum; & à conditionato ad hypothesim, vt videre est in hoc exemplo: *Si existat cras aliqua actio productiva Ioannis, erit Ioannes*: in qua conditionali respectivè ad durationes hodiernas benè valet à conditionato ad hypothesim sub his terminis: *Si existat cras Ioannes, existet aliqua actio productiva illius*: vbi vides esse conditionalem mutuam à conditionato ad hypothesim, & insuper esse mutuam futuritionem conditionatam à conditionato ad hypothesim.

CAPVT II.

Alteri dubio occurritur.

31 VENIT in examen secundò quoad futurum conditionatum, & generaliter quoad omnem veritatem obiectivam conditionalem, quidnam sit obiectivè, & in quo consistat ratio *hypothesis*, *seu conditionis*, provt correspondentis his terminis: *Si esset*: *si daretur*: *si existeret*: & quidnam sit, & in quo obiectivè consistat ratio *conditionati*, provt correspondentis his terminis *Foret*: *erit*: *dabitur*? Et ratio dubitandi pro primo statim se offert: quia non consistit in possibilitate absoluta, aut respectiva extremi cui conveniat ratio hypothesis: nam non in *possibilitate absoluta*: vel quia plura impossibilia ex se, & absolutè possunt habere rationem hypothesis constituendo veritatem obiectivam de conditione impossibili: vel quia plura possibilia absolute non habent rationem hypothesis respectu aliorum; propter indifferentiam, quam habent ex se ad existentiam aliorum casu, quo ipsa existerent: Non *in possibilitate respectiva* per possibilem coniunctionem cum altero, cum eædem vrgeant rationes pro hac possibilitate respectiva, ac pro possibilitate absoluta, vt facile est considerare: neque consistit in quidditate, & essentia illius, quod rationem hypothesis, verificat: quia nullus est conceptus obiectivus, qui non habeat suam quidditatem, & essentiam, provt verificat propositionem sibi correspondentem erga *quid* illius, & tamen sunt plures conceptus obiectivi, qui non ideò sortiuntur rationem hypothesis, in ordine ad alia determinata.

32 Neque consistit in existentia absoluta eius, quod habet rationem hypothesis: quia sicut veritas conditionalis ex se præscindit à purificatione conditionis, quin præscindat ab hypothesi obiectiva; sic hypothesis obiectiva præscindit ab existentia absoluta sui, quamvis non præscindat à ratione hypothesis: neque consistit in inseparabilitate illius, quod est hypothesis pro casu suę existentiæ ab existentia conditionati: quia plura sunt conditionata contingentia, in quibus ratio hypothesis componitur cum separabilitate in existendo à conditionato: aliàs conditionatum non esset contingens; sed necessarium: neque denique in coniuncto dictorum: quia quando sine singulis ex relatis stat ratio hypothesis, per consequens sine coniuncto ex omnibus poterit esse: quid ergo est obiectivè ratio ista *hypothesis*?

33 Non absimiliter formari potest ratio dubitandi pro conditionato in esse talis, cuius ratio consistere non potest in possibilitate neque absoluta, neque respectiva. Non *absoluta*: cum plura sint ex conceptu suo impossibilia, & habeant rationem conditionati per ordinem ad aliquam hypothesim; & deinde plura sunt possibilia, quæ non ideò se habent conditionatè quoad aliquas hypotheses: non *respectiva* ad hypothesim: cum plura, quæ se habent possibiliter sub hypothesi, non ideò sint conditionata illius; sed potius oppositа: neque in quidditate, & essentia, siquidem omnia illa, quæ si existeret aliqua conditio, non essent, habent suam quidditatem, & essentiam: neque in existentia absoluta: quia absque existentia absoluta conditionati stat futuritio, & veritas conditionata ipsorum, vt constat in omibus futuris conditionatis de conditione non purificanda: neque in existentia inseparabili ab existentia conditionis: cum plura sint futura conditionata inconnexa cum hypothesis, & conditionis existentia, ac proinde separabilia ab existentia suæ hypothesis: neque vltimò in coniuncto dictorum: quia si sine singulis stat ratio conditionati, necessum est, quod sine coniuncto eorum, quæ proposuimus, stet ratio, & conceptus conditionati. Quid igitur illud proprium, & essentiale à quo formaliter dependet ratio conditionati?

34 Pro resolutione dubij advertendum est Primò: Rationem seu conceptum hypothesis non esse cognoscibilem, nisi per ordinem ad conditionatum, sicut nec istud aliter quàm per ordinem ad hypothesim: sunt enim conceptus obiectivi inter se relativi, propterea que vnus sine altero mutuò non sunt conceptibiles: id probat experientia ipsa, qua audientes alterum proferentem: *Si hoc, vel illud esset*, statim concipimus aliquid eventurum sub tali casu: & rogamus, quid hoc, quod accideret, *si hoc, vel illud esset*? Pariter audientes prolationem: *esset hoc, vel illud*, illicò de-

ve-

venimus in cognitionem aliquarum circunstantiarum, aut conditionum, sub quibus esset, aut existeret, & insinuamus desiderium sciendi, qualis sit casus, aut conditio, sub qua, *esset*, aut *existeret*, verificatur: vnde quærere veritatem obiectivam hypothesis sine ordine ad conditionatum; aut veritatem, & realitatem obiectivam conditionati absque ordine ad hypothesim, erit per ipsam inquisitionem destruere id, cuius conceptus, & obiectiva ratio investigatur.

35 Advertendum est secundo. Tàm hypothesim, quàm conditionatum posse considerari in actu primo, & in actu secundo. In actu primo considerabitur hypothesis quando attendatur, vt purè potens ad verificandum, quod *si existeret, existeret aliud*, præscindendo ab eo, quod de facto ita verificetur: vt evenit in hypothesi contingenti ad conditionatum, quæ dum est in actu secundo hypothesis, sub qua verificatur conditionatè extremum *A*, est in actu primo hypothesis ad conditionatum oppositum, sine cuius verificatione de facto datur; sic, conditionatum in actu primo illud erit, quod in potentia, & pura non repugnantia se habet, vt si existeret determinata hypothesis sub illa existeret, præscindendo ab eo, quod ita de facto verificetur, vt eveniet in vno ex contradictorijs contingentibus, quando vnum, & alterum sub eadem hypothesi possunt existere: tunc enim existente vno conditionatè sub hypothesi, alterum remanere tantùm in potentia ad existendum conditionatè sub eadem hypothesi, est necessarium. Nec propterea volumus significare conceptum hypothesis, aut conditionati in potentia, seu in actu primo solùm posse inveniri in his, quæ non habent rationem talium in actu secundo; verùm apposuimus exemplum in illis, quæ se habeant divisim ad actum secundum, vt melius concipiatur ratio hypothesis, & conditionati in actu primo. Inde consequenter hypothesis in actu secundo illa venit dicenda, quæ actualiter est talis, quæ *si existeret; extremum determinatum A, sub ipsa existeret*; & conditionatum in actu secundo illud, quod actualiter verificat: *Extiturum esse sub existentia talis hypothesis determinatè, si ea existeret.*

36 Dicendum est primo. Rationem hypothesis in actu primo proximo consistere in aptitudine, & expeditione proxima, vt id, quod dicitur hypothesis, inseparabiliter se habeat in existendo ab alterius existentia pro casu existentiæ propriæ. Probatur. Ratio actualis hypothesis, seu hypothesis in actu secundo consistit, vt ex dicendis constabit in *inseparabiliter se habere in existendo ab existentia alterius pro casu existentiæ propriæ*: ergo ratio hypothesis in actu primo proximo consistit in aptitudine, & expeditione proxima illius, quod dicitur hypothesis, vt inseparabiliter se habeat in existendo ab existentia alterius pro casu existentiæ propriæ. Prob. consequentia. Omnis actus primus proximus in quacumque linea est aptitudo, & expeditio proxima ad actum secundum eiusdem lineæ: ergo si actus secundus in ratione hypothesis est *inseparabiliter se habere in existendo ab existentia alterius pro casu existentiæ propriæ*, aptitudo, & proxima expeditio ad taliter se habere inseparabiliter, erit ratio constitutiva hypothesis in actu primo proximo; ac per consequens ratio eiusdem sub tali consideratione consistet in ea aptitudine, & proxima capacitate: vnde facile erit, si placeat hypothesim in actu primo subdividere per divisionem actus primi in *proximum, remotum, & remotissimum*, & penes istas differentias considerare reflexas aptitudines propinquiores, aut remotiores, secundum quarum attentionem, iam dicatur hypothesis, aut in actu primo remoto, aut in remotiore, & remotissimo.

37 Dicendum secundò. Hanc aptitudinem, & expeditionem proximam ad *inseparabiliter se habere* modo dicto, quam pro ratione hypothesis in actu primo designavimus, consistere aliquando in solis prædicatis essentialibus illius, quod dicitur hypothesis; aliquando verò aliquid vltra superaddere. Et quidem continetur in solis prædicatis illius, quod denominatur hypothesis, quando ea ex se sunt determinata in existendo ad existentiam alterius: vt quando id, quod dicitur hypothesis, habet connexionem metaphisicam cum conditionato; v. g. *vnio cum extremis in hac conditionali; si existat vnio, existent extrema.* Superaddit aliquid quando prædicata illius, quod denominatur hypothesis, sunt ex se indifferentia in existendo ad existentiam alterius, quod dicitur conditionatum: quomodo accidit semper,

per, ac hypotheſis ſe habet ex ſe contingenter ad conditionatum, conſtituitque veritatem conditionalem contingentem, in quo caſu illud, quod ſuperaddit, eſt aptitudo proxima conditionati, vt tale ſit ſub prædicta hypotheſi, quodque aliud non eſt à prædicatis ipſius conditionati. Vnde apparet, ſemper ac aptitudo, & expeditio illa proxima ad *inſeparabiliter ſe habere in exiſtendo* non ſit adæquatè intrinſeca ei, quod hypotheſis denominatur, tunc denominatio hypotheſis in actu primo eſt ſemiextrinſeca ei entitati, aut conceptui, qui hypotheſis in actu primo denominatur.

38 Exemplum aptitudinis, & expeditionis incompletæ ad inſeparabiliter ſe habere in exiſtendo pro caſu exiſtentiæ propriæ accipe in Deo inconnexo cum impoſsibilitate impoſsibilium, & poſsibilitate poſsibilium: etenim Deus, quia inconnexus, habet ex ſe aptitudinem, vt ſit hypotheſis huius conditionalis: *ſi exiſtat Deus cum Petro, hoc poſsibile erit impoſsibile*, aut huius: *ſi exiſtat Deus cum Petro, hoc impoſsibile exiſtet:* & tamen quia Deus cum Petro ex vna parte eſt indifferens, vt conditionata aſsignata ita ſe habeant ſub exiſtentia Dei, & Petri; iſtud, quod eſt, *ſi exiſtat inſeparabiliter ſe habere ab exiſtentia illorum conditionatorum*, non identificatur adæquatè cum Deo, & Petro: nec aptitudo, & expeditio proxima ad *ita ſe habere* identificatur adæquatè cum Deo: cum adhùc indigeat, tum aptitudine proxima Petri in ratione complentis hypotheſim, tum aptitudine proxima in conditionato, vt taliter conditionatè ſub hypotheſi exiſtentiæ Dei ſe haberet; quibus datis Deus eſſet proximè expeditus ad *inſeparabiliter ſe habere*, & quarum aliqua remota, vt de facto verificatur, Deus non eſt ex ſe expeditus ad *taliter inſeparabiliter ſe habere*: ac proinde tantum incomplete ſe habet in ratione hypotheſis in actu primo, complendus ſemiextrinſecè, ſi accederet aptitudo ex parte conditionati.

39 Dicendum tertiò. Conditionatum in actu primo proximo conſiſtere in aptitudine, & expeditione proxima ad ſe habendum conditionatè ſub hypotheſi, quæ conſtituit determinatam conditionalem. Probatur. Quia, vt diximus, actus primus proximus cuiuſvis rationis ſumitur per ordinem ad actum ſecundum eiuſdem, ita vt actus primus proximus ſit ipſe actus ſecundus in potentia proxima, & expeditione ad illum: ſed actus ſecundus *conditionati, vt talis*, eſt conditionatè ſe habere ad conditionem, & ſub conditione: ergo actus primus proximus conditionati, vt talis, conſiſtit in aptitudine, & expeditione proxima ad ſe habendum conditionatè ſub hypotheſi: inde actus primus (non aliter ac de hypotheſi manet explicatum) dividi poteſt in *proximum, remotum, & remotiſsimum* per conſiderationem maioris, aut minoris immediationis in aptitudine ad illud conditionatè ſe habere ſub hypotheſi.

40 Dicendum quartò. Hæc aptitudo, & expeditio proxima ad ſe habendum conditionatè ſub hypotheſi, in qua rationem conditionati in actu primo proximo conſtituimus, non diſtinguitur realiter adhuc inadæquatè à prædicatis rei, ſeu conceptus ſuſcipientis denominationem conditionati, quandò hic non diſtinguitur realiter à re, quæ dicitur hypotheſis; at ſemper, quod diſtinguantur realiter inter ſe conditionatum, & hypotheſis, diſtinguitur realiter inadæquatè à prædicatis conditionati, conſiſtitque in denominatione ſemi-extrinſeca conditionato, provenienteque, tum à prædicatis illius, quod dicitur conditionatum, tum à prædicatis illius, quod dicitur hypotheſis, niſi in caſu, quo conditionatum connectatur cum exiſtentia hypotheſis. Probatur propoſitio, quoad primam partem: eſſe conditionatum in actu ſecundo ſub aliqua hypotheſi, vt mox firmabimus, eſt formaliter conditionata ſimultas in exiſtendo illius, quod dicitur conditionatum, & illius, quod dicitur hypotheſis: ſed hæc conditionata ſimultas, à qua denominatur conditionatum in actu ſecundo tale, ſi non diſtinguatur realiter conditionatum ab hypotheſi, non diſtinguitur realiter adhùc inadæquatè à prædicatis illius, quod dicitur conditionatum, cum quodvis ex componentibus illam ſimultatem ſit tota ſimultas realiter: ergo nec capacitas proxima, & aptitudo ad talem ſimultatem, quæ à tali ſimultate non diſtinguitur, adhùc inadæquatè realiter à prædicatis rei, ſeu conceptus ſuſcipientis denominationem conditionati non diſtinguetur.

41 Confirmatur. Aptitudo proxima, & expedita, ſive ad exiſtendum, ſive ad coexiſtendum, non diſtinguitur rea-

realiter à prædicatis ipsarum rerum, quę existunt, aut coexistunt: si quidem per se sunt apta ad talem denominationem: ergo si tam existentia, quàm coexistentia duorum non sit adhùc realiter adæquatè distincta ab vno ex coexistentibus; per consequens aptitudo proxima, & expedita ad eandem coexistentiam non distinguetur adhùc inadęquatè realiter ab vno ex coexistentibus: at quando conditionatum non distinguitur realiter ab hypothesi conditionatâ, simultas vtriusque non distinguitur adhùc inadæquatè realiter à conditionato: ergo nec aptitudo proxima, & expeditio ad talem simultatē conditionatam, adhùc inadæquatè realiter à prædicatis conditionati non distinguetur.

42 Probatur secunda pars. Quia quando simultas conditionata est eorum, quæ distinguuntur realiter inter se, sicut simultas inadæquatè realiter distinguitur à singulis, & est cuivis parti semi-extrinseca; ita aptitudo, quæ à prædicatis prædictæ simultatis non distinguitur, distinguetur realiter inadæquatè à singulis, & erit cuivis parti semi-extrinseca: ergo semper ac distinguantur realiter inter se conditionatum, & hypothesis, aptitudo proxima, & expeditio ad *conditionatè se habendum sub hypothesi* consistit in denominatione semi-extrinseca illius, quod conditionatum dicitur, & à prædicatis ipsius realiter inadæquatè distinguitur. Si exempla vtriusque suppositionis desideres, in promptu sunt. *Primæ*: quando vnum prædicatum rei assumitur, vt hypothesis ad aliud prædicatum eiusdem rei identificatum realiter cum ipso; v. g. *Si existeret animal hominis, existeret rationale.* Secundæ: quando assumitur pro hypothesi id quod non est realiter conditionatum; v. g. *Si existat actio, existet terminus: si existat libertas, existet consensus.* Si autem ad distinctionem formalem recurras, poteris adhùc quando aptitudo proxima non distinguitur realiter inadæquatè à conditionato, considerare in ipsa aptitudine distinctionem formalem inadæquatam, & in eodem sensu admittere denominationem semi-extrinsecam tali conditionato. Addidimus: *nisi casu, quo conditionatum connectatur cum existentia hypothesis*; quia in tali casu discurrendum est, sicut de aptitudine proxima conditionis.

43 Dicendum quinto. Rationem *hypothesis in actu secundo* consistere in inseparabilitate, vi cuius inseparabiliter in existendo se habet, pro casu, quo existat, ab existentia alterius. Probatur primo negativè: quia, vt constat ex ratione adducta dubitandi, non est aliud, in quo consistat ratio actualis hypothesis: ergo in hoc tantùm debet consistere. Secundò positivè: quia in hoc consistit *esse actualiter hypothesim* in ordine ad aliquid, seu *esse hypothesim in actu secundo illius*, in quo stat esse id, quod si existat, non dabitur sine alio: sed esse id, quod si existat, non dabitur sine alio, est formaliter habere inseparabilitatē ab alio casu, quo existat absolutè, seu pro casu propriæ existentiæ absolutæ: ergo ratio *hypothesis in actu secundo* consistit in inseparabilitate, vi cuius inseparabiliter in existendo absolutè se habeat pro casu, quo existat, ab existentia alterius.

44 Confirmatur. Ratio hypothesis in actu secundo debet consistere in opposito formali illius, quod si daretur, formaliter destrueret rationem hypothesis in actu secundo: sed *si existeret, foret separandam hypothesim ab existentia conditionati*, si daretur formaliter destrueret rationem hypothesis in actu secundo: ergo in opposito formali huius debet stare ratio constitutiva hypothesis in actu secundo: at oppositum formale illius est, *si existeret hypothesis, non foret separanda in existendo absolutè à conditionato*; aut, *non si existeret hypothesis foret separanda in existendo absolutè à conditionato*, quod est formalissimè inseparabilitas hypothesis in existendo absolutè ab existentia conditionati pro casu existentiæ propriæ: ergo in ea inseparabilitate stat ratio constitutiva hypothesis in actu secundo.

45 Roboratur amplius. Hypothesis in actu secundo est formalissimè id, quod per sui purificationem, & existentiam absolutam facit, futurum conditionatum transire in absolutum taliter, vt si purificata hypothesi, id, quod sub ipsa existebat conditionatè, non existeret absolutè, ratio hypothesis in actu secundo non subsisteret, vt per se est clarum: sed id, quod per sui purificationem, & existentiam absolutam facit, futurum conditionatum transire in absolutum, taliter, vt si purificata hypothesi, seu per sui purificationem, id, quod sub ipsa existebat conditionatè, non existeret absolutè, in ratione hypothe-

theſis non ſubſiſteret, eſt id, cuius tota ratio formalis ſe habendi, vt hypotheſim, eſt inſeparabilitas in exiſtendo abſolutè pro caſu ſuæ exiſtentiæ ab exiſtentia alterius: ergo in ea inſeparabilitate conſtare debet ratio formalis hypotheſis in actu ſecundo.

46 Dicendum ſextò. Hanc inſeparabilitatem, per quam conſtituitur hypotheſis in actu ſecundo, aliquando eſſe adæquatè intrinſecam prædicatis illius, quod dicitur hypotheſis; aliquando verò eſſe partim intrinſecam, & partim extrinſecam: erit *adæquatè intrinſeca*, quando id, quod ſe habet, vt hypotheſis in actu ſecundo habet metaphyſicam connexionem cum eo, quod ſub exiſtentia ſui ſit abſolutè conditionatum; patet, quia connexio metaphyſica illius, quod ſe habet, vt hypotheſis cum exiſtentia abſoluta conditionati ſub exiſtentia ſui eſt vera inſeparabilitas illius, quod ſe habet, vt hypotheſis in exiſtendo abſolutè ab exiſtentia abſoluta conditionati: ergo quando connexio detur in prædicatis illius, quod ſe habet, vt hypotheſis, ac per conſequens ſit illis adæquatè intrinſeca, etiam inſeparabilitas, in qua ſtat ratio hypotheſis in actu ſecundo, erit adæquatè intrinſeca prædicatis illius, quod dicitur hypotheſis. Loquutus ſum tantum de connexione metaphyſica; non de connexione tantum phyſica, aut morali: quia cum hac connexione phyſica, aut morali ſtare poteſt ſimpliciter defectus hypotheſis in actu ſecundo, quando per *poſſe* abſolutum, aut phyſicum vincatur connexio phiſica, aut moralis: non tamen renuam concedere pro tali caſu rationem hypotheſis in actu ſecundo pro modo connexionis, ſcilicet eſſe hypotheſim in actu ſecundo *moraliter*, ſi connexio ſit tantum moralis, aut eſſe hypotheſim in actu ſecundo *phyſicè*, ſi connexio ſit tantùm *phyſica*.

47 Erit *inadæquatè* tantùm intrinſeca, & inadæquatè extrinſeca, quando in ſolis prædicatis illius, quod dicitur hypotheſis, non ſit connexio metaphyſica cum exiſtentia abſoluta conditionati ſub exiſtentia abſoluta hypotheſis. Et ratio eſt, quia tunc inſeparabilitas hypotheſis à conditionato, & requirit conſtitutivè prædicata illius, quod dicitur hypotheſis, & aliquid amplius vltra ipſa prædicata: ſed quando inſeparabilitas illius, quod dicitur hypotheſis, & requirit conſtitutivè prædicata illius, quod dicitur hypotheſis, & aliquid amplius vltra talia prædicata, inſeparabilitas illius, quod dicitur hypotheſis, in qua ſtat ratio hypotheſis in actu ſecundo, eſt *inadæquatè* intrinſeca prædicatis rei, quæ dicitur hypotheſis, & *inadæquatè* extrinſeca: ergo quando in hypotheſi non datur ex proprijs prædicatis connexio metaphyſica cum exiſtentia abſoluta conditionati ſub exiſtentia abſoluta propria, inſeparabilitas eſt partim ipſi intrinſeca, & partim extrinſeca; ac proinde aliquando inſeparabilitas, in qua ſtat ratio hypotheſis in actu ſecundo eſt partim intrinſeca, & partim extrinſeca prædicatis hypotheſis.

48 Si rogetur: quidnam ſit illud extrinſecum, quod addit inſeparabilitas hypotheſis, quando ex ſuis prædicatis non dicit connexionem metaphyſicam cum exiſtentia abſoluta cõditionati pro caſu exiſtentiæ abſolutæ propriæ? Reſpondendum: id eſſe prædicata ipſius conditionati, & pro vt verificantia exiſtentiam conditionatam reſpectivè ad hypotheſim, ex quibus ſimul cum prædicatis hypotheſis reſultat totalis inſeparabilitas hypotheſis modo requiſito, vt talis ſit in actu ſecundo. Ratio eſt: quia illud ſolum eſt extrinſecum requiſitum conſtitutivè pro inſeparabilitate dicta, quo dato reliquis ſuppoſitis, exiſtit perfectè inſeparabilitas, & quo deficiente reliquis manentibus, deficit inſeparabilitas: ſed prædicata conditionati, provt verificantia exiſtentiam conditionatam ſub hypotheſi, ſunt illud extrinſecum, quo dato reliquis ſuppoſitis, exiſtit perfectè inſeparabilitas, & quo deficiente, reliquis manentibus, deficit inſeparabilitas: ergo ſola prædicata conditionati, provt verificantia exiſtentiam conditionatam reſpectivè ad hypotheſim, ſunt illud extrinſecum ſuperadditum prædicatis pro completa exiſtentia, & conſtitutione inſeparabilitatis, in qua ſtat ratio hypotheſis in actu ſecundo.

49 Ita intervenit, quoties id quod ſe habet, vt hypotheſis, eſt ita indifferens ad conditionatum de futuro, vt tàm cum ipſo conditionato in ratione futuri, quàm cum defectu illius eſt coniungibilis, in quo caſu clarè conſtat conſtitutio inſeparabilitatis, & hypotheſis in actu ſecundo per prædicata ipſius conditionati, provt verificantia exiſtentiam conditionatam ſui ſub hypo-

po-

potheſi. Et ratio eſt: quia id, quo præcisè intellecto vltra prædicata hypotheſis intelligitur inſeparabilitas ipſius, & ratio hypotheſis in actu ſecundo; & quo præcisè deficiente, & reliquis manentibus, deficit inſeparabilitas, & ratio hypotheſis *in actu ſecundo*, eſt vnicum conſtitutivum extrinſecum ei, quod dicitur hypotheſis, deſideratum pro cõſtitutione inſeparabilitatis, & hypotheſis *in actu ſecundo*: ſed prædicata conditionati, vt verificantia ſuam conditionatam exiſtentiam ſub hypotheſi, ita ſe habent, vt apparet in hac conditionali de futuro negativo, *ſi exiſtat libertas A, non exiſtet conſenſus*, in qua hypotheſi libertatis, vt ſit inſeparabilis à futuro conditionato *poſitivo*, & ſit hypotheſis *in actu ſecundo* per verificationem alterius conditionalis, *ſi exiſtat libertas A, exiſtet conſenſus*, duntaxat deficit exiſtentia conditionata conſenſus ſub ipſa; quomodo demonſtrari etiam poteſt arguendo modo inverſo à conditionali de futuro *poſitivo* ad conditionalem de futuro *negativo*.

50 Si rurſus rogetur: cur rationem hypotheſis *in actu ſecundo* potius per inſeparabilitatem, quàm per inſeparationem conſtituerimus? Facilis eſt ſolutio, ſi de inſeparatione abſoluta ſit ſermo: quia cum ratio hypotheſis *in actu ſecundo* præſcindat à purificatione ſui, & à coniunctione abſoluta cum conditionato *abſolutè ſumpto*; imò ſi ab hac coniunctione non præſcinderet, non eſſet ſtricta hypotheſis, neque *in actu ſecundo*, neque *in actu primo*; ideò per non ſeparationem, aut quod idem eſt, per coniunctionem abſolutam non debet conſtitui. Iam ſi de non ſeparatione conditionata procedamus; vel hæc non requiritur formaliter conſtitutivè ad rationem hypotheſis *in actu ſecundo*, quando ex parte rei, quæ dicitur hypotheſis, datur connexio metaphyſica cum exiſtentia abſoluta conditionati pro caſu abſolutæ exiſtentiæ ſui, vt manet explicatum; vel ſi requiratur *formaliter conſtitutivè*, vt quando id, quod dicitur hypotheſis non habet connexionem metaphyſicam dictam cum conditionato, tamen quia tota ratio hypotheſis penſanda eſt per ordinem ad coniunctionem abſolutam cum conditionato, quomodo per ſe innuit ipſa conditionalis veritas, *ſi hoc exiſtat*, ſcilicèt *abſolutè*, *erit illud*, ſcilicèt, *abſolutè*, & reſpectu huius non ſeparationis abſolutæ, inſeparatio conditionata ſit potius inſeparabilitas, quàm inſeparatio, propterea ratio, & conſtitutio hypotheſis *in actu ſecundo* potius per inſeparabilitatem, quam per inſeparationem eſt exponenda.

51 Dicendum ſeptimò. Conditionatum *in actu ſecundo* conſiſtere in ſimultate conditionata exiſtentiæ abſolutæ illius, quod dicitur conditionatum, & illius, quod dicitur hypotheſis. Probatur negativè, & poſitivè, ſicut aſſertio de hypotheſi. *Negativè*: quia non eſt aliud aſsignabile, in quo valeat ſtare ratio, & conſtitutio conditionati *in actu ſecundo*, vt conſtat ex ratione dubitandi ſupra tacta: ergo conſiſtit tantùm in dicto: cum nullum aliud videatur reſtare. Deinde *poſitivè*. Per illud conſtituitur formaliter conditionatum *in actu ſecundo*, per quod conſtituitur formaliter determinatum, vt exiſtat ſimul cum hypotheſi in caſu exiſtentiæ hypotheſis: ſed id, per quod conſtituitur ita determinatum aliud non eſt quàm conditionata ſimultas ipſius, & hypotheſis in exiſtendo abſolutè: ergo conditionatum *in actu ſecundo* conſiſtit in ſimultate conditionata exiſtentiæ abſolutæ illius, quod dicitur conditionatum, & illius, quod dicitur hypotheſis. Diſcurſus eſt legitimus, & maior videtur certa: quia eſſe conditionatum *in actu ſecundo* aliud non eſt, quàm eſſe tale, quod dabitur ſimul cum hypotheſi, ſi hæc exiſtat: ergo per id conſtituitur in ratione conditionati *in actu ſecundo*, per quod conſtituitur formaliter determinatum, vt id habeat. Prob. igitur minor. Omnis formalis determinatio ad coexiſtendum, ſive exiſtendum ſimul, provenit formaliter à ſimultate exiſtentiæ: ergo omnis formalis determinatio ad exiſtendum ſimul conditionatè provenit à ſimultate exiſtentiæ conditionata: cum nequeat provenire a ſimultate exiſtentiæ abſoluta, à quo præſcindit, & alia non reſtat, quàm cõditionata ſimultas: ergo id, per quod conſtituitur ita determinatum, aliud non eſt, quã conditionata ſimultas ipſius, & hypotheſis *in exiſtendo abſolutè*.

52 Confirmatur, & explicatur. Eſſe actualiter conditionatum ſub hypotheſi, non eſt exiſtere abſolutè ſub hypotheſi: aliàs nullum eſſet futurum conditionatum, quod non eſſet futurum abſolutum; neque eſt eſſe poſsibiliter ſub hypotheſi; cum ſæpè ſit poſsibiliter futurum conditionatum ſub hypothe-

theſi, & non ſit futurum conditionatum ſub hypotheſi; ſed potius oppoſitum illius conditionati; vt vidimus in exemplo appoſito hypotheſis coniungibilis cum oppoſito illius conditionati, cum quo de facto coniungitur: ergo eſt tantùm exiſtere conditionatè ſub hypotheſi: ſed exiſtere conditionatè ſub hypotheſi, nihil aliud eſt, quàm ſimultas conditionata in exiſtendo abſolutè ipſius, & hypotheſis, cum exiſtere vnum ſub alio nihil aliud ſit pro formali, quàm exiſtere cum alio, & ei coexiſtere: ergo ratio formalis conditionati *in actu ſecundo* aliud non eſt, quàm ſimultas conditionata *in exiſtendo abſolutè* ipſius, & hypotheſis.

53 Dices: ſi ſimultas conditionata *in exiſtendo abſolutè* coditionati, & hypotheſis, eſt ratio, in qua conſiſtit conditionatum, tàm hypotheſis, quàm conditionatum, erunt conditionatum, ipſaque hypotheſis ſe habebit conditionatè ad ſe ipſam: vnde confundentur conditionatum, & hypotheſis. Nego in primis ſequelam; quia aliud eſt conſtituere denominationem: aliud eſſe id, quod ſuſcipit denominationem, vt eſt clarum in rationem *albi*; etenim *album* conſiſtit *in ſubiecto, albedine, & vnione*, ſeu *communicatione albedinis ad ſubiectum*; nec ideò licèt inferre: ergo *albedo eſt alba, aut vnio albedinis ad ſubiectum eſt alba*; cum ſolum ſubiectum ſit, quod denominetur album: pariter ergo, quamvis ratio conditionati *in actu ſecundo* conſiſtat in ſimultate conditionata exiſtentiæ abſolutæ conditionati, & hypotheſis; non eſt bona conſequētia inferre, quodvis conſtitutivum illius conſtituti ſuſcipere denominationem *conditionati*; quia id tantùm competit illi extremo, quod ſe habet conditionatè in exiſtendo ſub hypotheſi. Aliter etiam reſponderi poteſt per diſtinctionem ſequelæ, tàm hypotheſis, *prout in complexo cum conditionato*, quàm conditionatum, erunt conditionatum, ipſaque hypotheſis ſe habebit conditionatè ad ſe ipſam, concedo ſequelam; tàm hypotheſis *ſecundum ſe, & quaſi diviſim conſiderata*, quàm conditionatum erunt conditionatum, ipſaque hypotheſis ſe habebit conditionatè ad ſe ipſam, nego ſequelam. Eſt dicere: abſurdum eſſe, & confuſionem conditionati, & hypotheſis, ſi de hac *ſecundum ſe* conſiderata, verificaretur eſſe, *id, quod exiſteret*: quia ſic non diſcerneretur à conditionato; at non eſſe abſurdum, aut confuſionem conditionati, & hypotheſis, ſi de ipſo, provt coexiſtente cum conditionato pro caſu exiſtentiæ propriæ verificetur habere rationem conditionati, & conditionatè ſe habere ad propriam exiſtentiam, vt præſefert, vel formaliter, vel virtualiter ipſa veritas conditionalis, in qua idem eſt aſſerere, *ſi exiſtat hypotheſis, exiſtet conditionatum* ac aſſerere, *ſi exiſtat hypotheſis, exiſtent ſimul hypotheſis, & conditionatum*.

54 Inſiſtes, adhùc inferens: ergo ea omnia, quæ ſimul, ſivè *temporaliter*; ſivè *verificativè* abſolutè exiſtant, erunt inter ſe mutuò conditionatum, & hypotheſis. Illatio videtur evidens: quia quodcumque, ſivè *verificativè*, ſivè *ſimpliciter* de præſenti exiſtens fundat, ſi *non formaliter*, ſaltem *arguitivè* veritatem conditionalem de eo, *quod ſi exiſtat quodcumque aliud, ſivè ſimpliciter, ſivè verificativè ipſi coexiſtet*; impoſsibile enim eſt *exiſtere abſolutè*, & non eſſe verum: *quodcumque aliud exiſtens pro modo, quo fuerit exiſtens, ipſi coexiſtere*: ergo ſi duo ſint abſolutè exiſtentia, quodcumque fundabit veritatem conditionalem ſui ad alterum, in qua ſit conditionatum, & alterum hypotheſis: ac proinde mutuò erunt inter ſe hypotheſis, & conditionatum. Concedo ſequelam rectè deductam, & rectè probatam, in qua nullum extat inconveniens, vt conſtabit ex dicendis de conditionalibus purè coniunctivis, vbi iſtud illatum latiùs, & per otiū formabimus: interim oſtēdatur, aut aliquid dictis adverſum, aut conditioni, & naturæ veritatis conditionalis oppoſitum, vt illatio terreat, & progreſſum ad vlteriora impediat.


55 Dicendum octavò. Simultatem conditionatam hypotheſis, & conditionati, in qua ratio conditionati *in actu ſecundo* manet conſtituta, aliquando eſſe *adæquatè realiter* intrinſecam ei, quod conditionatū dicitur, & denominatur cū ſola permiſsione *inadæquationis per rationē*, & in eodem ſenſu *denominationis ſemi-extrinſecæ*; aliquando verò *inadæquatè tantùm realiter* intrinſecam, & *inadæquatè realiter* extrinſecam; ac per conſequens in eodem ſenſu ſemi-extrinſecam. Primum verificatur, quando conditionatum non diſtinguitur realiter ab hypotheſi; ſecundum verò quando realiter diſtinguitur: pro cuius intelligentia memoranda ſunt exempla ſupra appoſita

de

de hypothesi constituente *realiter adæquatè*, aut non constituente pro modo identitatis, aut distinctionis realis sui cum conditionato rationem aptitudinis proximæ, & expeditionis, in qua stat constitutio conditionati *in actu primo*, transferendo quid quid ibi dictum est ad conditionatum *in actu secundo*.

56 Ex dictis inferes: quomodo, non obstante ratione dubitandi initio quæstionis proposita, sit locus constitutioni hypothesis, provt correspondet his terminis; *si esset*, & conditionati provt correspondet his terminis: *esset, daretur, foret, existeret*. Colliges etiam ex generaliter statutis circa hypothesim, & conditionatum in omni conditionali veritate, quid includat ratio hypothesis, & conditionati, provt pertinent ad conditionalem veritatem de futuro; quid provt pertinent ad conditionalem veritatem *de præsenti*, aut *de præterito*. Pro quibus discernendis, vnica regula erit duratio, cui correspondeat conditionata existentia conditionati: etenim si de præsenti sit conditionalis, vnicè addendum est explicatis pro constitutione hypothesis, & conditionati, quod istud correspondeat secundum statum absolutum sub purificatione hypothesis durationi præsenti: & ecce *conditionatum de præsenti*; aut quod correspondeat durationi posteriori: & ecce *conditionatum constitutum de futuro*; aut quod correspondeat durationi anteriori; & ecce *conditionatum constitutum de præterito*; & sub eadem diversitate veritates conditionales prædictis statibus correspondentes. Colliges vlterius: statum futuritionis conditionatæ in aliqua ratione esse statum medium inter solam aptitudinem, aut potentiam talis rationis, & statum absolutum eiusdem; v. g. in hac veritate conditionali: *si existat vnio in instanti B, existent extrema ei correspondentia*; in qua extrema vnionis sunt conditionatè futura sub tali hypothesi, consequenter obtinent statum medium inter *esse existentia absolutè sub vnione*, & *esse tantum possibilia sub vnione* detrahendo ly *tantum* ab statu puræ possibilitatis, & ly *absolutè* ab statu existendi absolutè.

57 Denique observabis duo: vnum ly *existere absolutè*, quo vsi sumus, tàm pro explicatione, & constitutione hypothesis in ordinè ad conditionatum; quàm istius in ordine ad hypothesim, non esse accipiendum ita presè, vt denotet existentiam simpliciter talem, & eam, quæ convenit solis entitatibus positivis, quando verè existunt in rebus; sed solùm, provt denotat statum illum absolutum, qui esset, si daretur hypothesis, & qui sub ipsa affirmatur conditionatè: quid quid sit, an de illo verificetur esse statum absolutum existentiæ; vel statum absolutum non existentiæ, & defectus alicuius, vel statum possibilitatis, vel statum repugnantiæ: nam circa hæc omnia possum formari propositiones conditionales, quibus respondeant ex parte obiecti veritates obiectivæ conditionales nihil aliud exigentes, vt tales sint, nisi, quod id, quod affirmatur, seu verificatur conditionatè sub hypothesi tale sit, vt eo modo, quo affirmatur, aut verificatur conditionatè sub hypothesi transiret ab statu conditionato ad statum absolutum, si purificaretur hypothesis, quamvis status iste absolutus esset status non existendi, aut possibilitatis, aut repugnantiæ. Alterum: exagitata, & resoluta à nobis in duobus præcedentibus dubijs non vidisse apud alios, aut resoluta, aut exagitata: fortè despexerunt alij, quæ nos digna animadversione putavimus, & in quorum enodatione molestam satis meditationem insumpsimus.



CAPVT III.

An veritas obiectiva conditionalis de futuro, & generatim omnis conditionalis veritas rectè dividatur in illativam, causalem, purè coniunctivam, & mixtam.

58 COnducit præsentis quæstionis resolutio non modo pro subsequentium intelligentia, quæ maximè ab ipsa dependent; verùm pro dictorum elucidatione, in quibus exponendis, præsentissimam habuimus huius dubij decisionem, quæ gravis est inter Doctores Thomistas, & nostros, illis refragantibus propositæ divisioni; nostris vero annuentibus.

59 Pro resolutione præmittendum, quid sub nomine veritatis obiectivæ conditionalis *illativæ, causalis, purè coniunctivæ, & mixtæ significetur.* Itaque veritas obiectiva conditionalis *illativa* ea dicitur, in qua hypothesis, seu conditio connectitur cum conditionato; v. g. *si existat hæc actio, existet terminus*; conditionalis *causalis*, in qua conditio influit in conditionatum, vel saltem est conditio se tenens ex parte causæ ad illud; v. g. *si existat ignis, existet calor*; *si existat approximatio ignis ad passum, existet combustio illius.* Purè *coniunctiva*, in qua hypothesis, seu conditio, neque est connexa cum conditionato, neque causa, aut conditio ad illud; v. g. *si Petrus saltet, Ioannes dormiet*: aut *si Gallus cantet, Turca pugnabit*, quæ quidem propter inconducentiam conditionis ad conditionatum vocari etiam solent veritates obiectivæ conditionales disparatæ, seu de conditione, & hypothesi disparata. *Mixta*, in qua conditio non continetur tantum intra vnam ex speciebus enumeratis; sed prædicata vnius, & alterius in se coniungit; v. g. quando, & est connexa, & influens in conditionatum; vt si dicatur: *Si existat decretum efficax Dei de altero mundo, existet alter mundus.* Quod etiam extendi potest suo modo ad conditionem influxivam in conditionatum, quæ simul habeat connexionem, si non *metaphysicam* cum conditionato, ad minus *physicam*, aut *moralem*, vt in his: *Si existat ignis, existet calor*; *si existat cognitio vehementissima alliciens ad obiectum, existet procuratio illius.*

60 Inter has veritates ea notanda est differentia; scilicèt, quod inter *illativam*, & *causalem*, seu *influxivam* mutuò non valeat consequentia; malè enim infertur, *est illativa*: ergo *est influxiva, aut causalis*; cum valeat conditio habere connexionem cum conditionato absque vllo influxu; vt videtur in hac conditionali: *Si existat vnio, existent extrema*; sicut etiam malè deducitur: *est influxiva, aut causalis*: ergo *est illativa*; quia potest condicio, *causaliter*, aut *influxivè* se habere in conditionatum absque vlla connexione: quomodo accidit in hac conditionali: *si existat libertas A, existet consensus*; inter *illativam* autem, & *causalem* ex vna parte, & *coniunctivam* ex alia valet non mutuò consequentia; ita, vt teneat: *est illativa*, aut *causalis*: ergo *est coniunctiva*; cum in omni veritate conditionali, quæcumque illa sit, verificetur conditionata coniunctio conditionis, & conditionati pro casu purificationis conditionis, à qua coniunctione indefectibili in omni conditionali suscipit rationem *coniunctivæ* conditionalis omnis; non verò tenet, *est coniunctiva*: ergo *aut est copulativè illativa, & causalis, aut est disiunctivè, vel illativa, vel causalis*; quia stare potest ratio veritatis conditionalis *coniunctivæ* absque ratione conditionalis *illativæ*, aut *causalis*, vt evenit in conditionali *purè coniunctiva*, quæ propterea talis dicitur, quia purè respicit conditionatam coniunctionem conditionati cum hypothesi, quin hæc sit ex se vllo modo connexa cum conditionato, aut vllo modo influens, aut conducens ad ipsum.

61 Huic divisioni videtur subscripsisse doctissimus Magister Soto libr. 3. summularum, cap. 8. lect. 3. vbi loquens de conditionalibus promissivis, tradit disparitatem observandam inter conditionalem *illativam*, & eam, quæ *non illativa*; sed *coniunctiva* sit per hæc verba: vnde conditionalis *promissiva* con-

convenit cum conditionali *illativa* in hoc, quod non ponit veritatem *antecedentis*, nec *consequentis*: vt *si digito Cœlum tetigeris, faciam te immortalem*; *differt tamen à conditionali illativa: quia non requiritur ad veritatem promissivæ, quod sit bona consequentia*; *scilicet, quod antecedens non possit esse verum sine consequenti*; *sed satis est, quod antecedens non sit verum sine consequenti*: *itaque ad veritatem conditionalis illativæ requiritur, quod ex opposito consequentis, & antecedente constituatur copulativa, quæ non possit esse vera*; *sed ad veritatem promissivæ satis est, quod constituatur copulativa, quæ de facto nunquam erit vera.* Dixi: *prædictæ divisioni subscripsisse*, quia semel admisso, dari veritatem conditionalem *non illativam*, videtur per se fluere, dum id *positivè* non neget, esse de mente ipsius vltra conditionalem *illativam* conditionalem aliam *causalem*, & purè *coniunctivam*.

62 Nihilominus sententia ferè omnium Thomistarum est, nullam esse conditionalem, quæ non sit *illativa*; quidquid sit, an conditio ex influxu in conditionatum, aut ex coniunctione cum conditionato possit esse in causa, vt veritas conditionalis valeat denominari *influxiva*, & *coniunctiva*; quæ rationes, & si concurrant in conditionali, *de materiali* considerari debent, quoad rationem conditionalis constituendæ: siquidem à sola illatione habet formaliter rationem talis. Hanc esse ipsorum mentem, comprobat, quod alij planè fateantur, nullam veritatem conditionalem esse admittendam, nisi quæ fundetur in bonitate illationis. Hos supresso nomine citant Zumel, libro 3. de auxilijs, dubio 5. Curiel, libro primo controversiarum, controvers. 7. articulo 1. & Cornejo, disputatione 3. dubio 2. vt videre est apud Godoy, disputatione 34. §. 1. Reliqui verò omnes, & si sub illis terminis non se explicent; tamen requirunt decretum *subiectivè absolutum*, & *terminativè*, *seu obiectivè conditionatum* alligans extrinsecè conditionem ad conditionatum, & taliter ad veritatem conditionalem requisitum, vt ipso secluso, aut non intellecto nulla sit veritas conditionalis *obiectiva contingens*; quia omnis, quæ talis sit, in eo decreto pro formali consistit. Nec pro hac parte referre aliquem in particulari opus est.

63 Inde, si quando dicunt: ad veritatem conditionalem non semper esse necessariam bonitatem illationis, vt fatetur Godoy, §. 4. disputationis citatæ impugnando rationem nostri Vazquij ad excludenda futura conditionata de conditione disparata, & tenent Salmanticenses, tractatu 3. disputatione 7. concedentes veritates conditionales de conditione non conducente, aut disparata; ac propterea quæ non fundet rectam illationem sui ad conditionatum, intelligendi sunt de hypothesi, & conditione sumpta *intrinsecè*: quomodo possunt esse veritates conditionales, iam *purè illativæ*, iam *causales*, *& influxivæ*, iam tantùm *coniunctivæ*; non verò de hypothesi, & conditione sumpta *intrinsecè*, *& extrinsecè*; siquidem in hoc sensu nullam admittunt veritatem conditionalem, quæ *illativa* non sit, aut quæ sit de conditione inconcernente, aut disparata ad conditionatum. Imò dixerunt Curiel, controvers. 7. articulo 5. num. 84. & 85. & Ledesma, disputatione 2. de scientia futurorum contingentium, dubio 2. solutione 3. propositiones conditionales præscindentes ab illo extrinseco connectente hypothesim cum conditionato; scilicèt divino decreto, nihil significare, nec subordinari alicui interno conceptui: quare proinde proferrētur ab hominibus, quasi proferrentur à Pitacho. Dixi: *ferè omnium Thomistarum*: quia aliqui pauci sunt, qui concedunt veritates conditionales *non illativas*, neque *intrinsecè*, neque *extrinsecè*, in quantum ad veritatem conditionalem contingentem non requirunt decretum *subiectivè absolutum*; sed *subiectivè conditionatum*, & quod existeret absolutè, si poneretur conditio. Sic Cabrera in 3. partem, disputatione 12. num. 169. Rispolis, quæstione 1. concluſ. 2. Zumel, tomo primo, variarum, pagina 102. & 140. Bañez, prima parte, quæstione 23. in posteriori editione ad 3. §. *ad motiva*, reputatque probabile Machin, disp. 34. sect. 2.

64 Per oppositum omnes nostri Doctores, tàm cōtra præcedentes, quàm contra omnes alios, qui scientiam conditionalem contingentem non liberam in Deo non admittunt, defendunt, vltra conditionalem *illativam*, sivè *intrinsecè*, sivè *extrinsecè*, esse admittendam aliam *non illativam*, neque *intrinsecè*, neque

que *extrinsecè* ; ideoque ad veritatem conditionalem *contingentem* non esse necessarium decretum divinum *subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum* constitutivum talium veritatum pro formali, ità cum doctissimo Molina in Concordia, disputatione 50. & prima parte, disputatione 17. & cum Eximio nostro Doctore Suario, opusculo de scientia Dei, libro 2. capite 6. reliqui omnes expressi pro extrinseco requisito *decreti*, vt sic omnes nostros vniformes proferam, nam si de extrinseco *scientiæ* sermo sit, excipiendi sunt illi pauci, qui cum Rivadeneyra veritates conditionales de futuro contingenti constituunt per scientiam divinam *subiectivè absolutam, & obiectivè conditionatam* consequenter ad futuritionem absolutam, & veritates ipsi correspondentes, quas in scientia Dei absoluta collocant: vndè videntur etiam concedere, nullam esse veritatem conditionalem *non illativam* extrinsecè à scientia annectente hypothesim cum conditionato.

65 Quoad veritatem conditionalem *purè coniunctivam*, maior est dissensio apud nostros, quorum aliqui negant prædictas veritates, & quoad hanc partem excludunt divisionem factam. Ita Vazquez, prima parte, disputatione 67. Lesius, opusculo de auxilijs. capite 19. Albertinus, tomo primo, folio 294. assert. 2. Arrubal, disputatione 45. capite 4. & disputatione 56. capite 2. & sub exceptione conditionis determinatæ Fasolus, dubio 13. in præsenti artic. Alarcon, tract. 2. disputatione 4. capite 2. & à capite 4. vsque ad 10. & nonnulli alij videndi apud Izquierdo, disputatione 28. quæstione 8. Admittunt Suarius citatus, & Fonseca sexto metaphysicorum, capite 2. quæstione 4. sectione 10. Granado, tractatu 5. disputatione 3. sectione 2. cum quibus Herice, Ruiz, Arriaga, Quirós, & alij, quos citat, & sequitur Izquierdo vbi supra, propositione prima. Necnon Herrera, quæstione 16. sectione 5. & communiter Recentiores: inter Thomistas etiam est divisio quoad hanc partem: cum negent veritates conditionales de conditione disparata intrinsecè, vt diximus, Alvarez, Cornejo, & alij apud Godoy, quos ipse sequitur §. 4. Affirmant verò Albelda Machin, & Salmanticenses apud eundem Godoy §. 1.

66 Sit primâ conclusio. Datur veritas *obiectiva* conditionalis, sive de futuro, sive generaliter quoad alios status, quæ *illativa* non sit: ac proinde quoad hanc partem subsistit divisio tradita. Probatur primò. Quia dantur veritates *obiectivæ* conditionales contingentes, sive de futuro, sive quoad alios status: sed hæ veritates *obiectivæ* conditionales *illativæ* non sunt: ergo dantur veritates *obiectivæ* conditionales, sive de futuro, sive quoad alios status, quæ *illativæ* non sunt. Maior præterquàm quod admittitur ab aduersarijs, & ex pluribus scripturæ testimonijs constat, de quibus post longior erit nobis discussio, probatur ratione: quia non minus necessarium est dandum, aut non dandum *B*, si existat *A*, quàm dandum, aut non dandum *A*, aut dandum, aut non dandum *B*: sed propter hanc necessitatem sunt veritates contingentes, tàm de futuro absoluto, quàm de alijs statibus absolutis: ergo propter primam necessitatem dabuntur veritates conditionales contingentes, tàm de futuro conditionato, quàm de alijs statibus conditionatis contingentibus; etenim non minus necessarium est, quod si vnum existat, non detur præcisio à duplici contradictorio alterius, quàm quod si existat, non detur præcisio à duplici contradictorio sui.

67 Probatur ergo minor primi syllogismi. Si hæ veritates obiectivæ conditionales *illativæ* forent, non essent contingentes: quia veritates illæ conditionales, in quibus stat recta, & absoluta illatio ab existentia hypothesis ad existentiam conditionati, veritates necessariæ quidem sunt, non contingentes, vt constat: quia veritates illæ *obiectivæ*, quæ aliter ac sunt, non possunt esse, veritates *obiectivæ* necessariæ sunt: semper autem esset illa veritas cõditionalis, si conditionatum non posset deficere sub existentia conditionis, quomodo non posset deficere, si conditio secum afferret inseparabiliter conditionatum sub existentia sui: ergo si veritates illæ obiectivæ *illativæ* forent, non essent veritates contingentes; verùm necessariæ, ac per consequens si contingentes sint, *non illativæ* debent esse. Confirmatur. Contingentia veritatis obiectivæ conditionalis, sivè de futuro, sivè de alio quovis statu non stat in alio, quàm

in

in carentia illationis ab hypothesi ad conditionatum, quod tali hypothesi correspondet: ergo veritates obiectivæ conditionales contingentes sunt veritates conditionales *non illativæ*. Probatur antecedens. Quia contingentia prædictarum veritatum non consistit in absoluta contingentia conditionati, aut in absoluta contingentia hypothesis, aut in complexo vtriusque, vt constat in his conditionalibus: *si existat vnio, existent extrema: si existat actio, existet terminus*; in quibus dantur omnes illæ contingentiæ, quin sint veritates conditionales contingentes: ergo in aliqua alia contingentia debet consistere: sed non in alia, quàm in contingentia, quã dicat conditionatum in existendo sub hypothesi, & quæ per carentiam illationis sub hypothesi ad conditionatum constituitur: ergo contingentia veritatis obiectivæ conditionalis, sivè de futuro, sivè de quovis statu non stat in alio, quàm in carentia illationis ab hypothesi ad conditionatum.

68 Probatur secundo. Quia veritates obiectivæ conditionales eo modo sunt in se, quo per loquutiones nostras veras, & conceptus eis correspondentes, exprimuntur, & significantur; sed aliquæ sunt veritates obiectivæ conditionales, in quibus per loquutiones nostras veras, & conceptus eis correspondentes, nulla illatio ab hypothesi ad conditionatum exprimitur, aut significatur: ergo aliquæ sunt veritates obiectivæ conditionales, in quibus nulla est illatio ab hypothesi ad conditionatum, ac proinde quæ *illativæ* non sunt. Maior est certa: cum veritas nostrarum loquutionum, sicut & conceptuum, non aliunde petenda sit, quàm ex conformitate ad obiecta, provt sunt in se. Prob. min. Quia cum verè dicimus, & concipimus: *Quod si Petrus hodie viveret, hanc, aut illam actionem determinatam esset facturus*, quia in re taliter esset eventurum non significamus, nec concipimus aliquam illationem ab existentia Petri nũc ad existentiam determinatæ actionis; sed puram coniunctionem hypothesis cum conditionato, scilicèt existentiæ Petri, & actionis pro casu purificationis hypothesis; id est, existentiæ Petri in duratione præsenti; propterea que apud audientes, etiamsi viri docti sint, non statim annuunt prædictis propositionibus, aut statim reijciunt; quomodo facerent, si illatio affirmaretur; sed potius iudicium suspendunt, rem incertam iudicantes: ergo aliquæ sunt veritates obiectivæ conditionales, in quibus per loquutiones nostras veras, & conceptus eis correspondentes, nulla illatio ab hypothesi ad conditionatum, aut exprimitur, aut significatur.

69 Confirmatur hæc ratio. Quia dum conditio æquè est indifferens ad conditionatum, & oppositum illius, evidens nobis est, propositionem conditionalem *in sensu illativo* esse falsam, sicut nobis evidens est, indifferentiam ad extremum non esse connexionem cum illo: sed evidens nobis non est propositionem esse absolutè falsam; at dubitantes de veritate sæpè expectamus eventum, vt ex coniunctione illius cum eventu colligamus veritatem illius, sicut ex non coniunctione, falsitatem: ergo quia propositiones istæ conditionales, sicut, & obiectivæ veritates illius non accipiuntur *in sensu illativo*; verùm *in sensu coniunctivo* conditionati cum conditione pro casu existentiæ huius. Id benè explicat exemplis Izquierdo, nam si rogeris ab alio: *an superior sit concessurus talem licentiam, si ab eo petatur?* Cum evidens sit, petitionem non magis cum licẽtia superioris, quàm cum defectu illius connecti, absolutè tamen respõdes te nescire: ergo quia conditionalem illam, quæ in quæstione proponitur, non accipis *in sensu illativo*, in quo erat evidens resolutio ob evidentiam non illationis, & non concessio facultatis, vt illatæ ex petitione subditi. Quod si sub eadem interrogatione respondeas fore concedendam licentiam sub existentia petitionis, sequuto eventu concessionis, conclamas veritatem responsionis ex coniunctione conditionati cum hypothesi, inquiens: *Non tibi dixi verum?* Quæ clarè probant veritates conditionales obiectivæ, sicut, & propositiones eis conformes, sæpè non inniti illationi; sed duntaxat coniunctioni.

70 Respondebis: hæc rectè procedere loquendo de hypothesi, & conditione *intrinsecè* sumpta; nam si hæc secundum se, & quoad intrinseca sui fundaret illationem ad existentiam absolutam conditionati ex existentia sui, omnes propositiones conditionales essent necessariæ veritatis, ac per consequens nulla esset conditionalis obiectiva veritas contingens: non sic res contingunt loquendo de conditione, & hy-

potheſi ſumpta *extrinſecè*, & pro aliquo diſtincto faciente, quod conditio ſe habeat inſeparabiliter à conditionato *in exiſtendo abſolutè*, ſecundum quam reduplicationem, & alligationem extrinſecam, non obſtat, quod ſit bona illatio, & connexio ab hypotheſi ad conditionatum, quia ſemper relinquitur cõditio quoad intrinſeca indifferens, & deinde id requiritur, quia in omni conditionali conditio, & hypotheſis ſe habet tanquam antecedens, & conditionatum tanquam conſequens; inde verum eſt, etiam per loquutiones noſtras ſignificantes aliquid eventurum contingenter condionatè, non ſignificari illationem intrinſecam hypotheſis ad conditionatum, & falſum eſt, non ſignificari extrinſecam, & provenientem ab alio diſtincto, & alligante conditionem ad conditionatum, cum cuius ſignificatione componitur ſuſpenſio, & indeciſio, quoad aſſenſum prædictarum veritatum. Nam licèt evidens ſæpè ſit defectus connexionis, & illationis ab intrinſecis hypotheſis; non tamen eſt evidens; imò contingens, & incertum, arguetur illatio ab adiuncto alio, quod non niſi contingenter coniungitur cum conditione, & hypotheſi, ſub qua affirmatur aliud conditionatè.

71 Quod explicari poteſt in noſtra ſententia eadem arguendi vi oppreſſa: diximus enim ſupra, hypotheſim *in actu ſecundo* in quacumque conditionali conſtitui per inſeparabilitatem in exiſtendo abſolutè à conditionato pro caſu exiſtentiæ ſui, quæ quidem inſeparabilitas aliquando eſt ſemi-extrinſeca ei conceptui, aut entitati, quæ dicitur hypotheſis, ſcilicèt quando talis conceptus, aut entitas ex ſe, & ab intrinſeco non habet connexionem cum conditionato: quo caſu ratio hypotheſis *in actu ſecundo* reſultat ex ſimultate conditionata hypotheſis, & conditionati pro caſu exiſtentiæ hypotheſis, vnde ſic: nos benè componimus contingentiam veritatis conditionalis cum ratione hypotheſis *in actu ſecundo* conſtituta per inſeparabilitatem à conditionato; quia talis inſeparabilitas, ac per conſequens illatio ad conditionatum non eſt intrinſeca ei, quod ſuſcipit denominationem hypotheſis: ergo duo iuxta nos debent conſtare, vnum: nullam veritatem eſſe conditionalem, quæ non ſit illativa; alterum, hanc illationem non obeſſe contingentiæ veritatis, quando non eſt adæquatè intrinſeca ei, quod tenet denominationem conditionis, & hypotheſis.

72 Non tenet ſolutio, quam ſic impugno. Nam licèt doctrina tradita verum tenere poſsit, quãdo illatio, quæ inveniatur in conditionali contingenti non diſtinguitur ab ipſa coniunctione hypotheſis, & conditionati; quia ſic eſt illatio quædam conſequens ad ipſam contingentiam, & quæ ipſi officere non poteſt; at nullo modo vera eſſe poteſt, quando illativum eſt aliquid diſtinctum ab hypotheſi, & conditionato, & vt ratio formalis non ſeparationis hypotheſis à conditionato. Et ratio eſt: quia in conditionali formaliter, vt tali ingreditur ratio neceſſaria ad non ſeparationem hypotheſis à conditionato; cum veritas conditionalis, nihil aliud ſit, quàm hypotheſis, & conditionatum, provt non ſeparanda: ergo ſi illud illativum, quod vocant extrinſecum eſt ratio formalis neceſſaria ad non ſeparationem, debet ingredi ipſam veritatem conditionalem: ſed modus ingrediendi ipſam veritatem conditionalem eſt, aut tanquam id, quod dicitur hypotheſis, aut tanquam id, quod dicitur conditionatum: ergo illud illativum, quod vocant extrinſecum, debet ingredi veritatem conditionalem, aut tanquam id, quod dicitur hypotheſis, aut tanquam id, quod dicitur conditionatum: ſed non tanquam id, quod dicitur conditionatum; quia pro coniunctione hypotheſis cum ipſo eſſet neceſſarium aliud illativum extrinſecum, cum tam indifferens ſit hypotheſis ad illud illativum, quàm ad quodcumque aliud, cum quo illativum illud connectatur: ergo præcisè tanquam id, quod dicitur hypotheſis: aſt quando id, quod dicitur hypotheſis, eſt inſeparabile à coniunctione conditionati, & hypotheſis, conſtituitur veritas conditionalis neceſſaria: ergo ſi pro veritate conditionali contingenti eſſet requiſitum illud, quod vocant illativum extrinſecum, nulla eſſet veritas conditionalis contingens.

73 Vnde paritas, qua vtuntur ex noſtra doctrina, nulla redditur: cum nos conſtituamus inſeparabilitatem hypotheſis, quam iudicamus neceſſariam ad rationem hypotheſis *in actu ſecundo*, non per aliquid diſtinctum ab hypotheſi, & conditionato; ſed per coniunctum vtriuſque, quod nec totum ponitur, ſecun-

cundum id, quod dicitur hypotheſis; neque totum ſecundum id, quod dicitur conditionatum: ideoque relinquit veritatem conditionalem contingentem illæſam, ipſam non extrahendo à ratione *coniunctivæ* ad rationem *illativæ*, vt inferebant adverſarij: quia inſeparabilitas, quæ proveniat hypotheſi ex ipſa coniunctione conditionatè futura, nihil aliud eſt, quàm neceſſitas quædam conſequens ipſius coniunctionis, quæ formaliſsimè conſtituit veritatem conditionalem *coniunctivam, & non illativam*, vtpote, quæ nihil aliud probat, niſi, quod, vt hypotheſis ſit conditionatè coniungenda cum conditionato, indiget conditionata exiſtentia ſui, & conditionati.

74 Impugnationem præcedentem firmo, & ſimul perſiſto in intento, oſtendendo *illativum illud extrinſecum*, deſtruere veritatis conditionalis contingentiam: ſuadeo ſub hac forma. *Illativum tale extrinſecum*, vel non requiritur ad veritatem conditionalem contingentem, vel deſtruit contingentiam illius: ſed per vos requiritur: ergo deſtruit contingentiam veritatis conditionalis contingentis. Probatur maior. Illud illativum, vel non requiritur, vel requiritur, vt ratio formalis veritatis obiectivæ conditionalis contingentis: ſed ſi requiritur, vt ratio formalis veritatis conditionalis obiectivæ contingentis deſtruit contingentiam illius: ergo vel non requiritur ad veritatem conditionalem contingentem, vel deſtruit contingentiam illius. Mai. eſt adverſariorum conſtituentium veritatem obiectivam conditionalem contingentem pro formali in decreto illo *ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato*, quod eſt illativum annectens conditionem cum conditionato.

75 Probatur min. Ratio ſe habendi conditionatè ſub aliqua conditione pro formali clauditur intra illud, quod dicitur hypotheſis, & illud, quod dicitur conditionatum, vt conſtat in veritate obiectiva conditionali neceſſaria, quæ tota intra terminos illius, quod dicitur hypotheſis, & illius, quod dicitur conditionatum *pro formali* continetur, quin quoad conſtitutionem ſit vlla diſparitas inter vnam, & alteram conditionalem, niſi quoad qualitatem hypotheſis, videlicèt connexæ, aut non connexæ cum conditionato: ergo illativum illud, in quo *pro formali* ſtat veritas conditionalis contingens, debet contineri intra terminos illius, quod dicitur conditionatum, & illius, quod dicitur hypotheſis: ſed non intra terminos illius, quod dicitur conditionatum: tum quia ſic aliquid conditionatum; non abſolutum foret: tum quia, vt ſupra vidimus pro coniunctione conditionata hypotheſis indifferentis cum ipſo aliud illativum eſſet neceſſarium: ergo intra terminos illius, quod dicitur hypotheſis. Iam ſic. Quando illud, quod dicitur hypotheſis includit aliquid connexum cum eo, quod conditionatum exiſtat, ſi exiſtat hypotheſis, veritas conditionalis non eſt contingens; verùm neceſſaria, vt conſtans eſt in quavis veritate conditionali neceſſaria: ergo ſi illud illativum requiritur, vt ratio formalis veritatis obiectivæ conditionalis contingentis deſtruit contingentiam illius.

76 Contra de inde ad idem intentum. Quia illud illativum ſcilicèt, *decretum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum* non eſt neceſſarium in veritate conditionali contingente quaſi ex debito illius, quod ponitur ex parte conditionati: quia pro exiſtentia conditionata, ſicut ſufficit actio conditionata, ſeu conditionatè exiſtens; ita ſufficit cauſa præparata in eſſe talis conditionata, ſeu conditionatè exiſtens: etenim ad *foret* effectus ſufficit *foret* cauſæ, & præparationis illius, vt conſtat in conditionali neceſſaria, & de hypotheſi connexa, in qua omnes cauſæ conditionati intelliguntur, tàm *ſubiectivè*, quàm *obiectivè* conditionatæ, ſaltem in ratione præparatarum ad dandam exiſtentiam conditionato: ergo tantum requiritur ad dandam vim conditioni, ſeu hypotheſi, vt talis ſit, quæ ſi exiſtat, non ſeparetur in exiſtendo ab eo, quod dicitur conditionatum: ſed vis hypotheſis ad tale munus, quando ei non provenit ſemiextrinſecè à conditionato per ſimultatem conditionatam cum ipſo, eſt quid conſtituens illud, quod dicitur hypotheſis, vt accidit in conditionali neceſſaria; aliàs invtiliter poneretur; cum nunquam hypotheſis eſſet talis, à qua ad conditionatum valeret benè conſequentia. Nec propoſitio illa Div. Thomæ opuſculo 48. tract. de enuntiat. cap. 14. poſt medium generaliter accepta: *Et inde eſt, quod omnis conditionalis vera eſt neceſſaria, & omnis falſa eſt impoſsibilis: quia, vt dictum*

ctum eſt, terminus conſequentis neceſſario ſequitur terminum antecedentis, quam nobis obijciunt, ſubſiſteret: ergo illud illativum, ſi dátur, eſt id, quod in conditionali veritate dicitur hypotheſis, à qua dum valet conſequentia ad conditionatum, ſemper reſultat neceſſaria veritas: ac per conſequens illius, quæ dicitur conditionalis contingens, erit deſtructiva.

77 Vnde conſequentiores dicerem paucos illos Authores ex Thomiſtis ſupra relatos, qui cum ex vna parte admittant veritates conditionales contingentes, & aliunde ex ſuis principijs ad omne contingens abſolutè exiſtens requirant decretum Dei efficax antecedens, & prædeterminativum, nullum aliud decretum pro veritate conditionali contingenti expoſcunt, quam illud ipſum *obiectivè abſolutum*, quod daretur *abſolutè* ſi purificaretur conditio, intellectum conditionatè in exiſtendo pro ſigno veritatis conditionalis contingentis ſine recurſu ad decretum *ſubiectivè abſolutum*, & *obiectivè conditionatum*: benè videntes, aut iſtud invtiliter poni; aut non ſine detrimento contingentiæ veritatis conditionalis eſſe aſsignandum.

78 Probatur tertiò concluſio: aliquæ ſunt veritates conditionales *non illativæ* neque intrinſecè, neque extrinſecè: ergo aliquæ ſunt veritates conditionales ſimpliciter *non illativæ*. Conſequentia eſt legitima. Probatur antecedens. Aliquæ ſunt veritates conditionales contingentes de hypotheſi reſpicienti indifferenter illud illativum, quod ponitur ab adverſarijs, ſcilicèt, decretum *ſubiectivè abſolutum*, & *obiectivè conditionatum*: ſed hæ veritates conditionales nec ſunt *illativæ* intrinſecè, neque extrinſecè: ergo aliquæ ſunt veritates conditionales *non illativæ* neque intrinſecè neque extrinſecè. Mai. videtur certa: quia non minus neceſſarium eſt dandum, aut non dandum ſub exiſtentia cuiuſvis contingentis illud illativum, quod ponitur à contrarijs contingenter exiſtens, quàm quodlibet aliud contingens: ergo ſi propter hanc neceſsitatem ſunt veritates conditionales de hypotheſi indifferente erga alia contingentia, propter ſimilem neceſsitatem erunt veritates conditionales de hypotheſi indifferente, & reſpicientes illud illativum. Prob. min. & ponamus eſſe hanc veritatem conditionalem: *Si exiſtat vocatio A in Petro, exiſtet illativum de eo, quod ſi exiſtat vocatio A, exiſtat conſenſus.* Tunc ſic, hæc veritas conditionalis non eſt *illativa* intrinſecè; cum ſit de hypotheſi non habente connexionem cum conditionato; deinde neque eſt *illativa* extrinſecè: quia non datur illativum *reflexum* ſupra illud illativum *directum*: quia de illo illativo *reflexo* idē conficitur argumentum, & vel dandæ ſunt veritates infinitæ conditionales pro ſingulis veritatibus conditionalibus contingentibus, quod non admitent; vel ſiſtendum in aliqua veritate conditionali, in qua hypotheſis ſine vllo illativo *extrinſeco* annectente ipſam cum conditionato, vltra ipſum conditionatum, ſit cum conditionato coniungenda: quod ſi in vna ſit verificabile, & perceptibile; cur non in reliquis? Cum aut nulla, aut eadem ſit ratio pro omnibus: ergo veritates illæ conditionales nec ſunt *illativæ* intrinſecè, neque extrinſecè.

79 Probatur quartò. Quia vt ſupra vidimus diſp. 13. Doctrina hæc adverſariorum de illativo *extrinſeco* non poteſt eſſe generalis, & independens; ſed potius reſtricta, & duntaxat ex quadam ſuppoſitione, ſcilicèt, quod non ſit poſsibilis Deo pura omiſsio: nam ſi hæc ſit poſsibilis Deo; in caſu, quo omnia purè liberè omiteret, eſſent conditionatè futura contingenter omnia ea, quæ aut ſunt conditionatè tantum futura, aut quæ abſolutè ſunt futura ſub exiſtentia alterius: aliàs conditionalis omnis contingens pertinens ad illam providentiam eſſet in ſe repugnans, & prorſus nugatoria, vt ibi etiam ponderavimus, & conati ſumus demonſtrare: ſed pro illis conditionalibus contingentibus veris nullum eſſet illativum extrinſecum, & in decreto *ſubiectivè abſoluto*, & *obiectivè, conditionato* conſiſtens: aliàs per tale illativum deſtrueretur caſus, & ſuppoſitio puræ omiſsionis liberæ: ergo aliquæ veritates conditionales ſunt concedendæ ita *coniunctivæ*, vt nullam illationem, neque *intrinſecam* neque *extrinſecam* diſtinctam ab hypotheſi, & conditionato debeant includere.

80 Probatur quinto. Quia plures ſunt veritates conditionales contingentes de conditionato pertinente ad libertatem divinam ſub hypotheſi eiuſdem libertatis determinatæ; cum non ſit potior ratio, vt ſub hypotheſi liber-

ta-

tatis creatæ dentur conditionales veritates contingentes de conditionato pertinente ad libertatem creatam; quàm, vt dentur ſimiles veritates conditionales ſub hypotheſi libertatis divinæ: ſed prædictæ veritates conditionales ita debent eſſe *coniunctivæ*, vt omnem illationem *intrinſecam*, & *extrinſecam* excludant: ergo non repugnant veritates conditionales talis conditionis. Prob. min. in qua ſtat difficultas. Quia pro talibus veritatibus non daretur illativum intrinſecum, & ex parte hypotheſis connexum: aliàs non eſſent veritates conditionales contingentes: neque daretur aliud illativum reflexum ſupra decretum abſolutum, & quod eſſet *ſubiectivè abſolutum*, & *obiectivè conditionatum* de operatione Deo libera; vel quia iam Deus decreuiſſet omnia, quæ ſub hypotheſi eſſet decreturus, quod abſque fundamento dicitur, vel principalius, quia in ipſo illativo *ſubiectivè abſoluto*, & *obiectivè conditionato* reddit argumentum, vt potè quod verificaret ſuam conditionalem contingentem ſub hypotheſi propriæ libertatis, ſub qua exercetur: niſi dicas, reſpectu exiſtentium nullam poſſe eſſe veritatem conditionalem; quo incides in inconveniens etiam ponderatum cit. diſp. 13. de futili, & repugnante connexione veritatum conditionalium: ergo prædictæ veritates conditionales ita debent eſſe *coniunctivæ*, vt omnem illationem intrinſecam, & extrinſecam excludant.

81 Probatur ſexto. Quia plures ſunt veritates conditionales contingentes de conditionato pertinente ad creatam libertatem, quæ ſi *illativæ* ſaltem extrinſecè forent, deſtruerent ſe ipſas, vt pote quæ eſſent de conditionato libero noſtræ voluntatis, & ſimul per illativum illud extrinſecum deſtruerent libertatē conditionati. Nam per purificationem hypotheſis conſtitueretur complexū ex ipſa, & illo illativo ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato, quod eſſet connexum abſolutè cum determinato libertatis extremo, ſcilicèt conditionato illius hypotheſis, quod quidem eſſet inimpedibile per voluntatis creatæ poteſtatem: vnde deſtrueret libertatem cum neceſsitate ſimpliciter antecedente, vt illa eſſet, ex generalibus principijs de libertate in noſtra Schola, incomponibilem: ergo vel negandæ ſunt veritates conditionales de conditionato pertinente ad libertatem creatam, vel concedendæ ſimpliciter non illativæ, ne ſimul proponantur repugnantes.

82 Inde probatur ſeptimò generaliter contra omnes. Quia in Scriptura Sacra continetur plurium veritatum conditionalium revelatio, quæ cum contingentes ſint, non admittunt vllam illationem ab hypotheſi ad conditionatum, propterea que probatur authoritate divina eſſe veritates taliter *non illativas*, & aliunde etiam non permittunt aliud illativum extrinſecum, & conſiſtens in decreto *ſubiectivè abſoluto*, & *obiectivè conditionato*, vt conſtabit, ex dicendis, dum Scientiam divinam conditionatorum contingentium ſtatuamus, vbi ſacrarum literarum teſtimonia, in quibus eæ veritates continentur, manifeſtabimus.

83 Probatur octavò, & vltimò. Quia ſi omnes veritates conditionales deberent eſſe *illativæ*; aut omnes eſſent neceſſariæ veritates, aut ſaltem eſſent magis abſolutæ, quàm conditionales: eſſent quidem neceſſariæ, ſi illatio conſiſteret in connexione hypotheſis cum conditionato, vt per ſe eſt clarum: eſſent deinde, ſaltem magis abſolutæ, quàm conditionales: quia dato, quod illatio non ſe teneret ex parte hypotheſis, & hoc titulo ſalvari poſſet contingentia ipſarum; aſt ſemper in ſuo eſſe includerent aliquid *ſubiectivè abſolutum*, cui deberetur, quod ſi exiſteret conditio, eſſet conditionatum, à quo quidem abſoluto potius dicendæ forent abſolutæ, quàm conditionales: ſiquidem veritates illæ obiectivæ, quæ pro formali ſunt aliquid abſolutum, potius quàm aliquid conditionale, potius dicendæ veniunt abſolutæ, quàm conditionales: vnde rurſus per loquutiones, aut conceptus correſpondentes prædictis veritatibus explicaretur, aut exprimeretur aliquid abſolutum, quod contra communem ſenſum, & conceptionem apparet, ex quibus illud *ſi eſſet*, & *foret*, quod includit in conditionalibus, non proponitur, vt *quid*, quod ſit; verùm, vt *quid*, quod eſſet.

84 Rogabis: qua ratione intelligendus ſit Div. Thom. ſupra citatus, expoſcens ad omnem veritatem conditionalem illationem, & inde inferens omnem conditionalem veram eſſe *neceſſariæ veritatis*; ſicut omnem conditionalem falſam *impoſsibilis veritatis*: quam do-

doctrinam prius tradiderat Boetius lib. 3. Perhierm. pag. 5. in 2. editione? Respondeo: Angelicum Doctorem non minus à nobis, quàm à maiore parte Thomistarum esse exponendum, ne teneantur dicere ex ipso, omnem veritatem conditionalem esse necessariam; ac proinde nullam esse veritatem conditionalem contingentem. Quare sicut ab ipsis dicetur processisse tantùm de conditionali *illativa* ex parte hypothesis taliter, vt à conditione ad conditionatum benè valeat consequentia; secus de conditionali *illativa* extrinsecè, & quę sine tali illatione ab hypothesi ad conditionatum componitur: sic nos dicemus, loquutum fuisse de conditionali *illativa*, & que maximè spectat ad Dialecticos, quasi quæ sola deservit ad acquirendas Scientias, medio discursu; non verò de conditionali *coniunctiva*, quam, & si ibi non exposuerit; non ideò negavit.

CAPVT IV.

Altera conclusio proponitur.

85 SECVNDA conclusio. Dantur veritates conditionales *purè coniunctivæ*, ideſt illæ, quæ dicuntur de conditione impertinente, seu disparata propter defectum conducentiæ, sivè influxus, sivè connexionis, sivè cuiuscumque alterius generis in hypothesi ad conditionatum, vt reputantur sequentes: *Si Turca dormiat, Papa loquetur. Si Ioannes hic rideat, Petrus ducet vxorem Matriti*; & aliæ similes. Solet propositio probari ex nonnullis prædictionibus conditionalibus, quæ in Scriptura continentur: qualis est illa Elisæi ad Regem Ioas 4. Regum 13. *Si percussisses quinquies, aut sexies, sivè septies percussisses Syriam, vsque ad consummationem.* Et altera Eliæ ad Elisæum 4. Regum 2. *Si videris me quando tollar à te, erit tibi, quod petisti; si autem non videris, non erit*: in quibus impertinens omninò videtur, aut numerus percusionum ad delendam Syriam, aut visio Prophetæ ad concessionem spiritus duplicis, & nihilominus prædicitur eventus, tum destructionis, tum concessionis sub ipsis: ergo dantur veritates conditionales *purè coniunctivæ*, & de conditione disparata, & inconducente modo se habente ad conditionatum; idque authoritate Sacri Textus comprobatur.

86 Sic benè probari visum fuit gravibus Authoribus, approbatque Ruiz disp. 78. sect. 2. addens in ipsum assumptum alteram prædictionem ex 1. Regum 14. *Si dixerint: ascendite ad nos, ascendamus, tradidit eos Deus in manibus nostris.* Cæterum hæc probatio videtur alijs infirma, cum non facile ostendatur conditionem carere conducentia aliqua extrinseca, vel ratione promissionis divinæ, vt tenuit Vazq. vel ratione decreti *subiectivè absoluti, & obiectivè conditionati*, vt dixit Arrubal, vel ratione decreti *subiectivè conditionati*, quod Deus haberet pro casu purificationis conditionis cum dependentia ab ipsa, vt movente divinam voluntatem, vt intendunt alij; quomodo hypothesis non esset omninò, disparata, & inconducens, vt ferre debet quæstio, & resolutio ipsius. Id quod benè vidit ipse Ruiz tribuens hypothesi ex sententia Lyræ, & Abulensis ad prædicta loca hanc conducentiam extrinsecam, & requirens duntaxat inconducentiam intrinsecam, vt veritates conditionales dicantur *disparatæ*, in quo videtur deviare à rigore, & sensu conclusionis.

87 Omissa igitur probatione ab authoritate, & qua solum vti potest, detorquendo propositionem ad *sensum restrictum, & minus proprium*, meliùs, & efficacius probatur ratione: primò, quia semel admisso, & probato, vt constat ex conclusione prima, dari propositiones obiectivas conditionales *non illativas*, deficit fundamentum omne ad excludendas veritates obiectivas conditionales *purè coniunctivas*: etenim conditionales *causales* solùm differunt ex parte materiæ à *purè coniunctivis*; secus in ratione conditionalium: nam quod conditio indifferens ex se, sit influxiva in conditionatum, nihil iuvat ad infallibilizandā coniunctionem conditionati, & hypothesis: cum tàm indifferens sit ad influxum, quàm ad conditionatum, & tam difficile sit respectu conditionis purè indifferentis verificare: *Si existat, esse influxuram in conditionatum; quàm esse coniungendam cum conditionato ex alieno influxu*: ergo si sint veritates conditionales *non illativæ*, erunt etiam per consequens veritates conditionales *purè coniunctivæ*, & de conditione impertinente.

88 Confirmatur. In veritatibus obie-

obiectivis conditionalibus *causalibus* duo verificantur conditionatè, scilicèt, & conditionem esse influxuram in conditionatum, si existat; & hoc esse coniungendum cum conditione, si conditio existat: item; sicut ad primum pro formali pertinet influxus, ita ad secundum pro formali pertinet coexistentia, & coniunctio vtriusque: sed hæc verificativa obiectiva sunt separabilia non mutuò: quia licèt influxus conditionatè nequeat stare sine coniunctione conditionata; at coniunctio conditionata potest stare sine influxu, vt constat in omnibus illis, quæ impertinenter, & disparato modo se habentes defacto in existendo coniunguntur: sed si coniunctio conditionata est separabilis ab influxu, provt sic separabilis, erit etiam veritas conditionalis separabilis à veritate conditionali *influxiva*, & propterea conditionalis *purè coniunctiva*, & includens duntaxat rationem formalem conditionatæ coniunctionis: ergo si datur veritas obiectiva conditionalis *influxiva*, & *causalis*, dabitur etiam veritas obiectiva conditionalis *purè coniunctiva*.

89 Vrgetur. Ea, quæ provt in statu absoluto, sunt separabilia absolutè, provt in statu conditionato sunt separabilia conditionatè: siquidem ab statu absoluto valet ad conditionatum, & à separabilitate absoluta ad separabilitatem conditionatam, vt constat in consensu Petri sub libertate determinata, qui quia separabilis est in statu absoluto à consensu Ioannis sub determinata alia libertate, separabilis etiam est in statu conditionato, & potest verificari conditionatè: *Petrum esse consensurum si detur libertas talis determinata*, quin verificetur: *Ioannem fore consensurum, si tribuatur ei libertas talis alia determinata*: qua ratione ostendi etiam potest in omnibus alijs: sed coniunctio vnius cum alio sub existentia alterius est separabilis in statu absoluto ab influxu alterius, qua ratione ostendunt omnia ea, quæ impertinenter, & disparato modo inter se coexistunt: ergo coniunctio vnius cum alio sub existentia alterius in statu conditionato est etiam separabilis ab existentia vnius cum alio, & sub alio ex influxu eiusdem: ast conditionalis de existentia vnius sub existentia alterius absque omni influxu, & conducentia est conditionalis veritas *purè coniunctiva*: non ergo repugnant prædictæ veritates.

90 Respondebis ex Illustrissim. Godoy, & alijs non posse ex conditionali *causali non illativa* sumi vllum fundamentum ad conditionalem de conditione disparata: siquidem in prima est in conditionato dependentia aliqua à conditione, scilicèt, dependentia influxus, ex qua resultat in conditione aliqua connexio cum conditionato correspondens particulæ *si* propositionis veræ conditionalis: at in conditionali disparata conditionatum nullam habet dependentiam à conditione: vnde hæc est omnimode inconnexa cum conditionato, & impotens componere veritatem conditionalem, vt correspondentem propositioni conditionali secundum vim, quam præsefert ex ipsa particula *si*.

91 Sed contra. Quia hæc solutio partim videtur supponere conclusionem; partim verò doctrinam, quàm supponit, destruere. Primum probo: quia omninò liberè restringit veritates conditionales ad *illativas*, & *influxivas*, pariter coarctans particulam *si*, vt vel illationem, vel saltem influxum conditionis in conditionatum semper denotet, quod non nisi liberè, & ad arbitrium constituitur: non absimiliter, ac si alius, dum iste Sapientissimus Magister probat, dari veritates aliquas, *causales*, & *non illativas*, responderet: omnes prædictas conditionales non subsistere, nec vere conditionaliter affirmari: quia particula *si* in conditionalibus semper denotat illationem; quæ si deficiat, prorsus corruit veritas conditionalis. Iam si sic tenaciter respondentem à prædicta solutione dimovere vellet: quodnam ipsi medium suppeteret, quod in propria sententia redargui non posset in libero illo modo restringendi conditionales ad *illativam* tantum, & *causalem* præbendo ansam, vt alius restringeret ad solam *illativam*? propterea quod hæc sola contineat alligationem conditionis ad conditionatum, quæ non est in conditionali *influxiva*, quando hypothesis influens ob suam indifferentiam non est determinata ad influxum. Probo secundum: quia cum ex vna parte supponat dari veritates conditionales *non illativas*; in modo tamen probandi conditionales *influxivas* semper redolet conditionalem *illativam*, quærens influxum conditionis in conditionatum, vt conditio

non

non sit penitus inconnexa, in quo animadversione digna sunt, tum quod admissa conditionali *non illativa* tanta sit solicitudo quærendi illationem per connexionem aliquam; tum improprietas loquendi confundendo dependentiam influxus cum dependentia connexionis vocando hypothesim *non inconnexam*, quia *influxivam*.

92 Respondent alij ex eventu absoluto coniunctionis eorum, quæ inter se impertinenter, & inconcinne se habent, perperàm argui ad statum conditionalem vnius sub existentia alterius: nam licèt ab statu absoluto benè valeat ad statum conditionalem, cuius est capax ille status absolutus; non autem ad statum conditionalem, cuius est incapax propter improportionem, quam dicit hypothesis ad conditionatum ex independentia huius ab illa, & sola aptitudine, vt cum ea coniungatur.

93 Peccat hæc solutio, sicut præcedens in eo, quod supponat id, quod probare debebat, seque impedit ab omni medio probativo conditionalis *non illativæ*. Rogo: quare status absolutus vnius, vt influxivè pendentis ab alio benè inferat statum conditionalem vnius sub existentia, & influxu alterius, si quamvis stet ex parte conditionis influxus, deficit connexio, & inseparabilitas? Teneo ego pro nunc, illationem esse necessariam ad conditionalem; & terminis acceptis vtens respondeo: ab statu absoluto vnius, vt influxivè pendentis ab alio bene valere ad statum conditionalem, cuius sit capax, secus ad statum conditionalem, cuius sit incapax propter improportionem, quam dicit hypothesis ad conditionatum ob defectum connexionis, quæ debet intercedere inter conditionem, & conditionatum, & solam inconducentiam influxus intervenientem, quæ pro conditionali non suficit. Necessum ergo erit respondenti recurrere ad separabilitatem, quam in statu absoluto habent: *Vnum existere sub alio influxivè: & vnum existere sub alio connexivè*, & inde arguere separabilitatem similem quoad statum conditionatum. & ita verificari: *Si existat A, existet B, ex influxu illius*, quamvis non verificatur: *Si existat A, existet B, ex connexione illius*. Quod si ita sit, vtramque solutionem rursus impugno, & conclusionem simul secundò probo sub hac forma.

94 Quia vbi stat connexio, & influxus ex parte hypothesis in conditionatum affirmatur vnum, & aliud in propositione conditionali correspondente tali statui conditionato; & aliunde ratio influxus est separabilis in statu absoluto à ratione connexionis hypothesis in conditionatum, benè valet à separabilitate status absoluti ad separabilitatem status conditionati per veritatem conditionalem, quæ *influxiva* tantum sit; non *illativa*: ergo quia vbi stat influxus ex parte hypothesis, & coniunctio semiextrinseca cum conditionato in casu existentiæ hypothesis affirmatur vnum, & aliud in propositione conditionali correspondente tali statui conditionato, & aliunde ratio coniunctionis hypothesis cum conditionato in statu absoluto est separabilis à ratione influxus vnius in aliud, benè valebit à separabilitate status absoluti ad separabilitatem status conditionati per veritatem conditionalem, quæ *coniunctiva* tantum sit, & nullo modo *influxiva*, aut *illativa*. Antecedens videtur certum, vel ostendant aliam rationem, vnde probari possit conditionalis *influxiva*, & non *illativa*. Consequens etiam verum tenet; cum in omni veritate conditionali principalissimum locum teneat coniunctio conditionata hypothesis & conditionati: propterea que principalissimè significatur in omni propositione conditionali vera correspondente statui conditionato. Vlterius consequentia est legitima à paritate rationis: & ideò omnia constare videntur, tàm ad convellendas solutiones datas, quàm ad roborandam propositionem nostram.

95 Tertiò. Quodcumque etiam impertinenter, & disparato modo se habens in existendo respectu alterius, est tale, quod in existendo nequeat ex parte rei præscindere à duplici contradictorio erga existentiam alterius: ergo quodcumque etiam impertinenter, & disparato modo se habens in existendo respectu alterius est tale, quod si existat, coniungendum sit, vel cum existentia alterius, vel cum defectu existentiæ alterius: sed necessitas prædictæ coniunctionis infert, esse aliquam determinatam veritatem de conditione impertinente, & disparata: ergo prædictæ veritates conditionales *purè coniunctivæ* dantur. Prob. min. in qua stat difficultas.

Ne-

Necessitas disiunctiva vagans inter aliqua extrema conditionata non potest stare ex parte rei sine aliquo extremo conditionato determinato, quamvis non determinatè requisito: sed extrema conditionata, inter quæ vagatur necessitas illa *disiunctiva* non præcisionis ab vtroque contradictorio erga existentiam alterius sub existentia propria, sunt veritates conditionales *purè coniunctivæ*, & de conditione disparata: scilicèt, *si existat A, existet B. si existat A, non existet B; aut existet defectus illius*: ergo necessitas prædictæ coniunctionis infert esse aliquam determinatam veritatem de conditione impertinente, & disparata.

96 Confirmatur. *Necessitas disiunctiva* vagans inter extrema aliqua absoluta, vel de præsenti, vel de præterito, vel de futuro, benè infert esse veritates absolutas determinatas, aut de præsenti, aut de præterito, aut de futuro. Constat id: quia ex hoc titulo datur efficax, & vnica probatio ad probandas veritates absolutas de futuro: ergo *necessitas disiunctiva* vagans inter aliqua extrema conditionata, vel de præsenti, vel de præterito, vel de futuro, benè infert, esse veritates determinatas conditionatas, vel de præsenti, vel de præterito, vel de futuro sub conditione, quæ in necessitate *vaga* ponitur. Consequentia apparet legitima ab identitate fundamenti: at conditio, quæ requiritur per illam necessitatem vagam: *Si existat A, vel existet B; vel defectus illius*, est conditio disparatè se habens ad conditionata vagè respecta: ergo sub tali conditione est necessarium verificari aliquam determinatam conditionalem veritatem *purè coniunctivam*, & de conditione disparata.

97 Rursus confirmatur. Nam similis *disiunctiva necessitas* sub conditione influxiva, & non connexa infert, & benè probat esse veritates conditionales *determinatas*, & *influxivas*, quamvis non *illativas*: ergo talis *disiunctiva necessitas* sub conditione impertinente, & disparata inferet, & benè probabit esse veritates conditionales *determinatas*, & *purè coniunctivas*. Prob. consequentia. *Necessitas disiunctiva* vagans inter duo contradictoria conditionata sub hypothesi, non minus est impræscindens ab existentia vnius sub hypothesi, aut minus incomponibilis cum defectu vtriusque sub hypothesi, quando hæc est *influxiva*; ac quando est *purè coniunctiva*: cum impossibilitas defectus duplicis contradictorij, & necessitas existentiæ vnius, tam in viridi persistat sine influxu: quàm cum influxu: non secus ac persistit in sua vi sine illatione, & cum illatione: ergo talis *disiunctiva necessitas* sub conditione impertinente, & disparata inferet, & benè probabit, esse veritates conditionales *determinatas*, & *purè coniunctivas*.

98 Amplius roborantur dicta contra adversarios admitentes connexionem Dei cum possibilibus, & impossibilibus: vnde etiam admittunt connexionem *mutuam* omnium possibilium inter se: ex qua suppositione sic arguo. Per vos, hæc conditionalis est admitenda: *Si existat Petrus, Turca convertetur, vel non convertetur*: quia hæc conditionalis est *necessaria & illativa*, propter connexionem, quam habet existentia Petri possibilis cum possibilitate conversionis Turcæ, quæ non daretur, si pro casu existentiæ Petri, quæ suppositio possibilis est, vtrumque contradictorium, *conversionis*, & *non conversionis Turcæ* posset deficere: ergo admittendum etiam est id sine quo talis conditionalis non potest existere: sed talis conditionalis non potest existere sine eo, quod sit determinatè verum, aut, *quod si existat Petrus, erit conversio Turcæ*; aut quod *si existat Petrus, non erit conversio Turcæ*; quod quidem determinatè verum est conditionale de conditione *disparata*, & *purè coniunctiva*: namque si fiat satis prædictæ conditionali per hanc determinatam: *Si existat Petrus, Turca convertetur*; hæc conditionalis est *purè coniunctiva*; si verò per alteram determinatam: *Si existat Petrus, Turca non convertetur*, etiam est conditionalis de hypothesi impertinente: ergo cum vna vel altera ex his pro veritate illius conditionalis *illativæ*, & *necessariæ* debeat dari; per consequens vna, vel altera conditionalis *purè coniunctiva* non potest deficere: sed vnam, vel alteram conditionalem *purè coniunctivam* non posse deficere, est aliquam conditionalem *purè coniunctivam* debere existere: ergo ex doctrina, quam admittunt, aliquas conditionales *purè coniunctivas* existere, est necessarium.

99 Explicatur: illa conditionalis necessaria, & illativa: *Si existat Petrus, Turca convertetur, vel non convertetur*, cum aliquo connectitur sub existentia Petri, sicut cum aliquo opponitur

ſub exiſtentia Petri: aliàs nihil contineret reſpectivum ad exiſtentiam Petri: ſed illud, cum quo connectitur ſub exiſtentia Petri, non eſt aliquid abſolutum, cum ex ſe præſcindat à purificatione conditionis, & exiſtentiæ Petri: ergo tantum aliquid conditionatum ſub exiſtentia Petri, quod ſe habet, vt hypotheſis: ſed omne conditionatum ſub illa hypotheſi aliud non eſt, quàm, aut exiſtentia conditionata converſionis Turcæ ſub exiſtentia Petri, aut exiſtentia conditionata non converſionis eiuſdem ſub exiſtentia Petri, quorum quodlibet eſt conditionatum purè coniunctivum, & de hypotheſi impertinente: ergo conditionalis illa, quæ admittitur, eſſe non valet ſine aliquo conditionato purè coniunctivo, & correſpondente veritati conditionali purè coniunctivæ: ac per conſequens ex illa liquet; aliquam conditionalem *purè coniunctivam* eſſe dandam, quod ſine conditionali *purè coniunctiva* eſſe non poteſt.

100 Quartò. Quodcumque abſolutè exiſtens in rebus, ſivè exiſtentia ſimpliciter tali, ſivè exiſtentia verificationis iuxta explicationem datam ſupra cap. 2. in fine, fundare hanc veritatem conditionalem: *Si exiſtat aliud quodcumque exiſtentia ſimpliciter tali, aut exiſtentia verificativa, modo pertinens ſit ad me quacumque pertinentia, ſivè impertinens, & vt dicunt, omninò à me diſſolutum, mihi coexiſtet*: ſed ex hac veritate deducitur veritas conditionalis *purè coniunctiva*, & de hypotheſi diſparata: ergo dantur prædictæ veritates. Conſequentia eſt legitima & mai. certa: ſiquidem omne abſolutè exiſtens, eo modo, quo connectitur ex tali ſuppoſitione cum exiſtentia ſui, pariter infert, quod ſi exiſtat quodcumque aliud, ſint vnum, & aliud reſultans ex exiſtentia ſui, & alterius, quod formaliter eſt ſibi mutuò coexiſtere: ac proinde dari exiſtentiam cuiuſvis ad alterum: ergo ſi quodcumque abſolutè exiſtens ſub conditione exiſtentiæ alterius infert mutuam coexiſtentiam ſui, & aliùs ſub eadem conditione, pariter infert coexiſtentiam alterius ad ſe.

101 Probatur Minor ſola remanens difficilis. Prædicta conditionalis, eo, quod petat ſub hypotheſi exiſtentiæ cuiuſvis alterius coexiſtentiam eiuſdem ad illud, quod ſupponitur abſolutè exiſtens, vel extiturum, petit etiam, quod ſi exiſtat, quodcumque aliud, ſit illud, quod ſupponitur abſolutè exiſtens, vel extiturum: ſed exigere, quod ſi exiſtat quodcumque aliud, ſit illud quod ſupponitur abſolutè exiſtens, vel extiturum, eſt ex ea deduci veritatem conditionalem *purè coniunctivam*, & de hypotheſi diſparata: ergo ex ea veritate deducitur veritas conditionalis *purè coniunctiva*, & de hypotheſi diſparata. Probatur min. Petere, quod ſi exiſtat quodcumque aliud, ſit illud, quod ſupponitur abſolutè exiſtens, vel extiturum, eſt formaliſsimè exigere, quod ſi exiſtat impertinens ad aliud, quod ſupponitur abſolutè exiſtens, vel extiturum, ſit illud (ſupponamus ergo impertinens iſtud eſſe *A.*) exiget per conſequens, *quod ſi exiſtat, ſit illud B*: ſed hæc veritas eſt conditionalis *purè coniunctiva*, & de hypotheſi diſparata: ergo exigere, quod ſi exiſtat quodcumque aliud, ſit illud, quod ſupponitur abſolutè exiſtens, vel extiturum, eſt, ex ea deduci veritatem *purè coniunctivam*, & de hypotheſi diſparata. Probatur min. Veritas conditionalis, in qua hypotheſis eſt quid impertinens ad conditionatum, eſt conditionalis *purè coniunctiva*, & de hypotheſi impertinente ad conditionatum: ſed illa veritas habet pro hypotheſi *A*, quod, per te, eſt quid impertinens ad conditionatum: ergo ea veritas eſt conditionalis *purè coniunctiva*, & de hypotheſi impertinente ad conditionatum.

102 Nec dicas: eam veritatem conditionalem, quoad voces tantùm, quibus à nobis proponitur eſſe *purè coniunctivam*; quoad rem verò eſſe maximè *illativam*, & *neceſſariam* ratione ſuppoſitionis, quæ fit de ſtatu abſoluto alterius, vel de præſenti, vel de futuro; quæ quidem ingreditur hypotheſim, & eo modo facit veritatem conditionalem neceſſariam, & de hypotheſi maximè pertinente, provt correſpondet his terminis: *Si exiſtat abſolutè A, & exiſtat B. exiſtet abſolutè A*: aut iſtis: *si exiſtat B. exiſtente A, ipſi coexiſtet*, quæ conditionales quantum diſtent à *purè coniunctivis* probatione non eget. Non inquam id dicas: cum aliud ſit ſuppoſitionem illam ſtatus abſoluti vnius extremi, quam aſſumimus, vt medium ad inferendum, dari aliquas veritates conditionales *purè coniuncti-*

vas

pas inferre conditionalem aliquam; aliud, quod non aliter eam inferat, quàm constituendo eius hypothesim, vt sic resultet conditionalis *necessaria*, & *illativa* : itaque verum est, suppositionem illam inferre conditionalem assignatam ; sed non est verum inferre eam constituendo hypothesim illius, eam immutando ; sed potius eam relinquendo in ratione conditionalis *purè coniunctivæ*, quomodo cum illa tantùm connectitur ; ad instar illius, quod accidit in contraria sententia, in qua decretum *subiectivè absolutum*, & *obiectivè conditionatum* connectitur cum veritate conditionali de hypothesi pertinente, & influxiva : nec quamvis veritas conditionalis fundetur ; non vtcumque; sed pro formali in tali decreto, ideò volunt adversarij, decretum ingredi hypothesim immutando conditionalem, & eam transferendo à *non illativa* in *illativam* : & in omnium sententia, tametsi status absolutus non repugnantiæ, & exclusionis sui contradictorij in Equo fundet hanc conditionalem : *Si existat Equus, existet sine repugnantia, aut excludet suum contradictorium* : non ideò suppositio status absoluti nonrepugnantiæ, & exclusionis sui contradictorij est necessarium, quod se teneat ex parte conditionis tantùm verificando hanc propositionem conditionalem : *Si existat existens, & excludens suum contradictorium, excludet suum contradictorium*: quæ etiam de quovis impossibili vera est; secus istam : *Si existat, non repugnabit, aut excludet suum contradictorium*, quæ duntaxat entitati possibili potest convenire.

103 Quintò. Pone affirmari ab aliquo conditionatè futurum aliquid sub conditione magis disita, & incongrua, quæ excogitari possit: tunc casus statim, ac audimus similem affirmationem, non eam respuimus, vt falsam, aut ridemus tanquam fatuam, & nugatoriam ; sed suspenso iudicio spectamus eventum, qui si eveniat, vti affirmatum fuit, non dubitamus asserere, verum dixisse, siquidem ita contingit, vt dixit, ad summum comitante admiratione de eo, quod sub tali conditione impertinente ad conditionatum designatum à vero non deflexerit. Iam si verum dixisse iudicamus: qua veritate rogo? Non quidem veritate aliqua absoluta : cùm nihil absolutè proferenti veritas absoluta non respondeat: ergo veritate tantum conditionata claudente existentiam absolutam conditionati pro casu existentiæ absolutæ conditionis : sed veritas hæc conditionata non esset *illativa* propter inconnexionem hypothesis cum conditionato : neque *esset influxiva* ob defectum influxus conditionis in cõditionatum; neque in alio genere de conditione pertinente propter suppositionem factam: ergo tantùm *purè coniunctiva*: cum non restet aliud membrum dividens sub diviso illo veritatis conditionalis.

104 Sextò. Quia, vt benè Ruiz, si non essent veritates obiectivæ de conditione disparata, & extranea, deficeret maxima pars veritatum conditionalium, quarum hypothesis esset influxura in conditionatum : sed hoc non est dicendum ; cum conditionales veritates de conditione influxiva planè, & sine exceptione concedantur ab adversarijs: ergo neque negandum dari veritates conditionales de conditione extranea, & non conducente ad conditionatum. Mai. in qua stat difficultas, propter sequelam, quam involvit, probatur. Quia inter conditiones influxivas non omnes constituunt adæquatum actum primum; sed sunt veluti partes illius, quarum influxus stare non posset, nisi in consortio aliarum : sed omnes veritates his conditionibus correspondentes, deficerent, si non essent veritates obiectivæ de conditione disparata : ergo si non essent veritates obiectivæ de conditione disparata, & extranea deficeret maxima pars veritatum conditionalium, quarum hypothesis esset influxiva in conditionatum. Prob. min. Omne ex se influxivum inadæquatè in conditionatum dum non ponitur cum reliquis complentibus actum primum, & constituentibus actum primum, tam invtile, & inconducens remanet ad conditionatum, ac si esset ex se prorsus inconcernens, & extraneum : patet; quia omne influxivum impeditum ad actum secundum, provt sic impeditum, est inconducens, & invtile ad actum secundum, vtpote qui ab ipso taliter impedito non potest provenire : ergo omnes veritates de conditionato sub hac conditione essent in actu secundo de conditione extranea, & disparata, licèt dum adessent alia comprincipia

poſſent reddi de conditione pertinente: ſed omnes hæ deficerent, ſi deficerent veritates conditionales de conditione extranea, & impertinente: ergo omnes veritates conditionales his conditionibus correſpondentes deficerent, ſi non eſſent veritates obiectivæ de conditione diſparata.

105 Vt vis argumenti innoteſcat, exemplum apponit Ruiz in eo, qui eſſet navigaturus ad Indos non aliter, quàm ex complexo inclinationis inviſendi novum illum Orbem, & mira, quæ de illo narrantur, ex morte Patris, ex amiſsione rei familiaris, & ex invitatione conſanguinei divitis apud Indos. Inſuper, vt Pater interiret, cauſa fuit rixa, vel latrocinium, vel error medici, vel in convivio repletio, & cruditas: deinde, vt amitteretur Patrimonium, cauſa fuit fraus alterius negotiatoris, in cuius conſortio rem familiarem curabat, aut fideiuſsio, vel Pyratarum direptio, vel naufragium. Vlterius: felicis fortunæ conſanguinei cauſa fuit, aut Principis gratia, aut propria merita remunerata, aut ſola induſtria amicis cooperantibus, vt ſolet evenire. Eo magnum numerum circunſtantiarum iam removentium impedimenta, iam poſitivè influentium, vt Franciſcus v. g. transfretaret ad Indos: vel ergo ſola complexio earum eſſet hypotheſis veritatis conditionalis de navigatione ad Indos, vel ſingulæ earum; cum ſingulæ in ſtatu abſoluto eſſent cum navigatione coniungendæ: ſi hoc vltimum: incides in veritates conditionales de conditione diſparata propter rationem inſinuatam: ſi primum: ergo tot veritates conditionales, quot ſunt circunſtantiæ ſingulæ influxivæ in conditionatum navigationis deficiunt: ac propterea maxima pars conditionalium de conditione ex ſe influxiva deficiet.

106 Hùc facit id, quod notavit Izquierdo pro vitanda æquivocatione in iudicio conditionum, quæ vocandæ ſunt *diſparatæ*, & *purè coniunctivæ*, & quæ vocandæ ſunt influxivæ, & pertinentes: ſiquidem conducentia, aut non conducentia hypotheſis in conditionatum non eſt præcisè penſanda ex eo, quod conditio ſit ex ſe influxiva, vel pertinens, aut non ſit ex ſe influxiva, & pertinens; ſed penes actum ſecundum influxus, aut conducentiæ, quem haberet conditio in conditionatum, ſi exiſteret; aut penes defectum actus ſecundi, & conducentiæ, ideò ſtare poteſt ex parte hypotheſis aliquid ex ſe influxivum in conditionatum, aut ex ſe in illud conducens, quin ideò conditionalis excedat terminos *purè coniunctivæ*, & influxiva debeat reputari. Et ratio eſt: quia dum conditio, ſi exiſteret defacto, non influeret, *de materiali* tantum ſe habet illa aptitudo ad influendum, & conducendum, quæ cum defectu influxus, & conducentiæ, ſi exiſteret, defacto coniungerentur: contingeretque tunc in ordine ad reputandam conditionem illam influxivam, aut pertinentem idem, quod in caſu, quo duo ignes eſſent approximati ad comburendum lignum, & vni ſuſpenderet Deus concurſum ad ignem producendum, cui influxiva virtus in ignem productum ab alio, & approximatio ad illum producendum non eſſent ſufficientes: ne præſentia, & virtus influxiva cenſerentur meritò otioſæ inconducentes, & extraneæ ad ignem productum: exindeque conditionalis reſpondens exiſtentiæ ignis producti ſub exiſtentia, & caſu ignis impediti ad comburendum, eſſet conditionalis *purè coniunctiva*, quamvis hypoteſis eſſet ex ſe influxiva in conditionatum.

107 Vnde corruit ſubtilitas quædam excogitata à Ribadeneyra dicente diſp. 23. de Scientia cap. 2. num. 19. *Videtur mihi veriſsimum plures conditionales, quæ vulgò cenſentur diſparatæ, non adèo diſparatas eſſe, vt omnem prorſus conducentiam excludant ad conditionatum: exemplum ſit illa communiſsima: Si Turca dormiat, Ioannes convertetur. Ratio eſt: quia quod excludit aliquod impedimentum converſionis eſſentialiter connexum cum non converſione Ioannis, non eſt prorſus impertinens ad eam converſionem: ſed dormitio Turcæ excludit aliquod impedimentum eſſentialiter connexum cum non converſione Ioannis: ergo non eſt prorſus impertinens ad talem converſionem.* Min. prob. *Nam Turcam dormire, vel decernere Deum ſomnum Turcæ excludit hoc decretum Dei:* (decerno, quod neque dormiat Turca, neque convertatur Ioannes) *ſed hoc decretum eſt impedimentum converſionis eſſentialiter connexum cum non converſione Ioannis: ergo Turcam dormire, vel decernere Deum hanc dormitionem, excludit aliquod impedimentum eſſentialiter connexum cum non converſione Ioannis. Idem tibi rem perpendenti apparebit in conditionalibus, quæ prima facie videntur diſparatæ;* ſic acutiſsimus Magiſt.

108 Cuius discursus fallax est, & in multis deficit. Primò: quia ex eo vix relinquitur conditionalis vlla *purè coniunctiva*; cum ferè nulla sit conditio, in qua non resplendeat similis conducentia impediendi decretum indivisum de non existentia sui, & conditionati, etiam si veritates conditionales sint de conditionato negativo, nisi in solis illis casibus, in quibus oppositum conditionati negativi sit connexum cum existentia conditionis, vt apparet in exemplo illo ab ipso appositio: *Si nunc existat Anima rationalis, nullo actu exercebitur dependente essentialiter ab ipsa*: in quo oppositum conditionati essentialiter connectitur cum existentia Animæ: scilicèt, *aliquis actus dependens essentialiter ab ipsa*. Secundo: quia aliud est hypothesim posse auferre illud impedimentum; aliud, quod illud *in actu secundo* auferat, auferendo actualiter decretum de non existentia sui, & conditionati. Demus igitur; quòd semper, ac in re auferat illud impedimentum, sit conditio pertinens, & conditionalis resultans non sit *purè coniunctiva*; at vnde probatur, id semper habere prædictam conditionalem in ordine ad conditionatum; ac proinde semper esse reputandam conditionem pertinentem. Nam si Deus, priusquam decernat existentiam *dormitionis Turcæ*, & *conversionis Ioannis*, excludat decretum indivisum virtualiter de non existentia simultanea vtriusque reliquendo sibi liberum ad signum posterius decernere, aut non decernere per duo decreta; tunc quidem existentia conditionis erit exclusiva tantum *in actu primo* illius decreti indivisi; secus *in actu secundo*, & provt erat necessarium, vt reputaretur conditio pertinens.

109 Tertiò. Quia adhùc in casu, quo actualiter excludat decretum illud indivisum de non existentia sui, & conditionati materialissimè tantùm illud excludit, provt est impedimentum ad existentiam conditionati: cum illud non excludat formaliter quia est decretum de non existentia conditionati; sed quia est decretum de non existentia sui: vnde exclusio impedimenti partim debetur existentiæ sui, partim existentiæ conditionati, quod plus est coniunctum conditionis, & conditionati esse quid conducens ad se ipsum, & auferens impedimenta vtriusque distributione accommoda, quàm quod hypothesis sit conducens ad conditionatum, & ablativa impedimenti opposita cum existentia illius: reputetur ergo (nifallor) in communi omnium existimatione conditio pertinens illa sola, quæ per se formaliter, & secundùm ea illa, quæ ad ipsam formaliter spectant, aufert impedimenta conditionati, aut ad existentiam illius positivè conducit.

110 Non minùs fallitur idem doctissimus Author quando num. 16. eiusdem cap. etiam sibi esse certissimum (inquit) quoties sub hypothesi conditionis existentia conditionis, & conditionati intelligitur, veritatem conditionalem non esse *purè coniunctivam*, & *disparatam*: quia cum ad coexistentiam conditionis, & conditionati maximè conducat existentia conditionis; per consequens si ex parte conditionati intelligatur existentia vtriusque, existentia conditionis non poterit non esse de aliquo pertinente ad conditionatum. Quæ doctrina, si vera esset vniversalius, quàm discursus præcedens, aufferret omnem conditionem inconducentem, & omnem veritatem conditionalem *purè coniunctivam*. Et ratio est: quia in omni veritate conditionali, quod principaliter intelligitur, est coniunctio conditionati cum conditione sub casu, & existentia conditionis: idque etiam principalissimè per propositiones, sivè vocales, sivè mentales significatur: dicat nunc quæsso; quid aliud sit coniunctio conditionati, & conditionis pro casu hypothesis, nisi coexistentia conditionati, & conditionis sub hypothesi? Aut cur ipse conditionales illas, quas vocat *disparatas*, vocat etiam *purè coniunctivas*? Ergo si omnis conditionalis, in qua coexistentia hypothesis, & conditionati ponitur ex parte conditionati, est de conditione pertinente, nulla erit conditionalis *purè coniunctiva*: signum ergo est, quod pro definienda conducentia hypothesis ad conditionatum, attendendum solùm est id, quod ponitur ex parte conditionati, provt distinctum ab hypothesi, ad quod si conducat aliquomodo conditio, erit conditionalis pertinens; si verò non conducat, erit impertinens, & *purè coniunctiva*.

111 Contra conclusionem obijciunt primò Godoy, & alij ex Thomistis. Conditionalis, vbi conditio non infert per bonam consequentiam conditionatum, seu, quæ *illativa* non est, sal-

tem exigit ad ſui veritatem dependentiam conditionati à conditione: ſed in conditionali *diſparata*, & *purè coniunctiva*, neque conditio infert per bonam conſequentiam conditionatum, neque illud vllo modo dependet à conditione: ergo nulla eſt veritas conditionalis *purè coniunctiva*. Reliqua conſtant præter maiorem, quæ ſic probatur. Conditionalis, vt diſtinguatur à *veritate copulativa*, opus habet, vt non includat præcisè coniunctionem conditionis, & conditionati: ergo debet habere dependentiam conditionati à conditione. Deinde: quia teſte Div. Thoma opuſculo 48. tract. de Enuntiat. cap. 4. Propoſitio temporalis, & veritas ipſi correſpondens reductivè ſolùm eſt conditionalis: ſed veritas hæc temporalis, *dum, aut quando Turca dormiat, Ioannes convertetur* includit ſolam coniunctionem ſomni, & converſionis, & hæc tantum per propoſitionem, ſivè mentalem, ſivè vocalem exprimitur, & ſignificatur: ergo aliquid aliud includere debet veritas conditionalis, ſi talis iurè cenſenda eſt.

112 Ante ſolutionem, argumentum inſto, quod, aut probat, non eſſe aliam veritatem conditionalem niſi *illativam*, aut non probat contra *purè coniunctivam*, & *diſparatam*. Ratio eſt: quia, aut liberè aſſumit arguens illud medium: *Conditionalis, vbi conditio non infert per bonam conſequentiam conditionatum, petit dependentiam conditionati à conditione*: & ſic non minus vana erit conditionalis veritas *influxiva*, quàm *coniunctiva*: ideoque debebit reſtringere veritates conditionales ad ſolas *illativas*, vel ampliare ad *purè coniunctivas*; vel cum fundamento: & hoc aliud eſſe non poteſt, niſi quod coniunctio conditionata, quæ includitur in omni conditionali *illativa*, eſt conceptus ex ſe ſeparabilis ab illatione; quod quidem fundamentum etiam militat pro conditionali *purè coniunctiva*: nam ſicut coniunctio conditionata ex influxu eſt ſeparabilis ab illatione, ita coniunctio conditionata duorum eſt ſeparabilis ab influxu. Probat ergo; aut ſolam veritatem conditionalem *illativam* eſſe admitendam; aut *purè coniunctivam* rationem veræ conditionalis participare; quod vtrumque alienum eſt à mente obijcientis.

113 Nec minus contra ipſum eſt locus adductus Div. Thomæ; cum non minus formari poſsit conditionalis temporalis ex conditionali *influxiva*; quàm ex conditionali *purè coniunctiva*: vt conſtat in hac conditionali: *dum, aut quando exiſtat libertas A. in Petro, exiſtet conſenſus illius*: ergo ſi conditionalis temporalis reductivè tantùm, & impropriè eſt conditionalis; conditionalis influxiva, quæ vt influxiva, ipſam includit, erit etiam conditionalis tantùm reductivè, & impropriè; præcipuè quando ipſe D. Thom. in eodem tract. contraponit prædictam conditionalem temporalem conditionali *illativæ* de qua ſolùm dixit eſſe veram conditionalem, iuxta illam propoſitionem vniverſaliſsimam, quam ibi ſtatuit, ſcilicèt: *Omnem conditionalem eſſe illativam.*

114 Reſpondetur ex Ribadeneyra. Nego mai. Et ad primam illius probationem dicendum: copulativam hanc *Turca dormiet, & Ioannes convertetur*, diſtingui ab ea, quam conditionalem vocamus, nempè: *Si Turca dormiat, Ioannes convertetur*: quia illa exiſtentiam affirmat vtriuſque extremi; hæc verò præcisè affirmat ponendam eſſe converſionem Ioannis caſu, & ſuppoſitione, quod ponatur ſomnus Turcæ præſcindendo ab eo, quod ponenda, aut non ponenda ſit dormitio Turcæ; quod novum quid non eſt, & peculiare noſtræ ſententiæ; ſed commune omni: dicant ergo adverſarij, ſivè conditionalem *illativam* tantum; ſivè inſuper *influxivam* protegant: in quonam diſtinguant *copulativam* de antecedenti, & conſequenti a conditionali *illativa*: aut *copulativam* de producente, & producto, aut de principio, & principiato à conditionali *influxiva*? Reſpondebunt quidem: eas diſtingui, quia ſi copulativa de *antecedente*, & *conſequente ſit*, hæc exigit ſimultatem abſolutam vtriuſque, quam non exigit conditionalis *illativa*, vtpote, quæ ex ſe præſcindit à purificatione conditionis, ſub qua ſolùm exigit exiſtere abſolutè coniunctionem antecedentis, & conſequentis: ſi verò ſit copulativa de *producente*, & *producto*, aut *de principio*, & *principiato*: eam differre à conditionali influxiva: quia exigit coniunctionem abſolutam principij, & principiati; quam illa ſolùm exigit ſub hypoteſi, à cuius purificatione, aut non purificatione præſcindit: igitur par eſt difficultas, & par apud omnes ſolutio.

115 Ad ſecundam probationem acceptam ex verbis Divi Thomæ, di-

cendum: Sanctum Doctorem loqui de conditionalibus contrapositis illi, quæ sola deservit ad discursum, & quæ propterea maximè consideratur à Logica, vt medium ad scientias humanas acquirendas. & in hoc tantùm sensu dicit: propositionem illam temporalem esse reductivè tantum conditionalem; sicut, & veritatem obiectivam ipsi correspondentem: quia est similis conditionali illativæ, in quantum vtraque ex se præscindit ab absoluta coniunctione hypothesis, & conditionati; discrepat verò ex non illatione ab hypothesi ad conditionatum, quæ maximè expectanda erat pro rigore conditionalis in ordine ad propositum intentum Angelici Magistri; videlicèt, in ordine ad *considerationem logicam*: quomodo idem sentire de conditionali *influxiva* comparativè ad conditionalem *illativam* necesse est; non verò excluſit absolutè à ratione conditionalis *strictæ* veritatem correspondentem, aut propositioni temporali, aut propositioni *coniunctivæ*; quod nullam dicit repugnantiam in assertionibus Divi Thomæ: modo, quo nullam dicit apud omnes affirmare *esse aliquid absolutè magnum* secundum se consideratum, *& esse quid exiguissimum comparativè*, & consideratum respectivè ad aliud valdè excedens, cuius exempla sunt cuique obvia in magnitudine quantitativa terræ in ordine ad Cœlum, & in magnitudine perfectionis creaturarum respectivè ad bonitatem, & perfectionem Dei.

116 Objicies secundo: in illis, quæ de præsenti existunt, non sufficit simultas, coniunctio, & comitantia præsens, vt vnum reverà sit de præsenti sub conditione alterius: ergo in eis, quorum alterum foret, posito, quod foret aliud, non sufficiet comitantia futura vnius, posito, quod foret alterum ad hoc, vt vnum sit futurum sub conditione alterius: quod idem discurri potest pro conditionali de præterito: ac per consequens veritas conditionalis *purè coniunctiva* in omni statu repugnat. Probatur antecedens, in quo stat difficultas: nam si coniunctio, & coexistentia præsens duorum sufficeret, vt vnum existeret de præsenti sub conditione alterius, mutuò essent conditionata, & conditio: cum non esset maior ratio, vt vnum existeret sub existentia, & conditione alterius, quàm è contra; quod videtur à ratione alienum: siquidem existere sub conditione existentiæ alterius, non dicitur, quando non adest dependentia vnius in existendo ab existentia alterius. Confirmatur: ex eo, quod in causa efficiente existentia sit conditio ad agendum, actio dependet ab existentia causæ efficientis, & à contrario: quia in causa finali existentia non est conditio ad finalizandum, finalizatio non dependet ab existentia finis: ergo de ratione conditionati est dependentia à conditione; & de ratione veræ conditionalis includere dependentiam vnius ab alio.

117 Ad argumentum nego antecedens; ad cuius probationem, concedo sequelam, quæ à ratione alienum nihil continet, nisi sit terminorum abusio: pro qua vitanda, præsens haberi debet, quod benè observavit citatus Ribadeneyra, nimirum: *conditionem* stare in duplici acceptione. Prima pro requisito ad aliud, & non vtcumque; sed, quod se teneat pro priori ad illud. Secunda: pro casu, & positione, qua data, dabitur aliud. Iam si conditio sumatur in primo sensu, verum est, rationem conditionis stare non posse quin conditionatum dependeat à priori ab illa, in qua vsurpatione existentia causæ dicitur cōditio ad efficiendum, & non dicitur conditio ad finalizandum. At si accipiatur in secunda consideratione, non est opus, vt aliquid habeat rationem conditionis, quod sit quid se tenens pro priori ad conditionatum, & quod istud indigeat illo ad existentiam sui; cum sufficiat esse casum, seu positionem, sub quo aliud existat, coniungendo propriam existentiam cum existentia alterius; alioquin, nec conditionalis *purè illativa* vera conditionalis foret ex eo, quod secluso influxu cōditionis in conditionatum per solam dependentiam à *comitanti*, aut *à priori* conditionis in conditionatum non stet ratio conditionis in sensu intento ab arguente.

118 Nec contemnendum est aliud discrimen, quod pro loquutionibus erga conditionales proponit idem Author ex Arrubale dicente: diversam significationem habere has voces: *hoc existit sub conditione alterius*; ac istas: *hoc existit cum conditione alterius*. Nam per primas significatur vnum existere pro casu, & positione alterius existentis *pro priori naturæ*, & cum influxu ad se: per secundas verò vnum existere pro casu, &

& poſitione alterius, vel *comitanter*, vel *pro ſigno naturæ* ſubſequuto ad ſe : inde conveniens erit ad præcidendas æquivocationes loqui primo modo pro illis conditionalibus, in quibus conditionatum, & requirit pro exiſtentia ſui exiſtentiam conditionis, & vlterius influxum illius in ſe ; loqui autem ſecundo, quando conditionatum, aut nullo modo requirit exiſtentiam conditionis pro exiſtentia ſui, aut ſi requirit, eam tantùm requirit *comitanter*, vel vt quid poſterius ; quod totum pure vocale eſt, vt benè vides.

119 Obijcies tertiò apud Ruiz. Quia ſi darentur veritates obiectivæ cõditionales diſſolutæ, ac diſparatæ propter ſolam coniunctionem, & coexiſtentiam conditionati cum hypotheſi ; ſequeretur dari duo contradictoria ſimul vera reſpectu eiuſdem temporis, & loci : hoc non eſt dicendum : ergo repugnant conditionales *purè coniunctivæ*, & *diſparatæ*. Probatur maior. In hac veritate conditionali, ad cuius normam conſiderari poſſunt aliæ: *Si Petrus in Hiſpania ſacrum faceret, Antonius Conſtantinopoli eodem tempore Fidem negaret*, cuius oppoſitum eſt: *Si Petrus in Hiſpania ſacrum faceret, Antonius Conſtantinopoli eodem tempore non negaret fidem* : ſed hæc contradictoria eſſent ſimul vera : ergo ſi darentur veritates obiectivæ conditionales diſſolutæ, ac diſparatæ propter ſolam coniunctionem, & coexiſtentiam conditionati cum hypotheſi, ſequeretur dari duo contradictoria ſimul vera reſpectu eiuſdem temporis, & loci. Illa eſſe oppoſita contradictoriè conſtat: quia ad contradictionem in conditionalibus non eſt neceſſarium negationem afficere id, quod correſpondet ly *ſi* mentali, aut vocali, quando conditionales veritates non ſunt *illativæ*. Probatur minor: ſiquidem infinitæ ſunt collectiones cauſarum, & circunſtantiarum, quæ Conſtantinopoli Antonio poſſunt occurrere cum quibus Fidem negaret : proptereaque verificaretur conditionalis de exiſtentia defectus à Fide in Antonio cum Petro ſacrum faciente in Hiſpania. Similiter infinitæ etiam ſunt collectiones cauſarum, & circunſtantiarum, quæ Antonio Conſtantinopoli poſſent occurrere, cum quibus retineret Fidem : ac proinde ſimul eſſet vera altera conditionalis veritas de coexiſtentia Fidei in Antonio cum celebratione ſacri facta à Petro in Hiſpania : ergo dicta contradictoria poſſent eſſe ſimul vera; imò de facto taliter eſſent vera.

120 Argumentum nihil ſpeciale continet pro conditionalibus *purè coniunctivis*, quod ſimiliter vrgeri non poſſit contra influxivas, ex eo, quod multoties non minus ſimul ſint circunſtantiæ, ſub quibus idem conditionatum perſiſtere, & non perſiſtere poſſet in conditionalibus *influxivis*; quàm in conditionalibus *purè coniunctivis*; exemplum ſit in hac conditionali influxiva: *ſi exiſtat approximatio ignis A, ad locum B, exiſtet combuſtio ligni in loco B* : in qua, data approximatione ignis *A*, ad locum *B* ſunt multæ circunſtantiæ, ſub quibus exiſtet combuſtio ligni in *B*, ſcilicèt: quoties exiſtat aliquod ex innumeris decretis, quibus Deus decernere poteſt, tum exiſtentiam ligni in loco *B*, tum præparationis concurſus ad combuſtionem tum remotionem agentis potentioris ad impediendam combuſtionem : inſuper ſunt multæ aliæ circunſtantiæ, ſub quibus non exiſteret combuſtio ligni in loco *B*, ſcilicèt omnia illa decreta, per quæ poſſet Deus denegare ligno exiſtentiam, vel abſolutam, vel reſpectivam ad locum *B*, necnon innumera decreta denegationis concurſus, aut efficaciter intendentia exiſtentiam agentis validioris impeditivi combuſtionis: iam vide, an inde benè inferatur ſimultas duplicis contradictorij in conditionalibus *influxivis* ; ſi dicatur, vt dici debet, illas circunſtantias occurrere poſſe pro vtraque parte conditionati ; cæterum conditionales de non exiſtentia combuſtionis nõ officere veritati illius conditionalis influxivæ: *Si exiſtat approximatio ignis A, ad locum B, exiſtet combuſtio ligni in loco B* : quia dum ſemel vera ſit ſupponit non extituras illas circunſtantias, ſub quibus verificatur, conditionatè non extituram combuſtionem. Idem dictum reputa.

121 Et ſit ſolutio. Non eſſe confundendas conditionales, quæ verificari poſſunt de illo conditionato ; ſcilicèt, *negatio Fidei ab Antonio Conſtantinopoli*, ſub conditionibus diſtinctis à *celebratione ſacri in Hiſpania per Petrum* cum conditionali correſpondente tali conditionato ſub *celebratione ſacri in Hiſpania facta à Petro*. Neque rurſus eſſe confundendam ſolam poſsibilitatem cum facto ; itaque con-

conditionalis ista: *Si Petrus celebraret sacrum in Hispania, Antonius eodem tempore Fidem negaret Constantinopoli*, si vera fuerit, ita erit vera, vt potuerit esse falsa, & oppositum accidere sub tali conditione; ast nec veritatem ex opposito conditionati simul cum veritate ex tali conditionato posset coniungere, neque ex suppositione, quod per tale conditionatum verificaretur possibilitas de veritate per oppositum reduceretur ad factum: vlterius, quamvis conditionales illæ sub multiplicitate circunstantiarum de negatione, & perseverantia in fide possent simul verificari, id non officeret veritati conditionalis obiectæ, propterea quod fundaretur in eo, quod Petro sacrum faciente in Hispania, omnes illæ occasiones, sub quibus Antonius erat in Fide perseveraturus, removerentur: vnde verificaretur id, quod sub his terminis explicatur: *Et si sub multis occasionibus esset Antonius perseveraturus in Fide; tamen si Petrus in Hispania sacrum faceret, omnes illæ deficerent, & existeret vna ex illis, sub quibus est fidem negaturus*; vide quomodo simultas illarum veritatum conditionalium non infert simultatem vtriusque contradictorij *negationis*, & *non negationis sub eadem conditione celebrandi sacrum in Hispania.*

122 Obijcies quartò Si admittendæ sunt conditionales *purè coniunctivæ*, & de conditione impertinente, essent etiam admittendæ conditionales de conditione impossibili; quales sunt istæ: *Si Equus essentialiter esset Avis, Petrus disputaret: si Equus essentialiter esset Avis, Petrus non disputaret*: sed hæ non sunt admittendæ: ergo nec illæ. Maior videtur certa; probatur minor. Nam inde inferretur, duo contradictoria esse simul falsa; scilicèt, conditionalis affirmativa; eò, quod disputatio Petri nunquam coexisteret cum Equo, qui simul esset essentialiter Avis; & conditionalis negativa: quia negatio disputationis Petri nunquam coexisteret, Equo facto essentialiter Avi.

123 Hæc obiectio levissima est, multis de causis; primò. Quia non video specialiter consequentiam à conditionalibus *purè coniunctivis* ad conditionales de conditione impossibili disparata, quæ non posset similiter deduci ex conditionalibus de conditione pertinente ad conditionales de conditione impossibili pertinente; vnde similiter posset argui, si admittendæ sunt conditionales *illativæ*, essent admittendæ conditionales de conditione impossibili, quales sunt istæ: *Si Equus esset essentialiter vnio Materiæ, & Animæ rationalis, existeret homo*, aut opposita: deinde si essent admittendæ conditionales *influxivæ*, essent admittendæ conditionales de conditione impossibili; quales sunt istæ: *Si Equus haberet libertatem, consentiret*, aut opposita. Quare videant an hæc illatio sit legitima, vel secus? Si legitima non est: ostendant vnde in conditionalibus *coniunctivis* fiat legitima: si verò legitima, aut propter absurditatem negãdæ erunt conditionales *illativæ*, & *influxivæ*; aut si sine absurdo devoranda; quid contra nos? Secundò. Quia ad probandam falsitatem vtriusque conditionalis oppositæ assumit pro medio nunquam esse coniungendum conditionatum cum conditione, quod nisi aliud addatur ineptissimum est; siquidem dantur conditionales veræ de conditione non purificanda; cum conditionalis pro sui veritate non exigat purificationem conditionis, neque existentiam absolutam conditionati; sed tantùm, quod si ipsa existeret, existeret etiam conditionatum. Tertiò. Quia ex suppositione impossibili infert, vt maximum absurdum, quod vtraque propositio sit falsa; idque apud connexionistas non magis dissonum erit, quàm quod sit simul vera: proptereaque sine repugnantia vlla *subiectivè* admittendum.

124 Dicendum est pro omnibus. Eas veritates conditionales esse admittendas, vel negandas, pendere ab altera quæstione, in qua investigatur præcisio, quam debet dicere status conditionatus, vt verè talis sit, ab statu absoluto: & an quamvis non egeat coniunctione cum statu absoluto, includat tamen aptitudinem, vt coniungatur cum statu absoluto? quod si ita sit; non erunt admittendæ conditionales illæ de hypothesi impossibili, quæ in re tales sint, quamvis quoad voces conditionaliter explicentur, nisi declaretur prius, quomodò conditionalibus de conditione impossibili possit convenire illa aptitudo ad coniunctionem: in quo est suus labor, & difficultas: si verò talem aptitudinem non includat, poterunt admitti: & tunc in sententia incõnexionis, vna ex illis conditionalibus erit tantum vera; & in sententia connexionis vtraque vera, & vtra-

vtraque falsa ex illo axiomatè connexionistis communi: *Ex impossibili quodvis.* Sed de his post.

CAPVT V.

Dubium occurrens dissolvitur.

125 ROgabis. An pro veritatibus conditionalibus de conditione disparata semper necessarium sit verificari, quod conditionatum sit absolutè extiturum, ita taliter, vt circa ea, quæ nunquam sunt extitura absolutè, non possit dari veritas conditionalis *purè coniunctiva*? Affirmat cum doctis Recentioribus Izquierdo, disput. 28. quæst. 9. propositione 3. Eandem sententiam amplectuntur Ribadeneyra, disputat. 23. capite 3. num. 30. & Herrera, quæst. 16. sectione 5. num. 156. Fundamentum idem omnibus est, quod ad hanc formam reducitur: eò quod conditio nullatenus influat, conducat vè in conditionatum; v. g. in hac conditionali: *Si Gallus cantet, Turca convertetur*, verum est, conditionatum futurum, sive existat, sive non existat conditio: quia id, quod nullo modo conducit ad existentiam alterius, tale est, quod sive existat, sive non existat, erit aliud: sed si conditionatum tale est, quod sive existat conditio, sive non existat, erit, est absolutè extiturum: ergo in conditionalibus *purè coniunctivis*, & *disparatis*, id quod est conditionatum, debet existere absolutè. Probatur minor, in qua stat difficultas. Si conditionatum tale est, quod sive existat conditio, sive non existat, existet; per consequens tale est, cui conditio purificata ad existendum absolutè non potest deficere: siquidem impossibile est deficere vtrumque contradictorium existentiæ, & non existentiæ conditionis, quorum quodvis, vt conditionem respicit ex eo; quod sive existat conditio, sive non existat, existet: sed conditionatum, cui deficere non potest conditio purificata ad existendum absolutè, est conditionatum absolutè extiturum: ergo si conditionatum tale est, quod sive existat conditio, sive non existat, erit, est absolutè extiturum. Fundamentum, quod movit Doctissimos Magistros, & vt inquit Izquierdo, tanquam ratio conspicua.

126 Sed venia eorum, nec perspicuitatem rationis video, nec soliditatem fundamenti invenio. Probat, si me non fallit, perspicuitas fundamenti, non modo pro conditionalibus de conditione extranea, & inconducente; sed etiam pro conditionalibus *influxivis*, in quibus conditionatum nullam habeat connexionem cum conditione: in his enim tale est conditionatum, quod conditione non indigeat ad existendū, vtpotè, quod sine ipsa æquè posset existere, ac per consequens tale erit, quod sive existeret, sive non existeret conditio æquè existeret. Et ratio est: quia si nonconducentia conditionis in conditionatum infert hanc veritatem: *sive existat, sive non existat conditio, existet conditionatum*, non necessitas conditionis ad conditionatum infert similem veritatem, imo maiori titulo; propterea quod fundamentum talis veritatis in nonconducentia vltimò resolvatur in nonnecessitatem, & indigentiam, in quantum non conducentia trahit secum nonnecessitatem; consonatque communis apprehensio, ex qua *nonnecessarium* ad id, quod intendimus, explicatur sub his terminis: *quid inde, quod A existat, aut non existat, ad assequutionem B.* Nec conducentia aliquid prodest, quando hæc est redundans ad existentiam conditionati, vt per se innuit nonconnexio conditionati cum existentia conditionis: quia conducentia redundans pro eodem reputari debet, ac nonconducentia: propterea quod talis sit, quæ si detur, nihil existat necessarium ad conditionatum, & si deficiat, nihil deficit sine quo nequeat conditionatum æquè existere.

127 Vlterius: medium illud, quod assumunt ad probandum existentiam absolutam conditionati; scilicèt, *quia verum est, quod sive existat conditio, sive non existat, existet conditionatum*, debet deficere apud ipsos, nisi supponant probandum. Suadetur sic: quia *si consensus determinatus A, nec sit intrinsecè liber ea libertate, qua defacto gaudet, neque in actione, sed in qualitate consistat*; vt ferunt sententiæ probabiles, poterit esse vera conditionatè existentia eiusdem determinati consensus sub duplici libertate divisim collata, quin vlla ex illis de facto existat: ac proinde quin purificetur conditio duplicis illius conditionalis: *si exis-*

existat libertas A, existet consensus determinatus D: si existat libertas B, existet consensus determinatus D. sed in tali casu verificaretur, quod *sive existat, sive non existat libertas A, existet consensus determinatus D*; patet, quia si existeret libertas *A*, sub qua est verum extiturum consensum *D*, existeret talis consensus; si vero existeret libertas *B*, divisa à libertate *A*, ac per consequens non existente libertate *A*, existeret etiam consensus determinatus *D*, ex verificatione alterius conditionalis: & tamen non verificaretur extiturus absolutè consensus determinatus *D*: quia purificatio vtriusque conditionis deficeret: ergo apud ipsos stare debet verum, *quod sive existat, sive non existat aliqua conditio, existet aliquod cõditionatum*, quin ideò sit verum, *extiturum absolutè* tale conditionatum.

128 Iam si respondeant: eam veritatem tantum inferri, quando omnis casus non existentiæ conditionis, sit casus existentiæ conditionati, vide suppositionem probandi: cum supponant, & non probent, eò, quod conditio inconducens sit ad conditionatum, omnem casum non existentiæ conditionis debere esse casum existentiæ conditionati; id autem vnde constat? Arguo sic: Per vos non necessitas conditionis ad conditionatum arguit tantum existentiam conditionati sub aliquo casu non existentiæ conditionis: & ideò componitur cum non existentia absoluta conditionati: ergo non conducentia conditionati arguet similiter tantum existentiam conditionati sub aliquo casu non existentiæ conditionis: & ideò benè componetur cum non existentia absoluta conditionati. Patet illatio: cum non maior sit vis non conducentiæ, quàm non necessitatis; & non conducentiæ fiat satis cum eo, quod in aliquo casu, deficiente cõditione sit extiturum conditionatum sine absoluta existentia eiusdem, quomodo fiet satis non necessitati per id, quod in aliquo casu sit extiturum conditionatum sine illa conditione; quamquàm nunquam sit absolutè extiturum sub vlla hypothesi.

129 Dicta confirmantur in alio exemplo. Pone quod si existerent duo ignes approximati passo, producerent quatuor gradus caloris in ipso; tũc etiam veritas hæc conditionalis posset coniungi cum alia: *Si existeret vnus ex illis, existerent ijdem quatuor gradus caloris*; sit ita: tunc quidem esset verum sensu intento ab aduersarijs, quod sive existerent duo ignes, sive non existerent, existerent ijdem quatuor gradus caloris in passo: ecce in primis verificatum in conditionali *influxiva* id ipsum, quod de *coniunctiva purè* affirmant prædicti Authores: vide insuper compositum cum dicta veritate *quatuor gradus caloris non esse absolutè extituros*; cum nihil vetet non purificationem conditionis, tàm per non existentiam duorum ignium, quàm per non existentiam vnius: ergo non rectè procedunt, tum quatenus illam veritatem, *Sive existat conditio, sive non existat, existet conditionatum* inferunt, vt quid speciale veritatis conditionalis *purè coniunctivæ*; tum quatenus ea data, inseparabilem faciunt ab existentia absoluta conditionati.

130 Demum: quia confundunt *posse* ad *esse absolutum*, cum *esse absoluto*; & antecedens tantùm connexum cum non repugnantia *esse absoluti*, volunt *esse* connexum cum facto *esse absoluti*: vnde mala est illa consequentia: *sive existat, sive non existat conditio, erit absolutè conditionatum* ex hoc antecedenti: *impertinens est conditio ad conditionatum*; ex quo si res benè considerentur, tantum infertur hæc consequentia: *sive cum existentia conditionis, sive sine illa, poterit esse absolutè conditionatum*: quæ diversissima est, & nihil conducens ad intentum aduersariorum. Hancque duntaxat inferri, probo: quia ex inconducentia conditionis ad conditionatum, tantum infertur id, quod secum trahit benè se habiturum conditionatum sub existentia conditionis, & sub carentia conditionis: sed conditionatum benè se habiturum cum existentia conditionis, & cum carentia illius, tantum trahit secum posse existere, tàm cum existentia conditionis, quàm cum carentia illius; secus, quod defacto ita existat: ergo ex inconducentia conditionis ad conditionatum tantum infertur, *Sive cum existentia conditionis, sive cum defectu illius posse conditionatum absolutè existere.* Probatur minor. Conditionatum benè se habiturum cum existentia conditionis, aliud non infert, quàm posse existere sub existentia conditionis; secus, quod absolutè existat; aliàs conditionalis *purè coniunctiva* non posset esse falsa: ergo conditionatum benè se habiturum, tàm cum conditione, quàm cum defectu illius, tantum infert posse

exis-

exiſtere ſub exiſtentia vtriuſque; ſecus, quod abſolutè ſub vtraque exiſtat: ac proinde conditionatum benè ſe habiturum cum exiſtentia conditionis, & cum carentia illius tantùm trahit ſecum poſſe exiſtere, tàm cum exiſtentia conditionis, quàm cum carentia illius.

131 Confirmatur primò. In conditionali *purè coniunctiva* non minus impertinens eſt conditionatum ad conditionem, quàm conditio ad conditionatum: ſed ex impertinentia conditionati ad conditionem, non infertur, quod ſi ſemel ſit conditionatum ſub tali conditione, conditio abſolutè debeat exiſtere: ergo ex impertinentia conditionis ad conditionatum non debet inferri, quod ſi ſemel ſit conditio ad conditionatum, hoc debeat abſolutè exiſtere. Conſequentia apparet legitima ex efficatia eiuſdem rationis. Maior eſt certa. Nam in conditionalibus *purè coniunctivis* æquè non conducit conditionatum ad conditionem, quàm conditio ad conditionatum; vt apparet in hac conditionali: *Si Gallus cantet, Turca converteretur*, & alijs ſimilibus. Minor etiam eſt certa: Nam ſi conditionatum ſemel, quod tale ſit ſub conditione peteret ſtatum abſolutum conditionis, non eſſet tale, quod ſive exiſteret conditio, ſive non exiſteret, vt dicunt, exiſteret.

132 Confirmatur ſecundò. Conditionalis *purè coniunctiva* non infert exiſtentiam abſolutam conditionati ex parte conditionis, neque infert exiſtentiam abſolutam conditionati ex parte conditionati, neque ex coniuncto vtriuſque: ergo conditionalis *purè coniunctiva* componibilis eſt cum defectu exiſtentiæ abſolutæ conditionati. Conſequentia eſt legitima, antecedens probatur per partes. Non infert ex parte conditionis: quia conditio impertinens eſt componibilis ex ſe cum defectu conditionati in eſſe talis: ergo etiam cum defectu abſoluto illius, nè aliter conditio impertinens ſemper conſtituat conditionalem neceſſariam. Neque ex parte conditionati: cum *ſtatus conditionati* ex ſe præſcindat ab ſtatu abſoluto; vt conſtat in illis omnibus, quę remanent in ſtatu cōditionato, quin tranſeant ad ſtatum abſolutū: neque ex parte coniuncti, cum coniunctum aliud non ſit, quàm veritas conditionalis ex ſe præſcindens ab ſtatu abſoluto, vt etiam conſtat in omnibus illis veritatibus conditionalibus, quæ remanent in ratione purè cōditionalium: ergo tenet antecedens, quoad omnes ſuas partes.

133 Confirmatur tertiò. Incredibile eſt, conditionalem de conditione impertinente, quia de cōditione incongrua, & extranea eſt, ſemel quod vera ſit, habere plures titulos ad ſui veritatem; quàm conditionalem *illativam*, & *influxivam*, in quibus conditio maximè pertinens, & conducens eſt ad exiſtentiam abſolutam conditionati: ſed ſi conditionalis *purè coniunctiva* non poſſet ſtare vera ſine abſoluta exiſtentia conditionati haberet plures titulos ad ſui veritatem, quàm conditionalis *illativa*, & *influxiva*: ergo conditionalis *coniunctiva* vera non requirit exiſtentiam abſolutam conditionati. Maior ex terminis apparet nota. Probatur minor. Conditionalis vera *purè coniunctiva* eſſet vera, ſecundùm quod de ſe fert ſtatus conditionalis ex conditionata coniunctione conditionati cum conditione: Deinde eſſet vera ex alio titulo ſtatus abſoluti conditionati, à quo benè valet ad ſtatum conditionatum: At conditionalis, ſivè *illativa*, ſivè *influxiva* ex ſe ſolum eſſet vera ex ſtatu conditionato per coniunctionem conditionatam ſui cum conditionato; ſecus per ſtatum abſolutum conditionati, à quo præſcindit: ergo ſi conditionalis *purè coniunctiva*, non poſſet ſtare vera, ſine abſoluta exiſtentia conditionati, haberet plures titulos ad ſui veritatem; quàm conditionalis *illativa*, & *influxiva*.

134 Inde confirmatur quartò. Ex alio, non minus inſuaſibili, ſcilicèt, eſſe prævilegium veritatis conditionalis *purè coniunctivæ* ſecum afferre veritatem duplicis conditionalis de rebus, tam diſitis inter ſe, qualia ſunt duo contradictoria reſultantia ex exiſtentia, & non exiſtentia conditionis: ſiquidem ſi vera eſſet hæc conditionalis, *ſi Gallus cantet, Turca convertetur*: eſſet etiam vera; *ſi Gallus non cantet, Turca convertetur*: & ſic per oppoſitum: vndè ex duabus conditionibus impertinentibus ad conditionatum reſultaret maxima pertinentia inter ſe, ex qua eo modo, quo vna coniungeretur cum conditionato, altera coniungeretur: & eo modo, quo ſepararetur, altera ſepararetur: quæ quidem eſt laudabilis conformitas inter duo contradictoria ab his Authoribus excogitata.

135 Dicendum ergo eſt in condi-

ditionalibus *purè coniunctivis* idem accidere ex se, ac in alijs conditionalibus *illativis*, & *influxivis*, quæ iam coniunguntur cum statu absoluto conditionati; iam separantur, quando conditionatum est ex se contingens, & provt sic separatæ, habent veritatem, sibi propriam, & conditionalibus correspondentem; non obstante fundamento, quod in contrarium movit Doctissimos Magistros, cuius vis, & solutio patet ex dictis. Quod si adhùc insistant ex disconformitate, quam admittimus posibilem inter existentiam conditionis, & defectus illius ad conditionatum taliter, vt possit esse verum: *quod si Gallus cantaret, Turca converteretur*; & falsum: *quod si Gallus non cantaret, Turca non converteretur*, inferri aliquam conducentiam conditionis in conditionatum, quando sub defectu conditionis non se haberet conditionatum, sicut se haberet sub existentia conditionis: Præterquam quod id etiam vrget in non necessitate conditionis ad conditionatum, quamvis conditionalis *sit influxiva*, imo, & quamvis sit *illativa*; dicendum est; quod sicut apud ipsos, esse defacto veram conditionalem *coniunctivam*, quæ potuit esse falsa, non arguit habere conditionem specialem conducentiam modò ex intrinsecis sui, quam non haberet casu, quo esset falsa: sed totum id in extrinsecum conditionati esse revocandum; ita apud nos, quod sub existentia conditionis inconducentis verificetur extiturum conditionatum; non sic sub defectu conditionis, non probat aliquam conducentiam intrinsecam in conditione ad conditionatum, quæ non sit in defectu illius; verùm solùm in extrinsecum conditionati est revocandum, quod sub vna positione daretur; secus sub alia constituta per defectum formalem illius. Hæc in dubio se obtulerunt, in quibus authoritati gravissimorum, qui sunt pro parte opposita semper, vt fas est, multum deferam.

136 Colliges ex dictis primò. Conditionales *purè coniunctivas*, & de conditione impertinente comprehendere sub se conditionales in triplici statu, *præsentiæ*, *præteritionis*, & *futuritionis*, pro modo, quo in conditionali se habeat conditionatum in existendo sub conditione, iuxta explicationem supra tradditam: quando ergo conditionatum in existendo sub conditione inconcernente respiciat tempus præsens, erit conditionalis *disparata de præsenti*; quando verò conditionatum sub simili conditione respiciat tempus anterius, erit conditionalis *disparata de præterito*, & quando respiciat conditionatum in existendo sub conditione eiusdem generis tempus posterius, erit conditionalis *disparata de futuro*.

137 Colliges secundò. Subsistere etiam divisionem supra tradditam, quoad vltimum membrum; *conditionalis mixtæ*; dummodo mixtio non consideretur resultans *ex pure coniunctiva*. Constat exceptio clarè: quia conditionalis *purè coniunctiva* ex suo conceptu est divisa à conditionali alterius generis, vt ly *purè* ostendit: sed mixtio conceptuum inter se pugnantium est impossibilis: ergo repugnans est mixtio, quæ fiat ex conditionali *purè coniunctiva*, & *illativa*, aut *influxiva*, tàm divisim, quàm complexim. Constat etiam altera pars positiva: quia prædicata inter se non pugnantia possunt coniungi in eadem veritate obiectiva: sed prædicata *illationis*, *influxus*, & *coniunctionis non puræ* sunt prædicata inter se non repugnantia: ergo possunt coniungi in eadem veritate obiectiva, qua ratione defacto coniunguntur in hac conditionali: *Si existat decretum efficax de existentia Petri, existet Petrus.* Vnde concluditur divisionem tradditam esse rectam, & quoad omnes suas partes benè consistere.

CAPVT VI.

Quam præciſionem ab ſtatu abſoluto requirat vera conditionalis, vt talis ſtrictè ſit. Vbi de conditionalibus de hypotheſi, aut conditione impoſsibili.

138 TRIA ſub præfixo titulo occurrunt diſputanda. Primum. An ſtatus conditionatus ſtrictè talis, & veritas conditionalis obiectiva ipſi correſpondens dicat eſſentialiter, & ex ſuo conceptu præciſionem ab ſtatu abſoluto, taliter, vt ſtatus conditionatus, & veritas obiectiva ſtrictè conditionalis debeat eſſe prior ſtatu abſoluto, & hunc in ſubſiſtendi conſequentia præcedere? Secundum: an dato, quod ſtatus conditionatus debeat modo dicto eſſe prior, & præſcindens ab ſtatu abſoluto, præciſio debeat eſſe completa, & ex parte vtriuſque, ſcilicèt conditionati, & conditionis? an verò ſufficiat dari ex parte vnius, id eſt, vel ex parte conditionis tantum, vel tantum ex parte conditionati? Tertium: an præciſio ex parte vnius requirat determinatè præciſionem ab ſtatu abſoluto conditionis, vt ſic ſuſpenſio, quam de ſe fert ſtatus conditionatus, ſalvetur?

139 In prima parte, pro iudicio negativo ſtare videtur Izquierdo, minimè requirens pro veritate obiectiva cõditionali vllam *prioritatem in ſubſiſtendi conſequentia* ad ſtatum abſolutum: cum planè admittat circa obiecta in exiſtendo neceſſariſsima, dari veritates conditionales, quibus in mente divina correſpondeat ſcientia cum modo tendendi conditionali, virtualiter diſtincto à modo tendendi abſoluto correſpõdenti veritatibus obiectivis abſolutis circa neceſſaria. Ita tenet tomo 2. de Deo, diſputatione 27. quæſtione 3. vbi generaliter ſtatuit, dari in ente neceſſariſsimo quatuor ſpecies veritatum, quibus in ſcientia divina reſpondeant quatuor actus ſuo modo diſtincti; videlicèt, *veritas quidditativa abſoluta*: *veritas quidditativa conditionata*: *veritas exiſtentialis abſoluta*, & *veritas exiſtentialis conditionata*; quas explicat ſequentibus exemplis: *Si Deus habet voluntatem, etiam habet intellectum*: *Deus eſt de ſuo ſapiens, omnipotens, & bonus*: *ſi Deus extiterit, ſine contradictione exiſtet*: *Deus abſolutè eſt exiſtens.*

140 Pro parte affirmativa refert ipſe nonnullos Recentiores: cæterum ſi caput excludendi prædictas veritates conditionales in Deo ſit defectus præciſionis requiſitæ ad ſtatum conditionalem, & prioritatem ad ſtatum abſolutum, quæ vbi conditionatum, & conditio ſunt in eſſendo neceſſariſsima, locum non tenent; non tantùm aliquos pro hac parte referre debuit; verùm omnes, qui licèt hanc quæſtionem ſeiunctim, & ex propoſito non tractent; cum apud principaliores quæſierim, & non invenerim; tamen dum de conditionalibus agunt, videntur ſupponere eſſe neceſſariam præciſionem aliquam inter ſtatum conditionalem, & abſolutum, & quidem non mutuam; propterea quod, & ſi non valeat ab ſtatu conditionato ad abſolutum; benè vero valeat ab ſtatu abſoluto ad conditionatum. Id ſupponere videtur Eximius Suarius, tomo 2. de gratia, Prolegomen de ſcientia conditionata, cap. 8. num. 13. in quo agens de conditionalibus veritatibus, in quibus conditionatum ſit actus liber, & inſuper conditio ſit purificanda; vt probet has veritates eſſe ſtrictè obiectivè conditionales, eiſque correſpondere in intellectu divino ſcientiam cum modo tendendi conditionato, ſe munit cõtra obiectionem intendentem talibus obiectis non poſſe correſpondere ſcientiam conditionatam, quia ex conditione purificanda abſolutiſsima ſunt; ac proinde nullam ſine imperfectione permittunt ſcientiam, quæ non ſit abſolutiſsima in repræſentando, dicens:

141 Statum abſolutum ex purificatione conditionis provenientem, minimè obeſſe ſtatui obiectivo cõditionali, & ſcientiæ illi correſpondenti: quia ſtatus conditionalis habet locum præciſionis ab ſtatu abſoluto, & ſignum, in quo ſit prior ad illum: vnde benè componuntur ſtatus abſolutus, & conditionatus; non ſecus ac benè cohærent in eadem entitate veritates quidditativæ, & exiſtentiales propter præciſionem, quam illæ ab his dicunt; necnon in divino intel-

tellectu scientia simplicis intelligentiæ, & visionis respectu eiusdem obiecti: ex quo à contrario arguitur, quod si non esset locus præcisioni ab existendo, neque esset locus veritati obiectivæ strictè conditionali, aut scientiæ divinæ ei correspondenti. Pro eadem sententia abs dubio sunt omnes illi, qui non admittunt veritatem vllam conditionalem, nisi de conditionato non extituro, quos supra notavimus.

142 Quoad secundum Ribadeneyra, disputatione 9. de scientia, capite 2. affirmat: Præcisionem status conditionati ab statu absoluto debere esse completam, tàm ex parte conditionis, quàm ex parte conditionati, & ideò in prædicto loco negat dari hanc veritatem strictè conditionalem: *Si creatura existat, existit Deus*; & Deum non per modum tendendi conditionatum; sed per absolutissimum illud obiectum cognoscere: & deinde disputatione 23. capite 1. negat: esse veritatem conditionalem strictè talem eam, in qua sub conditione necessaria constituitur obiectum aliquod contingens; v. g. respectivè ad Deum: *Si ego sciam mundi naturam, & sim omnipotens, decernam producere mundum.* Pro eadem sententia videtur stare Diotallevius in opusculo de concursu & scientia, parte 2. cap. 6. pagina 249. apud Ruiz, disputat. 77. sect. 4. num. 12. Advertendum tamen est apud Ribadeneyram id locum tantum tenere, quando ex parte conditionati non ponatur coexistentia conditionis, & conditionati; vt ipse fert, non poni in omni veritate conditionali. Nam si ponatur tunc sufficiet, aut conditionem non esse necessariam, aut conditionatum non esse necessarium. Et ratio est: quia in tali casu coniunctum non est necessarium, & remanet via, vt conditionalis veritas præscindat ex se ab statu absoluto, vt in hac veritate: *si Petrus existat, erit coexistentia Dei cum Petro*, quam concedit esse strictè conditionalem, & vt talem habere in intellectu divino correspondentiam ad modum tendendi conditionalem, & provt illis terminis exprimitur. Pro oppositio stare videtur Ruiz loco proximè citato concedens veritates conditionales quarum hypothesis est simpliciter necessaria, vt, *Si Deus ab æterno fuerit infinitè sapiens, & potens, decernet creare mundum*; vnde colligitur idem dicturus de veritatibus conditionalibus, in quibus conditionatum est necessarium, & hypothesis est contingens; cum non detur maior ratio pro vno, ac pro altero casu: imo si aliqua adhibenda esset disparitas, potius esset pro conditionali de hypothesi necessaria, quàm pro conditionali de conditionato necessario.

143 Quoad *tertium* deduci potest ex doctrina Sapientissimorum Recentiorum, præcisionem status conditionati ab statu absoluto pensandam esse potissimè ex suspensione, quam in existendo habeat hypothesis, & conditio, potius quàm ex suspensione, quam in existendo habeat conditionatum: ideò negant esse aliquas veritates conditionales strictè tales de conditionato pertinente ad libertatem divinam, easque à Deo per modum tendendi conditionatum cognosci, quoties hypothesis de facto existit; propterea quod in tali eventu non sit locus suspensioni ex parte hypothesis requisitæ, tum ad veritatem conditionalem obiectivam, tum ad modum tendendi conditionatum *subiectivè* se habentem ex parte Dei, vt in hac veritate: *Si prævidissem Petrum consensurum sub auxilio A, illud conferrem*, quam dicunt, non stare, vt strictè conditionalem, quando defacto Deus sub tali prævisione confert auxilium *A*. Oppositum tenent communiter alij præcipuè Recentiores, apud quos specialiter inveniuntur hæ subtilitates discusæ, quanvis vtrimque sint principia generalia, ad quæ quisque suam sententiam conetur reducere, & quasi ex acceptis à maioribus eruere.

144 Sit prima conclusio. Veritas obiectiva conditionalis, sive necessaria, sive contingens, sive de præsenti, sive de præterito, sive de futuro, vt talis strictè sit, & in intellectu verè, & perfectè cognoscentis modus tendendi conditionatus, & suspensivus ipsi correspondeat, debet ab statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati præscindere. Propositio probari potest. Primo authorit. Divi Thomæ, opusculo citat. de enuntiatione, cap. 14. non aliter explicantis distinctionem enuntiationis conditionalis à *copulativa*, & *disiunctiva*, quàm per præcisionem ab statu absoluto conditionis, & conditionati: inquit enim, *Et sic patet, qualiter dictæ enuntiationes hypotheticæ se habent ad veritatem, nam conditionalis potest esse vera, vtraque eius parte existente falsa; disiun-*

ctiva eſt vera ; vna eius parte exiſtente falſa ; copulativa verò ad hoc, quod ſit vera, vtraque eius parte neceſſario debet eſſe vera. Quod pariter intelligendum venit de veritatibus obiectivis correſpondentibus enuntiationibus, quæ ſi non parerentur eandem inter ſe diverſitatem formalem, nec enuntiationes inter ſe rectè per præciſionem, aut non præciſionem diverſificarentur.

145 Nec obſtat, ſi Angelicus Doctor dixerit, diverſificari enuntiationem conditionalem à reliquis hypotheticis, per id, quod vtraque pars illius poſsit eſſe falſa, idque ex ſequentibus conſtabit non neceſſarium, vt dicemus admittentes conditionales de conditionato neceſſario. Quia ex vna parte negari non poteſt eſſe de mente Divi Thomæ, veritatem conditionalem dicere ex conceptu ſuo præciſionem ab ſtatu abſoluto ; quod eſt principale noſtrum intentum ; & ex alia verba ipſius commodam habent explicationem, ſi intelligantur, vt debent, negativè ; in quantum conceptus conditionalis veritatis eſt talis, vt ex ſe permittat coniungi cum defectu vtriuſque partis, quod nunquam permittit, neque *disiunctiva*, neque *copulativa*; non verò quia id ſemper exigat, cum per ſolam præciſionem ab ſtatu abſoluto in coniuncto ſit contenta : quomodo adhuc ſufficienter diſcriminatur formaliter à veritate *copulativa*, & *disiunctiva* ; ab illa quidem : quia non exigit ſtatum abſolutum vtriuſque partis, ſicut exigit copulativa; & ab hac, quia *disiunctiva* nō reſpicit coniunctum, ſicut reſpicit conditionalis, quæ ex hypotheſi vtramque partem, ex qua reſultat, coniunctivè exigit.

146 Deinde probatur ratione. Veritas omnis obiectiva conditionalis formaliter, vt talis, exigit in intellectu perfectiſsimè cognoſcentis modum quendam aſſentiendi ſuſpenſivum circa coniunctionem hypotheſis, & conditionati, quam conditionatè enuntiat : ſed ſi formaliter ex ſe non præſcinderet ab ſtatu abſoluto coniunctionis, talem modum aſſenſus in intellectu perfectè cognoſcentis, vt ſibi proportionatum non exigeret : ergo omnis veritas conditionalis formaliter, vt talis, ex ſe præſcindit ab ſtatu abſoluto coniunctionis hypotheſis, & conditionati. Diſcurſus eſt legitimus, & maior certa : quia ſi talem modum ſuſpenſivum circa coniunctionem hypotheſis, & conditionati in intellectu perfectè cognoſcentis non exigeret, non eſſet, vnde potius veritas *obiectiva* conditionalis, quàm *copulativa* denominaretur : neque aliter, quàm ex imperfectione cognoſcentis taliter poſſet cognoſci; non abſimiliter, quàm ex ſola imperfectione cognoſcentis provenit obſcuritas, confuſio, & præciſio in cognoſcendo. Prob. min. Id, quod obiectivè, & quatenùs eſt ex parte ſui non admittit præciſionē ab ſtatu abſoluto coniunctionis hypotheſis, & conditionati, reſpicit modum præciſivum, & ſuſpenſivum quoad coniunctionem hypotheſis, & conditionati tanquam improprium ſibi, & non correſpondentem in repræſentando meritis obiectivę veritatis, quā in ſe habet : ſed modum talem, nec abſolutè poteſt exigere, nec caſu, quo exigeret, poſſet eſſe reſpectivè ad intellectum perfectè cognoſcentis : ne perfectè cognoſcens fatuo quoddam modo correſponderet prædictæ veritati : ergo ſi formaliter ex ſe non præſcinderet ab ſtatu abſoluto coniunctionis, talem modū aſſenſus in intellectu perfectè cognoſcentis, vt ſibi proportionatum nō exigeret.

147 Confirmatur. Si quiditas obiectiva rei ex ſe non præſcinderet ab exiſtentia, & non exiſtentia ſui, non exigeret in intellectu perfectè cognoſcētis ſcientiam illam, quæ dicitur ſimplex notitia, aut ſimplex intelligentia : & quidem non ob aliam rationem, niſi quia deficiente ea præciſione ex parte obiecti, notitia intellectualis, quæ ab exiſtentia, & non exiſtentia rei præſcinderet, eſſet notitia diminuta, & inadæquata duntaxat claritate repræſentans obiectum : ergo ſi veritas obiectiva conditionalis ex ſe non præſcinderet ab ſtatu abſoluto coniunctionis hypotheſis, & conditionati, & quandam veluti ſuſpenſionem ab eſſe abſoluto cōditionati ſub exiſtentia conditionis in ſe non includeret; notitia illa ſuſpenſiva, & conditionata, quæ in intellectu perfectè cognoſcentis exiſteret, eſſet notitia quædam diminuta, & inadæquata claritate tantùm repræſentans obiectum : ac proinde aliena ab intellectu illius, qui non diſconformiter ad obiecta; verùm vniformiter ad eſſe, quod in ſe obiectivè habent, ea proponit.

148 Vrgetur. Ex communi omnium conceptione veritas omnis obiectiva conditionalis ſeriæ notitiæ conditionali correſpondens non eſt formaliter

ter veritas obiectiva copulativa, nec verificativum notitiæ intellectualis copulantis inter se absolutè aliqua extrema: sed si veritas omnis obiectiva conditionalis ex se non præscinderet ab statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati, non distingueretur formaliter, neque à veritate copulativa, neque à verificativo notitiæ intentionalis copulantis inter se absolutè aliqua extrema: ergo vt veritas omnis obiectiva conditionalis communi omnium apprehensioni, & conceptioni respondeat, debet præscindere ab statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati. Declaratur amplius: veritas obiectiva conditionalis, est aliquis modus obiectivus non confundendus cum alio modo obiectivo, & per se explicabilis definitione non conveniente alij modo obiectivo formaliter, vt tali: At si non præscinderet ab statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati, esset confundibilis cum alio modo obiectivo, & per se non explicabili definitione non conveniente alij modo obiectivo formaliter, vt tali, scilicèt copulationi, & modo copulativè se habendi; etenim à veritate copulativa formaliter nõ distingueretur: ergo vt veritas omnis conditionalis retineat rationem status obiectivi per se formaliter non confundibilis cum alio statu obiectivo, à quo formaliter distinguitur, debet semper includere præcisionem ab statu absoluto coniunctionis eorum, inter quæ versatur talis status, scilicèt, hypothesim, & conditionatum.

149 Dixi *formaliter*, non verò realiter: quia animus per dicta non est intendere aliquam distinctionem realem inter veritatem obiectivam conditionalem, & veritatem obiectivam copulativam: sed taliter ipsas inter se identificare, vt vtraque veritas à parte rei valeat dari modo sufficienti ad verificandam conditionalem, quin detur modo apto ad constituendam veritatem obiectivam copulativam; modo quo quamvis posibilitas rei contingentis non distinguatur realiter ab existentia eiusdem rei, benè componitur cum tali identitate dari existentiam, & posibilitatem modo apto ad constituendam veritatem obiectivam; *est posibilis*, quin detur modo apto ad verificandum; *est existens*, & propterea verè dicitur independenter à conceptibus intellectus, & modo nostro imperfecto cognoscendi, *Posibilitatem ex parte obiecti præscindere ab existentia, & non existentia rei, cuius est posibilitas.* Quæ doctrina in promptu esse debet; tum, vt reddatur perceptibilis præcisio, quàm requirimus in veritate obiectiva, & statu conditionali à veritate obiectiva, & statu copulativo; tum, vt salvetur contradictio, quæ obijci posset inter vnum, & alterum statum, vt rursus inde inferatur, non esse necessarium ad veritatem obiectivam conditionalem præcisionem, quam à tali statu inseparabilem conamur adstruere.

150 Iterum probari potest conclusio. Veritas obiectiva, cuius notitia nihil addat, aut detrahat saltem formaliter notitiæ alterius veritatis obiectivæ, est veritas obiectiva omninò indiscernibilis ab alia, & cum ipsa formaliter confusa: sed veritas obiectiva conditionalis non præscindens ab statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati est veritas obiectiva, cuius notitia nihil addit, aut detrahit saltem formaliter notitiæ alterius veritatis obiectivæ, scilicèt copulativæ hypothesis, & conditionati: ergo veritas obiectiva conditionalis non præscindens ab statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati, est veritas obiectiva omninò indiscernibilis à veritate obiectiva copulativa, & cum ipsa formaliter confusa. Inde etiam fluit: esse veritatem obiectivam per se in ratione veritatis essentialiter superfluam, quæ cum per se repugnans, & imperceptibilis sit, reducenda foret non ad duplicem modum obiectivæ veritatis; sed ad eundem modum duplici voce explicatum: quod est negare in re veritatem obiectivam conditionalem, & tantum concedere voces *conditionalis*, & *copulativæ* idem synonimè significantes; non aliter ac *ensis*, & *gladius*.

151 Sit secunda conclusio. Præcisio ab statu absoluto requisita ad veritatem obiectivam conditionalem non est præcisio vndequaque completa, tàm ex parte conditionis, quàm conditionati; sed sufficit se habere ex parte vnius. Probatur. Ea præcisio ab statu absoluto sufficit ad conceptum veritatis obiectivæ conditionalis, ex qua suspensivè quodammodo se habet ad statum absolutum coniunctionis conditionati, & hypothesis; & aliundè sufficienter discernitur à veritate obiectiva copulati-

va: ſed per ſolam præciſionem incompletam, & ex parte vnius id aſſequitur veritas obiectiva conditionalis: ergo de ratione ipſius tantum eſt præciſio ab ſtatu abſoluto incompleta, & accepta ex parte vnius. Conſequentia eſt legitima, & maior certa: cum illis ſolis intellectis percipiatur ſufficienter conſtitutio veritatis obiectivæ conditionalis. Probatur minor: quoad vtramque partem. Quoad primam. Quia, vt detur præciſio à duobus coniunctivè ſe habentibus ſufficit præciſio ab vno ex illis abſolutè ſumpto; etenim eo modo, quo præſcinditur ab vno ex illis abſolutè ſumpto, præſcindetur à coniunctione abſoluta ipſorum: ſed data præciſione ab ſtatu abſoluto vnius datur præciſio ab vno ex illis abſolutè ſumpto: ac per conſequens ab ipſis in ſtatu abſoluto coniunctivè ſe habentibus: ergo, vt veritas obiectiva conditionalis præciſivè ſe habeat ab ſtatu abſoluto coniunctionis hypotheſis, & conditionati, ac proinde ſuſpenſivè in ordine ad ſtatum abſolutum ipſorum, ſufficit præciſio incompleta, & ſe habens duntaxat ex parte vnius.

152 Quoad ſecundam. Quia pleniſſimè diſtinguitur ab exigente coniunctionem abſolutam duorum id, quod præſcindit ab exiſtentia vnius cum altero: ſed veritas obiectiva copulativa exigit coniunctionem plurium; & veritas obiectiva conditionalis præſcindit eſſentialiter à coniunctione plurium; eo, quod præſcindendo ab eſſe abſoluto vnius præſcindat ab eſſe abſoluto coniunctionis vnius, & alterius: ergo veritas obiectiva conditionalis per ſolam præciſionem incõpletam, & ex parte vnius diſcernitur ſufficienter à veritate obiectiva copulativa. Brevius. Præciſio ab ſtatu abſoluto vnius ex duobus diſcernitur ab exigentia ſtatus abſoluti vnius, & alterius: ſed præciſio ab ſtatu abſoluto vnius ex duobus convenit veritati obiectivæ conditionali: ergo diſcernitur ab exigentia ſtatus abſoluti vnius, & alterius conveniente veritati obiectivæ copulativæ.

153 Dices immediatè: Veritatem obiectivam conditionalem eſſe diſcernendam non modò à veritate obiectiva copulativa; verum etiam à veritate obiectiva diſiunctiva: ſed per ſolam præciſionem ab ſtatu abſoluto vnius nõ diſcernitur à veritate obiectiva diſiunctiva: ergo, vt veritas obiectiva conditionalis ſufficienter conſtituatur diſcreta ab omni veritate formaliter non ipſa, debet includere præciſionem completam, & ſumptam ex parte hypotheſis, & ex parte conditionati. Sed contra: quia, vt veritas obiectiva conditionalis diſcernatur à veritate obiectiva diſiunctiva, non eſt neceſſarium, quod in omnibus diſconveniat; ſed in aliquo modo, quo, vt homo diſcernatur ab Equo, non eſt neceſſarium, quod tàm in prædicato *Animalis*, quàm in prædicato *Rationalis* diſconveniant: convenit ergo veritas obiectiva conditionalis cum veritate obiectiva diſiunctiva in eo, quod vna, & altera præſcindit à coniunctione plurium; at diſcrepant: quia conditionalis exigit ex hypotheſi coniunctionem plurium, ſcilicèt: *hypotheſis, & conditionati*; quam non exigit diſiunctiva, quæ tàm abſolutè, quàm ex ſuppoſitione continetur intra exigentiam vnius tantum; reſtat igitur modus, quo conditionalis, & diſiunctiva diſcriminentur.

154 Replicabis: etiam diſiunctiva veritas exigit ex ſuppoſitione coniunctionem abſolutam aliquorum: quia ſi ſit diſiunctiva inter duo exigit, quod ſi detur defectus vnius, defectus iſte coniungatur cum exiſtentia alterius, & ſi ſit diſiunctiva inter plura, vltra duo, exigit, quod ſi deficiant reliqua vltra vnum, defectus illorum coniungatur cum exiſtentia illius: ergo non diſcernitur veritas obiectiva conditionalis à diſiunctiva per hoc, quod ex hypotheſi, & ex ſuppoſitione exigat abſolutam coniunctionem aliquorum. Sed contra. Quia diſiunctiva, & ſi exigat coniunctionem aliquorum ex ſuppoſitione; non exigit, neque abſolutè, neque ex ſuppoſitione coniunctionem illorum extremorum, quæ diſiungit; ſed defectus vnius ex diſiunctis, & exiſtentiæ alterius, quomodo formaliter eſt conditionalis: at veritas obiectiva conditionalis exigit ex ſuppoſitione, & hypotheſi coniunctionem illorum extremorum, quæ ſunt formaliter extrema eiuſdem, prout conditionalis, quin ſit neceſſarium induere rationem alterius obiectivæ veritatis, vt accidit in diſiunctiva exigente exiſtentiam vnius ex ſuppoſitione defectus alterius.

155 Tradi inſuper poteſt altera diſparitas inter vnam, & alteram veritatem ex eo, quod non ſit idem permit-

mittere ſtatum abſolutum vnius, & exigere ſtatum abſolutum eiuſdem: itaque conditionalis, quia præciſione ab ſtatu abſoluto vnius contenta eſt, permittit ſtatum abſolutum alterius: cæterum, quia *conditionalis formaliter eſt*, id non exigit: qua ratione non ſe habet disiunctiva veritas, quæ non modò permittit exiſtentiam abſolutam vnius ex diſiunctivè attactis; verùm eſſentialiter expoſcit: vnde etiam inter ſe diſconveniunt vna, & altera veritas.

156 Dices ſecundò. Niſi veritas obiectiva conditionalis præſcindat, tàm ab ſtatu abſoluto hypotheſis, quàm ab ſtatu abſoluto conditionati non diſcriminabitur formaliter à veritate copulativa. Et ratio eſt: quia aliquæ erunt veritates conditionales, aut de hypotheſi complexa neceſſaria, aut de conditionato complexo neceſſario; v. g. *Si Deus ſit æternus, & Omnipotens, exiſtet mundus: ſi exiſtat Petrus, exiſtet Trinitas divinarum Perſonarum*: in quibus veritas obiectiva conditionalis non poterit præſcindere à coniunctione plurium: ac proinde neque diſcerni formaliter à veritate obiectiva copulativa. Sed contra. Quia diſcretio veritatis obiectivæ conditionalis à copulativa, non ſtat in eo, quod quomodolibet non attingat coniunctionem abſolutam plurium; ſed in eo, quod non requirat abſolutam coniunctionem illorum extremorum, ſivè complexa, ſivè incomplexa ſint, quæ afficiuntur inter ſe copula principali, vt non requirunt veritates illæ conditionales aſsignatæ, ſi vtraque conditionalis ſit, de quo immediatè poſt. Quod recognoſcendum eſt ab omnibus rem, provt voluerint, componentibus quoad conceptus veritatum *conditionalis, copulativæ, & disiunctivæ*: ſiquidem nemo negare poteſt, ſupra conditionales poſſe fundari veritatem copulativam: & ſupra copulativas conditionalem: ſupra copulativas disiunctivã; & ſupra disiunctivas copulativam. Nec ideò confundentur veritates illæ reflexæ cum veritatibus directis, quæ ſunt materia ipſarum; ſed attendenda eſt in ipſis copula principalis, ex qua veritas denominabitur iam conditionalis inter copulativas; iam copulativa inter conditionales: iam disiunctiva inter copulativas; iam copulativa inter disiunctivas, vt ferunt Dialecticorum regulæ.

157 Sit tertia concluſio. Præciſio hæc incompleta, quæ ſufficit ad ſtrictam veritatem conditionalem obiectivam debet ſe tenere determinatè ex parte hypotheſis, & non ſufficit dari vagè, aut ex parte hypotheſis aut ex parte conditionati. Probatur. Quia, vt diximus, de ratione veritatis obiectivæ conditionalis eſt præciſio ab ſtatu abſoluto coniunctionis hypotheſis, & conditionati; ſed ſi conditionalis non præſcindat ab ſtatu abſoluto determinatè ex parte hypotheſis, non præſcindit ab ſtatu abſoluto coniunctionis hypotheſis, & conditionati: ergo præciſio hæc incompleta, quæ ſufficit ad ſtrictam veritatem conditionalem obiectivam, debet ſe tenere determinatè ex parte hypotheſis, & non ſufficit dari vagè, aut ex parte hypotheſis, aut ex parte conditionati. Prob. min. in qua ſola eſt difficultas. Conditionalis non præſcindens ab ſtatu abſoluto determinatè ex parte hypotheſis eſt conditionalis conſtituta per hypotheſim neceſſariam in ratione talis: ſed conditionalis conſtituta per hypotheſim neceſſariam in ratione talis, eſt conditionalis non præſcindens ab ſtatu abſoluto coniunctionis hypotheſis, & conditionati: ergo ſi conditionalis non præſcindat ab ſtatu abſoluto determinatè ex parte hypotheſis, non præſcindit ab ſtatu abſoluto coniunctionis hypotheſis, & conditionati. Prob. min. Veritas conditionalis ex ſe eſſentialiter afferens purificationem conditionis, eſt veritas conditionalis ex ſe eſſentialiter afferens exiſtentiam abſolutam coniunctionis hypotheſis, & conditionati: patet; nam aliter non veritas; ſed falſitas conditionalis eſſet, vtpote, quæ componeret cum exiſtentia hypotheſis, & purificatione conditionis defectum conditionati: ſed veritas conditionalis ex ſe eſſentialiter afferens exiſtentiam abſolutam coniunctionis hypotheſis, & conditionati, eſt veritas conditionalis non preſcindens ab ſtatu abſoluto coniunctionis hypotheſis, & conditionati: ergo veritas conditionalis conſtituta per hypotheſim neceſſariam in ratione talis eſt conditionalis non præſcindens ab ſtatu abſoluto coniunctionis hypotheſis, & conditionati.

158 Dices, vt præſcindatur à coniuncto duorum, ſufficit præciſio ab ſtatu abſoluto cuiuſvis ex illis: modo, quo, vt non exiſtant coniunctim Petrus,

trus,& Paulus, ſufficit, aut non exiſtere Petrum, aut non exiſtere Paulum, quin requiratur determinatè, aut non exiſtentia Petri, aut non exiſtentia Pauli: ergo vt veritas conditionalis obiectiva ſit præciſiva ab ſtatu abſoluto coniunctionis hypotheſis, & conditionati, non eſt determinanda ad præciſionem ex parte hypotheſis; ſed vagè, vel ad præciſionem ex parte hypotheſis, vel ad præciſionem ex parte conditionati. Sed contra quia præciſio à coniuncto duorum tunc ſolum permittit præciſionem ab ſtatu abſoluto cuiuſvis ex illis, quando præſcindens non eſt talis conditionis, vt exigat determinatè exiſtentiam vnius, ſi alterum determinatè exiſtat: tunc enim præciſio, vel erit determinanda ad *eſſe* abſolutum illius, quod ſe habet, vt conditio ad *eſſe* abſolutum alterius, vel nulla dabitur præciſio. Et ratio eſt: quia præſcindens non poteſt admittere illam præciſionem, qua data deſtrueretur: ſed veritas conditionalis ex ſe non præſcindens ab ſtatu abſoluto conditionis, ſi præſcinderet ab ſtatu abſoluto conditionati per talem præciſionem deſtrueretur: eſſet enim, prout veritas obiectiva conditionalis, capax falſitatis obiectivæ conditionalis: ergo licèt, vt præſcindatur à coniuncto duorum, ſufficiat præciſio ab ſtatu abſoluto cuiuſvis ex illis, id non probat, veritatem obiectivam conditionalem poſſe habere ſimilem præciſionem.

159 Propter eandem rationem nihil probat exemplum adductum non coniunctionis Petri, & Pauli, in quo non coniunctio tàm benè ſe habet cum defectu vnius, quàm cum defectu alterius, adhuc ex ſuppoſitione: quia non exigit ex ſuppoſitione exiſtentiæ vnius, ſcilicèt Petri, exiſtentiam Pauli, & è converſo; non ſic veritas conditionalis, quæ exigit eſſentialiter eſſe abſolutum conditionati ſub purificatione hypotheſis: vnde non eſt locus præciſioni ab ſtatu abſoluto conditionati, niſi detur in ipſa præciſio ex parte ſtatus abſoluti conditionis: imò in exemplo appoſito vires aſſumit noſtrum fundamentum. Nam ſicut doctrina illa non coniunctionis duorum non probat, quando non coniunctio ex ſe eſſentialiter eſt determinata ad exiſtentiam vnius, taliter, vt ſi illud deficeret; deſtrueretur ipſa veritas poſsibilis, & neceſſaria non coniunctionis, vt videre eſt in non coniunctione neceſſaria Dei; & exiſtentiæ impoſsibilis, quæ ita determinata eſt ad non coniunctionem per defectum impoſsibilis in eſſe exiſtentis, vt ſi per defectum Dei fieret ſatis prædictæ non coniunctioni vtriuſque, deſtrueretur ipſa non coniunctio, & ex veritate obiectiva neceſſaria tranſiret ad veritatem non coniunctionis impoſsibilem: pariter doctrina illa generalis præciſionis à coniuncto per præciſionem cuiuſvis partis limitanda venit in conditionalibus, quæ ſi, ſuppoſita non præciſione ex parte hypotheſis, adhùc poſſent præſcindere ab ſtatu abſoluto conditionati, deſinerent eſſe veritates obiectivæ conditionales per admiſſionem prædicatorum falſitatis obiectivæ conditionalis, ex qua redderentur ſimpliciter impoſsibiles in ratione veritatis.

160 Sit quarta concluſio: præciſio aſsignata pro conſtitutivo veritatis obiectivæ ſtrictè talis, non debet eſſe præciſio *excluſionis* ſtatus abſoluti hypotheſis; nec ſufficit præciſio *non inclusionis*: quarè duntaxat debet eſſe præciſio *vniverſalitatis*, ex qua veritas obiectiva conditionalis ſit coniungibilis pro *modo ſuo* tàm cum purificatione conditionis, & ſtatu abſoluto illius; quàm cum non purificatione, & defectu ſtatus abſoluti hypotheſis. Probatur propoſitio per partes. Quoad primam de *non præciſione excluſionis*. Quia præciſio excluſionis ſtatus abſoluti hypotheſis, aut eſt incomponibilitas abſoluta ſaltem extrinſecè cum ſtatu abſoluto hypotheſis, vt contingit in omnibus conditionalibus de conditione impoſsibili, aut eſt incomponibilitas, tàm abſoluta; quàm ex ſuppoſitione, vt accideret in caſu, quo purificatio conditionis eſſet impeditio talis veritatis conditionalis; aut verificata purificatione conditionis, verificaretur etiam nunquam fuiſſe veritatem conditionalem: ſed ex his præciſionibus prima tantùm poteſt inveniri in aliquibus conditionalibus, ſcilicèt, in his, quæ ſint de conditione impoſsibili: ac per conſequens non poteſt eſſe de conceptu, & conſtitutivo conditionalis ſecundùm ſe ſumptæ; ſecunda verò eſt contra conceptum veritatis conditionalis, vt ſæpè diximus: ergo præciſio ab ſtatu abſoluto hypotheſis conſtitutiva veritatis obiectivæ ſtrictè conditionalis non eſt præciſio excluſionis.

Pro-

161 Probatur secunda pars de *non præcisione non inclusionis*. Præcisio non inclusionis est præcisio composita cum determinatione ad statum absolutum hypothesis: sed præcisio composita cum determinatione ad statum absolutum hypothesis non sufficit pro præcisione constitutiva veritatis obiectivæ strictè conditionalis: ergo præcisio non inclusionis status absoluti hypothesis non sufficit pro constitutione veritatis obiectivæ strictè conditionalis. Mai. est certa: quia causa, aut principium necessariſsimum, & cum effectu connexum potest habere præcisionem non inclusionis à suo effectu, aut principiato: vt videre est in Patre Æterno, qui pro suo signo habet præcisionem non inclusionis ab statu absoluto Filij, & tamen habet pro suo signo determinationem ad statum absolutum Filij: quod idem accidit in Patre, & Filio respectu ad Spiritum Sanctum. Prob. min. Præcisio composita cum determinatione ad statum absolutum conditionis est præcisio non repugnans necessitati status absoluti conditionis: sed præcisio non repugnans necessitati status absoluti conditionis est præcisio non modo non sufficiens pro constitutione veritatis obiectivæ stricte conditionalis; verùm repugnans constitutioni, sicut, & veritati obiectivæ strictè conditionali: ergo præcisio composita cum determinatione ad statum absolutum hypothesis non sufficit pro præcisione constitutiva veritatis obiectivæ strictè conditionalis.

162 Probatur tertia, & vltima pars de *præcisione vniversalitatis* ab statu absoluto coniunctionis conditionati, & hypothesis, ex qua fit componibilis pro modo suo, tàm cum statu absoluto, quàm cum defectu illius. Quia sola illa præcisio ab statu absoluto est constitutiva veritatis obiectivæ strictè conditionalis, quæ, exclusis alijs, sola remanet, vt veritas conditionalis strictè talis præscindens sit, vt fert de suo conceptu: sed excluſa præcisione *exclusionis*, & *non inclusionis*, sola restat præcisio *vniversalitatis*, & *componibilitatis ex se*, tam cum esse absoluto coniunctionis; quàm cum defectu illius: ergo sola præcisio vniversalitatis ab statu absoluto coniunctionis conditionati, & hypothesis est præcisio requisita ad conceptum veritatis conditionalis strictè talis. Vel aliter. Ea sola præcisio est de conceptu veritatis obiectivæ strictè conditionalis, qua secluſa, aut non esset præscindens, vt exigit ex proprio conceptu, aut esset præscindens contra proprium conceptum per destructionem sui in ratione veritatis strictè conditionalis; & qua intellecta, & est præscindens, vt exigit, & benè in proprio conceptu sub tali præcisione composita: sed præcisio vniversalitatis ab statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati, est præcisio, qua secluſa, veritas conditionalis strictè talis, aut non esset præscindens, vt exigit ex proprio conceptu, aut esset præscindens contra proprium conceptum per destructionem sui in ratione veritatis conditionalis; & qua intellecta veritas strictè conditionalis, & est præscindens, vt exigit, & benè in tali conceptu sub tali præcisione composita: ergo sola præcisio vniversalitatis ab statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati est de conceptu veritatis obiectivæ strictè conditionalis.

163 Confirmatur. In conditionali, vbi non sit præcisio vniversalitatis ab statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati, aut est omnimoda necessitas hypothesis quoad statum absolutum illius, quo tollitur præcisio essentialiter requisita ad veritatem strictè conditionalem; aut est omnimoda incomponibilitas veritatis conditionalis cum purificatione conditionis, quo tollitur conceptus veritatis obiectivæ strictè conditionalis: ergo sola præcisio vniversalitatis est, quæ sufficit, pro constituenda veritate obiectiva strictè conditionali: ac per consequens quæ ei vnicè est adscribenda ad salvandam præcisionem requisitam pro ipsius conceptu.

164 Diximus: *Veritatem obiectivam strictè conditionalem debere præscindere ab statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati præcisione vniversalitatis pro suo modo*: quod additum est ad salvandas veritates conditionales strictè tales de hypothesi impossibili, quæ videntur innegabiles: aliàs nec conceptus *impossibilis* esset explicabilis, nec plures conditionales, quæ passim occurrunt, & ab omnibus inconcusse, vt tales, accipiuntur, essent admittendæ; verùm omnes ad aliquid absolutum ex parte obiecti essent reducendæ: quomodo aliquando dif-

difficilè valdè est, & aliquando omninò impossibile, vt consideranti constabit. Denotat ergo particula illa *pro suo modo*, conditionalem si sit de hypothesi possibili, habituram præcisionem vniversalitatis adæquatè pro casu possibili: id est, quod tam cum defectu status absoluti coniunctionis hypothesis, & conditionati; quàm cum statu absoluto illius, sit pro casu possibili componibilis: aut, si sit de hypothesi impossibili, habituram præcisionem vniversalitatis inadæquatè pro casu possibili; & inadæquatè pro casu impossibili: id est, quod cum defectu status absoluti coniunctionis hypothesis, & conditionati sit coniungibilis pro casu possibili; & cum statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati sit coniungibilis pro casu impossibili: vt apparet in hac conditionali: *Si Chymæra existat, implicabit*, quæ pro casu possibili est coniungibilis cum defectu conditionis, & conditionati; at pro casu impossibili esset coniungibilis cum statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati: quia numquam esset magis verum, quod, *si existeret, implicaret*, ac quando chymæra existeret implicans.

165 Confirmatur: si existeret impossibile, existeret cum sua essentia: patet; quia si casu, quo impossibile existeret, non existeret cum sua essentia, non esset, cur impossibile non esset possibile: cum id, quod si existat, non existet cum essentia impossibilis, possibile sit: sed si existeret cum essentia impossibilis, existeret cum veritate conditionali imbibita in essentia impossibilis, ac proinde talis veritas persisteret cum existentia impossibilis; & aliunde est coniungibilis necessariò in casu possibili cum defectu impossibilis sub purificatione conditionis existentiæ illius: ergo veritas hæc conditionalis: *Si existat chymæra, implicatoriè existeret*, & est veritas strictè conditionalis, & vt talis præscindens ab statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati præcisione vniversalitatis partim pro casu possibili; & partim pro casu impossibili.

166 Iterum confirmatur. Quia aut omnes veritates strictè conditionales de hypothesi impossibili sunt reijciendæ, in quod licèt vehementer inclinarem, agnosco durissimum, & multis difficultatibus obviari non posse; aut est dicendum tales veritates pro suo modo, habere præcisionem vniversalitatis ab statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati ea ratione, qua manet explicatum: aliter, quæ conditionalis erit illa, quæ cum exigat essentialiter conditionatum sub purificatione conditionis; tamen existente conditionato sub hypothesi nunquam fuisset? at veritates conditionales de hypothesi impossibili ita forent, si non haberent præcisionem vniversalitatis explicatam: ergo vel dicendum habere talem præcisionem, vel negandum vllam esse veritatem strictè conditionalem de hypothesi impossibili, quod non renuam, dummodo aliquis mihi ostendat modum reducendi omnes veritates, quæ sub terminis talibus conditionatis proponuntur ad aliquid absolutum.

167 Ex dictis inferes primò: Conditionalem strictè talem requirere determinatè præcisionem ab statu absoluto ex parte hypothesis; non requirere neque determinatè, neque vllo modo alio ex parte conditionati; at permittere vltra præcisionem requisitam ex parte hypotesis præcisionem ex parte conditionati. Dabitur præcisio tantùm ex parte hypothesis, quando conditionatum sit necessarium, sub hypothesi tamen contingenti in existendo. v.g. *Si creatura existat, existet Deus: si Petrus existat, Paulus erit possibilis.* Dabitur præcisio ex parte vtriusque, quando, tàm hypothesis, quàm cõditionatum possunt existere, & non existere. v. g. *Si Ioanni conferatur determinata libertas A, consentiet: si Ioannes existat, Franciscus curret*: necessitatem vero ex parte conditionati, non sumimus pro ea, quæ datur in conditionali veritate necessaria de indefectibili existentia conditionati sub existentia hypotesis: vt in hac: *Si existat actio, existet terminus*; sed pro necessitate absoluta, quæ in exemplo appositio: *Si existat creatura, existet Deus*: quomodo etiam consideranda est necessitas ex parte hypothesis, quæ obstet præcisioni requisitæ ad veritatem strictè conditionalem.

168 Inferes secundò contra P. Ruiz. Non esse veritatem conditionalem strictè talem illam, in qua hypothesis sit necessaria, quamvis conditionatum sit contingens, tàm absolutè, quàm respectivè ad conditionem. v.g. *Si Deus sit sciens, & Omnipotens, existet*

mun-

mundus. Ratio eſt iam tacta in concluſione 3. Quia vbi conditio eſt neceſſaria, nulla poteſt eſſe præciſsio in conditionali, provt vera, ab ſtatu abſoluto coniunctionis hypotheſis, & conditionati: ſiquidem non quatenus præſcindat ab exiſtentia, & purificatione conditionis, vtpote, quæ eſt neceſſaria: non quatenus præſcindat ab exiſtentia conditionati ſub exiſtentia conditionis: cum nulla conditionalis provt vera, poſsit præſcindere ab exiſtentia conditionati ſub exiſtentia conditionis: aliàs, provt vera, poſſet eſſe falſa, quod repugnat: ergo conditionalis illa, & aliæ ſimiles, quæ excogitari poſſunt, non ſunt ſtrictè conditionales.

169 Inferes tertiò. Plures eſſe veritates obiectivas, quæ comuniter explicari ſolent ſub terminis veritatum conditionalium, & in re veritates conditionales non ſunt: huiuſmodi ſe habent omnes illæ veritates, quæ ſint, tàm de hypotheſi, quàm de conditionato neceſſarijs: v.g. *Si Deus exiſtat, exiſtet: ſi ſit Pater Æternus, erit Filius: ſi ſit Trinitas, Petrus erit poſsibilis: ſi ſint poſsibilia extra Deum, Deus erit: ſi ſit poſsibile, non erit vnum tantum*: & aliæ ſimilis conditionis: necnon omnes illæ, quæ quamvis ſint de conditionato contingenti, ſunt tamen de hypotheſi neceſſaria, vt *ſi Petrus ſit poſsibilis, Franciſcus exiſtet: ſi Deus ſit Omnipotens, erit Mundus*: & aliæ huius generis, quæ excogitari poſſunt. Ratio eſt: quia in omnibus iſtis non datur locus præciſsioni exactæ pro veritatibus obiectivis ſtrictè conditionalibus.

170 Inferes quartò. Omnes eas veritates obiectivas, quæ etſi explicentur terminis conditionalibus; in re tamen conditionales non ſunt ob defectum præciſsionis explicatę, & requiſitę, reducendas eſſe ad aliquid ex parte obiecti abſolutum; v.g. conditionalis illa: *Si Deus exiſtat, exiſtet* ad determinationem abſolutam Dei, & indefectibilitatem in exiſtendo: ſicut, & illa *ſi exiſtat Pater Æternus, exiſtet Petrus, ſi Deus ſit ſciens, & Omnipotens, exiſtet Mundus*, ad exiſtentiam abſolutam Patris Æterni, & Petri: & ad exiſtentiam abſolutam Dei ſcientis, & potentis, & Mundi: quomodo de alijs eiuſdem generis habenda eſt ratio. Cuius motivum eſt clarum ex dictis: ſiquidem omnis veritas obiectiva, quæ in ſe ſtrictè conditionalis non ſit, aliquid abſolutum ex parte obiecti, ſivè poſitivum, ſivè negativum debet eſſe; cum non detur medium inter conceptum obiectivum abſolutum, & conditionatum: ſed veritates illæ obiectivæ in ſe conditionatæ, non ſunt: ergo aliquid abſolutum debent includere, in quod ſine conditionalitate ſtricta valeant reduci.

171 Inferes quintò. Non eſſe abſurdum de his, quæ diximus non eſſe veritates ſtrictè conditionales, ſimul aſſerere in ratione conditionalium, nec habere veritatem, aut falſitatem, etiam provt terminis conditionalibus proponuntur: quia id, quod non participat aliquem conceptum, nihil habet, aut non habet ſub tali conceptu, ſicut nihil, ſub prædicto conceptu poteſt ei attribui: ergo ſi conceptus illi obiectivi non participant rationem verè conditionalium, nec veritas, nec falſitas in ratione talium poterit eis attribui: idque fateri nullum continebit abſurdum; imò potius erit reflexa veritas iurè affirmabilis: non aliter ac ſine abſurdo dicitur de apprehenſione ſimplici, neque habere veritatem, neque habere falſitatem in ratione *propoſitionis*: quia non participat rationem iudicij, & enuntiationis requiſitam, vt vnum, aut alterum verè de ipſa affirmari poſſet, ſcilicèt, aut habere veritatem propoſitionis; aut habere falſitatem propoſitionis.

172 Non ſic ſentiendum eſt de non veritate ſtrictè conditionali; & de non falſitate ſtrictè conditionali: quod vtrumque de illis conceptibus eſt neceſſarium verificari; aliàs daretur ex parte rei præciſsio à duplici contradictorio, & medium inter *eſſe*, & *non eſſe*: igitur cum prædicti conceptus non poſſint carere veritate ſtrictè conditionali, quin veritas conditionalis ſtrictè talis in ipſis deficiat, nec poſsint non habere falſitatem conditionalem ſtrictè talem, quin falſitas conditionalis ſtrictè talis in ipſis deficiat; ideò neceſſum eſt *non veritatem* conditionalem ſtrictè talem: & *non falſitatem* conditionalem ſtrictè talem de ipſis verificari. Ratio diſparitatis inter non veritatem conditionalem ſtrictè talem, & falſitatem conditionalem ſtrictè talem, & inter non falſitatem ſtrictè talem, & veritatem conditionalem ſtrictè talem conſiſtit in eo, quod *non veritas conditionalis* ſtrictè non requirit conceptum conditionalis ſtrictè, provt requirit *falſitas* conditionalis: nec

non falſitas conditionalis requirit conceptum conditionalis ſtrictè, provt requirit veritas ſtrictè conditionalis, imò potius nunquam datur ſtrictiùs *non veritas*, aut *non falſitas* ſtrictè conditionalis, ac quando deficit talis ratio: ideo in conceptu ſtrictè non conditionali verificatur *non veritas*, & *non falſitas* ſtrictè conditionalis; ſecus, aut *veritas*, aut *falſitas* ſtrictè conditionalis. Pariter ac falſum eſt dicere de Angue *eſſe hominem cum pedibus*, & *eſſe hominem ſine pedibus*; verum tamen neceſſum eſt: *Neque eſſe hominem cum pedibus*, & *neque eſſe hominem ſine pedibus*: ac per conſequens dari excluſivum huius, quod eſt: *eſſe hominem cum pedibus*: & huius, quod eſt *eſſe hominem ſine pedibus*.

173 Inferes ſextò. Præciſionem ſtatutam ab ſtatu abſoluto coniũctionis hypotheſis, & conditionati, quam neceſſariam eſſe diximus ad conſtitutionem cuiuſvis veritatis obiectivæ ſtrictè conditionalis, minimè obeſſe neceſſariæ veritati ipſius: aliàs per aſſertam doctrinam neganda eſſet veritas obiectiva neceſſaria ſtrictè conditionalis, quod neque dici poteſt, neque vllo modo ex aſſertis deducitur. Ratio eſt: quia neceſſitas veritatis obiectivæ conditionalis ſtrictè talis non deſumitur ex neceſſaria purificatione conditionis; verùm ex neceſſaria illatione ex hypotheſi ad conditionatum caſu, quo purificetur propter inſeparabilitatem intrinſecam, quam in exiſtendo habet à conditionato ſecundùm illam rationem, qua eſt conditionatum illius: quæ quidem illatio, & intrinſeca inſeparabilitas conditionis à conditionato benè componitur cum contingentia ipſius conditionis in exiſtendo, & quoad purificationem ſui in his conditionalibus: *Si exiſtat vnio, exiſtent extrema: ſi exiſtat creatura, exiſtet Deus*; in quibus benè componitur metaphyſica connexio hypotheſis cum conditionato, & contingentia hypotheſis in exiſtendo: ergo cum præciſsio illa ab ſtatu abſoluto hypotheſis, & conditionati coniunctivè ſe habentium à nobis aſsignata, vt requiſita ad rationem veritatis obiectivæ ſtrictè conditionalis cum ſola contingentia quoad purificationem hypotheſis contenta ſit, nec impedit illationem hypotheſis ad conditionatum; nec per conſequens neceſsitatem veritatis conditionalis ſtrictè talis.

CAPVT VII.

Præcedentes concluſiones liberantur ab obiectis.

174 CONtra primam concluſionem obijcies. Abſque vlla ſuſpenſione, aut præciſsione ab ſtatu abſoluto coniunctionis hypotheſis, & conditionati, ſtat ſtrictiſsima veritas obiectiva conditionalis: ergo ad veritatem obiectivam ſtrictè conditionalem non requiritur præciſsio vlla ab ſtatu abſoluto coniunctionis hypotheſis, & conditionati. Prob. antecedens. Abſque vlla præciſsione ab ſtatu abſoluto coniunctionis duorum, imò eſſentialiter excluſa præciſsione à tali ſtatu, componitur vnum exiſtere, & non exiſtere ſine alio: ſed vnum exiſtere, & non exiſtere ſine alio formaliſsimè eſt, *quod ſi vnum exiſtat, exiſtet aliud*, in quo continetur ſtrictiſsima veritas conditionalis: ergo abſque vlla præciſsione ab ſtatu abſoluto coniunctionis hypotheſis, & conditionati ſtat veritas obiectiva ſtrictè conditionalis. Ad argumentum nego antecedens. Ad cuius probationem conceſ. mai. neg. min. non enim vnum exiſtere, & non exiſtere ſine alio infert: *Quod ſi vnum exiſtat, exiſtet aliud* ſtrictè conditionaliter; ſed: *Quod vnum exiſtit cum alio*, provt correſpondet veritati obiectivæ copulativæ, & quæ non ſemper coniungitur cum veritate obiectiva ſtrictè conditionali.

175 Inſiſtes. Ab ſtatu abſoluto coniunctionis duorum ſemper benè valet conſequentia ad ſtatum conditionatum ipſorum: nam inter ſtatum abſolutum, & conditionatum datur conſequentia non mutua: quatenus licèt ſtatus conditionatus non ſemper inferat ſtatum abſolutum duorum; tamen ſtatus abſolutus duorum ſemper benè inferat ſtatum conditionatum: ſed ſi ſtatus abſolutus duorum ſemper benè infert ſtatum conditionatum coniunctionis ipſorum, ad ſtatum conditionatum nulla requiritur præciſsio: cum ſæpè ſtatus abſolutus ſit inter ea, quorum vnius exiſtentia non poteſt præſcindere ab exiſtentia alterius: ergo ad ſtatum conditionatum ſtrictè talem non eſt ne-

necessaria vlla præcisio ab statu absoluto coniunctionis. Respondeo: ab statu absoluto coniunctionis duorum tantùm benè valere consequentiam ad statum conditionatum ipsorum in his, quæ sunt capacia status conditionati propter præcisionem, quam vnum habet ab existendo, & non existendo cum altero; secus quando id, quod assumitur in hypothesi, est necessarium in existendo, & vt sic non præscindens ab existentia alterius: propterea negandum est: esse absolutè bonam consequentiam ab statu absoluto coniunctionis duorum ad statum conditionatum eorundem, sicut & consequentiam non mutuam; imò certo modo se implicat instantia. Nam si ab statu absoluto non valeat mutuo consequentia ad statum conditionatum, id non potest contingere absque præcisione status conditionati ab statu absoluto: aliàs si status conditionatus non præscinderet ab statu absoluto, nulla esset ratio, vt benè mutuò non valeret consequentia ab statu absoluto ad conditionatum, & ab statu conditionato ad absolutum.

176 Rursus instas. Veritas obiectiva strictè conditionalis componitur cum existentia, & statu absoluto conditionis; ac proinde cum statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati: sed compositio cum existentia absoluta conditionis, ac per consequens cum statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati, nullam admittit præcisionem tum ab existentia absoluta conditionis, tum ab statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati: ergo absque vlla præcisione ab statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati stat veritas obiectiva strictè conditionalis. Vrgetur: veritas obiectiva conditionalis includit existentiam absolutam conditionis, & statum absolutum coniunctionis hypothesis, & conditionati: sed nihil includens aliud, præscindit ab illo: ergo veritas obiectiva conditionalis strictè talis non modo non requirit præcisionem vllam ab statu coniunctionis hypothesis, & conditionati; verum cum repugnantia præcisionis potest consistere.

177 Respondeo. Non præcisionem ex suppositione benè componi cum præcisione absoluta: non aliter ac connexio ex suppositione benè componitur cum inconnexione absoluta: quarè licèt veritas conditionalis ex suppositione, quod existat conditio, non præscindat ab statu absoluto illius; at absolutè præscindit ab statu absoluto illius, cum semper verificetur, eam ipsissimam veritatem, quæ stat cum statu absoluto, tàm hypothesis, quam coniunctionis conditionati, & hypothesis posse existere sine tali coniuncto. Pro quo explicando non deficiunt exempla satis obvia, scilicèt, libertatis præscindentis absolutè ab exercitio determinato, per quod defacto exercetur, & non præscindentis ex suppositione electionis, & determinationis: insuper possibilitatis rei contingentis præscindentis ex se absolutè ab existentia; & non præscindentis ex suppositione, quod res existat, ex qua cum tali existentia identificatur. Pariter ergo dicendum venit de veritate obiectiva strictè conditionali. Vnde apparet, quid dicendum ad vrgentiam, scilicèt, conditionalem veritatem excludere ex suppositione existentiam absolutam conditionis, & statum absolutum coniunctionis hypothesis, & conditionati, quod benè componitur cum non inclusione absoluta, vt constat in exemplis adductis, propterea quæ cum præcisione vniversalitatis requisita ad veritatem obiectivam conditionalem strictè talem.

178 Objicies secundò contra secundam. Aut præcisio requisita ad veritatem conditionalem debet esse completa, tàm ex parte conditionati, quàm ex parte hypothesis, aut nulla præcisio requiritur: sed per nos aliqua præcisio est necessaria: ergo debet esse vndequaque completa, & quæ tàm hypothesim, quàm conditionatum comprehendat. Probatur maior. Quando duo ad aliquod constitutum requiruntur, æquè ab ipsis præscinditur, aut non præscinditur in ordine ad constitutum: sed hypothesis, & conditionatum requiruntur ad veritatem obiectivam conditionalem: ergo æquè ab vtroque debet præscindere, aut non præscindere. Confirmatur. Conditionalem veritatem non præscindere ab statu absoluto conditionati est conditionalem esse inseparabilem ab statu absoluto conditionati sub existentia condi-

tionis: ſed conditionalis inſeparabilis ab ſtatu abſoluto conditionati ſub ſtatu abſoluto conditionis, eſt inſeparabilis ab ſtatu abſoluto conditionis; ac proinde nullo modo præſcindetur ab ſtatu abſoluto coniunctionis, neque ex parte hypotheſis, neque ex parte conditionati: ergo veritas obiectiva conditionalis, vel debet præſcindere ab ſtatu abſoluto coniunctionis præciſione vndequaque completa, vel nullam præciſionem requiret, tàm ex parte conditionati, quàm ex parte hypotheſis.

179 Ad argument. nego mai. Ad cuius probationem diſting. mai. quando duo ad aliquod conſtitutum requiruntur, æquè ab ipſis præſcinditur, aut non præſcinditur in ordine ad conſtitutum: *eo modo, quo conſtitutiva ſunt* concedo mai. *eo modo, quo non ſunt conſtitutiva*, neg. mai. & conceſſa min. diſting. conſequens æquè ab vtroque debet præſcindere, aut non præſcindere *in ratione conſtitutivi* concedo conſequentiam: *alio ſenſu, & ratione* nego conſequentiam. Eſt dicere: conſtitutum eo modo, quo conſtituitur per ſua conſtitutiva debet ab illis non præſcindere: cæterum videndum eſt, qua ratione per illa conſtituatur, & quomodo dicta conſtitutiva ad rationem conſtituti requirantur. Nam ſi vnum conſtituat, & requiratur ſub aliqua præciſione; ſecus aliud, hoc tantum modo, & ſub tali reduplicatione ab illis non præſcindet, ſcilicèt, ab vno, vt ſub tali præciſione intellecto; & ab altero, vt nullam præciſionem includente: ſit exemplum coniunctum reſultans ex vno purè poſsibili, & ex altero ex exiſtentibus: hoc quidem coniunctum æquè non præſcindit à *purè poſsibili*; quàm ab *exiſtenti* abſolutè: cæterum inde non licèt arguere, quod ſi vnum ex conſtitutivis ſit quid exiſtens, & non præſcindens ab exiſtentia abſoluta; alterum debeat eſſe etiam quid exiſtens, & non præſcindens ab exiſtentia abſoluta. Cuius ratio eſt: quia etſi æquè non præſcindat ab vno, & altero in ratione conſtitutivi; attamen ratio vnius conſtitutiva eiuſdem in ratione conſtitutivi diverſa eſt à ratione alterius conſtitutiva eiuſdem in ratione conſtitutivi: quare licèt in vno ſit præciſio ab exiſtentia; ſecus in altero: pariter ergo in conditionali conſtituta per hypotheſim, & conditionatum, verùm ſub diverſa ratione in vno, ac in altero conſtitutivo.

180 Ad confirmationem dicendum conditionalem veritatem non præſcindere ab ſtatu abſoluto conditionati coniunctivè ad ipſam hypotheſim, eſſe inſeparabiliter ſe habere ab ſtatu abſoluto conditionati ſub exiſtentia conditionis; at non præſcindere ab ſtatu abſoluto conditionati ſecundum ſe accepti non eſſe inſeparabiliter ſe habere ab ſtatu abſoluto conditionati ſub exiſtentia conditionis: quia id, quod neceſſariſsimum in exiſtendo abſolutè eſt, poteſt ſe habere contingenter in exiſtendo cum alio: quemadmodum Deus neceſſariſsimus in exiſtendo abſolutè, contingenter ſe habet in exiſtendo cum creaturis: verum ergo eſt, cōditionalem veritatem de conditionato neceſſario non præſcindere ab ſtatu abſoluto conditionati ſecundo modo ex dictis: cæterum cum ex hac non præciſione minimè inferatur conditionatum reſpectivè neceſſario exiſtere ſimul cum purificatione hypotheſis, neque etiam infertur conditionalem veritatem ex vi talis non præciſionis inſeparabiliter ſe habere ab ſtatu abſoluto conditionati ſub exiſtentia hypotheſis, quod ſolùm obſtaret rationi veræ conditionalis.

181 Obijcies tertiò contra tertiam. Si ad veritatem ſtrictè conditionalem requireretur præciſio ab ſtatu abſoluto determinatè ex parte hypotheſis, deficeret in Deo conceptus obiectivus ei neceſſariſsimus: id eſt repugnans: ergo ad veritatem ſtrictè conditionalem non eſt neceſſaria præciſio ab ſtatu abſoluto determinatè ex parte hypotheſis. Probatur mai. conceptus neceſſariſsimus in Deo eſt conceptus *poſsibilis*: ſed hic conceptus deficeret in Deo, ſi ad veritatem ſtrictè conditionalem requireretur præciſio ab ſtatu abſoluto determinatè ex parte hypotheſis: ergo ſi ad veritatem ſtrictè conditionalem requireretur præciſio ab ſtatu abſoluto ex parte hypotheſis, deficeret in Deo conceptus obiectivus ei neceſſariſsimus. Probatur min. Quia conceptus *poſsibilis* non eſt aliter explicabilis ex recepta definitione, quàm per conditionalem: *Si exiſtat, non implicabit, aut excludet ſuum contradictorium*: ſed hæc conditionalis non daretur in Deo: cum implicet præciſio ab ſtatu abſoluto determinatè ex parte hypotheſis ob ſummam neceſsitatem, quàm Deus ha-

habet in existendo: ergo hic conceptus *possibilis* deficeret in Deo, si ad veritatem strictè conditionalem præcisio ab statu absoluto determinatè ex parte hypothesis requireretur.

182 Respondeo neg. mai. Ad cuius probationem: dicendum: conceptum possibilitatis comprehendentem omnem possibilitatem esse *determinationem in prædicatis ad existendum sine contradictione*; qui quidem strictissimè Deo competit, & optimè cum sua necessitate in existendo componitur: hæc autem determinatio gignit veritatem obiectivam strictè conditionalem in omnibus illis entitatibus contingentibus, & non determinatis ad existendum; secus in ente necessariissimo, & indefectibili, qualis est Deus, qui si, vt possibilis sub terminis conditionalibus, & creaturarum more proponatur, intelligendus est non per correspondentiam ad aliquod conditionatum obiectivè; sed per reductionem ad aliquid absolutum, vt de alijs veritatibus vulgariter conditionalibus iam diximus.

183 Replicabis: ergo conceptus possibilitatis non est vnivocus enti necessario, & contingenti ex differentia *absoluti, & conditionati: strictè conditionalis, & non strictè conditionalis.* Respondeo in primis concedendo sequelam. Ex qua quid absurdi? Nam si ex probabili sententia conceptus entis non est vnivocus enti necessario, & contingenti ob summam distantiam intervenientem inter infinitum simpliciter, & finitum; quid inde pro possibilitate non vnivocâ, & imbibita in conceptu entis? Respondeo deindè: quod sicut cum summa distantia, & maxima differentia, quæ datur inter Deum, & creaturam, ex qua Deus est *ens à se*; & creatura *ens ab alio* componitur ex probabili sententia conceptus vnivocus *entis* Deo, & creaturis, in quantum de necessario, & contingenti verificatur, *aptum existere* contrahibile per differentias *à se*, & *ab alio*; ita cum notabili differentia, & distantia possibilitatis Dei, & creaturæ, poterit stare conceptus possibilitatis vnivocus Deo, & creaturis, in quantum *determinatio prædicatorum* ad excludendam contradictionem in existendo contrahibilis sit per differentias *præcisionis ab existendo sine repugnantia, & necessitatis ad existendum sine repugnantia.*

184 Obijcies quartò contra quartam conclusionem. Ea præcisio, sine qua stat veritas obiectiva strictè conditionalis, non est necessaria ad veritatem obiectivam strictè conditionalem: sed absque præcisione vniversalitatis ex parte hypothesis quo ad statum absolutum illius stat veritas strictè conditionalis: ergo prædicta vniversalitatis præcisio non est requisita ad veritatem obiectivam strictè conditionalem. Probatur min. Veritas obiectiva strictè conditionalis est, *impossibile, si existeret, includeret duplex contradictorium, seu implicaret*: sed hæc veritas stat absque præcisione vniversalitatis ex parte hypothesis: cum sit determinata, vt hypothesis non purificetur: ergo absque præcisione vniversalitatis quoad statum absolutum ex parte hypothesis stat veritas strictè conditionalis. Discursus est legitimus, si præmissæ constent, quæ sigillatim probantur non difficilè. Mai. prius sub hac forma: quia si illa veritas obiectiva non esset strictè conditionalis, non esset perceptibilis repugnantia impossibilis, imò eius essentia cum essentia possibilis confunderetur: etenim neque percipi posset repugnantia illius ex contradictione absoluta, & existentialiter sumpta de præsenti; nam si sic impossibilia includerent contradictionem, tot darentur defacto impossibilia, quot sunt conceptus obiectivi impossibiles; neque impossibile in ratione impossibilis esset conceptus necessarius; verùm reflexe impossibilis: deinde non esset perceptibilis ex repugnantia, quæ foret, si existeret: cum hæc contradictio non stet aliter quàm per veritatem strictè conditionalem: ergo veritas strictè conditionalis est; *Impossibile, si existeret includeret duplex contradictorium, seu implicaret.*

185 Confirmatur hæc pars. Impossibile non est explicabile, aut conceptibile sine implicatione: sed non est explicabile, aut conceptibile cum implicatione, quæ sit: aliàs duplex contradictorium existeret: ergo cum implicatione, quæ foret, & daretur, si poneretur aliqua hypothesis: sed hæc veritas per quam ita conditionatè explicabile est, veritas

conditionalis ſtrictè talis debet reputari: aliàs prædicta veritas eſſet reducenda ad aliquid abſolutum ſimpliciter tale, quod deſignare non eſt facile, & obſcuriſsimam eſſentiam impoſsibilis conſtitueret: ergo tenendum eſt firmiter veritatem illam: *Si exiſteret, implicaret*, eſſe ſtrictiſsimè conditionalem.

186 Iam min. illa ſuperior vltra probationem in ea implicitam ſic probatur. Non ſtat præciſsio vniverſalitatis ab ſtatu abſoluto conditionis, vbi ſtat omnimoda repugnantia ad ſtatum abſolutum conditionis: ſed in ea veritate conditionali: *Si exiſteret, implicaret*, ſtat omnimoda repugnantia ad ſtatum abſolutum conditionis: ergo illa veritas ſtat abſque præciſsione vniverſalitatis ex parte hypotheſis. Mai. eſt certa ex ipſo conceptu præciſsionis vniverſalitatis ab aliquo: ſiquidem præciſsio vniverſalitatis ab aliquo extremo eſt indifferentia ad vtrumvis, & coniungibilitas cum extremo, & defectu illius, quando præciſsio vniverſalitatis eſt inter incomponibilia. Probatur min. Illa veritas eſt formaliter impoſsibilitas impoſsibilis: ſed impoſsibilitas impoſsibilis eſt etiam formaliter repugnantia exiſtentiæ illius: alias impoſsibile eſſentialiter non eſſet impotens exiſtere: ergo in ea veritate conditionali: *Si exiſteret, implicaret*, ſtat omnimoda repugnantia ad ſtatum abſolutum conditionis. Conſtat illatio: Nam ſtatus abſolutus conditionis illius veritatis conditionalis eſt exiſtentia impoſsibilis: ergo ſi veritas illa per ſe repugnat exiſtentiæ impoſsibilis, per ſe includit repugnantiam cum ſtatu abſoluto hypotheſis.

187 Confirmatur etiam hæc pars: Repugnare coniuncto conditionati, & hypotheſis non cohæret cum exigentia conditionati ſub hypotheſi: ſed illa veritas per ſe etiam eſſentialiter repugnat coniuncto conditionati, & hypotheſis: ergo non cohæret cum exigentia conditionati ſub hypotheſi: at non habere exigentiam conditionati ſub hypotheſi ex repugnantia ad coniunctum conditionati, & hypotheſis eſt non habere præciſsionem vniverſalitatis ex parte hypotheſis: ergo veritas illa conditionalis non habet præciſsionem vllam vniverſalitatis ex parte hypotheſis; propterea aliquæ concedendæ ſunt conditionales abſque præciſsione vniverſalitatis ex parte hypotheſis.

188 Hoc argumentum ab omnibus ſolvi debet, dummodo aliquid ex conceptu ſuo impoſsibile concedant. Ratio eſt: quia impoſsibile ex conceptu ſuo eſſentialiter repugnat propriæ exiſtentiæ: aliter ex conceptu ſuo permitteret exiſtentiam; quomodo non impoſsibile; ſed poſsibile foret: deinde eſt tale, quod ſi exiſteret, impoſsibile permaneret: nam ſi dum exiſteret, impoſsibile non permaneret, eſſet tale, quod ſi exiſteret, excluderet ſuum contradictorium: vnde dicendum potius poſsibile; quàm impoſsibile: ergo impoſsibile ex vna parte per ſe eſt repugnans ſuæ exiſtentiæ propter contradictionem, quam ſub illa infert, & ex alia cum tali repugnantia componet eſſe permanſurum in ratione talis purificata conditione, ſub qua infert extituram contradictionem: ergo repugnantia ad exiſtendum, quæ conditio eſt, ſub qua involvit contradictionem in ſuo conceptu, bene componitur cum permanentia ipſius purificata conditione, & cum præciſsione vniverſalitatis proportionata repugnantiæ hypotheſis. Quare explicent nobis hanc cohærentiam, quam, vt imperceptibilem proponunt, & ſimul cum obiectione erit ſolutio illius.

189 Reſpondendum pro omnibus. Eam veritatem eſſe ſtrictè conditionalem, vt benè probat argumentum: cæterum non carere præciſsione vniverſalitatis pro modo ſuo, vt ſupra manet explicatum, in quantum pro caſu impoſsibili exigit coniunctionem conditionati, & hypotheſis, & eſt cum exiſtentia abſoluta hypotheſis componibilis, & pro caſu poſsibili exigit defectum abſolutum hypotheſis, & cum illo etiam defacto componitur, in quo nulla alia eſt repugnantia præter illam, quæ de ſe fert quidditas impoſsibilis, beneque componitur abſque contradictione vlla de præſenti, & exiſtentialiter ſumpta repugnantia ad exiſtendum, & determinatio, vt ſi exiſtat, ſit id, quod eſt, & implicationem involvat, ex quibus prima, ideſt, repugnantia eſt abſoluta; ſecunda verò, id eſt, determinatio eſt tantùm ex ſuppoſitione, & pro caſu impoſsibili.

Vn-

190 Vnde ad formam conceſſa maiori: neganda eſt minor. Ad cuius probationem diſtinguenda eſt maior. Non ſtat præciſsio vniverſalitatis *adæquatè poſsibilis* ab ſtatu abſoluto conditionis, vbi ſtat omnimoda repugnantia ad ſtatum abſolutum conditionis, concedo maiorem; *inædæquatè tantùm poſsibilis*, nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens: ea veritas ſtat abſque præciſsione vniverſalitatis *adæquatè poſsibili* concedo conſequentiam; *inadæquatè poſsibili*, nego conſequentiam. Inde conſtat qua certitudine certa ſit maior, quam ſub diſtinctione accepimus, & quomodo intelligenda ſit indifferentia requiſita ad præciſsionem vniverſalitatis, quæ commenſurari debet cum modo ipſo præciſsionis; & quando præciſsio reſpicit caſum vndequaque poſsibilem, erit incomponibilis cum repugnantia abſoluta ad vnum extremum; at quando reſpicit non ſolùm caſum poſsibilem; ſed impoſsibilem, talis indifferentia non excludit abſolutam repugnantiam cum vno extremo componibilem cum determinatione ex ſuppoſitione ad idem extremum.

191 Ad confirmationem dicendum. Repugnare coniuncto conditionati, & hypotheſis non cohærere cum exigentia conditionati ſub hypotheſi *pro caſu poſsibili, & in conceptu poſsibilis* at benè cohærere *pro caſu impoſsibili, & in conceptu impoſsibili*: non aliter ac benè cohæret in impoſsibili abſoluta repugnantia ad exiſtendum cum determinatione ad exiſtendum cum implicatione, & perſeverandum cum eſſentia, & eſſe impoſsibilis pro caſu impoſsibili, quo exiſteret, imò ſi cum ea repugnantia talis determinatio non benè componeretur, repugnantia ipſa deſtrueretur, & in aptitudinem exiſtendi converteretur, cum ſit clariſsimum non habere repugnantiam in exiſtendo id, quod ſi exiſteret, non eſſet determinatum, vt cum implicatione exiſteret: quia non determinatum ad exiſtendum cum implicatione eſt potens ſine implicatione exiſtere, ſi exiſtat: quare ergo repugnabit exiſtere, ſi ex ſe tale eſt, cuius exiſtentia ſine implicatione vlla poteſt dari? Aut quare poſsibile non dicitur habere tantam repugnantiam ad exiſtendum, quantam habet impoſsibile?

192 Inſiſtes primò. Vbi eſt impoſsibilitas, & omnimoda impotentia ad ſtatum abſolutum hypotheſis, nulla eſt aptitudo ad ſtatum hypotheſis: ſed in conditionali illa, ſicut in quavis alia de hypotheſi repugnante, eſt impoſsibilitas, & omnimoda impotentia ad ſtatum abſolutum hypotheſis: ergo nulla eſt aptitudo ad eundem ſtatum abſolutum: ac per conſequens neque vera præciſsio vniverſalitatis ex parte hypotheſis. Reſpondeo: vbi eſt impoſsibilitas, & omnimoda impotentia ad ſtatum abſolutum hypotheſis, nullam eſſe aptitudinem propriam poſsibilitatis ad ſtatum abſolutum hypotheſis, & quæ ſit abſoluta; at eſſe aptitudinem propriam repugnantiæ, & impoſsibilitatis, quæque ſit ex ſuppoſitione implicatoria, & repugnante: modo, quo ipſum impoſsibile habet aptitudinem propriam repugnantiæ, vt ſit id, quod eſt, & determinationem ſimiliter propriam repugnantiæ, vt pro ſuppoſitione, qua impoſsibiliter exiſteret, repugnaret, & ſecum afferret duplex contradictorium, qua determinatione, & aptitudine pro ſuppoſitione repugnante, ſecluſa, impoſsibile non eſſet impoſsibile; ſed conceptum proprium deperderet, & in conceptum poſsibilis commutaret.

193 Inſiſtes ſecundò. Caſu impoſsibili dato, quod impoſsibile exiſteret, nec veritas conditionalis de conceptu impoſsibilis tunc exiſteret, nec talis veritas, vnquam fuiſſet: ergo veritas illa conditionalis incluſa in conceptu impoſsibilis non habet aptitudinem adhuc propriam repugnantiæ, & ex ſuppoſitione, vt cum ſtatu abſoluto hypotheſis coniungeretur. Antecedens probatur. Quia ex impoſsibili deducitur quodvis: ergo poſito in rebus impoſsibili non plus deduceretur prædictam veritatem coniungi cum ſtatu abſoluto conditionis; quàm non coniungi.

194 Reſpondeo: illud principium, in quod reſolvitur inſtantia: *ex impoſsibili ſequitur quodvis* eſſe nobis, qui non admittimus connexionem Dei cum poſsibilibus, & impoſsibilibus falſum, & nullius roboris: vnde negamus antecedens, ſicut, & probationem illius,

& ſic relinquitur veritas illa conditionalis cum ſua aptitudine propria repugnantiæ, vt pro ſuppoſitione chymærica exiſtentiæ impoſsibilis ei coexiſteret, & cum illo coniungeretur. Reſponderi etiam poteſt in omnium ſententia, impoſsibile tale eſſe, quod ſi exiſteret, maneret impoſsibile: aliàs, vt ſemel, & itetum inculcavimus, non eſſet ratio, aut titulus, vt impoſsibile repugnaret: ſiquidem id, quod ſi exiſteret, non haberet eſſentiam impoſsibilis, eſt id, quod ſi exiſteret, non repugnaret: ac per conſequens eſt quid poſsibile: ergo in omnium ſententia veritas illa conditionalis *ſi exiſteret, implicaret*, illæſſa, & firma maneret, & nunquam magis firma, ac quando eſſet, & non eſſet, fuiſſet, & non fuiſſet: non aliter, ac ipſum impoſsibile nunquam magis firmum conſiſtetet in ſuo conceptu implicationis, & repugnantiæ, ac quando ſimul haberet talem conceptum, & non haberet: nam quid impoſsibilius, quam eſſe impoſsibile, & ſimul non eſſe impoſsibile: etenim tam contradictoria ſunt, & prorſus repugnantia *obiectivum correſpondens affimationi impoſsibilis, & negationi eiuſdem*; quàm ſunt contradictoria, & quoad ſimultatem repugnantia quælibet alia, quæ deſignari poſſunt: igitur veritas illa conditionalis talem aptitudinem debet habere, vt pro caſu impoſsibili exiſtentiæ impoſsibilis retineret in ſe implicationem, & cum tali implicatione eſſentialiter coniungeretur, quod eſt incidere in noſtrum intentum, & dare veritati conditionali præciſionem vniverſalitatis quoad hypotheſim impoſsibilem modo aſſerto.

195 Obijcies quintò. Conditionalis de conditione impoſsibili, aut reducitur ad aliquid poſitivum abſolutum, aut ad aliquid negativum abſolutum: ergo in conditionali de hypotheſi impoſsibili nulla poteſt eſſe præciſio vniverſalitatis ex parte hypotheſis. Conſequentia eſt legitima: quia eo modo, quo conditionalis de hypotheſi impoſsibili, vel reducitur ad aliquid poſitivum abſolutum, vel ad aliquid negativum abſolutum, eſt determinata ad ſtatum abſolutum: ac proinde non poteſt habere præciſionem vllam vniverſalitatis ab ſtatu abſoluto hypotheſis. Antecedens probatur. Quia conditio impoſsibilis, vel habetur pro non adiecta, vt conſtat in legatis, lege *Obtinuit, ff. de conditionibus, & demonſtrationibus*; & in Matrimonijs *cap. finali de conditionibus appoſitis*, & ſic reducitur ad abſolutum contractus; vel irritat id, quod conditionaliter exprimitur, vt conſtat ex lege *Impoſsibile 7. ff de verborum obligationibus*, & *§. Si impoſsibilis: Inſtit. de inutili ſtipulatione*, & ſic reducitur ad abſolutum negativum contractus: ergo conditionalis de conditione impoſsibili, aut reducitur ad aliquid poſitivum abſolutum, aut ad aliquid negativum abſolutum.

196 Etiam hæc obiectio, ſi aliquid probat, non modo impugnat præciſionem vniverſalitatis ex parte hypotheſis; verùm omnem rationem præciſionis, ex parte hypotheſis, imò omnem veritatem ſtrictè conditionalem de hypotheſi impoſsibili: propterea quod eo modo, quo terminis conditionalibus non correſpondeat ex parte obiecti aliquid conditionatum; ſed aliquid abſolutum, ſivè poſitivum, ſivè negativum ſit, tollitur etiam veritas obiectiva ſtrictè conditionalis, quare ab omnibus, qui non auferant omninò veritates obiectivas conditionales de hypotheſi impoſsibili eſt ſolvenda. Reſpondeo. Aliud eſſe conſiderare conditionales de hypotheſi impoſsibili ex parte intellectus; aliud ex parte voluntatis, & provt fundantur in aliquo affectu ipſius ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato. Si conſiderentur primo modo veritates conditionales, hypotheſes, ſeu conditiones ipſarum ſemper habentur pro adiectis, neque vnquam reddunt irritam conditionalem: ſed ſuſpenſivo quodam modo ſe habent ad purificationem conditionis, & coexiſtentiæ illius cum conditionato; at ſi conſiderentur ſecundo modo, aut habentur pro non adiectis, aut irritant conditionalem in ratione talis.

197 Ratio diſparitatis eſt: quia conditiones ex parte voluntatis conſiderantur in ordine ad praxim, & effectum præſentem, aut futurum celebrationis, aut irritationis contractus: cumque contractus dependenter à conditione impoſsibili nullum poſsit ſortiri effectum, aut cenſentur tantum per iocum in verbis appoſitæ, & ſic reputantur pro non adiectis, & tenet contractus, aut ſi aliquid ſeriò denotant, irritant contractum: cum idem ſit quoad praxim, & effectum poſsibilem velle aliquid tantum habere vim ſub condi-

tio-

tione impossibili, ac absolutè nolle practicè, & possibiliter subsistere: non sic conditionales ex parte intellectus, quæ purè speculativæ sunt, & ideò considerari possunt in sua vi secundum illud, quod foret, si poneretur conditio repugnans: quia nullum effectum practicum, & possibilem ex se requirunt, per ordinem ad quem debeant considerari.

198 Accedit disparitas notissima inter intellectum, & voluntatem ex diversitate motivi, & rationis *sub qua*, vtriusque potentiæ, ex qua oritur apud omnes, quod intellectus possit suo modo per adhæsionem intentionalem amplecti impossibile; secus voluntas per affectum efficacem, aut procurativum, imo nec per inefficacem, & simplicem: insuper, quod intellectus possit tendere in disconveniens, vt disconveniens; secus voluntas: vnde ex conditionalibus pertinentibus ad intellectum nulla est consequentia ad conditionales fundatas in affectibus voluntatis, de quibus tantum procedunt allegata iure positivo, & si ve is iure ipso naturali, de quo modo non disputo, ne hic immisceam quæstionem omninò alienam de conditionibus impossibilibus, aut nõadiectis, aut irritantibus contractum, quæ videri potest apud Thomam Sanctium, tomo primo de Matrimonio, libro quinto, disputatione tertia, vbi fatetur gravissimam difficultatem circa iuris intelligentiam, vt comprobat ipsa sententiarum varietas ab ipso exposita.

199 Rogabis primò. Cur sufficienter non explicetur præcisio requisita ad veritatem strictè conditionalem sub disiunctione præcisionis, vel *exclusionis*, vel *vniversalitatis*, quomodo comprehenderentur omnes conditionales de hypothesi impossibili, & possibili, abscisis difficultatibus, quæ occurrunt pro explicanda præcisione vniversalitatis in conditionalibus de hypothesi impossibili? Respondeo: Rationem esse, quam non semel in hoc tractatu dedimus; scilicèt, de ratione omnis veræ conditionalis esse aptitudinem ad coexistendum cum purificatione conditionis, vt fert ipsa exigentia conditionalis tendentis in conditionatum sub existentia conditionis, quæ penitus rueret, & inanis redderetur, si ipsa positio, & purificatio conditionis esset impeditio veritatis conditionalis, ex qua evaneſceret conditionalis taliter, vt casus purificationis conditionis esset casus exactionis conditionati in vi conditionalis ex vna parte; & ex altera, neque esset casus exactionis, imo nec conditionati, nec conditionis, ex eo, quod tunc nulla conditionalis fuisset: ne ergo in id incidamus, vt incideremus, si intra solam præcisionem exclusionis in aliquibus conditionalibus contineremur, vnde implicatoriè, & nugatorie quidem duntaxat conditionales appellarentur, tuenda est generaliter pro omni conditionali præcisio vniversalitatis, & ab argumentis, quibus perturbetur vindicanda.

200 Rogabis secundò. An doctrina data pro conditionalibus de conditione impossibili retinenda sit pro omnibus absque exceptione vlla taliter, vt reputari debeant veritates strictè conditionales, sive quæ sint de hypothesi impossibili identica conditionato, vt in exemplo apposito de impossibili: *Si existeret, repugnaret*; sive de conditione extrinseca conditionato: vt *si existeret impossibile, alia non repugnarent*; sive de conditione impossibili disparata ad conditionatum: vt *si Equs esset homo, Petrus disputaret*; sive de conditione impossibili per conversionem impossibilis in possibile: vt *si impossibile fieret homo possibilis ingrederetur religionem*: & aliæ, quæ ad harum normam proponi possunt? In quibus diversitas solet esse apud Authores.

201 Respondeo affirmativè. Quia in his omnibus potest esse veritas, & aliunde concurrit sufficiens præcisio vniversalitatis, ex qua suspensivè se habeant ad conditionatum, quin reducantur ad aliquid absolutum. Ita cum Izquierdo, disputatione 28. de Deo, quæstione 8. propositione 3. contra Ruiz, disputatione 78. sectione 3. limitante doctrinam ad solas conditionales negativas; v. g. *Si Equs esset Avis, Petrus non disputaret*, quas agnoscit tantùm veras; secus ad conditionales affirmativas, sivè sint de conditionato ne-

negativo ; ſive de conditionato affirmativo , in quantum contineant coexiſtentiam conditionati cum hypotheſi , quas reputat ſemper falſas, qua conſequentia videant alij ; tametſi mihi appareat veritatem illam conditionalem negativam veram impreſcindibilem eſſe à conditionali altera affirmativa vera. Ratio nobis eſt : quia in omnibus illis conditionalibus , aut eveniret illud præcisè, quod ſub conditione eventurum ſignificatur ; & ſic propoſitio illa eſſet vera conditionaliter , aut eventurum eſſet illud , & ſimul oppoſitum ; & ſic etiam eſſet vera ; ſiquidem ſimultas duorum includit exiſtentiam vnius ſub hypotheſi , quod eſt conditionatum illius conditionalis : aliunde ob impotentiam , vt ſit conditio, datur præciſio ab ſtatu abſoluto ſimul cum aptitudine veritatis repugnantis , vt pro ſuppoſitione impoſsibili purificationis hypotheſis non impediretur , vt probat repetita inſtantia conceptus impoſsibilis includens conditionalem ſuæ repugnantiæ ſub hypotheſi exiſtentiæ : ergo omnes illæ conditionales abſque exceptione , & poſſunt eſſe veræ , & poſſunt habere veritatem ſtrictè conditionalem.



DISPV-

JHS.

DISPUTATIO XVII.

APPENDIX PRÆCEDENTIS de Conſtitutivo Futuri Conditionati.

CAPVT I.

Illationes aliquæ quoad conſtitutionem futuri conditionati.

1 PRIMA illatio: futurum conditionatum quodcumque illud ſit conſiſtit formaliter in non eſſe de præſenti; & in eſſe quod foret tempore ſubſequenti, ſi poneretur conditio: conſtat id ex generalibus illis rationibus, quibus diſputatione XII. latè probavimus futurum omne formaliter non conſiſtere in aliquo de præſenti connexo cum eventu futuro; ſed in ipſo eſſe correſpondenti ſequenti menſuræ, & durationē, & provt tali non exiſtenti nunc, quæ ſi vim habent reſpectu futuri abſoluti potiori iure vrgent pro futuris conditionatis; cum id quod abſolutè nō erit, ſed foret, ſi poneretur aliqua hypotheſis non requirat aliquid, quod ſit pro ſui conſtitutione, verùm aliquid quod eſſet: quare omnia ibi dicta recognoſcenda ſunt, & cum his, quæ notavimus quoad veritatem ſtrictè conditionalem componenda pro futuris conditionatis, in quibus, provt per ſe eſt cōſtans, vtraque ratio componitur, ſcilicèt *futuri*, & *conditionati*. Ideò quidquid cuivis ex his conceptibus competit, præſens habendum eſt, & in illo, quod vtrumque in ſuo eſſe componit, vtriuſque eſſentialia ſervanda.

2 Notanda tamen eſt in hac parte doctrina illorum, quos ſupra retulimus, ſcilicèt Cabreræ, Riſpolis, Zumel, & Bañez, quorum conſequentiam non percipio, qui cum ex vna parte futuritionē abſolutam abſque aliquo de præſenti, in quo formaliter ſtet, non percipiant, ex altera futuritionem conditionatam abſque aliquo de præſenti, in quo formaliter ſtet, admittunt: quomodo, ni fallor omnia fundamenta, quæ habent pro futuritione abſoluta in aliquo de præſenti, infringuntur: etenim quidquid à realitate denominationis, & præſentia illius vrgere intendant pro futuritione abſoluta, inſtari poteſt contra ipſos in futuritione conditionata. Quod ſi diſparitatem tenent ex eo, quod futurum abſolutum non poſsit exiſtere ſine decreto Dei abſolutè extituro; decretum autem extiturum aliquando, ſemper de præſenti exiſtere; quod non accidit in futuro cōditionato exigenti duntaxat decretum, quod eſſet; de cuius ratione non eſt exiſtere de præſenti; id quidem probabit tantum de materiali requiri aliquod de præſenti ad futurum abſolutum, in quantum id, quod requirunt de futuro, non poteſt eſſe de futuro, quin ſit de præſenti; ſecus pro formali, & conſtitutive, ſemel quod futuritio conditionata non ſtet pro formali in aliquo de præſenti.

3 Secunda illatio. Futurum conditionatum non conſiſtit pro formali in decreto divino ſubiective abſoluto, & obiective conditionato: ita omnes ex noſtris, quibus ex extraneis acceſſerunt plures graviſsimi Doctores, eoſque vſque ad quinquaginta, & quinque perducit Henao in ſuo defenſorio pro Sciētia media, eventilatione 17. quibus addendi ſunt tres noviſsimi vnus Eminentiſsimus Sfondratus in toto ſuo prędeſtinā-

nationis nodo æriter omnem prędeterminationem reijciens; alter doctiſsimus, Pater Frater Emanuel à Conceptione, Trinitarius Excalceatus in ſuo præclaro tractatu de ſcientia Dei, diſputatione 5. quæſt. 5. tertius Sapientiſsimus Doctor D. Ioannes à Prado in toto ſuo doctiſsimo, & acutiſsimo opere de libero arbitrio. In huius illationis ſubſidium vocanda ſunt omnia illa fundamenta quibus generaliter, dicta diſputat. 12. omne pręſens pertinens ad divinam voluntatem pro formali futuri, ſive abſoluti, ſive conditionati, ſive neceſſarij, ſive contingentis, ſive liberi tantum Deo, ſive nobis liberi, reiecimus, iam ex conſideratione obiecti decreti, iam ex inveſtigatione formalis conſtitutivi futuri, tàm abſoluti, quàm conditionati, provt contradiſtincti ab arguitivo illius, iam ex capite libertatis creatæ, cui neceſsitatem imponeret tale decretum, vtpotè antecedens connexum, & inimpedibile per voluntatem creatam, quæ omnia ſatis firmant illationem noſtram.

4 Cæterum cùm hoc punctum maximum ſit in noſtra Schola veluti à quo dependet deciſio litis graviſsimæ quoad ſcientiam, qua Deus cognoſcit futura conditionata, amplius adhuc eſt immorandum, & pro futuris conditionatis nobis liberis aliquæ reflexiones nondum expoſitæ adhibendæ, quæ potiſsimum ad authoritatem Scripturæ, & Patrum reducentur. Fuſe, & acuratiſsimè eas propoſuit Ruiz diſputatione 71. à ſect. 2. ex quo deſumpſerunt alij, ſumam, & ego, & ſine pudore: nam quæ ex neſsitate occurrunt ſcribenda. & iam pleniſsimè ſcripta ſunt, cũ omittere non liceat, licet repetere, ita pariter in graviſsimis quæſtionibus contingit modernis, quibus aliqua tantum levis conſideratio poteſt deberi, aut aliquod in iam dictis condimentum; in reliquis maioribus debitores agnoſcuntur; nec culpa eſt præſentis Naucleri: imo ſi velis, fœlicitas eſt non exigua novum orbem adire poſt Columbum.

5 Obſervandum igitur eſt pro prima pŏderatione, quod ſi futura conditionata nobis libera, purificata conditione exiſterent, eſſent ſicut modo ſunt omnia futura abſoluta, quæ ex libertate nobis contingunt, & per noſtram electionem determinantur; patet, quia id ipſum, quod ſub purificatione libertatis abſolutè erit, eſt id quod verificat conditionate, & ſuſpenſivo modo, quod ſi exiſtat libertas, exiſtet, vel ſaltem ſi ſit de conditione non purificanda; v. g. converſio Iudæ, eſt, quod ſi purificaretur conditio eodem modo ſe haberet, ac reliqua, quæ ſub libertate extiterunt; ni velis aliam eſſe libertatem, & modum operandi diverſum correſpondentem conditionate futuris conditionatis nobis liberis, ac eſt libertas, & modus operandi correſpondens abſolutè futuris abſolutis à noſtra libertate pendentibus: vndè ſic, ſed pro futuris abſolutis nobis liberis nulla eſt abſoluta antecedens efficacia divinæ voluntatis nõ modo pro formali, verùm nec pro requiſito ad formale: ergo nec pro futuris abſolutis vllâ eſt antecedens conditionata efficacia divinæ voluntatis, non modo in qua conſiſtat pro formali ipſa veritas obiectiva futuri cõditionati nobis liberi; verùm neque, quæ requiſita tantum ſit ad tale futurum cõditionatum Conſequentia legitima eſt ex præmiſſa obſervatione. Minor ergo ſubſumpta à qua pendet difficultas

6 Probatur ex Scriptura Eccleſiaſtici, cap. 15. vbi dominium noſtræ libertatis proponitur, vt à Deo in prima conditione fuit conceſſum, vt penes noſtram ſolam voluntatem ſit primaria determinatio, & electio actionum liberarum: verba ſunt, *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Addiecit mandata, & præcepta ſua. Si volueris mandata ſervare conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere: apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* En libertatem noſtram, vt à Deo conſtitutam pro operationibus, quæ de facto abſolutè in nobis exiſtunt; ac per conſequens, quæ aliquando fuerunt abſolutè futuræ vt nobis liberæ; ſed pro his nulla abſoluta efficacia divinæ voluntatis, & determinationis antecedentis deſignatur; imò omnis efficacia electionis in noſtram poteſtatem, & arbitrium refunditur: ergo pro futuris abſolutis nobis liberis nulla eſt antecedens abſoluta efficacia divinæ voluntatis non modo pro formali; verum nec pro requiſito ad formale ipſorũm. Probatur minor: pro his tantum deſignatur vltra voluntatis creatæ dominium, quod ſignificatur illis verbis, *& reliquit illum in ma-*

manu consilij sui. Adiectio mandati, & divinæ legis, vt innuit illud *adiecit mandata, & præcepta sua*; in quibus nulla continetur efficacia ineluctabilis divinæ voluntatis, vt per se patet ex resistibilitate divinæ legis, & præcepti, quibus constitutis ex parte Dei immediatè subsequitur determinatio, & electio ex parte nostra, vt probat ly *si volueris mandata servare, conservabunt te.* Insuper quidquid in eligendo, & determinando extremo sub libertatis dominio intervenerit proponitur dandum ex parte Dei vnice ex beneplacito, & determinatione efficaci creaturæ, vt denotat illud in quo desinunt citata verba, *quod placuerit ei, dabitur illi*: ergo pro his scilicèt futuris absolutis nulla absoluta efficacia divinæ voluntatis, & determinationis antecedentis designatur.

7 Confirmatur: Nam incredibile fit, dum de constitutione nostræ libertatis per Deum admonemur, & simul potestas arbitrij, quæ in nobis residet, & dependentia ipsius à prima libertate donante proponitur, omissum fuisse caput præcipuum huius dependentiæ, quale esset divina efficacia præcedens, & irresistibiliter adigens ad operandum: imo non solum silentio prætermitti; verùm oppositum insinuari ex sola propositione nostri placiti in eligendo, & ex sola adiectione voluntatis divinæ præcipientis, & mandantis: Igitur nulla talis prævia determinatio intervenit, à qua actiones nostrę liberę absolutè futuræ dicantur, nec formaliter, nec prærequisitivè ad futuritionem absolutam, & formalem ipsarum.

8 Consonat illud Isaiæ cap. 5. vbi loquens Deus de populo iudaico, & increpans eiusdem proterviam, & incredulitatem, inquit: *Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectavi, vt faceret vbas, & fecit labruscas?* Vide quomodo non tantum pro *posse* ad fructum fidei; verùm ad factum ipsum obseruantiæ divinæ legis ostenditur, nihil defeciisse Iudæis, quando proponitur Deus sub terminis *expectantis* fructum boni operis, quèm non exequuti sunt ex sua electione: quæ omnia exprimunt indifferentiam ex parte Dei tribuentis libertatem, & non cohærent cum determinatione, & prævia applicatione ipsius, aut ad excludendum necessarium, vt in vera fide persisterent, aut ad determinandum materiale infidelitatis, & violationis legis divinæ: optime enim proponeretur expectans bonum eventum, qui per se efficacissime illum impediret, & ad connexum cum oppositum efficacissime determinaret: etenim debilis omnino redderetur obiurgationis vis, cum in promptu esset excusatio ex defectu necessarij, & inacquiribilis ad parendum Deo, & ex alligatione ad oppositum per prævìam determinationem ad materiale oppositi, vanaque fieret expectatio ex parte Dei illius, quod ipse libere impediret, & cum cuius opposito connexionem antecedenter libere determinaret; idque quam difficile conveniat cum eo, quod per Oseam 13. ipse Deus protulit, *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum*, iam se prodit vt vlteriore ponderatione non egeat.

9 Secundo considerandæ sunt omnia illa loca Sacri textus, in quibus futura conditionata nobis libera proponuntur, & videndum an ex illis aliquis divinus affectus afficax erga conditionatum innotescat; aut talis conditionatus eventus aliquomodo in efficaciam divinæ voluntatis, & liberæ Dei determinationis reducatur, vt reduci oporteret si pro formali, vt volunt contrarij, affectum Dei efficacem, & decretum subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum includerent: loca inter alia ea referri possunt Geneseos 11. Vbi primi illi homines dixerunt: *Venite faciamus nobis civitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad Cœlum*; at Deus de illis dixit: *Cœperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec opere compleant. Venite igitur descendamus, & confundamus linguam eorum.* Exodi 34. vbi iubentur Iudæi non accipere vxores filias Gentilium: *Ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant, & filios tuos in Deos suos.* 1. Regum 23. in quo proponitur David consulens Dominum super descensum Saul in Civitatem Ceilæ, si ibi ipse permaneret, sicut, & super animum Ceilitarum de se, & servis suis tradendis in manus Saul casu, quo contra vrbem descenderet, cui respondit dominus: Ceilitas ipsum trafituros, & Saul descensurum; verba sunt: *Si tradent me viri Ceilæ in manus eius, & si descendet Saul sicut audivit servus tuus? Dominus Deus Israel indica servo tuo. Et ait Dominus descendet; dixitque David: si tradent me viri Ceilæ, & viros qui sunt mecum in manus Saul? Et dixit Dominus, tradent.* Ezechielis 3. *Non*

enim

enim ad Populum profundi Sermonis, & difficilis linguæ tu mitteris; & si ad illos mitereris, audirent te. Matthæi 12. & Lucæ 10. in textu illo celebri exprobatæ duritiei Iudæorum per comparationem ad Gentiles, *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.*

10 His adiungi possunt alia, vt Lucæ cap. 16. *Si Moisen, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Lucæ cap. 22. *Si tu es Christus, dic nobis: ait illis. Si vobis dixero, non credetis mihi; si autem, & interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.* Ioannis cap. 4. *Si scires donum Dei, & quis sit, qui dicit tibi, da mihi bibere; tu forsitan petijsses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.* Ioann. cap. 5. *Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Et rursus, *Si enim crederetis Moisi, crederitis forsitan, & mihi.* Ioannis cap. 6. *Iesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Ad Corinthios 1. cap. 2. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

11 In quibus omnibus, & multis alijs, quæ adduci possunt proponuntur eventus conditionati pertinentes ad liberam determinationē humanam absque omni recursu ad libertatem divinam, & per solam expressionem determinationis creatæ, quam vnice proponunt conditionatè eventuram, quin aliquomodo adumbrēt divinum affectum conditionatum obiectivè erga ipsa, aut circa exclusionem necessarij ad oppositum. Inde Patres dum hos eventus considerant, pro infallibilitate ipsorum sub asserta conditione vnice recurrunt ad infallibilitatem divinæ scientiæ, & assertionis eorum, nunquam memorantes efficaciam suæ voluntatis, quam non omisissent, si talem efficaciam subiective absolutam, & obiective conditionatam ex parte Dei agnoscerent: erat enim medium aptissimum ad infallibilitatem convincendam recurrere ad voluntatem Dei sic efficaciter decernentis; imo proximius ad hanc recurrissent, & remotius ad scientiam, ex qua simul cum attestatione nobis de tali voluntate constaret.

12 Audiatur ad intentum Augustinus libro 11. de Genesi ad litteram, cap. 9. *Præsciebat quid eorum factura esset voluntas mala, & quia falli non potest eius præscientia; ideo non ipsius, sed eorum est voluntas mala. Cur ergo eos creavit, quos tale futuros esse præsciebat? Quia sicut prævidit quid mali essent facturi, sic etiam prævidit de malis factis eorum, quid boni esset ipse facturus.* Et libro 22. de Civitate Dei, cap. 1. ante medium: *Deus liberum arbitrium intellectuali naturæ tribuit, vt si velet deserere Deum, continuo miseria esset sequutura, quā cum præsciret Angelos quosdam per elationem tanti boni desertores futuros, non eis ademit hanc potestatem.* Et post pauca: *Hominem similiter cum prævaricatione legis Dei peccaturum esse præsciret, neque illi ademit arbitrij potestatem, simul prævidens, quid boni de malo eius esset ipse facturus.* Chrysostomus homilia de Adamo, & Eva: *Deus æque præsciens futurorum fecit hominem ad imaginem, & similitudinem suam dans ei præceptum prævidens de eius transgressione quanta bona facturus esset.* Idem homilia 31. in Matthæum prope initium loquens de vocatione Apostolorum: *Vocavitque, quando obtemperaturos esse sciebat.* Gregorius Magnus lib. 33. moralium, cap. 17. aliàs 23. *Alta dispensatio iudiciorum Dei id circò sæpè benemerentes, vel minis impedit, vel flagellis premit, vel quibusdam superimpositis oneribus gravat, vel laboriosis occupationibus implicat: quia mira potentia prævidit, quod si quieti, ac liberi in tranquilitate persisterent, tentationis ferre Adversarij non valentes, mentis prostrati vulneribus iacerent.* Bernardus Sermone 5. fine in Psalm. 90. (*qui habitat*): *Deus nos ab aliquibus tentationibus citius liberat, vt posimus in alijs, quas nobis vtiliores fore prævidet, exerceri.* Ambrosius 2. ad Timotheum capite 1. column. 2. *Præscius enim fuit Deus quid futurum esset in homine, antequam faceret eum, & peccaret.* Anselmus in elucidario column. 9. *Cur permisit Deus hominem tentari, cum sciret eum superari? Quia præscivit quanta bona de eius peccato esset facturus.* Finem faciat iterum Augustinus epistola 49. quæst. 2. dum tractat cur Incarnatio tali tempore facta sit. Inquiens, *tunc voluisse in hominibus apparere Christum, & apud eos prædicare doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat, qui in eum fuerant credituri.* Et rursus ibidem: *Quid mirum si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus sæculis noverat, vt eis prædicare merito nolet, quos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse præsciebat,* quæ repetit libro de dono perseverantiæ, capite 9. sicut, & libro de prædestinatione Sanctorum, capite etiam 9. per hæc ver-

verba: *Cernitis me sine præiudicio latentis consilij Dei, aliarumque causarum, hoc de præsentia Christi dicere voluisse, quod convincenda Paganorum infidelitati, qui hanc obijcerant quæstionem sufficere videretur. Quid enim est verius; quàm præsciisse Christum, qui & quando, & in quibus locis eum fuerant credituri?*

13 Recolantur quæso prædicta Sanctorum Patrum testimonia, & quam plurima alia, quæ adduci possunt, & ostendatur nobis vbi ex mente ipsorum pro veritatibus conditionalibus de futuro, quas ex Scriptura erunt, sit vel leve vestigium decreti divini in quo pro formali prædictæ veritates consistant: Et quidem non tantum quãdo futura conditionata sunt peccata, & actiones moraliter turpes; sed etiam quando sunt rectæ vt amplexus veræ Religionis, fides, & observantia legis in quibus potissime locum teneret voluntas efficax Dei decernentis quoad formale, & materiale, & non modo permittentis, seu decernentis duntaxat materiale ipsarum, cum tam facile ipsi esset exponere prædictas veritates per decretum, quam per scientiam; imo excitantes quæstionem, cur Deus fecerit illa, vnde prævidebantur mala, aut cur distulerit ea vnde prævidebantur bona? nunquam excitant illam, cur Deus fecerit illa sub quarum existentia decreverat materiale malorum: aut cur distulerit illa sub quarum existentia decreverat materiale, & formale bonorum? Cum ista, nec indignior, nec facilior esset illa, vt ei non quæreretur solutio, aut sub proprijs terminis non excitaretur.

14 Verum non sistendum est vnice in argumento negativo de eo, quod non fiat mentio in Sacris litteris prædicti decreti quando futura conditionata nobis libera proponuntur, neque à Patribus insinuetur; sed insuper positivè probandum, prædictum decretum non bene componi cum aliquibus Scripturæ testimonijs vbi futura nobis libera conditionata continentur. Assumptum istud solidè, & eruditè firmavit Ruiz citatus, & post ipsum Izquierdo, disputat. 28. quæstione 7. propositione prima: igitur pro non cohærentia primus locus expendendus se offert, Sapientiæ capite 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio decipevet animam illius.* In quo veritas conditionata de futuro pertinente ad nostram libertatem, *Si diutius viveret perverteretur*, exprimitur. Vnde sic. Si Deus antequam iustum (de quo textus loquitur) decerneret è vita eripere, decreviſſet efficaciter, & prædeterminativè quoad materiale, lapsum eius futurũ sub conditione, quod in vivis persisteret, aut saltem illum permittere inevitabiliter statuisset, nullatenus ibi scriptura diceret absolutè: *Placita enim Deo erat anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum*; nam quo iure dici valeret: *properavit educere illum de medio iniquitatis*, qui prius conditionatè saltem decreviſſent illum inducere in periculum omnino certum, & inevitabile iniquitatis, quale est decretum illud antecedens, & per libertatem creatam inevitabile? Insuper quomodo erat Deo absolutè *placita omnia illius*, cui tantum malum anticipare præparaverat? Vtilius namque fuisset iusto, & signum maioris amoris, & benevolentiæ divinæ, sublato decreto conditionato de permissione, aut destinatione ad materiale lapsus, & simul cum ipso periculo postea peccandi, diutius in vita persistere; quã properè rapi, ad evitandum periculum in quo independenter à sua voluntate per solam divinam inevitabiliter constitutus manebat.

15 Vlterius: quia per ly *Ne malitia mutaret intellectum eius*, & *properavit educere de medio iniquitatum* significantur pericula sub quibus si existeret iustus laberetur, & per quorum substractionem liberatus est: sed si futurum illud conditionatum, *si diutius viveret laberetur* quomodocumque diceret decretum illud subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum antecedens, & prædeterminativum, vel pericula explicata nulla essent, vel saltem principale periculum reticeretur: ergo pro futuro illo conditionato nullum requiritur decretum absolutè existens: ac proinde tale decretum non cohæret cum illo futuro provt ab Scriptura explicato. Probatur minor, in qua est difficultas: quia pericula ibi expressa, sunt vt exposuit Augustinus, libro de prædestinatione Sanctorum, cap. 14. pericula huius vitæ veluti tentationes, prava impiorum exempla, & alia huiusmodi: sed ex suppositione dicti decreti pro

illa veritate conditionali de futuro, hæc pericula, aut nulla eſſent, aut ſaltem principale periculum reticeretur: ergo ex tali ſuppoſitione, aut pericula explicata nulla eſſent, aut ſaltem principale periculum omitteretur. Probatur minor: quia vel pericula huius vitæ intelliguntur præciſivè à decreto illo conditionato antecedenter connexo cum lapſu ſub exiſtentia periculi, quomodo pericula illa nulla ſunt cum ſint æquè indifferentia ad lapſum; quàm ad victoriam, vel intelliguntur pro vt coniuncta cum tali decreto, quomodo principale periculum reticetur, ſcilicèt ipſum decretum, quo remoto nulla ſunt pericula huius vitæ, vtpotè coniuncta cum antecedente ſecuritate non labendi, & quo adſtante omnia pericula ſunt æqualia vtpotè habentia eandem connexionem metaphiſicam, & antecedentem cũ lapſu: ergo ex ſuppoſitione prædicti decreti pro illa veritate conditionali de futuro, hæc pericula, aut nulla eſſent, aut ſaltem principale periculum reticeretur.

16 Explico: pericula huius vitæ ſine annexione ad lapſum ratione decreti nullius momenti ſunt, & minimè timenda, vtpotè coniuncta cum antecedente ſecuritate non labendi, ſicque evaſio illorum minime memoranda in ordine ad liberationem iuſti, cum potius incluſio illorum maximè ad liberandum iuſtum conduceret. Deinde, ſi cum decreto illo coniungantur, fortius, & validius eſt in ordine ad lapſum decretum, vnde accipiunt robur, & inſeparabilitatem antecedentem à lapſu; quam illud, quod ex ſe ſeparari poteſt à lapſu: ſed id, quod fortius, & validius eſt in ordine ad lapſum principale eſt periculum lapſus: ergo dato illo decreto clarum fit, aut pericula huius vitæ, quorum remotionem aſſumpſit Deus ad liberandum iuſtum, aut nullius momenti eſſe, aut principale periculum, per cuius ſubſtractionem principaliter liberatus eſt iuſtus omiſiſſe.

17 Inde duo infero. Primum Scripturam Sacram inſtruentem nos de modo liberationis iuſti, & præoccupantem obiectionem impiorum ex inmatura morte iuſti, vt notant Interpretes ad prædictum caput pro quo videndus Lorinus, debuiſſe potius dicere: *Raptus eſt ne decretum immutaret intellectum eius, ſicut propter hoc properavit educere illum de decreto ſuo*, cum decretum principale quid eſſet in ordine ad lapſum. Secundum male intuliſſe Auguſtinum in expoſitione huius loci citato capite 24. de prædeſtinatione Sanctorum: iuſtum anticipate raptum fuiſſe à Deo, *vt tentationum ſubtraheretur incerto*, nihil cognoſcens ex parte periculi determinatum ad lapſum; verùm ex ſe incertum permittens, vt indifferentia ad lapſum, & victoriam manifeſtat. Nam quomodo *tentationum ſubtraheretur incerto*, qui ſubſtractus fuit à connexione antecedente, & metaphiſica, vt ſi adeſſet tentatio vinceretur.

18 Accedit denique id quod in eodem capite loquendo de iuſto præraptо ſubiungit Divina Sapientia, ſcilicèt, *Condemnat autem iuſtus mortuus, vivos, impios, & iuventus celerius conſumata longam vitam iniuſti*; id eſt brevis vita iuſtorum reprehenſio eſt longæ vitæ impiorum, cui reprehenſioni prompta eſſet excuſatio ex parte impij, ſi divinum decretum adeſſet, tàm pro operibus abſolutis iuſti, quàm pro operibus conditionatis, poſſent enim reſpondere iniuſti, & ſcelerati; quid reprehenſionis, & obiurgationis in nos eſt vita iuſti, quando nec dedit nobis Deus id, quod ſine vlla opera iuſti ei conceſsit; necnon ſubſtraxit ab eo à quo ſine vlla induſtria, & labore ex parte iuſti, eundem ſubſtraxit; imo nobis adiecit vltra mandata, & præcepta id quod irreſiſtibiliter ex parte noſtra erat inſeparabile à peccato; geſiſſet ſe pariter Deus erga nos, & iuſtum, & tunc, aut omnes eſſemus iuſti, & conſumati, in brevi expleremus tempora multa, aut omnes eſſemus impij quomodo non eſſet locus obiurgationi comparativæ.

19 Quæ locum non habent in noſtra ſententia, in qua optimè percipitur, & manet in ſua vi increpatio facta, quod addimus ad præcavendam inſtantiam, quæ alicui contra omnem ſententiam occurrere poſſet ex ſubſtractione ab auxilio efficaci intendens abſurdum obiectum, ſi quod, eſt eſſe ab omnibus pariter ſolvendum. Non inquam locum habent in noſtra ſententia in qua nec ſubſtractio auxilij efficacis adimit aliquid inacquiribile ex ſuppoſitione ſufficientiæ ad operandum provt oportet,

tet, nec collatio auxilij inefficacis affert aliquid adigens ad malum inimpedibiliter, & irresistibiliter, nam quidquid deficit ad benè operandum requisitum est in potestate nostræ voluntatis acquirere; & quidquid connexum cum prava operatione existit, est in potestate nostræ voluntatis impedire: vnde semper existit efficacissima increpatio inter iustum citò raptum, & impium diù viventem, cum ille brevi tempore sufficientiæ ad benè operandum, semper adiunxerit ex parte sui efficaciam, & impius longiori spacio vitæ, sufficientiæ ad rectè operandum semper adiunxerit inefficaciam, qua sublata per arbitrium poterat acquirere quidquid ipsi deest ad rectè vivendum, ex quo inverso modo libere se gessit ac iustus. Quid ni iustus mortuus iure non condemnabit vivos, impios, & iuventus celerius consummata longam vitam iniusti.

20 Hinc venit expendendus ad idem intentum secundus locus celebris ex Matthæi capite 11. & Lucæ 10. in quo Christus Dominus exprobrat impœnitens, & rebelle cor Iudæorum habitantium tres Civitates Corozaim, Bethsaidam & Capharnaum, ibi: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent, &c. Et tu Caphparnaum nunquid vsque in Cœlum exaltaberis? Vsque in infernum descendes. Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent vsque in hanc diem.* In quo hæc futura conditionata de conditionato pertinente ad libertatem creatam proponuntur: *Si virtutes, quæ factæ sunt in vobis factæ fuissent in Tyro, & Sydone in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent: Si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te per pœnitentiam, & resipiscentiam à peccatis suam destructionem impediissent, vel occasionem destructioni non præbuissent*: sed decretum subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum pro his futuris cum dicto loco non componitur: ergo ex ipso non cohærentia decreti cum futuro conditionato pertinente ad libertatem creatam comprobatur. Maior est certa, & ex dicendis amplius constabit: Nam quid aliud significat affirmatio illa conditionata Christi Domini, nisi duas illas veritates conditionales de futuro.

21 Minor probatur: Nam si Deus habuisset decretum illud antecedens, & prædeterminativum, tàm de pœnitentia Tiriorum, quam Sodomorum sub conditione patrationis virtutum, quæ factæ sunt apud Bethsaiditas, & Capharnaitas, irrationalis, & absque difficultate vlla eludibilis redderetur obiurgatio comparativa facta Iudæis à Christo Domino ex eo, quod sub talibus virtutibus non pœnituissent, quæ si apud alios fuissent patratæ, fructu emendationis, & pœnitentiæ non caruissent. Etenim Iudæi carebant decreto efficacissimo, & prædeterminativo pœnitentiæ sub talibus signis; imò cum decreto de oppositò coniungebantur; alij vero, in quibus virtutes illæ fuissent fructuosæ per oppositum erant conditionatè efficacissimè prædeterminativè præordinati libere à Deo irresistibiliter ad pœnitentiam. Vnde habebant decretum præordinativum ad bonum, quo independenter à sua libertate carebant Iudæi, & carebant decreto permissivo mali, & prædeterminativo ad materiale non conversionis, quod independenter à sua voluntate, & pro sola determinatione divina inimpedibile à Iudæis, habebant isti, quo existeret plane insulsa exprobratio per disparitatem circunstantiarum, & casuum redentium improportionatam comparationem ex defectu requisiti in Iudæis, quod acquirere non poterant, & alij habebant, & ex existentia oppositi cum conversione respective ad Iudæos, quod ipsi libere impedire non valuerunt, & ex defectu oppositi respective ad alios, quo ipsi antecedenter omnino, & independenter à sua libertate carebant. Vtque improportio clarius innotescat.

22 Pone Principem adeo inæqualiter cum duobus ex subditis suis se habuisse, vt vnum non tantum impulisset ad bellum spe præmij, verum contulisset arma, & omnia requisita ad commode præliandum admonitis Ducibus, vt ipsi in omnibus consulerent, aliteri vero proposita spe præmij non solum non contulisset arma quibus carebat, verùm efficacissimè prohibuisset ne illa sibi aliqua industria compararet, Ducibus ex op-

poſito præventis, vt ſi quando ad locum belli acceſsiſſet ipſum irreſiſtibiliter repellerent. Quibus per actis nonne, ſi poſt eventum belli Princeps idem vtrumque compeliſſet, & inermem illum hominem ſuaque voluntate non modo deſtitutum; verùm invincibiliter impeditum; ſic comparativè ad alterum non modo non impeditum ſua voluntate; verùm multis auxilijs adiutum increpaſſet: Abi ignave, & deſſes homo, cui ſpes præmij non impulit ad egregia, cum alijs ſimilis impulſus profuerit, vt in exemplo tibi eſt miles iſte, qui nullum periculum aufugit duriora, & aſperiora certamina eſt aggreſſus, donec victor reddens in Patriam finem fœliciter bello poſuit, ob quæ ſemper mihi charus erit, & in primis habitus; ſicut tu abiectus, & oblitus tanquam inutilis ſemper remanebis. Iuſtè quidem, & rationabiliter in obiurgando ſe haberet? Nonne merito increpatio talis irrideretur? Ita eſſet abs dubio: comparetur ergo vna, & altera increpatio ſuppoſito illo decreto, quod admittunt contrarij de pœnitentia ſub virtutibus reſpectivè ad quoſdam, & denegationes eiuſdem reſpective ad alios in increpatione comprehenſos, & bonus increpandi ordo, ſicut & iuſta obiurgatio per diſparem modum procedendi oſtendatur.

23 Reſpondent primo Alvarez, diſputatione 7. num. 22. & Ioannes à Sancto Thoma, prima parte, diſputatione 20. articulo 5. & cum ipſis alij: Iudæos iure increpari comparatione Gentilium: quia Iudæi maiora impedimenta præſtiterunt gratiæ, & magis indigni facti ſunt vtpote propria malitia obdurati, qualiter non fuerunt obdurati Gentiles; nam licèt neutri proprijs viribus potuerint conſequi auxilium gratiæ, aut ad illud diſponi; potuerunt tamen magis, aut minus ſe impedire, ne ſibi donaretur à Deo iuxta illud citatum Oſeæ 13. *Perditio tua Iſrael tantummodo in me auxilium tuum.*

24 Sed contra primo: quia iſta ſolutio contra Scripturæ ſenſum invertit, & immutat increpationem factam à Chriſto Domino: etenim vt ex ipſo textu conſtat clariſsimè Chriſtus obiurgabat Iudæos ex eo, quod gratiæ, & virtutibus collatis non annuebant, quæ ſi alijs collatæ fuiſſent, cum fructu pœnitentiæ coniungerentur, quo quid diſtantius ab impedimentis præſtitis receptioni, & acceptioni gratiæ, & virtutum: ergo increpatio non impedimenta ad ſuſcipiendam gratiam; ſed malam correſpondentiam gratiæ, & bonis ſuſceptis reſpiciebat, vt clarè ſuadet ipſe textus ante citata verba, dicens: *Tunc cœpit exprobrare Civitates in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes eius, quia non egiſſent pœnitentiam. Væ tibi Corozaim, &c.* Contra ſecundo: quia falſum, & incredibile apparet Iudæos, quos increpabat Chriſtus maiora impedimenta antecedentia præſtaſſe gratiæ, quam Gentiles Idololatræ, Venefici, & Sodomitici, vel abſolutè, vel ſaltem reſpectivè ad aliquos, qui talia ſigna experti ſunt eis reſiſtentes, quod Chriſtus Dominus in ipſa obiurgatione comparativa videtur expreſiſſe, quaſi dicens videte ò Iudæi quanta ſit pertinacia veſtra, cum eis ſignis, & virtutibus expertis veritati non annuatis, quæ ſi alij, & ſi perditiſsimi, & ſceleratiſsimi experti fuiſſent ſtatim veritati crederent, & pœnitentiam agerent.

25 Contra tertiò: Nam quod Deus denegaverit Iudæis auxilium efficax ad credendum, & pœnitendum ſub prædictis virtutibus, & ſignis illud conceſſurus Gentilibus, ſi apud illos eædem virtutes contigiſſent, non eſt motivum ſufficiens ad inferendum Iudæos pluſquam Gentiles per peccata antecedentia ſe impedijſſe a tali auxilio: ergo abſque fundamento contrahitur increpatio ad ea impedimenta, dicendo Iudæos maiora impedimenta appoſuiſſe, quam Gentiles: Conſequentia eſt bona, cum nullum alium titulum præbere poſsint adverſarij ad ſuam cogitationem firmãdam. Antecedens autem probatur: quia non ſemel Deus maioribus, & indignioribus peccatoribus concedit auxilium efficax ad pœnitendum, & perſeverandum finaliter, quod denegat minus indignis; imo, & qui multo tempore piè vixerunt: nec novum quid eſt maiores peccatores ſæpè converti ad Deum manentibus minoribus obſtinatis, & impœnitentibus: ergo quod Iudæis denegaverit Deus auxilium efficax internum, quod alijs appoſitis eiſdem ſignis erat conceſſurus, non probat maiora impedimen-

menta eidem gratiæ appoſuiſſe Iudæos; quam Gentiles.

26 Contra quartò: Quia & ſi increpatio reſpexerit maiora impedimenta ad gratiam efficacem appoſita ex parte Iudæorum; quam ex parte Gentilium non infringitur vis noſtri argumenti, quod in ipſis impedimentis inſtauratur; ſiquidem Gentiles non aliter evitarunt maiora impedimenta ad gratiam efficacem appoſita ex parte Iudæorum; quam prædeterminati à Deo: deinde Iudæi non aliter maiora præbuerunt; quam antecedenter determinati à Deo, vel per decretum permiſsivum infallibiliter cõnexum cum maiori impedimento, aut per decretum prædeterminativum materialis maioris impedimenti vtrumque inimpedibile, & irreſiſtibile per voluntatem Iudæorum: vnde in magna diſparitate verſabantur Iudæi, & Gentiles, hi quidem tanquam habentes indepenenter à ſua voluntate, quod neceſſarium maximè erat ad minus ſe impediẽdum, & tanquam carentes independenter à ſua voluntate eo, quod maxime requiſitum erat ad poſitionem maioris impedimenti; alij vero per oppoſitum tanquam habentes independenter à ſuâ voluntate id quod maxime neceſſarium erat ad poſitionem maioris impedimẽti, & tanquam carentes eo, quod maxime necenarium erat ad evitationẽ maioris impedimenti: inſuper illi tanquam habentes id quod irreſiſtibiliter conducebat ad evitationem maioris impedimenti; iſti vero tanquam habentes irreſiſtibiliter oppoſitum cum evitatione maioris impedimenti, & tanquam habentes irreſiſtibiliter connexum metaphyſicè cum poſitione maioris impedimenti: carebant ergo Iudæi independenter à ſua voluntate eo, ſine quo non poterat eſſe evitatio maioris impedimẽti, habebant alij, & quidem abſque propria induſtria, & labore: egregia ſane increpatio ob maius impedimentum ad conſpectum minoris.

27 Quærendum igitur eſt aliud effugium, in quo argumentum noſtrum eadem vi non premat. Ideo reſpondent alij ſecundo, vt refert Ioannes à Sancto Thoma, diſputat. 20. citata: Iudæos meritò à Chriſto Domino reprehendi comparatione Tyriorum, & Sydoniorum: quia æquales erant quoad ſufficientiam, & poteſtatem ſe convertendi; quamvis inæquales quoad decretum prædeterminativum, quæ diſparitas non obſtat iuſtæ increpationi, cum tale decretum, nec conſtituat, nec ſit requiſitum ad poteſtatem converſionis, & pœnitentiæ; ſed purè ſe habeat ex parte applicationis infallibiliter reducens ad actum ſecundum converſionis poteſtatẽ aliunde conſtitutam. Sed contra, quia impoſsibile eſt dari poteſtatem expeditam ad converſionem, & provt oportet, vt ſit reducibilis libere ad actum ſecundum ſe convertendi, quando independenter à voluntate operantis deficit requiſitum eſſentialiter ad converſionem: nam cui deficit neceſſarium ad actum; quin poſsit illud propria voluntate acquirere; deficit etiam poteſtas ad actum: quia datur neceſsitas antecedens ad oppoſitum, quæ vel eſt formaliter, vel ſaltem eſſentialiter infert impotentiam antecedentem ad actum: videantur dicta à nobis tractatu de prædeſtinatione, diſputatione 5. & 6. Contra ſecundo: quia quidquid ſit de vocibus *applicationis*, & *poteſtatis* certum eſt, Iudæis defuiſſe applicationem illam efficaciſsimam eſſentialiter requiſitam ad converſionem; imò habuiſſe oppoſitam impeditivam converſionis; quin illam potuerint acquirere; nec iſtam depellere, quod ſufficit vt increpatio non ſit iuſta: quemadmodum abs iure, & ineptè ſatis reprehenderetur Ioannes abſque propria voluntate ferreis catenis tenaciſsimè, & vehementer conſtrictus, quod non curreret in ſtadio, ſicut Paulus expeditiſsimus, & ab omni impedimento ſolutus, vt bravium acciperet.

28 Eandem ſolutionem magis explicat, & reſpondet tertio Gonzalez, prima parte, diſputatione 45. num. 80. cuius ſolutionem amplectuntur alij dicentes, ad iuſtam increpationem Iudæis factam ſufficere, quod habuerint auxilium ſufficiens ad converſionem, etiam ſi alijs, in quorum comparatione obiurgantur, fuerint inæquales. Propterea enim reprobi valde diſtãtes in gratię donis ab Apoſtolis, & martyribus, nihilominus merito in die iudicij comparativè ad illos increpabuntur, ex eo quod cum illi tam multa, & magna propter Regnum Cœlorum, & fecerint, & paſſi fuerint: tamen ipſi longe minora, & facillima ad ſuam ſalutem requiſita nullo modo exequuti fuerint; nec tolera-

verint : ſed contra quia iterum redit difficultas ſufficientiæ non benè perceptæ in doctrina Adverſariorum ex defectu requiſiti inacquiribilis in Iudæis, quod promptum fuiſſet Gentilibus, & exiſtentia oppoſiti cum converſione in Iudæis inexpellibilis per voluntatem ipſorum, quo antecedenter caruiſſent alij, ſi ſub talibus virtutibus fuiſſent conſtituti: inde nulla fit inſtantia obiurgationis reproborũ in cõparatione Apoſtolorum, & Martyrum, quæ eandem patitur difficultatem ſi Reprobis iuxta doctrinam reſpondentis defuerit requiſitum inacquiribile ad obſervanda illa minima comparative, quæ omiſerunt.

29 Contra deinde ex diſparitate inter vnum, & alium caſum increpationis. Nã Iudæi increpantur inter extrema æqualia, & quoad ſubſtantiam pœnitentiæ, & converſionis, ſine reſpectu ad minora dona, vt denotat illud, *quia ſi in Tyro, & Sydone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te*, cui æqualitati donorum obſtaret, tàm defectus, quàm exiſtentia illa decreti prædeterminativi: at reprobis aliter continget obiurgatio, ſcilicet diſtributione accõmoda, & iuxta inæqualitatem donorum, provt correſpondet his terminis: *Quare non impleviſtis menſuram donorum in rebus minimis, & facillimis; ſicut illi fecerunt in rebus maximis, & difficillimis*, provt adumbravit Parabola talentorum, Matthæi, cap. 25.

30 Reſpondent alij quartò retorquentes in nos argumentum factum ex defectu efficaciæ non conceſſæ Iudæis; quam conceſſurus eſſet Deus Gentilibus: inſuper ex defectu ſpecialis beneficij denegati Iudæis, quod conceſſurus erat Tyrijs, & Sydonijs, quod quidem pro ſua voluntate acquirere non poterant Iudæi, cum ſpecialis beneficij ratio conſiſtat in affectu donandi auxilium: quia coniungendum cum conſenſu, qui quidem affectus vnicè procedit à Deo determinativè, & electivè: quapropter infringere poſſent increpationem ex dono ſibi non conceſſo, quod concederetur alijs; videndum nobis eſt quomodo vitandum inconveniens, ſi ſolutiones traditæ non placent.

31 Sed contra: quia vt in textu primo loco expenſo declaravimus hæc inſtantia levis momẽti eſt in noſtra ſententia, & potius argumentum factum confirmat, quàm retorquet. Namque vt manifeſtum eſt in noſtra ſententia, efficacia auxilij extrinſeca eſt ipſi auxilio, & à noſtra voluntate, & conſenſu formaliter dependens; ideo qui defacto non habet auxilium efficax ex ſuppoſitione auxilij ſua culpa, illo vt efficaci caret, cum poſſet pro ſua voluntate adiungere conſenſum loco diſſenſus, & efficacem reddere. Illud quod additur de ratione ſpecialis beneficij per voluntatem formaliter benevolam, non difficilius oſtenditur inefficax: quia licet verum ſit, Iudæos tali voluntate caruiſſe, nec potuiſſe per propriam voluntatem acquirere; cæterum ex huius defectu nullæ eis decreſcebant vires ad pœnitendum, ſiquidem illa voluntas beneficia, & ratio formalis beneficij non dat vires formaliter; ſed tantum arguitive; in quantum confert auxilium, quod idem perſiſtebat in Iudæis cum omni eã virtute, quam haberet in ſenſu cõpoſito voluntatis benevolæ; oſtendant ergo quid ſimile in ſua ſententia, & videant, an ſit æqualitas virtutum, vbi ex vna parte vires non tantum ſunt expeditæ, verùm irreſiſtibiliter adactæ ad conſenſum; ex alia vero non tantum impeditæ irreſiſtibiliter ad conſenſum; ſed inſuper irreſiſtibiliter adactæ ad diſſenſum.

32 Reſpondent alij quinto, tum conantes oſtendere difficultatem eſſe omnibus communem; tum firmantes, vel omnes, vel aliquam ex traditis ſolutionibus ex ſententia Auguſtini, qui lib. 2. de dono perſeverantiæ cap. 10 & 11. ſemper refert in Dei voluntatẽ eiuſque inſcrutabilia iudicia, quod alij præ alijs benè operantes convertantur, & vivant; ſicut etiam cap. 14. id ipſum reducit ad prædeſtinationem, qua alij præ alijs electi, & prædeſtinati ſunt: conſentiuntque reliqui Patres reducentes non ad creatum arbitrium; ſed ad Dei beneplacitum, & liberrimam electionem, quod alius gratiam efficacem ad ſalutem recipiat, non ſic alius, iuxta illud Apoſtoli ad Romanos cap. 9. *Igitur non volentis neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei*, & poſt pauca: *ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat; dicis itaque mihi. Quid adhuc quæritur? Voluntati eius quis reſiſtit? O homo tu quis es? qui reſpondeas Deo?*

Su-

Super quæ Proſper lib. de vocatione Gentium cap. 25. inquit: *Profunditas illius quæſtionis, quam ſecundum admirationem Apoſtoli impenetrabilem confitemur per liberi arbitrij velle, vel nolle non ſolvitur.*

33 Iam ſi libera converſio vnius præ non converſione alterius revocata ab Auguſtino, & Patribus in ſolam gratioſam, & miſericordem voluntatem Dei non obſtat, vt iure increpetur diſſentiens comparative ad conſentientem ſub inæqualitate prædictæ voluntatis; nec diſparitas prædeterminationis vnius ad conſenſum, & non prædeterminationis alterius ad conſenſum; imò permiſſionis irreſiſtibilis, aut prædeterminationis ad materiale diſſenſus non impediet iuſtam obiurgationem comparativam ſub tali inæqualitate, cum ex ea tantum inferatur converſionē vnius, & non converſionē alterius reducendas eſſe in voluntatem Dei, qua vnus gaudet, & alter caret; vel ſi hęc inequalitas obſtat, nullus erit iuſte increpandus comparative ad alios; ex eo, quod gratiam Dei vacuam fecerit, vt non fecerunt alij.

34 Sed contrà: quia nec dicta vrgent contra noſtram ſententiam, nec favent contrariæ, ita vt ſit par cauſa ipſi, & Sanctorum Patrum aſſertis. Etenim effatum Magni Parentis Auguſtini, & reliquorum Patrum, vt benè deductum ex Apoſtoli ſententia componendum eſt apud omnes Catholice ſentientes cum noſtra libertate. Vnde rurſus componi debet beneplacitum Dei in eligendo, & miſericorditer prædeſtinando; necnon in indurando cum his propoſitionibus: *Qui ſalvus fit, ita liberè ſalvus fit, vt ſi nolet, non fieret ſalvus: Qui reprobatur, ita liberè reprobatur, vt ſi velet non reprobaretur: Qui benè operatur, ita liber eſt in benè operando, & perſeverando finaliter, vt ſi nolet, oppoſitum accideret: Qui male operatur, ita liber eſt in male operando, & non perſeverando finaliter, vt ſi nolet, & ſalutem aſſequeretur, & perſeveraret finaliter*: ergo id ipſum, quod in beneplacitum Dei reducitur, vt ſalus, converſio, & induratio, reduci etiam debet in noſtram voluntatem, & liberam determinationem, iuxta illud Auguſtini lib. de correptione, & gratia cap. 14. *Volenti ſalvum facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium: ſic enim vele, & nole in volentis aut nolentis eſt poteſtate, vt divinam voluntatem non impediat; nec ſuperet poteſtatem*: cui adiungendum aliud eiuſdem Magni Parentis lib. 3. de libero arbitrio cap 18. vbi tradit celebrem illam regulam, & vniverſaliſsimam ad cognoſcendum quid libertati noceat: *Si laborioſum eſt omnia mandare memoriæ hoc breviſsimum tene: quæcumque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur; ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabit.*

35 Quæ omnia, ſi fas eſt ita loquī de tam abſtruſis myſterijs, componuntur in noſtra ſententia; nam licet liberum omninò Deo ſit, & iuxta divinum beneplacitum conferre conſentienti auxilium, quod prævidet efficax, & in circunſtantijs, in quibus agnoſcit ex cooperatione voluntatis profuturum præ auxilio alio ſufficienti, & quod prævidet cum diſenſu libero coniungendum; attamen ex ſupoſitione auxilij, & collationis libertatis per ipſum conſtitutæ ita eſt ſufficientia in eo, qui diſſentit ad conſentiendum, vt nihil requiſitum ad conſenſum ei deficiat, vel ſi deficiat, non ſit per voluntatem diſſentientis inacquiribile, & ita eſt efficacia in eo qui conſentit, vt nihil ſit requiſitum ad diſſenſum, quod ei deficiat, vel ſi deficiat, quod non poſsit acquirere; nec qui vocatus eſt efficaciter ad converſionem, ideò habet maiores vires ad benè operandum illo, qui vocatur purè ſufficienter, cum ſæpè numero oppoſitum valeat contingere; non minus ac inter auxilia æqualia vnum conſentire, & alterum diſſentire.

36 Ideo dicta illa Sanctorum; ſicut, & Apoſtoli admiratio revocanda ſunt ad ſtatum conditionatum conſenſus & diſſenſus, & ad ſignum divinæ libertatis conſtitutæ per præſcientiam conditionatam eventus, in quo nullam patitur neceſsitatem, aut determinationem, quæ ab arbitrio creato proveniat, vt potius conferat auxilium efficax; quàm inefficax, aut efficax non collaturus, ſi eſſet inefficax, aut inefficax, non collaturus ſi eſſet efficax: quod totum gratioſum Deo eſt, & pœnes eius beneplacitum vnicè exiſtens: vnde ſemper reſultat recurſus ille ad inſcrutabilia iudicia Dei, dum agnoſcitur conferens auxilium inefficax, cum conferre poſſet auxilium, quod prævidet efficax, aut conferens vni auxilium efficax, & alteri auxilium inefficax, cum poſſet, aut invertere ordinem, aut vtrumque vocare, prout ſciebat eis congruere, cuius difficul-

cultatis non poteſt eſſe ſolutio arbitrium creatum, vt dixit Proſper, cum *non ſit volentis, neque currentis; ſed Dei miſerentis*, ſed humilis profeſsio altitudinis divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei, qui *cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.*

37 Hæc in noſtra ſententia; ſed in contraria quid, vel vt contineatur intra terminos ſententiæ Patrum, & Magni Parentis Auguſtini, ſivè vt retineat vim obiurgationis, ſivè vt ſe, & nos oſtendat ſub eadem difficultate comprehenſos? Ipſi enim non tantum agnoſcunt beneplacitum divinum in conferenda gratia, ſub qua erit ſalus, & converſio, aut in conferenda gratia, ſub qua ſalus, & recta operatio deficiet; verùm concedunt ipſam gratiam irreſiſtibiliter connexam cum bona operatione, ſicut, & defectum illius irreſiſtibiliter connexum cum prava operatione: propterea neque conſentiens habet, nec poteſt habere ex ſe, quod ei eſt neceſſarium ad diſſenſum, neque diſſentiens habet, nec poteſt habere ex ſe id, quod eſt neceſſarium ad conſenſum: vnde nec conſentiens aptus eſt, vt laudetur comparativè de non diſſenſu, nec diſſentiens aptus eſt, vt increpetur comparativè de non conſenſu, & profunditati quæſtionis exagitatæ ab Apoſtolo mille alias profunditates addunt, quibus non tantum redditur arduum, & difficile reſpondere Deo; verùm, & hominibus in his, quæ cum noſtra tenui intelligentia componuntur, & licèt ſub fidei regula quoad noſtrę libertatis conſiſtentiam, inquirere.

38 Sextò forſan reſpondebunt alij inſiſtentes, vt nos ſub eadem difficultate comprehendant intendendo oſtendere difficilem inſtantiam increpationis ex æqualitate intercedente inter Iudæos, & Gentiles quoad correſpondentiam, & non correſpondentiam vocationum. Suaderi poteſt ſub hac forma; nam licet Iudæi non annuiſſent prædictis vocationibus abſolutè, quibus ex hypotheſi patrationis apud Gentiles hi correſpondiſſent; attamen cum hoc componitur alia ſigna, & virtutes fuiſſe inefficacia apud Gentiles, quæ ſi exercerentur apud Iudæos fuiſſent efficacia, & quidem ſi impoſsibilis ſit creatura rebellis, & adeo proterva, quam Deus nequeat prædeſtinare per libertatem ad meritum, & demeritum; non ſecus ac creatura, quam Deus ſub ſimili libertate nequeat deſſerere, tàm Iudæi, quàm Gentiles quoad ſtatum, & præviſionem conditionatam erant æquales ad conſenſum, & diſſenſum per infinitum cumulum auxiliorũ efficacium, & infinitum cumulum auxiliorum inefficacium correſpondentem ſingulis.

39 Inde iam ſe oſtendit debilitas obiurgationis ex everſione non inepta ex parte Iudæorum reſpondentium: cur increpamur comparativè ad Gentiles de reſiſtentia ſub expertis virtutibus, quando illi pariter reſiſterent experientiæ aliarum virtutum, quæ ſi in nobis fierent prompti eſſemus in parendo, pœnitentiamque toto corde amplecteremur? inſuper ſi quidquid ſit de ſignis expertis in omni illo, quod non ſit, reduci ad actum virtutes, & dona, & quod in noſtra voluntate non eſt, pares ſumus, quoad duritiam, & bonum animum, ex æquali præviſione conditionata conſenſus, & diſſenſus, quid reprehendimur, quaſi duriores, & pervicaciores illis? Attendantur illi ſicut, & nos completè, & vt dicunt omnibus penſatis; & apparebunt illi æquè ſcelerati ac nos, ſicut & nos æquè boni ac illi. Igitur adhùc vrget difficultas obiurgationis, & non minus admiſsis decretis antecedentibus prædeterminativis; quam excluſis permanet ſolutione indigens.

40 Sed contra: quia in primis nobis concedentibus poſsibilitatem creaturæ inconvertibilis, vt legitimè illatam ex indifferentia auxiliorum tractatu de Prædeſtinatione diſputatione 4. à cap. 3. hæc vim facere nequeunt, neque inſtantiam parare. Contra deinde: quia adhùc admiſſa contraria ſententia ſtat iuſta increpatio comparativa ſumpto quovis auxilio in particulari. Ratio eſt quia neceſsitas illa diſiunctiva, & vaga conſentiendi infinitis, & diſſentiendi infinitis conditionatè, quam admittit contraria ſententia, ſicut componitur cum obligatione evitandi peccatum ſub quovis determinato auxilio; ſic etiam admittit obiurgationem iuſtam, ſi loquendo de auxilio determinato, & æquali auxilio alteri collato, vel conferendo vnus defacto diſſentiat, cum alter, ſi ei conferretur, eſſet in ſtatu abſoluto conſenſurus: nam licèt non ſit culpabilis in patienda illa neceſsitate orta ex divino Dominio ad æqualem ſtatum con-

di-

ditionatum; eſt tamen culpabilis in non correſpondendo cum auxilijs determinatis, quibus defacto inſtruitur, & quæ ſine præiudicio illius disiunctivæ neceſſitatis poterat pro ſuo nutu efficacia reddere, vt redderet alius ſi ei conferrentur; inde falſum eſt illud, quod in inſtantia aſſumitur, ſcilicèt *pares fuiſſe Iudæos, & Gentiles in omni, quod non erat reduci ad actum virtutes, & dona*, quodque *in poteſtate ipſorum non erat*, cum diſpares omnino exiſterent ex diſſenſu abſoluto determinato auxilio, quem pro ſuo nutu omittere poterant, & quem alij pro ſtatu abſoluto ex ſuo arbitrio omiſiſſent. Quæ ſi non ſedent animum tene noſtram ſententiam, & quieſces, facque novum fundamentum ad eam firmandam ex hac difficultate increpationis, vt ego aliquando propoſui in publicis diſputationibus.

41 Non abſimiliter expendenda veniunt duo alia loca, quorum vnum eſt Lucæ cap. 16. *Si Moyſen, & Prophetas non audiunt; neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit audient.* Alterum Lucæ cap. 22. *Si tu es Chriſtus dic nobis; ait illis ſi vobis dixero non credetis mihi, neque dimittetis.* In quorum primo continetur prædictio Abraham diviti avaro facta de conditionato futuro libero voluntati creatæ, ſcilicèt: *Siquis ex mortuis reſurrexerit, eum non audient*, quæ veritas conditionalis de futuro ſi per illud decretum conſtitueretur, aut ipſum prærequireret fruſtraneum rederet intentum Abraham involvens tria, vt notant interpretes apud Izquierdo. Primum revincere calumniam divitis latenter ſe excuſantis, quaſi in Moyſis, & Prophetarum doctrina non habuerit ſufficiens motivum credendi. Secundum: oſtendere doctrinam Moyſis, & Prophetarum non eſſe minoris efficaciæ, quam foret mortui reſurgentis. Tertium, manifeſtum facere ſuam illorum obſtinationem, non defectum doctrinæ fuiſſe incredulitatis cauſam. Quæ omnia facilè præciderentur à divite per diſparitatem decreti non adiuncti doctrinæ Moyſis, & Prophetarum, & quod poſſet adiungi prædicationi mortui reſurgentis; quod ſi nec vni, nec alteri adiungeretur; quamvis verum fuiſſet non profuturam plus vnam; quam alteram doctrinam; id tamen non probaret obſtinationem voluntatis ex parte audientis; ſed defectum donationis ex parte Dei nolentis, neque in vno, neque in altero caſu tribuere neceſſaria ad credendum inacquiribilia per voluntatem non credentium.

42 In ſecundo continetur altera veritas conditionalis de futuro libero, videlicèt: *Si dixero vobis, & me Chriſtum aſſeruero, non credetis.* Volens per id ſignificare Iudæorum obſtinationem ſic etiam tacitè reprehendendam, & vlterius ſe ad ſilendum de ſua divinitate moveri, quia illi malitioſe, & ſpontaneè non erant crediturі. Quæ dificile perciperentur; imò nec locum poſſent habere ſi futurum illud conditionatum in decreto *ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato* fundaretur: deficeret enim inſinuata, & reprehenſa obſtinatio ex defectu requiſiti ad credendum, & exiſtentia oppoſiti cum creditione, quorum vnum non poſſent Iudæi acquirere, nec aliud impedire: vnde impotentia iniuſte pateretur nomen, & reprehenſionem obſtinationis. Deficeret etiam ſpontaneitas in non credendo, & malitioſus defectus fidei; cum talis non ſit ille, qui provenit ex inevitabili defectu neceſſarij ad fidem, ſicut non eſt ſpontaneus, aut malitioſus defectus in ſubveniendo egeno reſpectu illius, qui in eadē indigentia involuntariè, & abſque arbitrio verſatur. Ad inſtar præcedentium textuum poſſent plures alij percurri, in quibus pro incomponibilitate cum decreto *ſubiectivè abſoluto, & obiective conditionato* conſtitutivo futuri nobis liberi, ſimiles notationes inveniri poſſent; ſed quia ſunt eiuſdem rationis, & ex ponderatis erui facilè queunt, vltra procedere non eſt opus: legatur citatus Ruiz vbi ſupra.

CA-

CAPVT II.

Quidquid Authoritatis, & rationis reſtat ad intentum proponitur.

43 PROBATVR ſecundò ex Patribus, à quorum mente nimis diſtare videtur tale decretum pro obiectiva veritate futuri conditionati nobis liberi, quorum vltra ſupra relata pro indagando Scripturæ ſenſu aliqua alia teſtimonia ſatis ad intentum referri poſſunt, vt Clementis Romani in Epiſt. 3. aientis: *Nihil eſſe, quod audientis fidem ad credendum determinet extra arbitrium eorum.* Item, *ſi quid eſſet, quod ad credendum, vel non credendum determinaret, meritum, & libertas tolleretur.* Notetur, an decretum illud antecedens eſſet aliquid extra arbitrium; necnon? An eſſet quid determinans, pro caſu purificationis conditionis? Chryſoſtomi Homil. 51. in Matthæum propè initium docentis Chriſtum Dominum vocaſſe Petrum, Ioannem, Matthæum, & Paulum ſub illis circunſtantijs, & ſub eo rempore *quando obtemperaturos ſciebat.* Si autem ſub exiſtentia vocationis eorum obedientia eſſet prædefinita, omne tempus vocationis, ſicut, & quævis circunſtantiæ eſſent pariter conducentes; vt quid igitur aliæ præ alijs eſſent expectandæ? Clarius adhùc Homilia 65. column. 5. loquentis de omnibus prædeſtinatis ſub Parabola Operariorum inquirentiſque, *ſed cur* (inquies) *non ſtatim omnes conduxit?* Reſpondentiſque: *Omnes quidem ille ab initio conduxiſſe voluiſſet. Si verò non omnes eodem tempore paruerunt à voluntate vocatorum hæc differentia reſultavit. Idcirco alij mane, alij tertia, alij nona, alij vndecima hora vocantur: quia tunc obtemperaturi erant.* Quod, & Paulus aperte ſignificat dicens: *Quando autem acceptavit Deus, qui ſeparavit me à ventre matris meæ? Quando porrò Deus voluit? Quando certè obtemperaturus eram: Nam ipſe à primis etiam incunabulis voluiſſet; ſed quia illum reniſurum ſciebat, tunc voluit, cum animum ipſius penetraturam vocationem non ignorabat.* En quomodo ad voluntatem, & arbitrium operariorum refert Chryſoſtomus, quòd tunc, & non alijs temporibus eſſent obtemperaturi; item Deum, quantum eſt in ſe voluiſſe citius congruenter vocare; cæterum in congruitatem circunſtantiarum, vt vocationi reſponderent vocationem diſtuliſſe, quæ, quomodo componi queant cum decreto illo efficaciſsimo ex parte Dei, ponderatione non indiget.

44 Auguſtini, cui quoad conciliandam gratiam, & divinum dominium cum noſtra libertate primæ deferuntur, pluribus in locis lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. circa medium explicantis illud Apoſtoli ad Romanos cap. 9. *Igitur non volentis neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei*, & proponentis eandem difficultatem, quam nobis obijciunt Adverſarij, vt ſuam ſententiam confirment, his verbis: *Sed ſi vocatio iſta ita eſt effectrix bonæ voluntatis, vt omnis eam vocatus ſequatur: quomodo verum erit multi vocati, pauci vero electi? Quod ſi verum eſt, & non conſequenter vocationi vocatus obtemperet, atque vt obtemperet in eius eſt poſitum voluntate, rectè etiam dici poteſt. Igitur non miſerentis Dei; ſed volentis, atque currentis eſt hominis: quia miſericordia vocantis non ſufficit, niſi vocati obedientia conſequatur.*

45 Cui difficultati non reſpondet, ſicut facilè eſſet ex ſententia Adverſariorum, vocationem efficacem diverſæ naturæ eſſe à vocatione inefficaci, talemque, cui voluntas in ſenſu compoſito diſſentire nequeat; qua propter ſolius Dei miſerentis eſt, quod voluntas conſentiat: quia ſolius Dei eſt donare vocationem prædeterminantem irreſiſtibilem, & quæ ſine conſenſu manere non valeat; non inquam ſic reſpondet; imò potius ex ſuppoſitione oppoſiti procedens ex eo, quod voluntas vocati cuivis vocationi reſiſtere, aut obedire poſsit, ſubiungit: *Vt quamvis multi vno modo vocati ſunt, illi ſolum ſequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei*, concluditque: *Verum eſt ergo multi vocati, pauci vero electi: illi enim electi, qui congruenter vocati; illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi: quia non ſequuti, quamvis vocati. Item verum eſt non volentis, neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei: quia etiam ſi multos vocet; eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis vocare aptum eſt, vt ſequantur. Falſum eſt autem ſi quis dixerit: igitur*

non

non miſerentis Dei; ſed volentis; atque currentis eſt hominis? Quia nullius Deus fruſtra miſeretur; cuius autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat. Nec ibi ſiſtit, verùm cum etiam propoſuiſſet quæſtionem: *Cur ergo Eſau non ſic eſt vocatus, vt vellet obedire?* Poſt aliqua præmiſſa, ad reſolutionem reſpondet. *Cum ergo alius ſic, alius autem ſic moveatur ad fidem, eademque res ſæpè alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat, quis audeat dicere defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſaù ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque coniungeret, in qua Iacob iuſtificatus eſt.* In eadem ſententia eſt Magnus Parens lib. de Spiritu, & litera cap. 34. Epiſtola 107. ante medium, lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 16. & ſequentibus; & lib. de dono perſeverantiæ cap. 8. & 14. Vbi proponit illationem quandam, ex eo quod Tyrij, & Sydonij eſſent crediturí, ſi vidiſſent ſigna, & virtutes, &c. Per hæc verba: *Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moventur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus, vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant.*

46 Quæ adiunctis alijs eiuſdem Sancti Doctoris tum lib. 5. de Civitate Dei cap. 10. tum lib. 12. cap. 16. tum lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. quomodo componi poſsint cum decreto prædeterminativo, ſivè abſoluto, ſivè conditionato, videat quiſquis ſincero animo mentem ipſius inveſtigaverit, & fortè concludet quod Illuſtriſsimus Epiſcopus, & Generalis Inquiſitor D. Ferdinandus Maſcareñas, tractatu de Auxilijs diſput. 2. quæſt. 5. num. 5. & Eugenius Philadelphus, in exercitatione Scholaſtica Tripartita, cap. 3. §. 7. non dubitarunt aſſerere: *Quicumque Auguſtini familiares ſunt, nunquam adduci poterunt, vt prædeterminationem illi aliquando in mentem veniſſe ſuſpicentur, nec dormienti quidem:* non aliter ac Didacus Paiva vnus ex Patribus Concilij Tridentini, lib. Orthodoxarum explicationum dixit: *Hanc Colonienſium cauſam* (quæ eadem Societatis erat) *tam eſſe cum Auguſtini cauſa coniunctam, vt illorum hoſtis nullo modo eſſe poſsit, qui Auguſtini quoque bellum non indixerit.* Idem tradit adhùc ſeveriori ſtylo Eminentiſsimus Cardinalis Cœleſtinus Sfondratus in ſuo nodo prædeſtinationis diſſoluto pag. 218. à nobis citatus in noſtro tractatu de Prædeſtinatione diſput. 5. cap. 3, num. 163. vbi legi poſſunt eius pulchra, & aurea verba in noſtrum favorem.

47 Div. Anſelmi in lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 18. reputantis generaliter eſſe neceſsitatem *antecedentem*, & cum noſtra voluntate pugnantem, eam quam res non facit, ſeu ab ipſa voluntate non provenit. Vbi videndum, an decretum illud conſtitutivum veritatis obiectivæ futuri conditionati nobis liberi deſcendat iuxta Adverſarios ex noſtræ voluntatis electione, & determinatione, quod ſi non deſcendit, vt dicunt, neque cum libertate futuri ex mente Div. Anſelmi componitur. Et rurſus docentis conſequenter ad doctrinam, & explicationem datam de neceſsitate gratiæ antecedente libertati infenſa in Concordia cap. 1. *Dei Scientiam, & providentiam eſſe neceſsitatem conſequentem: quia neceſsitas conſequens deſcendit de libera voluntate,* & addit *ſola voluntas determinat ibi quid teneat, neque aliquid fit vi neceſsitatis, vbi operatur ſola electio noſtræ voluntatis.* Adnotes quæſo: an decretum illud deſcendat ex noſtra voluntate? An illo poſito, ſola voluntas noſtra determinet ibi quid teneat? An vt ab illo non proveniat neceſsitas libertati contraria operetur ſola electio noſtræ voluntatis? Minimè quidem: ideo ex Anſelmi ſententia noſtram everteret libertatem, deſtrueretque ipſam veritatem obiectivam futuri liberi conditionati, quam conatur deſtruere.

48 Div. Thomæ: tum quatenus generaliter docentis in agentibus liberis Deum tantummodo operari miniſtrando virtutem agenti, & concurrendo ſimul cum illo; aſt determinationem actionis, & finis eſſe duntaxat penes liberum arbitrium, vlteriuſque potentiam voluntatis indifferentem eſſe ex ſe ad plura; verũ quod determinatè exeat in actum, non eſſe ab alio determinante; ſed à voluntate ipſa. Ita in 2. diſt. 25. quæſt. 1. art. 1. ad 3. & diſtinct. 39. quæſt. 1. art. 1. textus integros, & formalia verba Angelici Doctoris habes in noſtra diſput. 5. de Prædeſtinatione cap. 1. à num. 38. tum quatenus ſpecialiter ad præſens inſtitutum aſſerentis 1. parte quæſt. 14. art. 13. in corpore: *Vnde quicumque cognoſcit effectum contingentem in ſua cauſa tantum, non habet de eo, niſi coniecturalem cognitionem: Deus autem cognoſcit*

omnia

omnia contingentia non ſolum prout ſunt in ſuis cauſis ; ſed etiam prout vnumquodque eorum eſt actu in ſe ipſo, quem locum iam expendimus ſupra agentes de conſtitutivo futuri vniverſaliter ſumpti. Si igitur Magiſter Angelicus pro decreto illo ſtaret: quomodo futurum conditionatum liberum non eſſet ab alio determinante, niſi à ſola voluntate, cuius eſt exercitium? Qua ratione ſola voluntas agentis liberi creati determinaret ſibi actionem, & finem; & demùm, qualiter Deus in ſolo ipſo effectu futuro cognoſceret ipſum futurum pluſquam coniecturaliter, quando adeſſet decretum medium aptiſsimum ad illud certiſsimè cognoſcendum.

49 A ratione ſpecialiter vltra dicta ſupra diſputatione 12. ſolet probari non requiſitio decreti *ſubiectivè abſoluti, & obiectivè conditionati* pro futuris conditionatis contingentibus, & liberis. Quia ſi pro ſingulis futuris eſſet neceſſarium tale decretum, habuiſſet quidem Deus ab æterno circa omnem voluntatem creatam, & creabilem omnia decreta conditionata, vel virtualiter, vel ſola ratione diſtincta, determinantia modum, quo moveret, ſeu determinaret omnes, & ſingulas voluntates poſsibiles in omnibus actibus earum, & in omnibus circunſtantijs, & occaſsionibus, quæ infinitis modis combinari poſſunt: ſed talia decreta non debent admitti in Deo: ergo abſque illis omnes dictæ veritates conditionales, quæ defacto ſub talibus combinationibus infinitis, ſuo modo dantur, poſſunt conſiſtere. Probatur minor: quia talia decreta circa omnia conditionata poſsibilia ſunt ocioſa, & ſine vllo fructu: ſed decreta ocioſa, & inutilia non ſunt in Deo concedenda: ergo talia decreta non debent admitti in Deo. Probatur maior prius, probanda poſt minor: quia prædicta decreta, nec Deo addunt perfectionem, nec in creaturis aliquid efficiunt, nec ad effectus divinæ providentiæ, aut prædeſtinationis aliquid conferunt: ergo ſunt prorſus inutilia, & ocioſa.

50 Iam probatur minor. Nam voluntas Dei eſt ordinatiſsima, & ideo fruſtra, & ociosè nihil vult: nam, ſi in homine prudente reputarentur tales actus ocioſi, & vani; ac proinde alieni à recto vſu prudentiæ, quomodo multo magis, & potiori titulo de Deo ita ſentiendum? Et confirmari poteſt primò: quia Deus nihil vult circa creaturas, niſi ordinando illas in aliquem finem: ſed per illud decretum præcisè ſpectatum in nullum finem ordinarentur: ergo ille modus decernendi, eſt prorſus diſtans à divina Sapientia, & providentia. Confirmari poteſt ſecundo ex eo quod ſi Deus abſolutè decreviſſet nihil creare, non haberet illud decretum conditionatum circa poſsibilia: quia eſſet vanum, & ſine fructu, & per ſe non pertinens ad perfectionem Dei: ergo non minus ſuperfluum eſt tale decretum, etſi ſit coniunctum cum alio decreto abſoluto, quod quidem neque ocioſitatem alterius,, aut fructus defectum impediret. Sub hac forma, imò ſub eiſdem expreſiſsimis terminis rationem propoſuit Eximius Doctor Suarez tomo 2. de Gratia, Prolego de Scientia conditionata, cap. 8. num. 9. & 10. Eandemque quoad ſubſtantiam tenent Ruiz, & Izquierdo.

51 Verùm efficacia illius mihi redditur difficilis. Etenim niſi aliunde probentur prædicta decreta non neceſsaria pro veritate obiectiva futurorum conditionatorum, inutilitas, & infructuoſitas eorum non apparet, eruntque neceſsaria, & fructuoſa ad ſatisfaciendum neceſsitati, quæ datur, vt vnum ex contradictorijs conditionatè acceptum ſit verum; quæ neceſsitas nulla eſſet, ſi tam ea decreta, quæ requiruntur pro veritatibus conditionatis *poſsitivis*, quam pro *negativis* deficeret: inde ſatis ſe oſtendit fructus, & vtilitas eorundem decretorum, dummodo requiſitio eorum ad veritates conditionales de futuro non excludatur: idque etiam probat, non eſſe aptum medium ad illam excludendam inutilitatem, & fructus defectum. Committeretur enim circulus vitioſus ſatis, probando non conſtituere futuritionem conditionatam, quia ſunt acioſa, & inutilia, & inſuper eſſe tantum ocioſa, & inutilia, quia non conſtituunt futuritionem conditionatam.

52 Quod vehementius me in ſcrupulum propoſitum vrget in ſententia eiuſdem Eximij Doctoris, qui cum antecedenter num. 3. eiuſdem capitis inveſtigaſſet poſsibilitatem decreti divini *obiectivè conditionati*, & retuliſſet ſententiam aliquorum exiſtimantium, prædicta decreta repugnare, propoſueritque

que fundamenta eorum, addit, se eam sententiam nunquam probare potuisse: quia sicut falsissimum iudicat negari Deo præscientiam alicuius scibilis, sivè absoluti, sivè conditionati; ita non minus absurdum iudicat negare Deo libertatem, seu potestatem volendi omne obiectum volibile honeste, & secundum rectam rationem. Vnde considerat differentiam inter *scire, & velle*, quod *scire actualiter* est ex perfectione simpliciter; at *velle actu* quodcumque obiectum creatum amabile etiam honestum, non pertinet ad perfectionem simpliciter, & nihilominus posse illud *velle* pertinet ad perfectionem potestatis liberæ: cum ergo obiectum conditionatum de se amabile sit secundum rectam rationem, & nos possimus illud *velle*, non est hæc potestas neganda Deo, qui non minorem libertatem habet in volendo; quàm homo, concluditque dicens: nec videri posse negari decreta omnia circa obiecta conditionata sine multis incommodis: nam Deus offert homini gratiam, & remissionem peccati; si convertatur, quod non potest intelligi sine actu positivo voluntatis Dei, cum non sufficiat actus, quo Deus vult dare auxilium sufficiens ad conversionem: quia voluntas dandi gratiam disposito, seu si disponatur, distincta est à voluntate dandi auxilium, & etiam, quia sunt obiecta distincta, & posset Deus velle vnum absque alio. Similiter voluntas offerendi concursum generalem, vel gratiæ, vel naturæ etiam ad actum numquam futurum, de obiecto conditionato est, & non potest negari in Deo: quia certissimum est, Deum ex se talem offerre concursum: quia aliàs non daret auxilium sufficiens, non potest autem liberè offerre sine actu voluntatis, quia liberè offert: hæc ferè ad verbum Eximius Doctor.

54 Quæ pro mea tenuitate cum ociositate, & inutilitate illa ponderata decretorum *obiectivè conditionatorum* non possum componere. Aut enim decreta taliter conditionata ex se, & ex sua natura sunt ociosa, & inutilia, carentiaque fine, in quem prudenter dirigantur, vel non? Si Primum: nec erunt possibilia Deo decreta vlla taliter conditionata, neque aliquid erit Deo honeste volibile conditionate, vt dicitur; cùm maximè distans sit à divina voluntate modus ille volendi, qui propter suam inutilitatem, & ociositatem summè distat à prudentia volentis: deinde difficilè erit ostendere inutilitatem, & ociositatem ex solo modo tendendi conditionato, quando, vt dicunt Adversarij, est ex se conducens ad veritates obiectivas conditionatas, quæ necessariò hæ, vel illæ debent dari, & absque decretis illius conditionis non possunt consistere. Si secundum: cum decreta conditionalia ex se, & per se non sint ociosa, & inutilia; imò rectissimè, & prudentissimè à divina voluntate suo modo possint oriri, restat manifestare, quænam sint illa, quibus ex speciali titulo conveniat ociositas, & inutilitas; quænam vero ab hac nota liberentur, pro quo discernendo regulam non invenio, præcipuè quando hi termini: *Velle Deum conditionatè sub conditione nunquam purificanda*, inconvenientia illa non convincant, vt constat in exemplis adductis ab eodem Suario: demumque semper vrget inculcata necessitas, qua se protegunt Adversarij ex non consistentia veritatum conditionalium independenter ab ipsis, & ex determinatione, vt sint plures veritates conditionales exclusivæ sui contradictorij ad evidentiam illius principij: *Quodlibet est vel non est: impossibile est eandem rem simul esse, & non esse.*

54 Nec valet respondere inutilitatem, & acioſitatem intentam non esse absolutam, sed respectivam ad præsentem providentiam, quo omnia videntur componi, videlicet, & quod prædicta decreta sint Deo possibilia, & quod defacto non sint admittenda, vt sufficit ad probandum veritates conditionales de futuro contingenti, nec constitui per decreta conditionata, nec ea prærequirere, cùm defacto sint veritates conditionales infinitæ, & non sint decreta illis correspondentia. Quæ solutio colligi videtur ex eodem Eximio Doctore dicente num. 9. post relatam sententiam requirentem decretum conditionatum ad omnia futura contingentia conditionata: *Nihilominus hæc sententia parum probabilis apparet. Primo quia de divinis decretis, & voluntatibus liberis ni-*

hil asserere possumus cum fundamento, nisi quod, vel revelatum est, vel ex revelatis, aut ex affectibus divinis sufficienter colligi potest.

55 Non inquam id valet respondere, vel quia fundamenta illa adducta probant ociositatem, & inutilitatem absolutè, & respectu cuiuscumque providentiæ, cum vi illorum formaliter nihil poneretur in rebus absolutè, neque aliquid absolutè in creaturis efficerent, vel quia ex necessariò concedendis in hac providentia ipso rationis ductu, vt sunt futura conditionata, sivè positiva, sivè negativa in quacumque hypothesi possibili inferuntur, dummodo aliunde non probetur independenter ab ipsis sufficienter constituta futura conditionata: vnde iterum in illum memoratum, & plusquam decreta ipsa, ociosum, & inutilem circulum, videlicet futuritionem conditionatam contingentium non constitui per decretum subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum, quia talia decreta sunt ociosa, & inutilia: & illa decreta esse otiosa, & inutilia: quia futuritionem conditionatorum contingentium non constituunt.

56 Haud plus vrget id quod addit Ruiz disput 71. sect. 9. num. 8. ad suadendam inutilitatem decretorum purè, & strictè conditionalium: nempè quia adhùc in nobis prædictæ volitiones conditionatæ reputantur ociosæ, & imprudentes, vt exemplis varijs comprobare conatur: siquidem vanus, ociosus, & cordis inops merito censeretur homo, qui seriò deliberans apud se constitueret hoc decretum, *licet certo sciam hos duos lapides A. & B. æqualiter aptos cuicumque ædificio, nihilominus si ego denuo ædificarem Templum Sanct. Petri Romæ eligerem lapidem A. vt eum in ædificio collocarem, & reijcerem lapidem B. ne poneretur in ædificio: insuper ex duobus Architectis prorsus æqualibus in arte, & cæteris rationibus vtilitatis, & convenientiæ huic potius, quàm illi committerem ædificium pro mea libertate absque vlla ratione discriminis ex parte ipsorum.* Confirmatque ex Eminentissimo Caietano qui 3. parte quæst. 29. artic. 1. versus finem inde probat Beatissimam Virginem Mariam, etsi vere nuptam nunquam habuisse explicitum consensum in vsum Matrimonij cum purissimo Sponso etiam sub conditione *si Deo placuisset*: quia vt inquit *nullus actus superfluus fuit in ea; hic autem consensus superfluus fuisset, vtpote carens necessitate, & pietate.*

57 Nam quidquid sit de imprudentia, & ociositate affectuum memoratorum, quam controvertere nolo, sicut nec sententiam Caietani, quoad illum actum conditionatum B. Virginis; patentissimum potest esse discrimen inter Deum, & homines; tum quia Deus per illos actus non se impedit ab alijs perfectioribus, & vtilioribus, cum omnes sint æquales ab infinita bonitate, & infinito amore, quo identificantur, nec sit minus æstimabilis in Deo actus, quo non vult producere alium mundum perfectiorem, aut æqualem præsenti, actu eo, quo vult præsentem mundum producere, & conservare; non secus ac non est indecens ipsi concurrere ad ima, & vilissima, quæ hominibus censerentur indecora: tum præcipuè, & magis quoad præsens intentum, quia veritates illæ conditionales sivè positivæ, sivè negativæ, quæ contingerent sub prædicta hypothesi, & à quarum vna præscindi nequit ob disiunctivam necessitatem vnius ex contradictorijs non dependent ab affectu præsenti voluntatis humanæ, quo dato, aut secluso pariter darentur, aut saltem possent dari; non sic quoad affectus divinos independenter à quibus subiectivè absolutè existentibus non possunt consistere, vt respondebunt adversarij, donec aliunde eis probetur independentia veritatum conditionalium contingentium ab aliquo de præsenti, ac per consequens à decreto, quod est præsens necessariissimum, vt ab æterno fuerint veræ veritate proportionata futuris conditionalibus, & contingentibus. Aliter ergo petenda est probatio, vt excludantur talia decreta, secluſa præintenta ociositate, & inutilitate ex modo tendendi conditionato, de qua latius post cum possibilitatem decreti divini subiectivè, absoluti, & obiectivè conditionati investigemus.

58 Efficacius mihi à ratione, si aliqua dictis supra disput. 12. citata sunt addenda probatur primo: quia ex se incongruum omninò ex terminis, &

con-

contra perfectionem infiniti providentis apparet, pati neceſsitatem ad liberè ſe exercere in infinitum non modo pro his, quæ liberè facit, aut non facit; quàm pro his, quæ liberè faceret, aut non faceret, tantumque determinationis liberæ inſumere in his, quæ eſſent aut non eſſent; ac in his, quæ ſunt, aut non ſunt; nam ſicut abſurdum eſt divinam voluntatem reſpectu poſsibilium pati neceſsitatem pluſquam poſſibiliter ad exercitium liberum erga poſsibile, ſic abſurdum omninò debet reputari, pati neceſsitatem pluſquam conditionaliter ad exercitium liberum erga conditionatum. Equidem ſicut non repugnantia poſsibilis ſe habet ad non repugnantiam exercitij divini liberi; ſic conditionata poſitio, aut excluſio conditionati ſe debet habere ad exercitium divinum liberum conditionaliter. Nec poteſt eſſe diſparitas neceſsitas poſsibilium in ratione talium, & contingentia conditionatorum, quia huic contingentiæ ſicut fit ſatis ex parte ipſorum per exiſtentiam, quæ eſſet, aut non eſſet; ſic fiet ſatis ex parte Dei per exercitium, quod eſſet, aut non eſſet.

59 Secundò: quia abſurdum etiam apparet contra efficaciam infinitæ, & divinæ voluntatis talem debere eſſe, vt circa ea, quæ abſolutè exiſtunt, aut non exiſtunt, ſicut, & quoad ea, quæ eſſent aut non eſſent ſub hypotheſi, non ſibi ſufficiat vnum conatum; ſed duplicem debere exiſtere, ſivè abſolutè, ſivè conditionatè pro modo abſolutorum, aut conditionatorum. Suadetur in abſolutis, vt inde appareat quid ſentiendum conditionatè de conditionatis. Nam cum ea, quæ exiſtunt, aut non exiſtunt abſolutè ſint pro ſuo modo vera conditionatè; per conſequens nulla ex his, quæ exiſtunt abſolutè, aut excluduntur abſolutè ita ſe haberent; quin præceſiſſent decreta obiectivè conditionata, aut omiſsio libera illorum, & ecce primus connatus liber divinæ voluntatis quoad ea quæ abſolutè exiſtunt, aut non exiſtunt, cumque poſt non tantum conditionate exiſtant, aut non exiſtant; verùm abſolutè, quibus provt talibus debet correſpondere exercitium liberum divinæ voluntatis ſubiectivè, & obiectivè abſolutum; & ecce ſecundus connatus: vnde ſub infertur, nec ipſam voluntantem divinam poſſe ſe exercere abſolutè, niſi provt quodammodo prædeterminatam; & præordinatam per alium actum in infinitum. Nam de quovis abſolute exiſtenti, ſivè ſit ſubiectivè tantum abſolutum, & obiectivè conditionatum, ſivè ſubiectivè, & obiectivè abſolutum, idem reddit argumentum; ſiquidem omne, quod abſolutè exiſtit, præceſsit ſub aliqua conditione conditionatè verum.

60 Iterum ſub infertur: nullum eſſe in Deo decretum formaliter ſubiectivè abſolutum; ſed tantum virtualiter; ideoque quaſi pariter eſſe in ratione volendi, & decernendi futura conditionata, quàm abſoluta: aſſumptum probatur, ex eo quod ſemel ſuppoſito decreto conditionato ad ſtatum abſolutum obiecti aliud non deſideratur; quàm purificatio conditionis: ſiquidem omnis alius affectus pro exiſtentia illius ſupervacaneus eſt; ſed decretum obiectivè conditionatum pro caſu purificationis conditionis, aut coniunctum ex ipſo, & purificatione conditionis non eſt formaliter decretum ſubiectivè abſolutum; ſed tantum virtualiter: ergo ex tali ſuppoſitione nullum eſſet decretum formaliter abſolutum obiectivè; imò propter eandem rationem nullum eſſet decretum formaliter abſolutum ſubiectivè. Ratio eſt quia quodvis decretum, quod abſolutè ſit in Deo ſubſequitur veritatem conditionalem de ſe ipſo, vt manet dictum: ergo ſupponit decretum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum de ſe ipſo, quod per purificationem conditionis eſſet decretum virtualiter ſubiectivè abſolutum: iam de illo decreto conditionato reflexo idem paratur argumentum: ac per conſequens procedendo in infinitum nunquam ſiſtemus in aliquo, quod adhùc ſubiectivè ſit formaliter abſolutum.

61 Tertiò: quia aut Deo liberum omninò eſt ſe exercere de præſenti modo ſufficienti, vt reſultent veritates conditionales de futuro hæ, vel illæ, vel poſitivæ, vel negativæ, vel non? Si primum: ergo poſsibilis eſt caſus, quo abſque ignorantia vlla nulla futura conditionata ſciret, ſcilicèt in caſu illo, in quo omitteret omne exercitium de præſenti requiſitum, vt aliquæ

veritates conditionales de futuro ſuo modo exiſterent : patet illatio quoad neſcientiam abſque ignorantia, propterea quod non ſit ignorantia neſcire illa, quæ inſcibilia ſunt, vt eſſent veritates illæ conditionales ex defectu fundamenti de præſenti requiſiti ad veritatem obiectivam conditionalem de futuro : quomodo non eſt ignorantia in Deo neſcire alterum mundum exiſtentem abſolutè, cum mundus alter ex defectu abſoluto, quem habet, ſcibilis abſolutè non ſit. Hoc autem devorari non poteſt ſine abſurdo graviſsimo, cum pariter vrgeat argumentum, quod ſumitur ex diſiunctione duplicis cõtradictorij pro conditionatis, quàm pro abſolutis: vnde ſicut admitti ſeriò, & prudenter à nullo poteſt eſſe poſsibilem caſum, in quo nullum omninò futurum abſolutum, ſivè poſitivum, ſivè negativum ſciat abſque ignorantiæ labe; ita nullo iure aut fundamento admitti valet caſus poſsibilis, in quo ſine ignorantiæ imperfectione nullum futurum conditionatum ſciat.

62 Si propterea dicatur ſecundum : ergo voluntas divina non modo liberè ; verùm neceſſario poteſt, & debet habere exercitium liberum de præſenti tendens non incomplexe quidem, & per modum tantum ſimplicis afectus; ſed complexè, & per exercitium tendens ad eſſe, aut non eſſe rei, quod non impleatur. Illatio eſt conſtans: quia exercitium illud liberum, quod de præſenti in Deo daretur fundans veritatem conditionalem de exiſtentia aut non exiſtentia rei ſub hypotheſi ex ſe præſcinderet ab exiſtentia, & non exiſtentia rei, ſicut præſcinderet ab exiſtentia, & non exiſtentia hypotheſis ; ergo eſſet affectus, ſivè exercitium liberum ex ſe compatibile cum non impletione ſui. Iam abſurditas illationis etiam ſe oſtendit ; nam adhùc quando talis affectus omninò libere provenit à voluntate difficilimum, & valde controverſum eſt Theologis ad illud Apoſtoli ad Timotheum 1. cap. 2. *Vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Cum Divus Thom. 1. parte quæſt. 19. artic. 6. Quid ni igitur de tam multiplici exercitio non quidem libere omninò ; verùm ex neceſsitate habendo, vt fiat ſatis neceſsitati infinitarum veritatum conditionalium, quæ ſine præſenti exercitio voluntatis divinæ ſtare non poſſunt.

63 Quarto ad hominem : quia apud contrarios poſsibile, vt poſsibile non eſt amabile à Deo : ergo nec obiectivè cõditionatum erit amabile à Deo: ac per conſequens eius futuritio conditionata dabitur ſuo modo independenter à decreto. Probatur conſequentia: ideo primum eſt verum: quia poſsibile, vt tale, & provt ab exiſtentia præſcindens nullam dicit bonitatem, ſicut, & nullum dicit eſſe abſolutum, ratione cuius poſsit terminare divinum affectum : ſed conditionatum obiectivè, vtpote ex ſe præſcindens ab exiſtentia abſoluta, non minus caret bonitate, & eſſe abſoluto, præcipue quando ita eſt de conditione non purificanda, vt intra ſtatum purè poſsibilitatis ſit remanſurum : ergo non minus creatura futura conditionatè ; quàm creatura poſsibilis eſt inamabilis, & involibilis à Deo : at propter primum inconſequentia planè eſſet conſtituere poſsibile obiectivum per aliquem divinum affectum ſimplicem, ſcilicet per complacentiam Dei neceſsariam, aut per alium affectum divinæ voluntatis : ergo propter ſecundum inconſequentia etiam debet iudicari conſtituere futurum obiectivè conditionatum per aliquem affectum complexum; nempè per volitionem contingentem ſubiectivè abſolutam, & obiectivè conditionatam.

64 Confirmatur primò, argumento quidem negativo ; ſed non contemnendo ex doctrina Angelici Magiſtri dicta quæſt. 19. artic. 6. vbi inquirit : *Vtrùm voluntas Dei ſemper impleatur?* Nec ibi verbum continet de voluntate conditionata Dei ; quam non omiſiſſet, ſi de mente ipſius eſſet neceſsario ponenda in Deo pro futuritione conditionata infinitorum futurorum contingentium, quæ ſub hypotheſi verificantur in hac providentia ; præcipuè quando in argumento ſecundo ſibi obiecit, quod *ſicut ſe habet ſcientia ad verum ; ita voluntas ad bonum ; ſed Deus ſcit omne verum : ergo vult omne bonum: ſed non omne bonum fit, multa enim bona poſſunt fieri, quæ non fiunt : non ergo voluntas Dei ſemper impletur.* Ecce argumentum in cuius ſolutione, & explicatione congruentiſsima erat mentio voluntatis

tis ſubiectivè abſolutæ, & obiectivè conditionatæ; quæ omne bonum ambit; quin tamen ex vi illius omne bonum exiſtat; ſed plura intra ſtatum puræ poſsibilitatis remaneant; at talis voluntatis non meminit: ergo quia non reputavit neceſſariam pro futuritione conditionata contingentium prædictam voluntatem.

65 Confirmatur ſecundò argumento poſitivo deſumpto ab eodem Div. Thoma in eodem articulo ad 1. vbi diſſolvit argumentum à nobis proximè antecedenter propoſitum. Et inquit: *Ad ſecundum dicendum, quod actus cognoſcitivæ virtutis eſt ſecundum quod cognitum eſt in cognoſcente; actus autem virtutis appetitivæ eſt ordinatus ad rem ſecundum quod in ſe ipſis ſunt. Quidquid autem habere poteſt rationem entis, & veri totum eſt virtualiter in Deo; ſed non totum exiſtit in rebus creatis; & ideo Deus cognoſcit omne verum; non tamen vult omne bonum, niſi in quantum vult ſe, in quo virtualiter omne bonum exiſtit.* Ex quo duo ponderanda occurrunt. Vnum: principium illud in ſolutione contentum videlicèt *intellectum trahere res ad ſe, & voluntatem, & virtutem appetitivam ferri ad res ipſas provt ſunt in ſe ipſis*, quod quomodo ſtare poſsit cum decreto ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato ſe habente pro formali in conſtitutione futuri contingentis conditionati non percipio; nam ſi quia actus intellectus ſe habet pro formali veritatis cuiuſvis formalis, dicitur trahere res ad ſe, & non ferri ad res provt ſunt in ſe ipſis; quanto plus quia voluntatis actus ſe habet pro formali veritatis obiectivæ, merito dicetur voluntas trahere res ad ſe, & non ferri ad res provt ſunt in ſe ipſis: nam quid magis trahet res ad ſe quam illud, quod eſſe ſui actus facit eſſe commune cum eſſe rerum, non vt cumque; ſed pro formali ipſarum quoad eſſe obiectivum, & proprium illarum. Explico, & confirmo: ſtrictius trahit ad ſe identitas, quam ſimilitudo: ſed ſtante doctrina Adverſariorum de conſtitutione futuri pro formali per divinum decretum, voluntas trahit res ad ſe per identitatem ſtatus obiectivi cum ſuo actu, & intellectus per ſolam ſimilitudinem intentionalem: ergo ex doctrina ſuppoſita ſtrictius voluntas, & virtus appetitiva traheret res ad ſe; quàm intellectus, & virtus cognoſcitiva.

66 Alterum, id quod Angelicus Doctor ex conſtitutione illius principij concludit: himirum ideò Deum cognoſcere omne verum, quamvis non ſit exiſtens in rebus; non tamen velle omne bonum formaliter; ſed tantum virtualiter, quia bonum, quod non conſiſtit in rebus non aliter vult, niſi in quantum vult ſe, in quo virtualiter omne bonum exiſtit. Vnde ni fallor legitimè infero: ergo circa bonum, quod in rebus non exiſtit Deus non aliam volitionem habet præter illam, qua vult ſe ipſum, in quo virtualiter omne bonum continetur: ſed plura futura conditionata contingentia ſunt bonum in rebus non exiſtens, vtpote quod intra ſtatum puræ poſsibilitatis remanet: ergo talia futura non aliter vult, quàm per volitionem, qua ſe ipſum vult in quo virtualiter omne bonum continetur: at volitio, qua ſe ipſum vult eſt volitio neceſſaria; ac per conſequens indifferens ad futura contingentia conditionata, quæ de facto verificantur: ergo iuxta Angelicum Doctorem futura contingentia conditionata, quæ de facto talia ſunt non dicunt pro formali decretum contingens ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum. Quod ſi non teneat, explicet nobis qui melius penetret Angelicam mentem, & terminos ſolutionis, & efficaciam illius ad diſſolvendum argumentum obiectum. Hæc mihi efficaciora viſſa ſunt relictis alijs, quæ in magno numero proponuntur ab Authoribus, & quæ forſan erunt validiora: ideò, qui in dictis optatam vim non inveniat, aut in omiſsis placitura ſperet, adeat Ruizium, Faſolum, & Izquierdo locis iam citatis. Et nunc, quid in contrarium ſpecialiter vltra iam alibi ſoluta obijciantur, videamus.

CAPVT III.

Solvuntur obiectiones aliquæ ab Authoritate, & ratione pro conſtitutione futuri conditionati dependenter pro formali à decreto ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato.

67 OBIJCIVNT primò ex Scriptura celebrem illum locum Pauli 1. ad Corinthios 4. *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis?* Quibus ſignificat Apoſtolus: Deum ſuis donis gratuitis, vt cumque bene operantem diſcernere à male operante, nullumque bonum habere hominem, quod non acceperit à Deo: ſed ſtatus conditionalis bonæ operationis aliqua diſcretio eſt benè operantis à male operante in ſimili ſtatu: ergo talem ſtatum accipere debet à Deo: ſed talem ſtatum non accipit per decretum abſolutum, cum ex ſe præſcindat ab ſtatu abſoluto bonæ operationis: ergo per decretum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum.

68 De intelligentia huius loci, & de diſcretione prædeſtinati à Reprobo in ipſo contenta latè diſcuſsimus tom. 2. de prædeſtinatione cap. 4. diſput. 19. vbi difficultates occurrentes contra noſtram doctrinam pro viribus connati ſumus ſolvere, hic minimè renovandæ, cum provt iudico extra rem ſint, neque ex prædicto loco, quidquid ſit de conducentia ad alia, aliquid pro decreto ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato, de quo eſt præſens controverſia, erui poſsit. Etenim demus pro nunc rectè ex eo probari Deum non modo prædefinere; verùm prædecernere, & prædeterminare, ſivè extrinſecè tantum, ſivè extrinſecè, & intrinſecè omnes noſtras actiones liberas, vt ſic ab ipſo proveniat omnis noſtra directio; quid inde pro decreto ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato? Cur ergo non ſufficiet decretum aliud ſubiectivè, & obiectivè conditionatum, quod exiſteret abſolutè pro caſu purificationis conditionis, ſeu hypotheſis, quomodo ſtatus præſens futuritionis conditionatæ ſemper eſſet dependens à libertate, & voluntate Dei prædecernente, & prædeterminante: ac proinde diſcretio, quæ foret, aut conſiſteret in prædicto ſtatu conditionato, principaliſsimè, & determinativè eſſet à Deo? Si autem dicas id provenire ex conſtitutione veritatis conditionatæ, quæ obiectivè abſque aliquo de præſenti conſiſtere non poteſt, iterum inſiſtam: ergo impertinenter omnino adducitur caput iſtud diſcretionis, cum aliunde, & independenter ab ipſa, & tantum phyloſophicè, vt ita dicam, neceſsitas præſentis decreti ſit probanda?

69 Demus iterum ex prædictis verbis, vt ſalva maneat diſcretio benè operantis à malè operanti intenta ab Apoſtolo, rectè colligi neceſsitatem præſentis decreti ſubiectivè abſoluti, & obiectivè conditionati pro veritatibus conditionatis contingentibus nobis liberis, vnde probabitur eſſe neceſsarium pro formali, vt eſt præcipuum intentum contrariorum, & non tantum arguitivè? Quare enim non ſufficiet à tali decreto effectivè, & determinativè conditionatè provenire id in quo formaliter conſiſtit veritas ipſa obiectiva futuri conditionati: modo, quo rectè componitur cum diſcretione abſoluta, & de præſenti, quæ non minus eſt à Deo, quàm conditionata, aut abſoluta de futuro, decretum quod de præſenti exiſtit in Deo prædecernente, & prædeterminante actionem præſentem benè operantis arguitivè duntaxat ſe habere ad veritatem de præſenti; ſecus formaliter, & conſtitutivè: adducitur ergo contra intentum difficultas iſta diſcretionis, & ſine fructu iteratur.

70 Imò non modò extra intentum; verùm contra illud: quia inde arguitur futuritio aliqua non conſiſtens in decreto, aut exercitio libero Dei, ſcilicèt futuritio illius operis, per quod male operans pro formali diſcernitur à benè operante pro formali: etenim Deus non diſcernit malè operantem pro formali à benè operante; aliàs non minus de peccatore pro formali diceretur: *Quid enim habes quod nõ accepiſti, aut quid gloriaris, quaſi non acceperis*; ac dicitur de benè operãte: ergo ſtat futuritio conditionata pravæ operationis pro formali abſque de-

decreto, in quo consistat formaliter talis futuritio. Si dicant sufficere decretum quoad materiale, rursus rogabo. An tale decretum sit futuritio formalis malitiæ, vel non? Si hoc secundum: ergo aliquid est futurum formaliter absque futuritione formali, vel futuritio formalis aliqua non consistit in decreto pro formali. Si primum: ergo decretum non est minus formalis ratio de eo, quod malitia formalis futura sit; quàm de eo, quod entitas malitiæ futura sit: ac per consequens decretum illud non minus erit prædeterminativum malitiæ; quàm entitatis, cum ipsi debeatur pro formali status obiectivus vtriusque. Si iterum dicant: decretum illud esse futuritionem tantum logicam malitiæ. Iterum insurgam, aut vltra futuritionem illam logicam habet malitia pro formali aliam futuritionem physicam, vel non? Si hoc secundum: ergo non minus futura à Deo est malitia; quàm materiale, & entitas illius, cum à Deo habeat omnem futuritionem pro formali, quàm potest habere. Si primum: ergo iam aliqua futuritio non consistit pro formali in decreto: si ergo aliqua, cur non omnis; cum eadem sit ratio?

71 Omitto insuper verba Apostoli procedere de statu conditionato, & de operibus bonis conditionatè tantum consideratis, quomodo tantum essent intra præsentem casum futuritionis conditionatæ. Quod tamen falsum est, vt constat ex ipso textu procedente tantum de donis absolutè collatis, & à Deo in re, & absolutè acceptis, vt constantissimè comprobat illud, *Quid autem habes, quod non accepisti; si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quomodo non procederet, si de operibus tantum sub conditione futuris esset sermo: nam per bonam operationem, quæ modo non est; sed esset, nemo de præsenti est discretus, neque operatio, quæ modo non est, sed esset, est iam de præsenti accepta, apta, vt de ipsa gloriemur, sive vt accepta, sive vt non accepta; præcipuè quando futura illa conditionata verificari possunt non modo de voluntate non existente de præsenti; verùm nec vnquam extitura, ac proinde omninò incapaci, acceptionis, elationis, aut gloriationis in acceptis. Dicendum igitur foret pro more conditionatorum, *quid haberes, quod non accepisses, aut quid gloriareris, quasi non haberes acceptum.*

72 Absolutè respondendum est: quod sicut vt Deus verissimè, & prorsissimè, in statu absoluto discernat nos in sensu Pauli, detque nobis velle, & perficere salutare, non aliud requiritur, nisi quod det nobis suam gratiam congruenter, & opportune quando, & quomodo ipse cognoscit nobis ad bonum consensum profuturam ex cooperatione nostra libera, quæ collatio gratuita omnino est ex parte Dei, cum ex parte nostri, neque ante suppositionem auxilij, neque facta illius suppositione nulla sit ex parte nostri determinatio antecedens, vt eam ita conferat, insuperque nihil sit in nobis potentiæ ad bonam operationem, quod à Deo non sit tributum; ita vt Deus prorsissimè, & verissimè discernat quoad statum cõditionatum, sufficit, quod dicta intelligantur conditionatè, & operatio bona eo modo conditionatè processura; quin sit necessaria vlla prædefinitio antecedens, sive absoluta, sive conditionata.

73 Quæ doctrina, & explicatio expressissimè tradita est ab Augustino, absque mentione alicuius determinationis divinæ antecedentis pluribus in locis, sed inter alia notandus est magnus Parens, libro 1. contra Pelagium, & Cœlestium de gratia Christi, capite 25. vbi in terminis præsentis controversiæ inquit: *Non solum enim Deus posse nostrum donavit, atque adiuvat; sed etiam velle, & operari operatur in nobis. Non quia nos non volumus, aut non agimus; sed quia sine ipsius adiutorio, nec volumus aliquid boni, nec agimus.* Sed quodnam sit hoc adiutorium, audiatur ab ipso, libro 83. quæstionum, quæst. 68. *Et quoniam nec velle quisquam potest, nisi admonitus, & vocatus, sive intrinsecùs, vbi nullus hominum videt, sive extrinsecùs per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia efficitur, vt Deus etiam ipsum velle operetur in nobis.* Et mox: *Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur: propterea, & si quisquam sibi tribuat, quod venit vocatus; non potest sibi tribuere, quod vocatus est.* Clarius adhuc libro de Ecclesiasticis dogmatibus, capite 21. *Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus, vt acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est.* Demum clarissimè libro de Spiritu, & littera, capite 34. *Visorum suasionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus, sive extrinsecùs per evangelicas exhortationes, sive intrinsecus, vbi nemo habet in potestate, quod ei veniat in mentem;*

sed

ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat; neque enim credere poteſt quolibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio, cui credat: profectò, & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius præuenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel diſſentire ab ea, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt, quæ res non ſolum non infirmat quod dictum eſt: Quid enim habes, quod non acceptiſti; verùm etiam confirmat: Accipere quippè, & habere anima non poteſt dona, de quibus hoc audit, niſi conſentiendo.

74 Nec minus ad rem, & pro noſtra doctrina tractatu 26. in Evangelium Ioannis, vbi exponens illa verba: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſsit me, traxerit eum*, movens ex ipſis quæſtionē: *Quomodo voluntate credo, ſi trahor?* Reſpondet: *Ego dico parum eſt voluntate, etiam voluptate traheris: Quid eſt trahi voluptate? Delectari in Domino, & dabit petitiones cordis tui, eſt quædam voluptas cordis, cui panis dulcis eſt ille cœleſtis.* Porrò ſi Poetæ dicere licuit: *Trahit ſua quemque voluptas; non neceſsitas, ſed voluptas, non obligatio, ſed delectatio; quanto fortius nos dicere debemus: trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iuſtitia, delectatur ſempiterna vita, quod totum Chriſtus eſt*, quem modum trahendi rurſus explicat, vel vtens exemplo, vt cum dicit: *Ramum viridem oſtendis Ovi, & trahis illam: Nuces puero demonſtrantur, & trahitur; & quod currit trahitur, amando trahitur ſine læſione corporis trahitur, vinculo cordis trahitur*; vel amplius in ſe declarando, & inquiens: *Videte quomodo trahit Pater, docendo delectat non neceſsitatem imponendo. Ecce quomodo trahit, erunt omnes docibiles Dei, trahere Dei eſt: omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me: trahere enim Dei eſt.* Pariter tractatu 53. ad illa verba: *Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum, vt Sermo Iſaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini, cui revelatum eſt?* Quæ ita elucidat ſatisfaciens occurrenti obiectioni: *Quidam ergo inter ſe muſitant*, (inquit) *& vbi poſſunt aliquando proclamant, & turbulenta diſceptatione contendunt dicentes: Quid fecerunt Iudæi, vel quæ culpa eorum fuit, ſi neceſſe fuit, vt Sermo Iſaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit? Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini, cui revelatum eſt? Quibus reſpondemus: Deum præſcium futurorum per Prophetam prædixiſſe infidelitatem Iudæorum; prædixiſſe tamen, non feciſſe: non enim propterea quemquam Deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata iam novit: ipſorum enim præſcivit peccata non ſua, non cuiuſquam alterius, ſed ipſorum.* Et poſt pauca: *Fecerunt ergo peccatum Iudæi, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet; ſed facturos eſſe prædixit, quem nihil latet.* Et ideo: *Si non malum, ſed bonum facere voluiſſent, non prohiberentur, & hoc facturi prævideretur ab eo, qui novit, quid ſit quiſque facturus, & quid ei ſit pro eius opere redditurus.*

75 Sat dicta ſint ad oſtendendum, ſententiam Apoſtoli nobis non eſſe contrariam; neque continere aliquid Adverſarijs proficuum, & quidem non intelligentia noſtri, ſed magni Parentis in cuius expoſitione ad prædictum textum, ſicut alibi paſsim in eius operibus obſervandum eſt, vt ſemel, & iterum notavimus, tàm pro vocatione noſtra, & impulſu divino ad rectam operationem, quàm pro deſſertione, qua data labimur in peccata, nunquam deſignare aliquid antecedenter connexum ex parte divinæ voluntatis; verùm totum id refundere in dona indifferentia, vel in carentiam doni indifferentis, nunquam memorata efficacia divinæ voluntatis immediatè reſpicientis noſtram bonam, aut malam operationem: quod non omiſsiſſet mens illa perſpicaciſsima, & occupata in diſſolvendis quæſtionibus cohærentiæ, tum divini dominij, tum efficaciæ gratiæ cum libero noſtro arbitrio; aliter mirum eſſet excitare quæſtionem de modo, quo Deus nos trahat ad credendum, & benè operandum, eamque ex propoſito diſſolvere omiſſo medio principaliſsimo huius attractionis, vt eſſet voluntas efficax prædeterminativa earumdem actionum, & donum collatum efficaciſsimum, & diſtinctum, tum ab illuminatione ex parte intellectus, & delectatione, & affectu ex parte voluntatis, quæ tantum retulit, aut quomodo credi poteſt ex formaliſsima mente, & in paucis Scholaſtica poſt aſſertionem illam abſolutam: *Deum trahere; non neceſsitatem imponendo*, ſilentio prætermiſsiſſe replicam, ex neceſsitate ineluctabili divini decreti, & doni intrinſecè irreſiſtibilis, ſi talia in modo, quo Deus nos trahit intercedere iudicaſſet.

Ob-

76 Obijciunt ſecundò etiam ex Scriptura loca illa, quibus Deus dicitur indurare, & excœcare homines, tradere in deſiderĭa, aut in reprobum ſenſum, vt ad Romanos 9. *Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* Ioannis 12. *Excœcavit oculos eorum, & induravit cor eorum.* Ad Romanos, cap. 1. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiam.* Et iterum ibidem. *Propter quod tradidit illos Deus in paſsiones ignominiæ*, necnon *tradidit illos Deus in reprobum ſenſum.* Inſuper alia Scripturæ teſtimonia, quæ exprimunt voluntatem Dei prædefinitivam erga prava opera, vt ſunt illud Geneſis 45. *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum.* Actorum 2. *Hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemiſtis.* Et cap. 4. *Convenerunt enim vere in Civitate iſta adverſus Sanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Iſrael facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri.* Et 2. Regum, cap. 16. *Dimitte eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit ei, vt malediceret David.* Vnde inferunt, ſi quoad actiones pravas datur voluntas efficax Dei, & prædefinitiva earum quoad entitatem, & materiale ipſarum: quid ni quod actiones bonas? ergo vniverſaliter Deus omnia prædecernit, vel abſolutè, vel conditionatè pro modo ipſorum, à qua prędefinitione ſortientur rationem futuri, vel abſoluti, vel conditionati pro formali.

77 Deficit hæc obiectio ſicut præcedens ab incongruente applicatione prædictorum textuum ad intentum oſtendendi futura conditionata contingentia dicere pro formali decretum divinum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum; nam licèt admittamus in eis contineri prædefinitionem efficacem, & antecedentem omnis actionis noſtræ liberæ abſolutæ, de qua tantum procedunt, vnde probatur ad futuritionem conditionatam noſtrarum actionum non ſufficere eandem prædefinitionem abſolutam ſumptam ſubiectivè conditionatè; quin ſit neceſſaria altera prædefinitio ſubiectivè abſoluta, & obiectivè conditionata? Vnde etiam probatur, quod & ſi vna, & altera prædefinitio in prædictis locis ſufficienter exprimeretur, hæc eſſet pluſquam requiſitum ad futuritionem fomalem: quo modo decretum abſolutum eſt tantum conditio, aut requiſitum ad præſentiam formalem rei abſolutè exiſtentis, aliunde formaliter conſtitutam? Quibus non probatis deficit intentum aſſequendum per ſuaſionem futuritionis conditionatæ contingentis conſtitutę per decretum exiſtens abſolutè; quamvis obiectivè ſit conditionatum.

78 Reſpondetur in his nullam prædefinitionem Dei adumbrari, in qua cõſiſtat *induratio*, & quæ terminetur poſitivè ad ipſas actiones malas adhuc quoad materiale; ſed puram deſertionem ex denegatione gratię prævisę congruentis. Sic Divus Auguſtinus, libro de prædeſtinatione, & gratia explicans illud ad Romanos 9. *Quem vult indurat.* Et inquiens: *Non intelligendum eſt quaſi Deus in homine ipſam, quæ non eſſet, duritiam cordis operetur.* Et poſt aliqua: *Indurare enim Deus dicitur eum, quem illuminare noluerit.* Similiter in enarratione in Pſalm. 77. loquens de obſtinatione Ægyptiorum inquit: *Hanc iniquiſsimam, & maligniſsimam obſtinationem Deus cum facere dicitur, non inſtigando, & inſpirando, ſed deſerendo facit.* Conſonat Div. Thomas, 1. 2. quæſt. 19. articulo 3. ibi: *Reſpondeo dicendum, quod excœcatio, & obduratio duo important, quorum vnum eſt motus animi humani inhærentis malo, & averſi à divino lumine, & quantum ad hoc Deus non eſt cauſa excœcationis, & obdurationis, ſicut non eſt cauſa peccati: Aliud enim eſt ſubſtractio gratiæ, ex qua ſequitur, quod mens divinitus non illuminetur ad rectè videndum, & cor hominum emolliatur ad rectè vivendum, & quantum ad hoc Deus eſt cauſa excœcationis, & obdurationis.* Quid clarius ad excluſionem decreti?

79 Non abſimiliter textus alij, qui ſonare videntur voluntatem Dei erga mala intelligendi veniunt de ſola voluntate permiſsiva, & non antecedenter determinante; aliàs non modo ex eis probaretur voluntas efficax Dei ad malum entitativè, & materialiter; verùm formaliter, & pro explicito malitiæ, cum abſolutè, & ſine diſcrimine proferatur eas actiones pravas provt à nobis procedunt, eſſe à Deo determinativè: recognoſcatur illud: *Quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri*; ſicut, & illud, *Dominus enim præcepit ei, vt malediceret David*, quæ niſi ab omnibus modificentur nimis abſurdè, & blaſphemè probabunt. Audiatur pro nobis inter alios Div. Proſper ad capita Gallorum,

ca-

capite 12. *Cum voluntas eius nunquam velit, niſi bona; præſcientia autem, & bona noſcit, & mala; ſed bona, quæ aut ipſe faciat, aut etiam, vt nos faciamus imperat; mala autem,* (attende) *quæ omnino ipſe non facit, neque fieri ſuaſit, aut impulit.* Et capite 14. *Infidelitas non credentium Evangelio nequaquam ex Dei prædeſtinatione generatur, & proinde infidelitas non credentium non ad conſtitutionem Dei; ſed ad præſcientiam Dei referenda eſt.* Rurſuſque ſententia 14. eidem capiti correſpondente; *qui dicit: Quod qui Evangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædeſtinatione non credant, & quod Deus ita prædefinierit, vt quicumque non credunt ex ipſius conſtitutione non credant, non eſt Catholicus.* Et capite 15. *Poteſt itaque ſine prædeſtinatione eſſe præſcientia; prædeſtinatio autem ſine præſcientia eſſe non poteſt.*

80 Et Divus Thomas, 1. parte, quæſt. 19. articulo 9. in corpore: *Malum culpæ, quod privat ordine ad bonum divinum Deus nullo modo vult.* Et 1.2. quæſt. 80. articulo 1. ad 4. *Ad tertium dicendum, quod Deus eſt vniverſale principium omnis interioris motus humani; ſed quod determinetur ad malum conſilium voluntas humana, hoc directè quidem eſt ex voluntate humana.* Et in prima diſtinct. 46. quæſtione prima, articulo 4. in corpore: *Vnde dicitur, quod non vult mala fieri; ſed vult permittere mala fieri. Vult etiam bonum conſequens, ex quo malum ordinatur. Ex quo ſequitur, quod velit mala facta ordinare; non autem quod velit ea fieri.* Et ibidem ad primum. *Ad primum dicendum, quod decor divinæ ſapientiæ apparet in permiſsione malorum, & ordinatione, quorum vtrumque vult Deus; ſed non malum fieri.* Et ad 4. *Pœnam vult fieri; ſed culpam non vult fieri.* Et in 2 diſtinct. 37. quæſt. 2. articulo 1. ad 1. *Ad primum ergo dicendum, quod Deus non eodem modo inclinat voluntatem in bonum, & in malum. Inclinat ſiquidem voluntatem in bonum adminiſtrando virtutem agendi, & directè movendo ad bonum; ſed ad malum dicitur inclinare in quantum gratiam non præbet, per quam quis à malo retraheretur, & non quod directè voluntatem in malum inclinet.* Et quæſt. 3. articulo 1. in corpore: *Et ideo dicendum eſt pœnas à Deo eſſe; nullo autem modo culpam à Deo eſſe.* Quid plura, vt innoteſcat clariſſimè longè fuiſſe à mente Ss. Proſperi, & Thomæ prædefinitionem, aut prædeterminationē ad materiale peccati. Aliter qua veritate diceretur: *Mala Deum omnino non facere. In infidelitate nullam prædeſtinationem Dei includi, neque vllo modo ex eius impulſu, aut conſtitutione fieri: Deum nullo modo velle malum culpæ; determinari ad malum vnice ex voluntate humana eſſe; culpam nullo modo à Deo eſſe; in malis Deum tantum inclinare per ſubſtractionem gratiæ retractivæ;* ſi Deus malum faceret quoad entitatem, ipſumque ſub hac conſideratione prædeſtinaret, & conſtitueret, nec ſolum gratiam ſubſtraheret retractivam à malo; verùm poſitivè determinaret volendo efficaciſsimè creaturam facere, & eligere id, quod ſine peccato, & culpa creatura facere, & velle non poteſt? In quorum conſpectu ſinceram intelligentiam (quamvis ita ſit) non capio.

81 Addi etiam poſſunt Damaſcenus, libro 2. de fide, capite 30. dicens: *Illud ſcire intereſt, Deum quidem omnia præſcire; ſed non omnia præfinire: Præſcit ea etiam, quæ in noſtra poteſtate, atque arbitrio ſita ſunt; at non item ea præfinit; neque enim vitium admitti vult; nec rurſus virtuti vim affert.* Cyrilus, libro 11. in Ioannem: *Non autem omnia, quæ Deus novit, aut vult, aut imperat.* Beda, libr. 9. quæſtionum, quæſt. 13. quid ergo coegit nos Deus, vt mali, ſibi *videremur ab æterno? abſit. Nam potius nos coegimus eum, vt nos malos videret.* Anſelmus in dialogo de caſu Diaboli, capit. 27. diſcipulo interroganti *cur ergo voluit?* Reſpondet: *Non niſi quia voluit; quia hæc voluntas nullam aliam habet cauſam, qua compelleretur aliquatenus, aut attraheretur.* Et libro de concordia prædeſtinationis, & gratiæ, capite 1. Poſito caſu, quod quis alicui minitaretur mortem, niſi mentiretur inquit: *Licet enim neceſſe ſit, aut vitam, aut rectitudinem relinquere; nulla tamen neceſsitas determinat, quam ſervet, aut deſerat: nempè ſola voluntas determinat ibi, quid teneas.* Et capite 2. *Deus mala, quæ non facit, dicitur facere: quia permittit. Nam dicitur hominem indurare, cum non emollit; ac inducere in tentationem, cum non liberat.* Quæ quomodo ſtare poſsint cum prædefinitione, & decreto antecedenti, quiſque videat, dummodo conſideret ly *at non item ea præfinit: non omnia vult, aut imperat; potius nos coegimus eum, vt nos malos videret: nulla tamen neceſsitas determinat.* Et alia huiuſmodi, quæ determinationem antecedentem ex parte Dei non patiuntur. Qui plura adhuc deſideret legat Rutzium, diſputatione 62. de ſcientia. Vbi plures alios Patres acuratiſsimè refert.

Sed

82 Sed quamvis mens Sanctorum Patrum adeo clare pro nobis ſtet, adhùc perſiſtunt, & obijciunt nobis tertio magnum Parentem Auguſtinum, capite 17. de prædeſtinatione Sanctorum, dicentem: *Hæc eſt immobilis veritas prædeſtinationis, & gratiæ.* Nam quid eſt quod ait Apoſtolus: *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem? Quod profecto ſi propterea dictum eſt: quia præſcivit Deus credituros; non quia facturus fuerat ipſe credentes, contra iſtam præſcientiam loquitur Filius dicens, non vos me elegiſtis; ſed ego elegi vos; cum hoc potius præſcierit Deus, quod ipſi eum fuerant electuri; vt ab ipſo mererentur eligi; electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem ea prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſcivit.* Et capite 17. de dono perſeverantiæ: *Hæc inquam Dei dona ſi nulla eſt prædeſtinatio, quam defendimus, non præſciuntur à Deo, præſciuntur autem. Hæc igitur eſt prædeſtinatio, quam defendimus.* En inquiunt quomodo Div. Auguſtinus futura, & quidem libera nobis, vt ſunt actus fidei, quibus credentes conſtituimur, proponit, vt facta à Deo, quod ſine decreto ipſius ſtare nequit.

83 Deinde Div. Thomam tum quæſtione 6. de veritate, articulo 3. vbi certitudo abſoluta prędeſtinationis probatur. Cum tamen contra prædictam certitudinem obijceretur prædeſtinationem eſſe debere cum ſuppoſitione cauſæ ſecundæ, ſcilicèt voluntatis creatæ; ideoque, quod eſt ita certum habere tantum certitudinem conditionatam, qualem habet hoc obiectum: *Iſte ſalvabitur, ſi præparaverit ſe,* & iſtud, *Sol cauſabit fructum in planta, ſi virtus generativa plantæ fuerit bene diſpoſita.* Reſpondet: *Ad quartum dicendum, quod cauſa ſecunda, quam oportet ſubponere ad inducendum prædeſtinationis effectum, etiam ordini prædeſtinationis ſubiacet. Non autem eſt ita in virtutibus inferioribus reſpectu alicuius ſuperioris virtutis Agentis, & ideo ordo divinæ prædeſtinationis; quamvis ſit cum ſuppoſitione voluntatis humanæ; nihilominus tamen abſolutam habet certitudinem; & ſi in exemplo adducto contrarium appareat.* Tum quæſtione 12. de veritate, articulo 10. vbi diſcutiens diviſionē prophetiæ factam à Hieronymo in prophetiam, *comminationis, præſcientiæ, & prædeſtinationis*; in reſponſione ad 8. inquit: *Quod ſi prophetia comminationis referatur ad ordinem cauſarum, quem directè reſpicit, ſic eſt abſque conditione: abſolutè enim eſt ita ordinatum eſſe in cauſis, vt hoc contingat; ſi autem referatur ad eventum, quem reſpicit indirectè, ſic intelligenda eſt ſub conditione cauſæ.* Tum demùm prima parte, quæſtione 19. articulo 7. ad 2. *Deum vtrumque velle, ſcilicet, quod aliquid quandoque ſit futurum ſecundùm cauſam inferiorem; quod tamen futurum non ſit ſecundùm cauſam ſuperiorem, vel è converſo:* vnde inferunt, ly *ſubiacere humanam voluntatem divinæ prædeſtinationi* idem eſſe, ac ſubiacere divinæ prædefinitioni; & ly *referri, quod futurum eſt ad ordinem cauſarum*, ac referri ad cauſas præparatas per decretum divinum; ſicut & ly *velle futurum eſſe, quod quandoque futurum non eſt*, ac velle voluntate obiective conditionata ea, quæ quia taliter volita, ſunt conditionatè futura, cum tamen, quia abſolute futura non ſunt ex defectu purificationis conditionis, iure dicuntur non eſſe futura.

84 Opus eſt hæc, & alia paris conditionis videre apud viros doctos in favorem decreti *ſubiectivè abſoluti, & obiectivè conditionati*, vt cum deſpectu non reſpiciantur, tanquam ſummè diſtantia ab Scopo. Quid enim rogo caſus certitudinis prædeſtinationis, in quo continetur abſolutiſsima futuritio eventus, cum veritatibus conditionatis cōtingentium futurorum, quæ cum defectu prædeſtinationis bene cohærent? Quid præparatio cauſarum componibilis cum carentia eventus cum decreto pluſquam præparativo, & connexo ex parte Dei? Quid futuritio obiectivè duntaxat coniecturalis ex vi præſentis diſpoſitionis cauſarum cum illatione decreti *ſubiectivè abſoluti, & obiectivè conditionati*, quando caſus procedit tantum de futuritione abſoluta? Vnde deficiunt, libere, & pro arbitrio ſubintelligendo, & ponendo in dictis Sanctorum id, quod ex eorum effatis debebat oſtendi: deficiunt inſuper; quia confundunt decretum futuritionis abſolutæ cum decreto futuritionis conditionatæ pluſquam obiectivè intellecto; deinde, ſuppoſito vnum, & alterum decretum, ſcilicèt abſolutum, & conditionatum futuritionis abſolutæ, & conditionatæ correſpondens, benè ex allegatis probari, reſtabat adhuc oſtendere pluſquam arguitivè requiri ad conſtitutionem futuri, vt ſtabilire intendunt contrarij, dum aſſerunt vtramque veritatem de futuro pro formali conſiſtere in decreto; necnon ſupererat manifeſtare, eam prædefinitionem eſſe *antecedentem,*

tem, & non *conſequentem*, vt dicunt Authores noſtri, qui prædefinitionem tuentur, & ex Patrum Authoritate colligunt.

85 Dicendum: Auguſtinum in primo loco procedere de futuritione abſoluta, & quidem, quæ præſupponat electionem, non quæ formaliter conſiſtat in ipſa electione, & inſuper loquitur de electione quidem antecedente præviſionem abſolutam meritorum; verùm dependentem, & ſubſequentem ad præſcientiam conditionatam non innitentem decreto, quod de præſenti ſit; ſenſu eodem, quo capite 14. de bono perſeverantiæ, paulò poſt initium, dixit: *Hæc prædeſtinatio Sanctorum nihil aliud eſt; quàm præſcientia ſcilicèt, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſsimè liberantur, quicumque liberantur*, vbi præſcientiam collocat ante omne decretum, & præparationem. Vel aliter intelligendus etiam venit non de electione diſtincta ab ipſa præparatione mediorum, in quà cum præſcientia dirigente conſiſtit formaliſsimè prædeſtinatio, nec aliud intendiſſe, dum ipſam vocat electionem antecedentem, quàm excludere merita Maſilienſium, quæ ex ſolis naturæ viribus procedentia erant Deo ratio eligendi, & prædeſtinandi vnum præ alio, in quo quid cum decreto illo conditionato? Nec obſtat ſi dicat: *Hæc dona, ſi nulla eſt prædeſtinatio, quam defendimus, non præſciuntur à Deo*, quia prædeſtinationem accipit eo modo, quo etiam definivit, ſcilicet pro *præſcientia, & præparatione beneficiorum, quibus certiſsimè liberantur, quicumque liberantur*, in qua nullum decretum, neque abſolutum, neque conditionatum, quod antecedens ſit, & prædeterminativum noſtræ operationis libere includitur.

86 Ad verba Div. Thomæ dicendum: ea quæ primò citantur nihil aliud continere, niſi quod contingentia libertatis humanę non obſtat certitudini prædeſtinationis, quia ſubijcitur ordini ipſius; ſed quod in tali ordine includatur prætenſum decretum, & inde prædeſtinatio ſuam certitudinem hauriat, minime dicit; imo oppoſitum tenet in corpore eiuſdem articuli, in quo docet, qualis ſit ordo iſte certiſsimus prædeſtinationis divinæ, & quomodo componatur cum libertate noſtra, exponit, & ſubdit: *Liberum enim arbitrium deficere poteſt à ſalute; tamen in eo, quem Deus prædeſtinat, tot alia adminicula præparat; quod vel non cadat, vel ſi cadat, quod reſurgat, ſicut exhortationes, & ſuffragia orationum, donum gratiæ, & alia huiuſmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad ſalutem: ſi ergo conſideremus ſalutem reſpectu cauſæ proximæ, ſcilicèt liberi arbitrij, non habet certitudinem, ſed contingentiam, reſpectu autem cauſæ primæ, quæ eſt prædeſtinatio, habet certitudinem.* Quæ adeo clara ſunt pro nobis ad excludendum decretum prædeterminativum, vt vel ipſos Sapientiſsimos Dominicanos moverit ad ipſum repellendum, ſcilicèt Illuſtriſsimum Arauxo, cuius verba dedimus tractatu de prædeſtinatione, diſputat. 5. Et meritò quidem, cum Angelicus Doctor, & deſignet ordinem conſtitutum per media indifferentia, & compatibilia cum lapſu, & non lapſu, vt probat illud, *quod non cadat, vel ſi cadat, & alia adminicula quærat, vt exhortationes, & ſuffragia orationum*, quæ omnino ſupereſſent, ſi decretum efficax, & antecedens in ordine prædeſtinationis interveniret.

87 Non magis vrgent ea, quæ ſecundò, in quibus tantum repetit ea, quæ alibi docet, ſcilicèt plura eſſe futura ex ordine, & propenſione cauſarum, quæ in re futura non ſunt, vt oſtendimus ſupra diſputat. 10. qua doctrina ductus, vt confirmata per Authoritatem Ariſtotelis, docet medicum non falſum dicere dum prænuntiat futuram ſalutem; tametſi ægrotus pereat, quia affirmatio illa procedit ſecundum præſentem diſpoſitionem cauſarum, quæ niſi occurrat impedimentum aliud, ſanitatem inducent. Sed quid diſpoſitio iſta, & propenſio cauſarum ſecundarum cum decreto illo conditionato ex parte Dei? Aut quare dato, quod effectus abſolutè exiſtens penderet à decreto abſoluto, & antecedenti, eſſet neceſſarium pro ipſo effectu conditionatè accepto pluſquam decretum ipſum abſolutum obiectivè conditionatè ſumptum.

88 Nèc quæ tertio: vel quia ibi loquitur Divus Thomas de effectibus tantum provenientibus à libertate divina, vt reſurrectio Lazari, & prolongatio vitæ in Ezechia: tum quia non loquitur de futuris conditionatis; ſed de abſolutis, vt conſtat in exemplis appoſitis; tum quia procedit de diſpoſitione cauſarum, quæ ſolam inclinationem, & propenſionem ex parte cauſæ ſecundæ includunt, vt accidit in caſu Ezechiæ

iux-

iuxtà illud Isaiæ, capite 38. *Dispone domui tuæ, quia morieris, & non vives*; vel quæ dicebant determinationem ad effectum tantum Deo liberum, vt resurrectio Lazari, quæ per divinam voluntatem erat absolutè futura, quamvis attento ordine causarum inferiorum, non esset ita disposita, quæ quid cum decreto conditionato? Respondeat pro nobis ipse Angelicus Doctor loco citato: *Ad secundum dicendum, quod voluntas Dei, cum sit causa prima, & vniversalis non excludit causas medias, in quarum virtute est, vt aliqui effectus producantur; sed quia omnes causæ mediæ non adæquant virtutem causæ, multa sunt in virtute, & scientia, & voluntate divina, quæ non continentur sub ordine causarum inferiorum, sicut resurrectio Lazari. Vnde aliquis respiciens ad causas inferiores dicere poterat: Lazarus non resurget, respiciens verò ad causam primam divinam, poterat dicere: Lazarus resurget: & vtrumque eorum Deus vult, scilicèt, quòd aliquid quandoque sit futurum, secundùm causam inferiorem, quod tamen futurum non sit, secundùm causam superiorem, vel è conversò. Sic ergo dicendum est, quòd Deus aliquando prænuntiat aliquid futurum, secundùm quod continetur in ordine causarum inferiorum, vt puta secundùm dispositionem naturæ, vel meritorum, quod tamen non sit, quia aliter est in causa superiori divina; sicut cum prædixit Ezechiæ, dispone domui tuæ, quia morieris, & non vives, vt habetur Isaiæ 38. neque tamen ita evenit, quia aliter ab æterno fuit in scientia, & voluntate divina, quæ immutabilis est.* En verba Div. Thomæ non truncata, sed integra, quorum, vel leviſsimam congruentiam ad decretum conditionatum diligens quisque Angelicæ mentis investigator ostendat.

89 Objiciunt quartò à ratione. Ad perfectionem intellectus divini pertinet actu præscire, quidquid divina voluntas eligeret, & faceret sub quibuscumque circunstantijs: ergo similiter ad perfectionem divinæ voluntatis spectabit actù decernere quidquid ipsa voluntas divina decerneret, faceretque sub quibusvis circunstãtijs. In primis hoc argumento vti non possunt, qui tenent, Deum nec amare, nec posse amare creaturas possibiles: quia alias sub eadẽ forma argueretur contra ipsos; nimirùm ad perfectionem divini intellectus pertinet actù cognoscere quidquid sibi, & alijs possibile est? ergo ad perfectionem divinæ voluntatis spectabit actù tendere, & saltẽ affectu simplici ferri in omne illud, quod sibi, & alijs possibile est. Probaret rursus contra omnes: quòd sicut ad perfectionem divini intellectus spectat actù necessariò cognoscere quidquid cognoscibile est; ita ad perfectionem divinæ voluntatis spectabit actù necessariò amare quidquid amabile est: vnde cùm ea, quæ existunt ex se, amabilia sint, & volibilia decreto, quod eis conferat existentiam; per consequens Deus non aliter quàm necessitatus, ea quæ existunt, amavit, & decrevit; imò ea quæ sic de facto non amavit, non potuit amare; quarè quidquid non existit, erit impossibile; & quidquid pro hac duratione decrevit, vel non potuit decernere pro alia, vel ab æterno produxit, & decrevit: vlteriùs, ad perfectionem divini intellectus spectat cognoscere formale peccati in se ipso saltẽ terminativè: ergo proprium etiam erit perfectionis voluntatis divinæ amare, & decernere formale peccati in se ipso, saltem terminativè.

90 Ad argumentum, concesso antecedenti, nego consequentiam propter disparitatem clariſsimam: nam si intellectus divinus aliquod ex scibilibus, eo modo quo scibilia sunt, non cognosceret, esset ignorans; ac per consequens imperfectus, qualiter non decet intellectum infinitum: inde vt talem imperfectionem non contrahat, determinatus est ad cognoscendũ quidquid cognoscibile est; & ita cognoscere maximè congruit eius perfectioni. Non sic in voluntate divina, cui, dato quod obiectum conditionatum sit amabile, vt tale, affectu efficaci conditionato, & non tantùm simplicis complacentiæ, de quo non est levis controversia, cum sententia plurium sit, repugnare in Deo talem voluntatem formaliter conditionatam. Liberum est amare amabile creatum; ideoque eius amorem posse relinquere; quin ex hoc inferatur imperfectio aliqua in divina voluntate; imò potius inferretur ex oppositò; cùm imperfectio esset voluntatis perfectiſsimæ, & infinitæ esse determinatam, & necessitatã ad amandum bonũ finitum; vnde rursus sequeretur esse determinatam ad amandũ vtrumque contradictorium, & ad quod vis simul ponendum ex amabilitate propria, & destruendum ex amabilitate oppositi.

91 Adde id, quod non semel observavimus, scilicèt pessimum argumen-

tum esse: *Futurum conditionatum non potest dari sine decreto: ergo decretum constituit pro formali futurum conditionatum*; nō secus ac est mala illatio apud omnes: *Præsens non potest dari sine decreto Dei: ergo decretum Dei constituit rem præsentem pro formali.* Nec magis rectam esse consequentiam: *Pro futuro conditionato est necessarium decretum subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum*: ergo *tale decretum est antecedens, & prædeterminativum.* Sicut apud non nullos Doctores nostræ Scholæ male deducitur: *Ad futurum absolutum, & ad præsens est necessaria prædefinitio Dei*: ergo *eadem prædefinitio est antecedens simpliciter, & prædeterminativa*, cum non aliter sit necessaria; quam provt regulata, & dependens à Scientia media de nostra libera operatione.

¶ Obijciunt quintò, insistentes in eadē perfectione divinæ voluntatis, cùm ad eam pertineat circa quācumque rem habere decretum efficax, & absolutum, quo decernat, vt res illa futura sit, vel decernat, vt res eadem non sit futura: ergo similiter attinet ad perfectionem divinæ voluntatis erga quodcūque obiectum, & actum conditionaliter futurum habere positivum decretum, per quod ab æterno libere voluerit, & constituerit vt talis actus foret eliciendus à voluntate creata, si constitueretur in talibus circunstantijs, aut ab æterno voluerit, & constituerit, vt talis actus non foret eliciendus ab eadem voluntate sub similibus circunstantijs.

92 Argumenti doctrina non potest esse vniversalis, ex exceptione necessariò admittēda quoad actiones turpes, saltem pro formali. Deinde procedit ex sententia tantum probabili de necessitate divinæ prædefinitionis ad omnes actiones nostras liberas, quam cum Eximio Doctore, & communi nostrorum iudicio reiecimus, tractatu de prædestinatione, disput. 12. cap. 4. vbi licèt concesserimus Deum defacto consequenter ad ea, quæ prædicant Scriptura, & Patres, omnes actiones nostras honestas prædefinire; negavimus tamen id necessitate perfectionis divinæ voluntatis contingere; sed duntaxat ex libera eiusdem determinatione, quam sine detrimento vllo propriè perfectionis potuit omittere: Inde negato antecedenti cessat argumenti vis. Deinde transmisso antecedenti negatur consequentia, tum quia, quod absolutum exigat absolutum, præcisè probat, quòd dum intelligitur conditionatè, debeat etiam intelligi conditionatè illud absolutum exactum; secus quod intelligatur aliud absolutum, illud conditionatè respiciens, ea ipsissima ratione, quà quia actus nostræ voluntatis absolutè existens exigit essentialiter voluntatem nostram absolute existentem, dum intelligitur conditionatè, sufficit intelligi conditionatè voluntatem nostram essentialiter ad existētiam absolutam exactam, quin opus sit voluntatem absolutè præcedere, vt conditionatè respicientem actum; tum quia in tantum antecedens illud tenet, in quantum dependentia effectus à prima causa exigit non aliter ab omnipotentia procedere; quàm Deo efficaciter volente, & decernente; quæ ratio non probat pro conditionato; nam vt effectus intelligatur cum omni dependentia conveniente ipsi in tali statu, sufficit intelligi conditionatè cum omni dependentia, quam habebit in statu absoluto; pro quo non est necessarium decretum vllum *subiectivè absolutum*, cùm sufficiat *subiectivè conditionatum*, sicut intelliguntur alia principia, à quibus dependens erit effectus in statu absoluto: ergo clara est disparitas inter antecedens, & consequens, adhùc transmisso antecedenti.

93 Præterquamquod in sententia aliquorum ex nostris, qui admittunt tales prædefinitiones necessarias ad actus honestos voluntatis humanæ, nec esse antecedentes, vt intendit contraria sententia, nec esse plusquam illativas futuri absoluti; vnde quamvis in vi consequentiæ convinceretur necessitas prædefinitionis *subiectivè absolutæ, & obiectivè conditionatæ* pro conditionatis, hæc consequenter non esset antecedens, nec plusquam illativa futuri conditionati, cui pro formali alia essent assignanda constitutiva, & argumentum multis titulis debilitaretur.

94 Nec magis roborabitur si arguant à necessitate decreti applicativi omnipotentiæ pro absolutis, vt inde inferant necessitatem cuiusdam applicationis *subiective absolutæ, & obiectivè conditionatæ* pro conditionatis: quia in primis illud decretum in nostra sententia est indifferens, & sicut compatibile cum existentia absoluta, & non existentia effectus, sic etiam compatibile cum futuritione absoluta, & non futuritione eiusdem: sit ergo bona illatio ad præ-

pa-

parationem illam *subiectivè absolutam, & obiectivè conditionatam*; sed quid pro futuris conditionatis, quando ex se pariter erit compatibilis cum defectu illorum; ac proinde inepta vt veritas obiectiva futuri conditionati in ipsa consistat pro formali; sicut, vt sit prædeterminativa effectus provenientis à voluntate creata? Nec consequentia tenet propter rationem iam insinuatam; nam quod decretum præparativum sit indispensabiliter necessarium pro absolutis, non probat esse necessarium plusquam *subiectivè conditionatè* pro conditionatis, vt constat in exemplo voluntatis, & aliorum, quæ requiruntur ex parte actus primi pro existentia absoluta actus liberi.

95 Objiciunt sextò. Futurum contingens conditionatum ante decretum Dei nulla ratione est necessarium: ergo ante decretum Dei non est scibilis, ac proinde ratio scibilis, & obiectivè veri futuri conditionati in decreto Dei consistet; non in decreto *subiectivè, & obiectivè absoluto*; aliter omne futurum contingens conditionatum esset absolutum: ergo in decreto *subiectivè absoluto, & obiectivè conditionato*. Ita Albarez, Cabrera, & Cantarellus apud Izquierdo.

96 Videns obiectionem, & non vim, hebetudinem meam accuso, quam cum depellere non possim, interim concesso antecedenti, nego consequentiam. Hucusque enim non inveni, rationem scibilis esse alligatam conceptui obiectivo necessario; sed potius vidi veritates obiectivas distingui in *necessarias*, & *contingentes*. Vnde ex defectu necessitatis in scibili tantum inferretur non esse scibile necessario; secùs quòd absolutè non sit scibile; quemadmodum, quòd creatura; v. g. lapis, contingenter existat, non infert absolute non existere; sed quod existentia non convenit ei necessariò: Aliter distinguo antecedens. Futurum contingens conditionatum ante decretum Dei *absolutè acceptum* nulla ratione est necessarium, scilicèt *ex suppositione*, vt tantum potest intendere arguens; nego antecedens. Ante decretum *conditionatè*, & *hypothetice acceptum*, concedo antecedens; & sub eadem distinctione admissa prima consequentia: nego secundam, quæ male deducitur.

97 Objiciunt septimò. Si futurum contingens conditionatum intelligeretur suo modo existens, & constitutum independenter à decreto Dei, quod de præsenti existat, erit per consequens aliquid contingens casuale respectu Dei, cum absque omni determinatione ex parte Dei suo modo esset: at nihil contingens potest esse Deo casuale; alias confunderetur Deus cum imperfectione nostra, cui multa casu, & fortuito eveniunt: ergo nec futurum conditionatum contingens potest intelligi, aut constitui independenter à decreto Dei, quod de præsenti existat, & conditionatè in illud tendat.

98 Ductus exemplo Illustrissimi Alvarez, qui dum frequenter profert illud principium *ab indifferenti, vt indifferenti non potest oriri determinatio*, inquit: *quod necessarium est, & vtile sæpius repetere nè leve existimetur, vt dicit Prosper, quod non frequenter arguitur*; monitionem factam repeto de inutilitate argumenti in ordine ad probandum futurum conditionatum consistere pro formali in decreto, cum tantum probet requisitionem decreti; non constitutionem, quæ erat probanda. Deinde argumentum insto in ipsis decretis Dei, de quibus verificantur conditionales; ac propterea dantur veritates obiectivæ conditionales cõtingentes circa ipsa, & quæ ex se præscindunt ab existentia absoluta illorum, quæ si constituantur per alia decreta *subiectivè absoluta, & obiectivè conditionata*, abibimus in infinitum, cum de ipsis decretis *subiectivè absolutis*, & *obiectivè conditionatis* redeat argumentum; si verò propterea independenter à decreto *subiectivè absoluto* veritates illæ conditionatę contingentes constituantur: ergo erunt Deo casuales. Si autem dicant: veritates illas conditionales non esse Deo casuales, quia sunt de exercitio Deo libero; dicam similiter, veritates obiectas non esse Deo casuales, quia involvunt in se decretum liberum Dei, sine quo actus ille liber, de quo verificatur cõditionatè extiturum, absolutè non existeret, vtpotè, qui esset extiturus ab omnipotentia, & ideò à decreto applicativo illius.

99 Ad argumentum, nego maiorem: quia non est casuale respectu Dei id, quod, quam primùm sit cognoscibile, cognoscitur à Deo, nõ vtcumque, sed ex determinatione divini intellectus ad cognoscendum illud, quàm primùm sit cognoscibile, & deinde est determinatum, vt pro conditione sui status exigat

influxum Dei, & determinationem divinam ad talem influxum, non quæ prædeterminet ad influēdum in actu ſecundo; ſed quæ expediat omnipotentiam ad concurrendum ex determinatione creaturæ; qua ratione ſe habent veritates omnes conditionatæ obiectivæ de futuro contingenti nobis libero, quæ ex vna parte, quàm primùm ſunt obiectivè ſcibiles, cognoſcuntur à divino intellectu ex determinatione ipſius, vt nihil verè cognoſcibile pertranſeat eius infinitam perſpicaciam, & ex altera non intelliguntur in ſuo eſſe conditionato independenter ab exercitio libero Dei, & voluntatis infinitæ ipſius, etiam conditionatè intellecto.

100 Quod vt videant, quàm longè ſit à caſualitate, reflectant ſupra ſententiam aliquorum ex Thomiſtis ſupra citatis, dicentibus ad futura conditionata contingentia non eſſe neceſſarium decretum prædeterminativum *ſubiectivè abſolutum*; ſed ſufficere decretum prædeterminativum *ſubiectivè conditionatum*: erunt nè propterea futura illa conditionata caſualia reſpectu Dei, quia dantur ſuo modo independenter à decreto *ſubiectivè abſoluto*? minimè quidem; cum non aliter intelligantur, quàm dependentia à decreto conditionaliter extituro: idem ergo tene ex dependentia à decreto applicativo. Si autem ad prædeterminationem decreti pro diſparitate ſit recurſus; quis dicat omnia illa, quæ non contingunt ex determinatione alicuius, eſſe illi caſualia? Vnde, quæ ſine determinatione alicuius eſſent illi, aut præviſa, aut conſiliata, aut præcepta, forent illi caſualia, necnon poſsibilitas, & impoſsibilitas forent caſuales Deo, ſi cum ipſis non connectatur.

101 Obijciunt octavò. Quod eſt neceſſarium ad effectum abſolutum in ſtatu abſoluto eſt neceſſarium ad effectum conditionatum in ſtatu conditionato: ſed ad futurum abſolutum nobis liberum; v. g. aſſequutionem ſalutis æternæ in ſtatu abſoluto eſt neceſſaria voluntas efficax Dei, & prædeſtinatio in ſtatu abſoluto: ergo ad eundem effectum in ſtatu conditionato quomodo futurus conditionatè, eſt eadem voluntas efficax Dei, & prædeſtinatio conditionata erit neceſſaria: ergo vt futurum nobis liberum ſit conditionate tale, aliqua voluntas Dei conditionata erit neceſſaria.

102 Inſto prius argumentum ab oppoſito. Id quod ad effectum abſolutum in ſtatu abſoluto non eſt neceſſarium; ad effectum conditionatum in ſtatu conditionato non eſt neceſſarium: ſed ad præſentiam abſolutam effectus in ſtatu abſoluto non eſt neceſſaria aliqua voluntas Dei pro formali: ergo neque in ſtatu conditionato eiuſdem præſentiæ erit neceſſaria aliqua voluntas Dei pro formali; ac per conſequens futuritio conditionata non conſiſtet in decreto: ne verò hæreant in terminis præſentiæ conditionatæ, & futuritionis conditionatæ, accipiant alitèr. Id quod ad præſens requiritur præſens in ſtatu abſoluto præſentiæ, ſufficit de futuro, ſive conditionato, ſive abſoluto, vt præſentia eadem ſit de futuro, ſive abſoluto, ſive conditionato: ſed præſentia rei pro formali tantum requirit ſe ipſam de præſenti: ergo vt eadem præſentia ſit de futuro, ſive conditionato, ſive abſoluto, tantùm requiret pro formali ſe ipſam de futuro, ſive conditionato, ſive abſoluto; ac propterea à ſe ipſa formaliter, ſive conditionatè, ſive abſolutè erit formaliter futura: vnde nullum decretum, vt futuritio formalis, ſive abſoluta, ſive conditionata erit neceſſarium.

103 Inſuper, vnde probatur neceſsitas decreti *ſubiectivè abſoluti*, & *obiectivè conditionati* ex forma propoſita? Nam quod neceſſarium abſolutè ad ſtatum abſolutum effectus requiratur conditionatè ad ſtatum conditionatum eiuſdem, non amplius probat, niſi quod ſi ad ſtatum abſolutum effectus requiratur voluntas efficax, & prædeſtinatio abſolutè ſumpta; ad ſtatum conditionatum effectus requiratur eadem voluntas, & prædeſtinatio conditionatè: quid autem voluntati, & prædeſtinationi quoad exiſtendum conditionatè intellectæ, cum voluntate *obiectivè tantum conditionata*, & *ſubiectivè abſoluta*. Vlterius; vnde probatur, quod voluntas illa efficax, & prædeſtinatio, quæ abſolutè ad ſtatum abſolutum effectus deſignati eſt neceſſaria, ſit voluntas Dei, aut prædeſtinatio antecedens ſimpliciter, & prædeterminativa, vt inde inferatur voluntas quædam, & prædeſtinatio *ſubiectivè abſoluta*, & prædeterminativa?

104 Vnde ad argumentum reſpondeo; verum eſſe, *neceſſarium* ad effectum abſolutum in ſtatu abſoluto, eſſe quoque *neceſſarium* ad effectum in ſtatu con-

conditionato; sed quomodo? Non quidem *absolutè subiectivè*; sed *conditionatè* tantum, eo modo, quo intelligitur effectus, ad quem illud in statu absoluto est necessarium, vt iam semel, & iterùm notavimus in existentia ipsa voluntatis humanæ, & aliorum comprincipiorum, sine quibus vt absolutè existentibus, non potest existere absolutè effectus liberè ab eadem voluntate proveniens. Nec propterea inferas, saltem *subiectivè conditionatè* esse necessariam pro futuris conditionatis aliquam voluntatem efficacem, aut prædestinationem absolutè, & simpliciter prædecernentem, aut prædeterminantem; cùm minimè inferatur etiam ad effectum in argumento propositum; sed solam necessitatem voluntatis efficacis, & prædestinationis *subiectivè conditionatæ*; quam definivit Augustinus, dum dixit prædestinationem *esse præscientiam, & præparationem mediorum, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur*, cuius certitudo, & infallibilitas nihil includit connexum, & inimpedibile, cùm tantum versetur circa media, quibus obtinet effectum infallibiliter, & efficacissimè, efficacia attemperata iuri nostræ libertatis, quod non violat, imò potius fovet, & confirmat.

105 Obijcient nonò: Si veritas conditionalis cõtingens de futuro pertinente ad nostram libertatẽ daretur independenter à decreto Dei prædecernente, & prædeterminante, Deus esset antecedenter necessitatus ad coexistendum alicui contingenti: sed talis necessitas in Deo repugnat: ergo similiter repugnat, veritatem conditionalem contingentem de futuro pertinente ad nostram libertatem, suo modo dari independenter à decreto Dei prædecernente, & prædeterminante. Consequentia est legitima, & minor videtur certa; cum Deus ob suum plenissimum dominium nullam possit pati necessitatem ad coexistendum alicui contingenti. Probatur maior: si erga futurum conditionatum nobis liberum nullum intercederet decretum Dei prædecernens, & prædeterminans, veritas conditionalis de futuro contingenti nobis libero existeret vnicè pro determinatione voluntatis creatæ, quam Deus non posset impedire; siquidem tantum posset impedire purificationem conditionis; quod non sufficit ad impediendam veritatem conditionalem, vt constat in hac veritate conditionali, *si existat auxilium, existet consensus*, cùm conditionatum non sit de determinatione libera, & immediata Deo: sed id, quod si existat, existet vnice pro libertate alterius, est id, ad cuius coexistentiam, dum existit, est antecedenter necessitatus: ergo si veritas conditionalis contingens de futuro pertinente ad nostram libertatem daretur independenter à decreto Dei prædecernente, & prædeterminante, Deus esset antecedenter necessitatus ad coexistendum alicui contingenti.

106 Nec valet respondere: hanc sequelam esse ab omnibus deorandam in necessitate antecedente, quam Deus habet coexistendi alicui ex contingentibus; nam cum antecedenter necessitatus sit, vel necessitate proveniente ab intrinseco, vel necessitate proveniente ab extrinseco pro sententiarum diversitate quoad connexionem Dei cum possibilibus, & impossibilibus, vt vnum ex contradictorijs contingentibus non deficiat; per consequens est etiam antecedenter necessitatus, vt vno ex illis contingenter existenti coexistat; non inquam valet, quia prædicta necessitas antecedens est vaga inter contingentia; vnde liberam relinquit Deo coexistentiam cuicumque contingenti determinato; non sic in casu argumenti, quo necessitas antecedens esset determinata, & non vaga ad coexistendum contingenti determinatè accepto, videlicèt veritati illi conditionali de futuro, quam vnicè pro suo nutu, & electione voluntas creata in statu conditionato determinaret.

107 Semper ad eundem lapidem offendunt contrarij, & monitiones factæ pro defecto non correcto sunt repetendæ. Rogo, cur ad vitandum inconveniens ponderatum non sufficeret decretum absolutum prædeterminativum intellectum *subiectivè conditionatè* in statu illo conditionato? Nam cui liberum est sub existentia hypothesis determinare, aut impedire existentiã absolutam conditionati; liberum etiam est impedire, vel determinare conditionatum sub hypothesi in statu conditionato; & sic evitare coexistentiam sui ad talem statum: quod si ita sit; vnde probatur ab inconvenienti decretum *subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum* pro futuris cõditionatis dependentibus ab exercitio nostræ libertatis? Rogo secundò: dato

quòd decretum absolutum prædeterminativum *conditionatè subiectivè* intellectum non sufficeret; vnde ab inducto inconvenienti constat requiri plusquam arguitivè, & formaliter ad constitutionem futuri conditionati contingentis, & nobis liberi; cum sufficeret prærrequisitio illius ad formale futuri, vt Deus pro suo arbitrio auferendo, sive impediendo decretum prærrequisitum impediret veritatẽ conditionalem contingentem, & coexistentiam illius? Rogo tertiò: quarè ad vitandum prædictum inconveniens non sufficeret decretum efficax Dei comitans, quod multi tuentur, & quo per divinam voluntatem sublato liberè comitanter, etiam impediretur comitanter exercitium liberum conditionatum creaturæ, & veritas conditionalis de futuro in eo fundata? Igitur restant adhùc multa, vt hoc, & similibus argumentis, vel *quoad speciem* Scopum, in quo collimant Adversarij, attingant.

108 Ad argumentum, distinguo maiorem. Si veritas conditionalis contingens de futuro pertinente ad nostram libertatem daretur independenter à decreto Dei prædecernente, & prædeterminante, Deus esset antecedenter determinatus ad coexistendum alicui contingenti, *purè conditionato*, concedo maiorem. Ad coexistendum *alicui contingenti absoluto*. Nego maiorem, & distinguo minorem: talis necessitas *respectu contingentis absoluti* Deo repugnat, concedo minorem: *respectu contingentis conditionati*, nego minorem, & consequentiam. Ad maioris probationem concessis præmissis, distinguo consequens sub eadem distinctione, sub qua distincta est maior primi syllogismi, & pariter concedo, aut nego consequentiam. Itaque absurdum nullum est, Deum esse antecedenter necessitatum, necessitate opposita libertati; secus necessitate opposita contingentiæ ad coexistendum alicui contingenti, cuius *esse* pure conditionate se habeat; imo potius id maxima perfectio ipsius est; non secus ac perfectionem ipsius maximè commendat impotentia *antecedens* ad faciendum hominem Leonem, aut Leonem Equm: quia id esset invertere essentias rerum, quod sub dominium divinum non cadit; cumque ad liberè impediendam coexistentiam sui ad veritatem conditionalem contingentem de futuro nobis libero necessarium esset, quòd conditionatum pertineret ad divinam libertatem, vt exercitium electum, & determinatum ab ipso, quod cum libertate nostra non componitur; ideo si essentia libertatis non est immutanda, neque imperfectio vlla in Deo eam non posse immutare; per consequens neque absurdũ vllum erit, Deum ita antecedenter necessitatum esse ad coexistendum veritati conditionali determinatæ per exercitium conditionatum libertatis creatæ, & quidem intellectis etiam conditionate influxu immediato ipsius Dei, & decreto præparativo indefferenti necessario ad talem influxum; neque in hoc potest reperiri specialis difficultas, aut absurditas, quæ non inveniatur in sententia probabilissima inconnexionistarum, in qua Deus antecedenter necessitatus extrinsecè ad coexistendum suo modo possibilitati possibilium, & impossibilitati impossibilium asseritur, & sine admiratione suscipitur: aut in sententia omnium, quod detur ex parte rerum exigentia adeo valida, vt per nullam potentiam possit infringi, vt est exigentia essentialis actionis ad terminum vnionis ad extrema, & eorum, quæ essentialiter oppununtur, vt non coniungantur.

109 Non sic de coexistentia ad contingens absolutum, sive *positivum*, sive *negativum* liberum voluntati creatæ, respectu cuius imperfectio magna foret; sicut, & alligatio oppositа eius independentiæ, si Deus esset antecedenter necessitatus ad non se impediendum à tali coexistentia. Et ratio est: quia cum contingens absolutum, sive *positivum*, sive *negativum* liberum voluntati creatæ aliter nequeat dari, nisi existente libertate, & voluntate, quæ influxum Dei libere præstitum exigunt; aut dicendum foret, Deum operari ex necessitate naturæ ea, quæ operatur, vel planè fatendum concursum illum, quem libere præstat, libere etiam posse subtrahere; ac per consequens impedire contingens absolutum talem concursum essentialiter exigens, & coexistentiam, quæ ex existentia Dei, & absoluta existentia contingentis resultaret.

110 Replicabis immediatè: ergo liberè potest Deus impedire omne contingens absolutum liberum voluntati creatæ: ergo etiam est antecedenter potens ad liberè impediendum omne contingens conditionatum liberum voluntati creatæ. Probatur subillatio: quia si po-

poteſt liberè impedire omne contingens abſolutum liberum voluntati creatę: poterit liberè determinarè omne contingens abſolutum liberum voluntati creatæ: ſed ſi poteſt liberè determinare omne contingens abſolutum liberum voluntari creatæ, poteſt etiam impedire conditionatum contingens liberum voluntati creatæ: ergo ſi liberè poteſt Deus impedire omne contingens abſolutum liberum voluntati creatæ; etiam eſt antecedenter potens ad liberè impediendum omne contingens conditionatum liberum voluntati creatæ. Maior inde conſtare videtur, ex eo quod mutuò inter ſe convertantur *poſſe liberè impedire, & poſſe liberè determinare*. Probatur minor, in qua ſtat difficultas: quia non ob aliam rationem poteſt voluntas creata liberè impedire veritatem contingentem de futuro ſibi libero; v. g. *Si exiſtat auxilium, exiſtet conſenſus*, niſi quia in ſtatu abſoluto auxilij poteſt determinare conſenſum, vel aſignetur alia ratio, quam invenire non eſt facile: ſed ſi Deus poſſet liberè determinare omne contingens abſolutum liberum voluntati creatæ, poſſet etiam liberè determinare conſenſum abſolutum liberum in ſtatu abſoluto auxilij: ergo ſi poteſt liberè determinare omne contingens abſolutum voluntati creatæ; poteſt etiam impedire conditionatum contingens liberum voluntati creatæ.

111 Nego ſequelam ſubillatam, in cuius probatione maioris, quæ ſupponitur, vt certa, & à qua pendet tota vis inſtantiæ falſiſsima eſt, cum prorſus falſum ſit medium illud, quod aſſumitur, ſcilicet, quod qui poteſt liberè impedire aliquod extremum, poteſt liberè illud determinare, vt patens eſt mille exemplis: etenim ego exiſtens Compluti liber ſum ad impediendam ibidem coexiſtentiam mei, & reſurrectionis mortui, cum ſim liber ad exeundum compluto, quomodo quamvis detur miraculum reſurrectionis compluti non erit coexiſtentia mei, & reſurrectionis; neque propterea ſum liber ad determinandam eandem coexiſtentiam, cùm à mea libertate non pendeat patratio miraculi ex ſuppoſitione exiſtendi Compluti: ſimiliter Deus eſt antecedenter potens, & liber ad impediendum peccatum Petri pro formali, & non eſt liber, neque antecedenter potens ad illud determinandum. Et ratio eſt: quia ad impediendum liberè aliquem effectum, ſufficit liberè poſſe auferre aliquid neceſſarium ad exiſtentiam effectus; at vero ad determinandum requiritur, aut poſſe ponere omne, quod neceſſarium eſt ad exiſtentiam effectus, aut præſuppoſitis alijs, ponere illud, quod reſtat ad exiſtentiam effectus; neque ex potentia libera ad auferendum aliquid neceſſarium, infertur libertas ad determinandum omne neceſſarium, aut ad ponendum vltimum alijs præſuppoſitis, vt oſtendunt exempla appoſita & alia plura, quæ eorum ductu poteſt quiſque adiungere.

112 Gravius adhùc inſiſtunt. Si futurum conditionatum nobis liberum eſſet independens à decreto Dei prædeterminativo, Deus eſſet antecedenter neceſsitatus ad coexiſtendum alicui contingenti abſoluto; imò aliquod contingens abſolutum excluderetur à rebus, non interveniente decreto Dei, ſivè poſitivo, ſivè negativo: ergo nulla eſt ſolutio tradita; ſicut, & repugnans futurum conditionatum nobis liberum conſtitutum cum tali independentia. Probatur conſequentia. Poſita hac veritate conditionali de futuro *ſi exiſtat auxilium A, exiſtet conſenſus* independenter ab exercitio electivo, & prædeterminativo voluntatis divinæ Deus ex vi ſolius veritatis conditionalis non determinatæ per ipſum eſt determinatus ad coexiſtendum carentiæ contingenti conſenſus ſub auxilio, ſeu ſimultatis conſenſus, & auxilij. Ratio eſt: quia pro caſu disiunctionis duplicis contradictorij debet exiſtere talis carentia: nam ſi non detur auxilium, non dabitur conſenſus ſub auxilio, & ſi detur auxilium, non dabitur conſenſus ſub auxilio; aliter non ſubſiſteret illa veritas *ſi exiſtat auxilium A, non exiſtet conſenſus*: inſuper nullum decretum Dei exiſteret pro tali excluſione, quia cum determinatio ad eam excluſionem proveniret ex veritate illa conditionali, quæ abſque vllo decreto, & determinatione Dei ſuo modo exiſtit; per conſequens carentia illa contingens, & excluſio ſimultatis *conſenſus, & auxilij* exiſteret abſque vllo decreto Dei, ſivè poſitivo, ſivè permiſsivo: ergo ſi futurum conditionatum nobis liberum eſſet independens à decreto Dei prædeterminativo, Deus eſſet antecedenter neceſsitatus ad coexiſtendum alicui contingenti abſoluto; imò aliquod contingens abſolutum

tum excluderetur à rebus, non interveniente decreto Dei, sivè positivo, sivè permissivo.

113 Admittit instantia easdem exceptiones, quas principale argumentum, scilicet non probari per ipsam necessitatem decreti *subiectivè absoluti, & obiectivè conditionati*, cum sufficeret decretum *subiectivè conditionatum*, scilicèt decretum absolutum prædeterminativum, quod esset, si auxilium, & actus primus *A*, existeret. Neque probari etiam, si decretum *subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum*, benè arguerētur, tale decretum esse futuritionem plusquam arguitivam non consensus sub auxilio; neque denique probari necessitatem decreti vllius prædeterminantis, & prædecernentis, cùm sufficeret ad impediendum absurdum intentum, decretum comitans, & quodvis exercitium liberum Dei, quomodolibet impeditivum non consensus sub auxilio. Quibus præ oculis semper habitis

114 Pro solutione adverto primò. Non consensum sub auxilio, seu defectum consensus sub auxilio, qui in illa veritate conditionali includitur, esse *non consensum, seu defectum consensus*, non vtcumque; sed *non consensum, aut defectum consensus* liberè à voluntate proventurum; aliàs cum se teneat ex parte conditionati, si liber non esset, neque veritas illa conditionalis, *si existat auxilium A. non existet consensus*; non esset veritas conditionalis de futuro pertinente ad nostram libertatem. Inde adverto secundò: *Hunc non consensum, seu defectum consensus* non existere absolutè; ac propterea, vt contingens absolutum, nisi vt procedens à libertate absolutè existente; propterea quæ cui liberum sit impedire existentiam absolutam libertatis per non collationem illius; liberum etiam erit impedire *non consensum, seu defectum consensus*, vt contingens quid est absolutè liberè à voluntate procedens. Inde adverto tertiò: *Non consensum, seu defectum consensus liberi*, qui absolutè detur contingenter, aut quia non existit voluntas, aut quia non ei confertur libertas necessaria ad consensum, non esse *defectum consensus* liberum voluntati creatæ non consentienti; sed solum ei voluntati, in cuius arbitrio est dare, aut non dare libertatem. Adverto quartò id, quod in nostra sententia male confundunt multi, diversum quid esse dari veritatem conditionalem de conditionato pertinente ad nostram libertatem independenter à decreto, quod sit, aut foret immediate antecedenter determinativum conditionati sub hypothesi (quod idem suo modo transferendū est ad statum absolutum) ac dari independenter à decreto libero Dei influxivo in conditionatum, in quantum applicat divinam Omnipotentiam ad concurrendum cum creatura penès electionem & determinationem ipsius; necnon conferente liberè quidquid ad libertatis constitutionem est necessarium; ex his primam independentiam fatemur; secundam excludimus, vt eversivam divini dominij, & dependentiæ, quam agentia secunda libera habent à primo & supremo eligente. Quod clarissimum debet esse, vel ipsis contrarijs, in quorum sententia, licèt veritas conditionalis de futuro contingenti nobis libero independens sit ab electione voluntatis creatæ præveniente electionem divinam, non ideo est independens ab electione eiusdem voluntatis liberè eligentis.

115 Vnde ad instantiam respondetur. Quod si de *non consensu*, seu de *carentia libera consensus* sermo sit, provt debet esse, quia ea tantùm continetur, vt conditionatum illius veritatis conditionalis, Deus nullo modo est necessitatus antecedenter ad talem defectum, & carentiam; verùm duntaxat ex suppositione sibi libera. Ratio est clara: quia carentia contingens consensus libera voluntati creatæ non aliter existit absolutè contingenter; quàm ex suppositione voluntatis, & libertatis illius absolutè existentium, quæ suppositio absolutè est libera Deo, qui potens liberè impedire existentiam absolutam voluntatis, & libertatis, potuit etiam per consequens impedire carentiam absolutam consensus liberam voluntati. Vnde etiam constat; quomodo prædicta carentia, vt absolutè existens, non sit independens ab exercitio libero Dei; dependet enim tum à decreto libero Dei de existentia voluntatis, tum etiam à decreto libero Dei de existentia libertatis, suppositis voluntatis existentia, quam poterat necessitare, tum denique à decreto libero committenti voluntati electionem, & determinationem suorum actuum, vi cuius manet Omnipotentia appli-

applicata ad concurrendum positivè, & suo modo negativè ad actum negativum, si purè talis sit.

116 Iam si de carentia contingenti consensus, necessaria tamen voluntati creatæ instantia procedat; præterquam quod id extra rem erit, quia talis defectus necessarius, neque continetur, neque arguitur ex illa veritate conditionali, idem nihilominus, quod de carentia libera voluntati creatæ quoad liberam impeditionem à libertate Dei, & dependentiam ipsius à libero decreto Dei facilè probabitur; siquidem non existentia necessaria consensus liberi non aliunde potest provenire; quàm, aut ex non existentia voluntatis, aut ex non existentia libertatis in ipsa, quod vtrumque liberum est Deo, & à decreto libero Dei dependet, quo impedito, per oppositа exercitia decernentia existentiam voluntatis, & libertatis ipsius impediretur carentia necessaria consensus: nam tunc, vel non daretur carentia consensus, quia consensus existeret, vel si daretur carentia eiusdem esset quidem libera, & non necessaria, vnde etiam per se fluit evidentissimè dependentiam, quam haberet defectus ille necessarius consensus à divina determinatione, & electione: ergo quomodocumque accipiatur carentia contingens consensus; & semper posset Deus illam impedire, & in existendo contingenter penderet à divino decreto.

117 Si adhùc vrgeant: per hanc solutionem non vitari inconveniens obiectum, cùm tantùm ostendatur per eam Deo esse liberam coexistentiam alicuius contingentis absoluti *quoad modum*; secus *quoad substantiam*. Ratio est: quia solutio data tantum proponit Deo esse liberam, posita illa veritate conditionali, *si existat auxilium A, non existet consensus*, carentiam consensus in esse *liberæ*, aut carentiam consensus in esse *necessariæ*; non verò carentiam consensus absolutè, & provt fundat modos illos necessitatis, & libertatis. Etenim Deus, suppositа illa veritate conditionali, est antecedenter necessitatus, vt coexistat *carentiæ consensus*; nam cum non possit præscindere ab existentia, & non existentia auxilij, & sub vtroque casu danda sit carentia consensus, sicut non potest præscindere ab existentia vtriusque, sic non poterit præscindere ab existentia defectus, qui sub quolibet existet: at non modo carentia consensus, provt necessaria, aut provt libera, est contingens, verùm sumpta *quoad substantiam*, & provt est carentia consensus: ergo semper ex nostra sententia deducitur esse Deum necessitatum ex suppositione sibi non libera ad coexistendum alicui contingenti absoluto. Confirmatur: id quod infertur ex duplici necessitate simpliciter antecedenti necessarium simpliciter antecedenter est: sed Deum coexistere carentiæ consensus sub auxilio simpliciter infertur ex duplici necessitate antecedenti simpliciter, scilicet ex necessitate simpliciter antecedenti, vt vel existat, vel non existat auxilium; vel ex necessitate simpliciter antecedente illius veritatis conditionalis, *si existat auxilium A, non existet consensus* inferentibus necessariò, quòd sivè existat auxilium, sivè non existat, non existet consensus: ergo non existere consensum, ac proinde coexistere eius defectui est Deo antecedenter necessarium.

118 Quoad hoc non potest præscindi à particularibus sententijs, & pro earum diversitate respondendum: nam, si non sint possibiles actus essentialiter liberi; sed omnis, qui liber existat à voluntate, possit ab eadem procedere necessariò, facilè vitatur necessitas illa antecedens Dei ad carentiam consensus sumptam suo modo *quoad substantiam*, cum facilè sit ostendere medium ponendum ex sola libertate Dei, quo dato, neque esset carentia consensus libera, neque carentia cõsensus necessaria; scilicèt *consensus prædeterminatus à Deo* & elicitus à voluntate necessario, qui cũ per sui existentiam excluderet defectum sui contingentem, neque illum permitteret liberum voluntati; nec necessarium; vbi enim carentia non est, neque est carentia libera, neque necessaria; ac per consequens Deus non esset antecedenter simpliciter determinatus, vt coexisteret carentiæ consensus determinate acceptæ ex suppositione veritatis illius conditionalis, *si existat auxilium A, non existet consensus*: vnde constat, quid dicendum ad confirmationem, in qua falsum est consequens esse legitimè illatum ex duabus illis necessitatibus antecedentibus Dei; *coexistentiam ad defectum consensus absolutè sumptum*, cùm restet aliud extremum incomponibile cum carentia consensus, & benè compositum cum illo antecedenti, scilicèt *consensus neces-*

sa-

ſario elicitus à voluntate creata, & liberè determinatus à Deo, vt excluſivum ſui defectus.

119 Si verò procedamus in oppoſita ſententia dicente; aut omnes actus liberos eſſe eſſentialiter liberos, aut ſaltem eſſe poſsibiles actus eſſentialiter liberos, & loquamur de conſenſu eſſentialiter libere ponendo ſub auxilio, ſi auxilium, & libertas *A.* exiſteret, tunc adhùc reſtat effugium, vt Deus non ſit antecedenter neceſsitatus ad carentiam conſenſus ſumptam *quoad ſubſtantiam*, & non præcisè *quoad modum*, videlicèt per ſuppoſitionem alicuius probabilis ſententiæ, quæ aſſerit actus intentionales voluntatis, & intellectus non conſiſtere in actione earum potentiarum, neque in qualitate exigente eſſentialiter actionem ipſarum, aut vnionem ad illas; ſed in qualitate potente provenire ab alio agente, & potente perſiſtere in rebus, ſine vnione ad potentiam; ex qua ſuppoſitione poteſt dici, Deum non eſſe antecedenter neceſsitatum ad carentiam conſenſus, data illa veritate conditionali de conſenſu ſub exiſtentia auxilij; ſiquidem adhùc poſſet ponere conſenſum in rebus ſine actione potentiæ, aut vnione ad illam; quo caſu, non eſſet in rebus carentia abſoluta conſenſus; cum eſſet conſenſus; ac per conſequens, neque carentia libera, neque neceſſaria illius; ideoque Deus non maneret neceſsitatus ad carentiam contingentem conſenſus abſolutè ſumptam. Nec obſtaret in contrarium ſuppoſitio actus eſſentialiter liberi; nam pro tali ſuppoſitione ſufficit quòd actus debeat eſſe liber, dum à voluntate procedit, aut dum ipſi vnitur, in quo præſtat ſuum effectum formalem; non ſic quando nec procedit ab ipſa, nec ei communicatur, vt accideret, quando Deus ſe ſolo produceret conſenſum, eumque in rebus extra voluntatem collocaret.

120 Cæterùm, ſi ab his ſententijs abſtrahatur. Aliter reſpondendum eſt, concedendo ſequelam, quæ nullum abſurdum continet, quando futurum contingens eſt purè negativum, vt eſt in caſu præſenti; ſicut non eſt abſurdum, Deum inconnexum cum impoſsibilitate impoſsibilium eſſe aliunde, & ab extrinſeco neceſsitatum ad coexiſtendum carentiæ impoſsibilium contingentium ex parte Dei, & reſpectivè, quin poſsit eſſe diſparitas neceſsitas abſoluta carentiæ impoſsibilis, & neceſsitas tantum ex ſuppoſitione carentiæ conſenſus: quia inde potius inferrem ego maiorem difficultatem erga carentiam impoſsibilis; quàm erga carentiam conſenſus, cum Deus ſit magis determinatus extrinſecè ad carentiam impoſsibilis, quæ nunquam poteſt deficere; quàm ad carentiam conſenſus Deo extrinſecè neceſſaria ex ſuppoſitione contingente, & quæ Deo poteſt deficere. Ratio diſparitatis inter poſitivum, & negativum eſt: quia Deus ob ſuam independentiam eſt ita ſibi ſufficientiſsimus, vt ad nihil extra ſe, quod verè tale ſit, poſsit pati neceſsitatem, ita vt poſsit verificari ex parte Dei: *Ego ſum, & nihil eſt extra me*. Negativum autem cum verè aliquid non ſit, nec derogat independentiæ, nec falſificat illam propoſitionem; propterea que benè cum eius perfectione componitur; non aliter ac cum eadem bene cohæret, Deum eſſe antecedenter neceſsitatum, vt caſu quo ab omni poſitivo velit ſe impedire, nihil decernendo, debeat coexiſtere infinitis contingentibus defectibus eorum omnium, quæ potuit producere, & tunc non produceret. Et in ſententia communiſsima negante Deo poteſtatem producendi creaturam æternam à parte ante, bene etiam componitur neceſsitas antecedens Dei ad coexiſtendum ab æterno carentiæ omnium creaturarum. Et demùm in omni ſententia, Deus eſt determinatus antecedenter ad coexiſtendum multis contingentibus, cum non detur medium inter contingentia poſitiva, & excluſiva eorum.

121 Nec obſtat, ſi argumento principali reſponderimus per illam diſtinctionem: *Deus eſſet neceſsitatus antecedenter ad coexiſtendum alicui contingenti* (*purè conditionato*) concedo: alicui contingenti *abſoluto*, nego: quia vt hoc extremum diſtinctionis negetur, ſufficit, quòd reſpectu contingentis abſoluti, & in tota ſua latitudine, provt comprehendit poſitivum, & negativum, non poſsit pati neceſsitatem, vt ei coexiſtat. Vnde pro libito poteris, vel abſolutè negare, vt negavimus, vel ſubdiſtinguere per terminos *poſitivi* negati, & *negativi* conceſsi. Vtque diſſonantiam omnium depellas, ſemper conceptus, & eſſentia libertatis creatæ tibi in promptu ſit, quæ aliud non patitur; cumque Deus non ſit conceptuum eſſentialium immutator, mi-

implicat esse contra dominium, & perfectionem divinam, id sine quo essentia posibilis, & necessariò fatenda, esset imposibilis.

122 Verùm non quiescis, & adhuc infers: ergo aliquod contingens absolutum negativum determinatè acceptum quoad subsantiam non pendet ab exercitio libero Dei: patet, tùm quia per nos carentia consensus sumpta quoad subsantiam est antecedenter necessaria Deo; & sic implicat erga ipsam terminari aliquod exercitium liberum divinum; alias non esset Deo antecedenter necessaria; siquidem id, quod dependet ab exercitio libero alicuius, non est ei antecedenter necessarium; tum etiam quia si carentia consensus quoad subsantiam dependeret ab exercitio libero Dei, impedito tali exercitio impediretur carentia consensus quoad subsantiam; ac per consequens Deus potens impedire libere illud exercitium, posset liberè impedire carentiam consensus quoad subsantiam.

123 Respondeo: quòd sicut non reputatur inconveniens, *rationem contingentis existentis absolutè* esse quoad subsantiam independentem à decreto, & libero exercitio Dei, & quidem ex suppositione non modo inevitabili per Deum; verùm absolutè inevitabili, vt est necessitas de eo, quod vnum ex contradictorijs contingentibus detur, vlteriusque sensu significante nullum esse decretum, aut exercitium liberum divinum, quo deficiente, deficiat ratio omnis contingentis; cùm semper aliquod debeat existere; non sensu significante, dari aliquod contingens in rebus independens à decreto, & exercitio libero Dei; sic non debet reputari inconveniens ex iure libertatis creatæ pro suppositione non absolutè necessaria; sed contingente illius veritatis conditionalis *si existat auxilium A, non existet consensus*, rationem carentiæ consensus esse quoad subsantiam independentem à decreto, & libero exercitio Dei sensu significante nullum esse decretum, aut exercitium liberum Dei, quo deficiente, deficiat *ratio defectus consensus*; cùm semper ex tali suppositione aliquando debeat existere, nempè, aut liberè, aut necessario; non sensu significante dari aliquomodo carentiam, scilicèt, aut libere, aut necessario, quin intercedat aliquod decretum, aut exercitium liberum Dei, ita taliter, vt si vnum exercitium liberum Dei non existeret, alterum daretur; pariter ac in exemplo appositio contingentium, in quibus, si deficeret *ratio contingentis*, sub vno decreto, aut libero exercitio Dei, existeret *ratio contingentis* sub alio decreto, aut libero exercitio Dei: vnde etiam cognosces, non esse idem intervenire decreta libera Dei in aliqua ratione, & esse talem rationem impedibilem ad nutum Dei per impeditionem decreti sibi liberi, quod provenit ex necessitate subsituendi alterum exercitium liberum sub eadem ratione. Hoc argumentum leviter attigerunt alij; an vero nostra difusio fuerit supervacanea, iudicet, qui rem maturè consideraverit.

124 Objciunt decimò. Per nos veritas conditionalis de futuro nobis libero antecedit omne decretum: ergo est verum independenter à decreto, voluntatem creatam sic, vel aliter operaturam, si ponatur aliqua conditio, ac proinde voluntas creata intelligetur operans independenter à divino decreto; quod est constituere ipsam primam causam, cum sit secunda, & primam causam constituere secundam; cum sit prima.

125 In paucis multum deviat argumentum à veritate, & intelligentia nostræ doctrinæ. Deviat primò: quia confundit antecedere decretum, quod sit *subiectivè absolutè* cùm omni antecedentia ad decretum; quod falsum est; siquidem veritas illa conditionata non antecedit decretum *subiectivè conditionatè sumptum*; sed potius illud involvit ex parte hypotesis, & ex parte conditionati: verum namque est, quòd *si existat libertas A*, v.g. *existet consensus, & decretum Dei ad illud requisitum*. Deviat secundò: quia supponit, idem esse antecedere veritatem ad decretum, & esse independentem ab illo, quod falsissimum etiam ostenditur non minus in sua sententia; quàm in sententia aliorum; in sua sententia, quia decretum prædeterminativum antecedit nostrum consensum, & non est independens à nostro consensu; in sententia omnium, quia libertas antecedit omne exercitium liberum sui, & tamen non est independens ab omni exercitio libero suo; cùm non posit suspensivè se habere: necnon Pater æternus pro signo priori ad Filium habet cognitionem Filij, quin propterea

cog-

cognitio Filij ſit independens ab exiſtentia Filij. Vnde ad formam argumenti, diſtinguo antecedens: veritas conditionalis de futuro nobis libero antecedit omne decretum ſumptum *ſubiectivè abſolutè*, concedo antecedens: ſumptum *ſubiectivè conditionatè*, nego antecedens; intellige tamen decretum, quod non ſit prædeterminativum; ſed indifferens, quale in noſtra ſententia eſt decretum applicativum Omnipotentiæ: Et diſtinguo primam illationem, & eſt verum independenter à decreto *ſubiectivè abſoluto*, concedo conſequens, & nego conſequentiam, propter malam ſuppoſitionem ponderatam; independenter à decreto *ſubiectivè conditionato*, nego conſequens, & conſequentiam. Secunda illatio, vel neganda eſt abſolutè, vel ſub eiſdem terminis, & modo diſtinguenda, & concedenda, aut neganda.

126 Dictis addenda eſt tertia illatio: ſcilicèt veritates obiectivas de futuro conditionato non conſiſtere pro formali in aliquo de præſenti pertinente ad divinum intellectum; ſed quia in eius comprobatione, ſicut in ſolutione contrariarum rationum nihil ſpeciale ſe offert, quod non ſit ſuficienter expoſitum ſupra diſp. 14. aut quod ex ibi dictis facilè colligi nequeat, ea tantum animadverſa, & levi calamo propoſita ad alterius dubij reſolutionem procedimus.

CAPVT IV.

An propoſitæ illationes exceptionem aliquam admittant?

127 DVBIVM præſens excitat ſingularis ſententia Doctiſsimi P. Molina, qui cum in reijciendis decretis *ſubiectivè abſolutis, & obiectivè conditionatis* pertinentibus ad libertatem creatam noſtræ Scholæ dederit initium; aliter tamen iudicavit de futuris conditionatis pertinentibus ad libertatem divinam, ſeu de conditionato Deo libero: de his enim prima parte quæſt. 14. artic. 13. diſput. 17. & 18. & in concordia novioris editionis Antuerpienſis quæſt. 14. artic. 13. diſput. 52. docet, non poſſe intelligi in ratione talium antecedenter ad omnem determinationem liberam Dei actù, & abſolutè exiſtentem, quæ ſit formalis ratio futuritionis ipſorum. Vnde conſtat præmiſſas noſtras illationes non vniverſaliter, & quoad omnia futura conditionata contingentia ſuſcipere; ſed cum reſtrictione ad ſola futura contingentia conditionata nobis libera, vbi ex decreto *ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato* libertas noſtra deficeret; & futurum à ſuo ipſo conſtitutivo deſtrueretur; aliter ſentiendo de divinis actibus, pro quibus ratio libertatis vrgere nequit, ex eo quod decretum illud *ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum* ab eadem voluntate liberè deſcenderet, à qua ſi poneretur conditio, exiſteret exercitium, quod à tali decreto eventurum ſub tali hypotheſi conſtitueretur. Idem ſentiunt Cardinalis Sforcia, & Sparza, quos citat, & ſequitur Haunoldus lib. 1. tract. 1. cap. 3. controverſia 4. à num. 318. apud Arandam etiam ſequentem lib. 4. de Deo, diſp. 20. ſect. 4.

128 Huic ſententiæ cenſet ſe adiungere Quirós tenens ſingulariter tom. 1. de Deo diſput. 52. ſect. 6. & latius diſput. 75. ſect. 2. nullam Deo deficere volitionem, quæ in aliqua hypotheſi extitura foret, ſivè talis hypotheſis ſit ex his, quæ purificantur, ſivè ex illis, quæ nunquam exiſtent. Vnde aſſerit cuncta, quæ Deus decernit decernere per decreta actualia *ſubiectivè abſoluta, & obiectivè conditionata*, quæ, purificata conditione, ſub qua decernunt, tranſeunt in abſoluta, non modò effectivè; verùm affectivè: quomodo benè componitur, nihil Deum abſolutè facere, quod non fiat per decretum abſolutum, ratione purificationis conditionis, tametſi in *ſuo primo concipi* decreta omnia divina ſint *obiectivè conditionata*. Inde conſtat apud hunc Authorem, nullam eſſe veritatem conditionalem; ſaltem ex his, quæ ad divinam libertatem ſpectant, quæ non fundetur in aliquo decreto *ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato*; qua ratione per conſequens deductis illationibus quoad conſtitutionem futuri conditionati exceptionem parat.

129 Communis noſtrorum ſententia exceptionem iſtam reijcit, & futura omnia contingentia conditionata, tàm quæ noſtræ libertatis ſunt; quàm divinæ, conſtituit independenter formaliter ab omni decreto *actualiter exiſtenti*,

&

& obiectivè conditionato. Ita Eximius Doctor Suarez, lib. 2. de Scientia contingentium cap. 8. & Prolegomeno 2. de gratia cap. 4. & 8. Vazquez 1. part. disput. 67. num. 23. Fonseca lib. 6. metaphysicorum cap. 2. quæst. 4. Arrubal, disputat. 46. cap. 9. Ruiz, disput. 77. de Scientia, Fasolus 1. part. quæst. 14. artic. 13. Vekenus disput. 19. de Deo cap. 8. Carleton disput. 24. de Deo sect. 9. Ribadeneyra disput. 23. de Scientia cap. 1. Izquierdo disput. 28. de Scientia, quæst. 9. propositione 2. Herrera quæst. 16. de Scientia sect. 3. cum quibus reliqui Recentiores.

130 Resolutio sit pro communi sententia, quàm iudico necessariam ad non incurrendam inconsequentiæ notam inter conditionales de futuro contingenti pertinente ad libertatem creatam, & conditionales de futuro contingenti pertinente à divinam libertatem, si pro his requireretur formaliter, & constitutivè aliquid absolutè, & de præsenti existens, secus pro illis; ideò dicendum, illationem positam esse generaliter, & absque vlla exceptione intelligendam, taliter vt veritates conditionales de futuro contingenti spectanti ad divinam libertatem, sivè sint de hypothesi Deo libera, vt *si Deus decreviſſet alium mundum, etiam carnem aſſumeret, aut talem, vel talem hominem primò produceret*; sivè de conditione pertinente ad libertatem creatam, vt *si Abel non interficeretur à Caino, Deus tales, vel tales posteros eiusdem prædestinaſſet*; sivè de hypothesi impertinente, vt *si Deus prædestinaſſet Iulium Cæſarem, prædestinaſſet etiam Iudam*; & similiter quæ ad normam istarum excogitari possunt; sivè de conditione, quæ in re purificetur, vt *si mundum creaverit Deus, permitteret peccatum primi hominis*, sint independentes formaliter, & constitutivè ab omni de præsenti absoluto, & connexo cum eventu conditionato, vt sint obiectivè tales.

131 Assertio probatur primò, ex defectu tituli, vt vnæ, & alteræ veritates conditionales de futuro contingenti dispari modo se habeant: etenim, quæ sint de conditionato Deo libero, & includente divinam volitionem, quà Deus esset voliturus, si darentur hæ, vel illæ conditiones, non exigunt aliquid de præsenti connexum cum tali eventu ratione futuritionis conditionatæ; aliàs omne futurum conditionatum id exigeret; cùm nequeat deficere in vllo futuro conditionato id, quod est de conceptu futuri conditionati: sed futurum conditionatum liberum voluntati creatæ id non exigit, vt fatentur Adversarij, cum quibus modò contendimus: ergo futurum conditionatum Deo liberum, & includens divinam volitionem non exigit aliquid de præsenti connexum cum eventu futuro titulo generali futuri conditionati: nec titulo speciali, quia non ex eo quod sit divinum, vtpotè quod, vt tale intelligatur, non amplius exigit, nisi quod esset aliquid divinum, si purificaretur conditio; non quod sit aliquid divinum modò, quando hypothesis non purificatur: nec quia sit Deo liberum; tum quia, si vt aliquid sit liberum conditionatè creaturæ, non est opus aliquod præsens exercitium, aut liberum ipsi creaturæ, aut liberum alteri voluntati, cui in operando subijcitur, vt est voluntas divina; multò minus erit necessarium respectu voluntatis supremæ, & independentis, qualis est voluntas Dei; tum etiam, quia ex terminis ipsis: *esse Deum decreturum si poneretur aliqua conditio*, non est, *Deum decernere absolutè, & independenter à conditione.* Nec denique ratione immutabilitatis: nam semel, quod benè componatur cum divina immutabilitate contingentia suorum actuum, insuperque existentia conditionata decreti in ratione absoluti, minimè probatur necessarium ad eandem immutabilitatem salvandam dari aliquid aliud contingens absolutè existens, vltra ipsa prædicata necessaria Dei, in quibus realiter existit absolutè id ipsum, quod si daretur talis aut talis conditio existeret respectivè iuxta dicta supra disput. 4. cap. 1.

132 Confirmatur. Non minus requiritur ad exercitium liberum voluntatis creatæ electio, & determinatio ab eadem voluntate proveniens; quàm ad exercitium liberum voluntatis divinæ electio, & determinatio eiusdem voluntatis: sed ad exercitium liberum voluntatis creatæ, quod foret si hæc, vel illa conditio purificaretur, nulla requiritur electio, aut determinatio *præsens, & subiectivè absoluta*, quæ sit eiusdem voluntatis: ergo neque ad exercitium liberum Dei, quod esset, hac, vel illa hypothesi suppositâ, nulla requiritur determinatio, aut electio *præsens, & subiectivè absoluta*, quæ à

divina voluntate proveniat. Diſcurſus eſt legitimus, & minor ab adverſarijs tradita. Maior autem conſtat. Nam in his, quæ ex conceptibus, & eſſentijs rerum neceſſaria, aut non neceſſaria probantur non eſt magis, & minus; cum indiviſibiliter ſe habeant: etenim conceptus exercitij liberi, tàm propriè convenit voluntati creatæ; quàm divinæ.

133 Iterùm confirmatur: nam ex terminis diſſonum apparet, plus conatus, & electionis debere impendere divinam voluntatem, vt ſub aliqua conſideratione intelligatur liberè volens, & decernens; quàm voluntas creata, vt ſub eadem conſideratione intelligatur liberè volens, aut decernens: at ſi vt voluntas divina intelligeretur conditionatè liberè decernens, eſſet neceſſaria determinatio abſoluta, & præſens, quæ pro voluntate creata pariter conditionatè liberè decernente, nullo modo eſt requiſita; plus conatus impenderet divina voluntas ad eundem ſtatum liberè operandi; quàm voluntas creata; cum vltra conatum in obiectum conditionatè intellectum; conatus alius præſens, & in idem tendens, eſſet requiſitus: ergo nè id aſſeratur dicendum venit vniformiter quoad hoc procedere voluntatem creatam, & divinam taliter, vt ſi ad exercitium liberum quod foret illius nulla determinatio præſens, & abſoluta expoſcitur; neque ad exercitium liberum, quod foret huius aliqua determinatio præſens ſit neceſſaria.

134 Neque redarguant immediatè ex æternitate divinarum determinationum abſolutè exiſtentium, & ex neceſsitate divinæ voluntatis in exiſtendo, vt verificetur de ipſa quodvis immediatè liberè futurum, quæ non requiruntur pro determinationibus liberis, tum abſolutis, tum conditionatis libertatis creatæ; quin ille exceſſus minuat; imò maxime commendet divinam excellentiam, & iſta diminutio non augeat; imò intra terminos *limitatæ*, & *finitæ* contineat voluntatem creatam: quia hęc conveniunt Deo titulo generali ſuorum attributorum, & ex terminis ipſis perfectionem Dei extollunt, cum perfectio clara ſit, eſſe neceſſariſsimum in exiſtendo, vt creaturæ convenire non poteſt; at neceſsitas illa multiplicandi divinas determinationes in id, quod non eſt; ſed eſſet, ex quo attributo probatur debita, aut ex quo attributo ad evehendam divinam perfectionem conducens oſtenditur? non aliter, ac ſi dicerent voluntati creatæ pro ſuis determinationibus efficacibus, & abſolutis ſufficere vnam volitionem directam; at Deo propter ſuam perfectionem eſſe neceſſariam multiplicem, quod ridiculum iudicaretur, & fine fundamento ex divina perfectione; imò cum dedecore illius ad libitum excogitatum.

135 Vrgetur: quia eadem inconvenientia, quæ dantur ex obiecto decreti *ſubiectivè abſoluti*, & *obiectivè conditionati* erga futura conditionata nobis libera; vnde probavimus, tale futurum conditionatum aliunde oſtendi conſtitutum; non minus vrgent in determinatione divina *ſubiectivè abſoluta*, & *obiectivè conditionata*, quoad futurum conditionatum liberum Dei, vt conſtat, quia decretum iſtud *ſubiectivè abſolutum*, & *obiectivè conditionatum* tendens in volitionem, quæ foret ſub aliqua hypotheſi, tendit in aliquod, quod non eſt ipſum: id autem in quod tendit, ſi benè inſpiciatur, invenietur formaliter eſſe ipſum futurum conditionatum non tantum, vt *quod*; verum, vt *quo*; ideoque redditur omninò inutile ad *eſſe* futuri conditionati, ſeu ad volitionem, quæ foret, ſi poneretur conditio: videantur dicta ſupra de conſtitutione futuri conditionati pertinentis ad noſtram libertatem independenter à decreto *ſubiectivè abſoluto*, & *obiectivè conditionato*; nec non quæ diximus de conſtitutione futuri abſoluti pertinentis ad noſtram libertatem independenter à decreto *ſubiectivè*, & *obiectivè abſoluto*.

136 Probatur ſecundò. Ea ipſa, quæ Deus abſolutè decernit ſub circunſtantijs determinatis, & determinata hypotheſi, habent ſignum veritatis conditionalis ſub talibus circunſtantijs, & hypotheſi: ſed huic veritati conditionali non reſpondet decretum *ſubiectivè abſolutum*, & *obiectivè conditionatum*: ergo veritas conditionalis de conditionato Deo libero non indiget decreto *ſubiectivè abſoluto*, & *obiectivè conditionato*. Conſequentia eſt legitima: quia ſi veritas aliqua conditionalis de conditionato Deo libero non indiget decreto *ſubiecti-*

iectivè absoluto, & obiectivè conditionato titulo talis nullus est titulus, vt aliæ veritates conditionales de simili conditionato eo decreto indigeant: maior etiam apparet certa, tum ex paritate veritatum conditionalium pertinentium ad libertatem creatam, quæ retinent suum signum, in quo intelliguntur secundum *suum esse* conditionatum, quamvis in alio signo purificetur conditio, & conditionatum transeat in absolutum: tum quia ea ipsa, quæ existunt absolutè, retinent suum signum, in quo intelliguntur tantum, vt possibilia: tum quia veritas conditionalis prior est in *subsistendi consequentia* veritate absoluta; propterea quod ab hac benè valeat ad veritatem conditionalem; secus à veritate conditionali ad absolutam; tum ex repetito inconvenienti, quod aliter veritas conditionalis constitueretur per impotentiam coexistendi conditionato sub existentia conditionis; vnde destrueretur conditionalis in esse talis.

137 Quarè sola minor videtur indigere probatione, quam iam exhibeo. Nam si veritati conditionali de hypothesi purificanda, cuius conditionatum esset decretum Dei, corresponderet ex necessitate decretum *subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum*, nihil posset decernere absolutè; quin prius decerneret conditionatè: vnde tot essent multiplicanda decreta *obiectivè conditionata*; quot sunt decreta *subiectivè absoluta*; imò ipsa decreta *subiectivè absoluta, & obiectivè conditionata* essent decernenda per alia decreta *subiectivè absoluta, & obiectivè conditionata*, vt sic vera essent conditionata secundum veritatem conditionalem sibi correspondentem, & quidem in infinitum, nè deveniatur ad aliquod absolutum in suo esse, quod habeat veritatem conditionalem sine decreto *subiectivè absoluto, & obiectivè conditionato* versante reflexè erga se: inde rursus pro vno decreto *obiectivè absoluto* circa vnam entitatem ex existentibus essent addenda infinita decreta *subiectivè absoluta, & obiectivè conditionata* ob infinitas veritates reflexas ipsi correspondentes: Vlterius nullus posset existere actus divinus, qui non esset infinities imperatus reflexè; quod si teneas, vt multi tenent, actum imperantem adimere immediatam libertatem actui imperato; per cõsequens nullus erit actus in Deo gaudens libertate immediata, ex quo mirabilius deducendum, esse libertatem mediatam in Deo, quæ in nullam libertatem immediatam valeat radicari. Quæ vt non asserantur necessariò convenientia Deo, fatendum plane videtur veritates conditionales de conditionato Deo libero, quarum conditiones purificantur, non indigere decreto vllo *subiectivè absoluto, & obiectivè conditionato*, in quo fundentur.

138 Vrgetur contra illos, qui teneant possibilem esse Deo puram omissionem liberam, ex qua suppositione, ea quæ Deus esset conditionatè purè omissurus, haberent veritatem conditionalem independenter ab exercitio *subiectivè absoluto, & obiectivè conditionato*: patet, quia aliter immutaretur veritas conditionalis adeo, vt verias conditionalis de pura omissione, purificata conditione, transiret in veritatem absolutam de non pura omissione propter subiectivum absolutum præsens, & obiectivè conditionatum, quod cum purificatione conditionis, & existentia conditionati puræ omissionis sub tali hypothesi deberet coexistere. Iam si aliqua veritas conditionalis de futuro pertinente ad libertatem divinam benè concipiatur independenter ab aliquo exercitio libero absoluto, & de præsenti existenti, cur non reliquæ? Cùm eadem sit difficultas, & quidquid in contrarium occurrerit, tàm pro sententia Molinæ; quàm Thomistarum sit vincendum in prædicta conditionali veritate.

139 Vrgetur contra omnes; siquidem veritas conditionalis necessaria de conditionato; imò, & conditione liberis Deo, vt est hæc veritas, *si existeret decretum de altero mundo, existeret alter mundus*, aut hæc; *si existeret decretum de altero mundo, non existeret decretum oppositum cum existentia alterius mundi* non indiget exercitio altero distincto ab exercitio, quod se tenet ex parte conditionati, & ex parte conditionis: ergo neque veritas conditionalis contingens de conditionato libero Deo exigit aliud exercitium vltra illa, quæ se tenent ex parte conditionati, & conditionis. Antecedens est certum: quia circa veritatem

illam conditionalem neceſſariam nullum aliud exercitium divinæ voluntatis poteſt intelligi vltra illud quod ſe tenet ex parte conditionati, & hypotheſis; alias Deus fatuè, & inutiliter decerneret conditionatè id, quod eſt conditionatè neceſſarium. Probatur conſequentia: quia ſicut neceſsitati conditionalis ſatisfacit neceſsitas conditionati, & conditionis; ſic contingentiæ conditionalis poterit ſatisfacere contingentia conditionati, & conditionis; cùm non ſit minus proportionata contingentia ad ſatisfaciendum contingentiæ; quàm neceſsitas ad ſatisfaciendum neceſsitati: ergo ſi pro veritate conditionali neceſſaria de conditionato pertinente ad libertatem divinam ſufficit illud *foret neceſſariò, ſi exiſteret conditio*; pro verjtate contingente conditionali de conditionato Deo libero ſufficiet illud *foret contingenter, ſi exiſteret conditio.*

140 Probatur tertiò. Nam ſi veritates conditionales de futuris volitionibus Dei, ſeu de conditionato Deo libero conſiſterent pro formali in decreto *ſubiectivè abſoluto*, & *obiectivè conditionato*, vel ſaltem illud requirerent, quando proponuntur in Sacris literis ſimiles veritates, non ſemper reticeretur voluntas præſens vnicè expreſſa voluntate, quæ foret: ſed dum exprimuntur in Sacris literis, id contingit: ergo quia prædictæ veritates conditionales, nec conſtituuntur pro formali per talem veritatem præſentem, neque ipſam requirunt: diſcurſus rectus eſt, & maior videtur certa ex eo, quod incredibile appareat proponere prædictas veritates, vt relatas in divinam voluntatem liberam, & non proponere voluntatem illam liberam, à qua vel formaliter tales ſunt, vel quam maximè requirunt. Probatur minor, adhibitis locis ex illo Pſalmo 80. *Si Populus meus audiviſſet me, pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem*, vbi ly *forſitan* non ſignificat vllam Dei ambiguitatem, aut dubitationem; verùm liberam Dei benignitatem, per quam ille eventus contingeret, vt in eum locum exponunt Sanctus Baſilius, & Sanctus Auguſtinus; & præterea ex illo 1. Regum cap. 13. cùm abſente Samuele, Saul ſacrificium obtuliſſet contra Dei mandatum; quare veniens Samuel ei dixit: *Stulte egiſti, nec cuſtodiſti mandata Dei tui; quod ſi non feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus Regnum tuum in ſempiternum.* In quibus duntaxat proponuntur voluntates illas correſpondentes vocibus *humiliaſſem*, & *præparaſſet*; quin vlla ſit propoſitio voluntatis liberæ præſentis in talem eventum, quæ ſi daretur, non eſſet prætermittenda, quando ei principaliſsimè tribueretur eventus, dixiſſetque potius, & *inimicos humiliatos*, & *Regnum præparatum* propter voluntatem in tales effectus tendentem; quamvis non abſolutè obiectivè, verùm dependenter à conditione.

141 Confirmatur ex regula intelligendi Sacrum textum; qui dum aliunde non conſtet impropriè, aut latè eſſe intelligendum, ſemper preſsè, ac rigide intelligi debet: at in toto rigore ſermonis *humiliaſſem*, & *præparaſſet* ſignificant determinationem divinæ voluntatis, non modò *obiectivè*; ſed inſuper *ſubiectivè conditionatam*, & quæ foret, ſi exiſteret hypotheſis, cùm modo non ſit ob conditionis defectum: ergo ex Scriptura conſtant veritates conditionales Deo liberæ independentes omninò à volitione, & exercitio libero, quæ abſolutè, & de præſenti ſint. Iterùm confirmari poteſt: nam in phraſi Scripturæ ea, quæ Deus decrevit *ſubiectivè abſolutè*, & *obiectivè conditionatè*, aut formaliter, aut virtualiter dependenter à conditione alteri liberè exequenda explicantur quaſi abſolutè eventura ex parte Dei, vt conſtat ex voluntate illa generali expreſſa 1 ad Timotheum cap. 2. *Omnes homines vult ſalvos fieri*, & *ad agnitionem veritatis venire.* Et ex commination facta Ninivitis Ionæ cap. 3. *Adhùc quadraginta dies*, & *Nineve ſubvertetur*: ergo à contrariò; quæ explicantur, vt tantùm conditionatè eventura ex libera determinatione conditionati ſub conditione alteri libera non ſunt intelligenda, vt iam conditionate decreta per decretum quod iam ſit; ſed vt conditionatè decernenda, caſu quo hypotheſis purificaretur.

142 Ex dictis venit reijciendus Quirós ſupra citatus, ſingularis quidem in modo ſe explicandi, qui ſi dum aſſerit nullam Deo abeſſe volitionem, quam in aliqua hypotheſi habiturus foret, nihil aliud intendat, niſi quod cuique volitioni divinæ ſe habenti, vt conditionato veritatis conditionalis Deo liberæ

ſem.

semper correspondet decretum Dei *subiectivè absolutum*, & *obiectivè conditionatum* reflectens supra ipsam, quod non distinguitur realiter; imò si velit virtualiter à volitione, quam respicit, & sub hypothesi esset, non differt quoad substantiam à sententia Molinæ, & cuiuscumque alterius, qui vel generaliter dicat, omnem veritatem conditionalem de futuro fundari, aut requirere decretum *subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum*; ideoque conditionales veritates Deo liberas eandem conditionem sortiri, vel specialiter ob peculiaria motiva quæ solas volitiones divinas *subiectivè* comprehendant. Si dicat se idem asserere, tamen ex diverso motivo, scilicet titulo immutabilitatis divinæ voluntatis, qui alios non movet; id certè eius venia levissimum est, tum quia pro salvanda immutabilitate divinæ voluntatis sufficit quidquid probet, contingentiam divinorum actuum benè componi cum identitate rèali ipsorum ad *esse necessarium* Dei; nec magis iuvabit pro immutabilitate salvanda, volitionem illam, quæ sub hypothesi adesset, existere nunc in actu illo contingenti *subiectivè absoluto, & obiectivè conditionato*; quàm existere secundùm *esse necessarium* Dei; imò multò minus, cum illa existentia de præsenti sit contingens, & hæc sit necessaria.

143 Quod si propterea amplius aliquid adhuc contendat, vt à cæteris quoad substantiam, & modum discriminetur, hoc certè difficilimum est, nec satis percipitur quid sibi velit, dum inquit, *nullam Deo abesse volitionem, quam sub quavis hypothesi esset habiturus*: Nam si sensus sit volitionem illam sub omni modo, quo esset sub hypothesi, defacto existere, id falsissimum se ostendit; cùm volitio divina, quæ esset sub hypothesi, nunquam purificanda esset sub prædicta hypothesi absolutè quoad decernendum suum obiectum, & de præsenti sub tali modo decernendi non existat; sed tantùm sub modo decernendi obiectum conditionatè; aliàs non minus decerneret Deus absolutè, ea quæ nunquã erunt; ac ea, quæ aliquando existent: iam si benè percipiat abesse Deo aliquem modum decernendi, qui sub aliqua hypothesi in Deo existeret; quid subsidij ipsi remanebit ad tuendam cum rigore propositionem illam absolutam: *Nullam Deo abesse volitionem, quã aliquando esset habiturus?* Etenim quidquid difficultatis vrgeat pro absentia volitionis, quę sub hypothesi adesset, vrgebit pariter pro absentia modi volitionis, qui sub hypothesi adesset.

144 Vlterius quia vt benè advertit Izquierdo arguens ex suppositione, quam tenet iste Author disput. 67. scilicet; non esse possibilem Deo puram omissionem liberam, etiam volens nolens debet concedere abesse Deo aliquam volitionem, quam in aliquibus circunstantijs esset habiturus: ostenditur sic, quia ex tali suppositione repugnantiæ puræ omissionis Deo liberæ non repugnat insuper sub nullis circunstantijs indifferentibus non habiturum decreta opposita his, quæ de facto dantur: patet, quia sub quibusvis circunstantijs indifferentibus ad actus oppositos liberum est Deo habere, vel non habere actus oppositos: at tunc verificaretur, *quod si non haberet actus, quos defacto habet, haberet actus oppositos*; quia hæc veritas conditionalis est necessaria, in qua arguitur à defectu vnius contradictorij ad existentiam alterius, & eorum, quæ necessaria sint ad existentiam illius; nec tunc actus de præsenti, qui darentur aliquomodò de præsenti essent nunc existentes: quia non in volitione conditionata eorum sub tali hypothesi propter fatuitatem ipsius; decerneret enim id, quod necessarium est, videlicet *existere vnum contradictorium sub conditione defectus alterius; vel saltem necessaria ad existentiam illius, vt sunt actus oppositi*; neque in volitione conditionata suorum actuum sub hypothesi indifferenti, propter suppositionem factam, de eo quod *sub nullis circunstantijs indifferentibus esset Deus habiturus actus oppositos*: ergo necessariò debet concedere abesse Deo aliquem actum, quem sub alijs circunstantijs esset habiturus.

145 Si respondeat primò: se non loqui de volitione conditionata sub hypothesi necessariò inferente conditionatum; sed de conditionali sub hypothesi; inferam immediatè: ergo iam consideratis aliquibus circunstantijs, sub quibus potest esse volitio, aut decretum Dei; aliqua volitio divina, sivè aliquod decretum Dei existeret; quin defacto existat; quod si sub aliquibus circunstantijs id verificari potest, cur non sub omnibus? Cum id, quod ex suo conceptu dicit imperfectionem in Deo, vel tale

non ſit, vel ex omni capite in ipſo repugnet: ſi rurſus reſpondeat, aſſertionem procedere de ſola volitione conditionatè extitura, quam Deus cognoſcat per ſcientiam ſtrictè conditionalem, vt non videtur reperiri in illa veritate conditionali, *ſi non exiſterent actus divini, qui defacto exiſtunt, exiſterent oppoſiti*, cui vtpote de hypotheſi neceſſaria non correſpondet ſcientia ſtrictè conditionalis: Hoc falſum levi opera probari poteſt: quia dicta veritas eſt ſtrictè conditionalis, ac per conſequens ei ſcientia ſtrictè conditionalis debet correſpondere; patet aſſumptum; propterea quòd, quamvis hypotheſis illius ſit neceſſaria in inferendo; non tamen eſt neceſſaria in exiſtendo. Vnde habet præciſionem ſufficientem ad veritatem ſtrictè conditionalem iuxta dicta ſupra diſput. 16. quoad conſtitutionem veritatum conditionalium: male igitur extrahere conatur prædictam veritatem à ratione conditionalis, & ita parare effugium argumento.

146 Impugnatur deinde: quia aut repugnat, aliquam volitionem eſſe Deo poſsibilem; quin defacto in Deo exiſtat, aut non repugnat, aliquam volitionem eſſe Deo conditionatè futuram; quin defacto in Deo exiſtat: ſed per te non repugnat, aliquam volitionem eſſe Deo poſsibilem, quin defacto in ipſo exiſtat: ergo neque repugnat aliquam volitionem eſſe Deo conditionatè futuram; quin defacto in Deo exiſtat. Diſcurſus tenet, & minor apparet innegabilis: ſiquidem actus *ſubiectivè abſoluti, & obiectivè conditionati* oppoſiti actibus *ſubiectivè abſolutis, & obiectivè conditionatis*, qui defacto dantur in Deo pro veritatibus conditionalibus, quæ defacto verificantur, ſunt Deo poſsibiles, & tamen nullo modo exiſtunt; aliàs eo modo, quo exiſtunt defacto cum alijs exiſtentibus, & ſibi oppoſitis non componerentur. Probatur igitur maior, in qua ſola poteſt eſſe aliqua difficultas. Nam non minus, aut non plus diſſonat, aut non diſſonat cum perfectione *entis neceſſariſſimi* eſſe aliquid ſibi poſsibile, quod defacto nullo modo habeat, quàm eſſe aliquid ipſi conditionatè futurum, quod defacto nullo modo habeat: inſuperque tàm præſcindens eſt ab exiſtentia abſoluta futurum conditionatum divinum; quàm poſsibile divinum contingens, quin quoad hæc ſit aliqua diſconveniendi ratio: igitur, aut repugnat aliquam voluntatem eſſe Deo poſsibilem; quin defacto in eo exiſtat; aut non repugnat aliquam volitionem in Deo conditionatè futuram; quin defacto in ipſo detur, vt intendit hic Doctiſsimus Magiſter.

147 In contrarium obijciunt primò. Veritates conditionales de conditionato Deo libero eo modo debent conſtitui, quo magis congruant perfectioni divinæ voluntatis: ſed veritates conditionales de conditionato Deo libero, aut fundatæ in decreto *ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato*, aut illud prærequirentes, plus congruunt perfectioni divinæ voluntatis; quàm ſi per illud non conſtituantur, aut ſaltem illud non prærequirant: ergo dictæ veritates non aliter poſſunt intelligi; quàm dependenter à decreto *ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato*: cætera conſtant præter minorem, quæ ſic probatur. Plus congruit perfectioni divinæ voluntatis circa nullum obiectum ſe habere ſuſpenſivè de præſenti, & ſine aliquo exercitio, quod iam ſit erga ipſum; quàm ſe habere ſuſpenſivè circa plura, imò circa infinita, quaſi in expectatione ſui exercitij: ſed veritates conditionales de conditionato Deo libero, aut fundatæ in decreto *ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato*, aut illud prærequirentes, hanc ſuſpenſionem, & indifferentiam divinæ voluntatis auferunt, quam non auferrent, ſi modo, quo volumus, & cum independentia à nobis aſsignata conſtituerentur: ergo veritates conditionales de conditionato Deo libero, aut fundatæ in decreto *ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato*, aut illud prærequirentes, plus congruunt perfectioni divinæ voluntatis; quàm ſi per illud non conſtituantur, aut ſaltem illud non prærequirant.

148 Confirmatur: nam perfectionem divini intellectus maximè commendat non ſe habere ſuſpenſivè erga aliquod obiectum, cuiuſcumque conditionis ſit, ita vt non habeat de præſenti in ſe aliquod exercitium ſibi proprium, & de propria linea intelectiva erga ipſum: ergo ad perfectionem divinæ voluntatis attinebit etiam non ſe habere ſuſpenſivè erga obiectum, qualecumque ſit, vt eſt obiectum conditionatum, taliter, quod erga ipſum non

non habeat de præsenti in se aliquod exercitium sibi proprium, & de propria linea volitiva. Consequentia recta apparet ex paritate rationis; & antecedens constat, cùm nullum sit obiectum, in quocumque statu consideretur, sive possibilis, sive existentis absolutè, sive existentis conditionatè, sive non existentis, cui non correspondeat absolutè, & per totam æternitatem exercitium proprium intellectus divini, quale est scire obiectum eo modo, quo scibile, & cognoscibile est.

149 Argumentum quia multum probans, nihil probat. Probat primò decretum *subiectivè absolutum*, & *obiectivè conditionatum* necessarium non modò pro futuris conditionatis de conditionato spectante ad libertatem divinam; verùm pro futuris conditionatis de conditionato nobis libero, quod quàm male iuxta nos componatur, & cum nostra libertate, & conditione ipsa futuri, iam manet expensum in antecedētibus. Probat secundò, non tantùm pro actibus divinis, qui sub aliqua conditione existerent; sed insuper pro actibus divinis possibilibus esse necessarium aliquod exercitium *subiectivè absolutum* ex parte voluntatis, nè hæc in suspenso maneat respectivè ad ipsos in tali statu. Probat tertiò, Dei voluntatem, provt in signo libertatis consideratam, debere antevertere suum exercitium per aliquam determinationem, vt suspensa aliquomodo, aut expectans exercitium suum non consideretur. Probat quartò, non pro omnibus futuris conditionatis de conditionato libero Dei esse necessarium decretum *subiectivè absolutum*, & *obiectivè conditionatum*; sed duntaxat pro illis, qui sint de conditione non purificanda. Ratio est: quia illa, in quibus purificetur conditio, existunt etiam absolutè: vnde divina voluntas non manet suspensa, & sine exercitio quoad ipsa.

150 Respondeo: de ratione divinæ voluntatis, vt perfectissimæ, solùm esse non manere suspensam, & sine exercitio quoad obiectum contingens, eo modo, quo fuerit existentia talis obiecti, ita vt si obiectum intelligatur existens conditionatè, voluntas divina non intelligatur suspensa quoad ipsum conditionatè; si verò sit existens absolutè, non intelligatur suspensa absolutè; si denique sit existens possibiliter, non intelligatur suspensa possibiliter; aliam verò non suspensionem minimè esse necessariam, cùm pro effectu, aut quasi effectu, qui non sit, sed esset, nullum sit necessarium exercitium divinæ voluntatis, quod sit; sed, quod esset: & pro effectu, aut quasi effectu, qui tantùm sit possibiliter, duntaxat etiam requiratur exercitium divinæ voluntatis, non quod existat; sed quod possit existere: inde quamcumque expectationem exercitij, quæ intra terminos expositos claudatur, nullam dicit imperfectionem; sicut iuxtà omnes imperfectionem nullam includit, quod voluntas divina, vtpotens decernere aliquod obiectum, & non decernens præscindat ab actu, quò decerneret obiectum, aut potens libere se exercere, expectet suum exercitium, vt sit determinata ad vnum, & non maneat in statu suspensionis, quam pro signo libertatis dicit.

151 Ad confirmationem dicendum: Paritatem ab intellectu ad voluntatem esse debilissimam, cùm tot sint diversitatis notæ inter vnam, & alteram potentiam; etenim perfectio voluntatis est esse liberam, & non est perfectio intellectus esse liberum: perfectio intellectus est omnia cognoscere, & non est perfectio voluntatis omnia decernere, & sic de alijs pluribus, in quibus non tenet consequentia de intellectu ad voluntatem, & è contra, neque *generaliter*, neque *specificè* in divinis. Quoad præsens ergo concesso antecedenti, neganda est consequentia. Ratio disconvenientiæ est: quia obiectum, in quocumque statu consideretur, habet simpliciter veritatem obiectivam conformitatis, cui correspondet cognitio verissima, quamque si Deus semper, & de præsenti non haberet, esset perconsequens aliquando ignorans; at obiectum, in quocumque statu non habet existentiam simpliciter, & absolutam, cui solum correspondet ex debito decretum, quod sit absolutè, & de præsenti; ideòque in omnibus alijs statibus non existentiæ absolutæ, & simpliciter talis sufficit, quòd intelligatur divinum decretum, & exercitium divinæ voluntatis, vel possibiliter, vel conditionatè, provt fuerit existentia obiecti.

152 Obijciunt secundò, & insistunt: Contra perfectionem divini decreti est discerni à merè possibili, & non existere simpliciter: sed volitio conditionatè existens in Deo discernitur à merè possibi-

ſibili: ergo ſimpliciter debet exiſtere in Deo. Minor eſt certa: quia eſſe futurum conditionatè, aliquid addit ſupra meram poſsibilitatem; cùm plura ſint poſſibilia, aut abſolutè, aut ſub aliqua ratione; quin ſint futura, aut conditionatè, aut abſolutè, aut ſub aliqua ratione. Maior probatur: propterea quòd eſſe futurum conditionatum ſit habere aliquam inchoationem exiſtentiæ; vnde ſi non fundetur in aliquo exiſtenti abſolutè, ſiſtet in exiſtentia quadam diminuta, quod contra rationem actus divini eſt, qui propter ſuam perfectionem exigit, aut nullo modo exiſtere, aut perfectiſsimè exiſtere. Iam ſic: ſed volitio conditionatè exiſtens in Deo non aliter poteſt exiſtere abſolutè; quàm in decreto *ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato*, cùm non exiſtat abſolutè in ſe: ergo perfectio divinorum actuum exigit, quod ſi exiſtant conditionatè, exiſtant vi alicuius decreti *ſubiectivè abſoluti, & obiectivè conditionati*.

153 Etiam hæc obiectio, aut probat nullum eſſe in Deo futurum conditionatum contra id, quod ſupponit, aut non ſuadet tale futurum debere fundari in decreto ſubiective abſoluto, & obiective conditionato, aut ſaltem illud pro ſuo eſſe conditionato requirere. Ratio mihi clara eſt: quia cum illud decretum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum non ſit eſſe abſolutum volitionis conditionatè futuræ; aliàs futurum conditionatum nòn præſcinderet ab exiſtentia abſoluta; ſed duntaxat eſſe abſolutum ſui, ſemper illud quod intelligitur conditionatè futurum, formaliter quia tale, remanet ſine aliquo gradu exiſtentiæ, quem poteſt habere ſcilicèt ſine gradu exiſtentiæ abſolutæ, quod ſi ſit incomplete exiſtere repugnans perfectioni divinorum actuum, nō magis vitatur admiſſo decreto ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato; quàm eo ſecluſo: remanet ergo ipſis, & nobis communis difficultas, ſi quæ ſit, & par ſolutionis indigentia. Inſuper ſi pro vitanda incompletione in exiſtendo, & imperfectione inde ſequuta ſufficit Arguenti eſſe abſolutum decreti illius reflexi erga volitionem conditionatè extituram, cur potius non ſufficiet eo reiecto eſſe abſolutum neceſſariorum Dei, cum quibus volitio illa conditionata identificatur, & in quibus ob prædictam identitatem abſolutè exiſtit.

154 Reſpondetur illum acceſſum ad exiſtendum medium inter poſsibilitatem, & exiſtentiam abſolutam, quem habet actus divinus contingens, non eſſe contra perfectionem illius; ſed potius quid debitum perfectioni illius, vt contingentis; nam ſi contra ipſius perfectionem non eſt remanere in ſtatu puræ poſsibilitatis, cur erit contra perfectionem ipſius gradum aliquem facere à poſsibilitate ad exiſtentiam per cō-ditionatam exiſtentiam ſui, quomodo dum præſcindit à purificatione conditionis, præſcindit etiam ab eo, quod abſolutè exiſtat; ſic ſe attemperans dominio electivo divinæ libertatis; quæ ſicut poteſt eligere, aut nòn eligere abſolutè; ſic etiam poteſt eligere, aut non eligere conditionatè: pariter ac in ſententia oppoſita abſque vlla imperfectione ſui, aut extremorum inter quæ verſatur, poteſt iam eligere per decretum, quod non ſe habeat ſuſpenſivè in ordine ad exiſtentiam obiecti, vt eſt decretum abſolutum, aut per decretum, quod ſuſpenſivè ſe habeat in ordine ad exiſtentiam ſui obiecti, vt eſt decretum obiectivè conditionatum expectans purificationem hypotheſis, ſub qua inferat exiſtentiam abſolutam obiecti, quod decernit.

155 Obijciunt tertiò. Implicat actum divinum eſſe futurum abſolutè provt correſpondentem tempori nunc non exiſtenti, extituro tamen poſt, quia talis actus ſecundum eſſe abſolutum nunc, & de præſenti exiſtat: ergo implicat actum divinum eſſe futurum conditionatè provt correſpondentem alicui durationi poſteriori, & nunc non exiſtenti, quia talis actus ſecundum eſſe abſolutum ſui nunc, & de præſenti exiſtat. Antecedens eſt certum: quia actus divinus ſemel abſolutè exiſtens ſemper, & ab æterno exiſtit: ſed actus divinus abſolutè exiſtēs, aliquādo abſolutè exiſtit: ergo ſemper; ac per conſequens de præſenti ſecundum ſuum eſſe abſolutè exiſtit. Probatur prima conſequentia. Non minus ex ſe præſcindit eſſe abſolutè de futuro ab eſſe abſoluto de præſenti; quā eſſe conditionatè de futuro ab eſſe abſolutè de præſenti; nihilominùs propter divinam perfectionem eſſe abſolutum de futuro cuiuſvis actus divini non poteſt præſcindere ab eſſe abſoluto de præſenti: ergo propter eandem, eſſe conditionatè de futuro cuiuſvis actus divini non

non potest præscindere ab esse absolutè de præsenti: ac proinde debet existere in actu existente subiectivè absolutè de præsenti, & conditionatè respiciente actum illum divinum, qui foret si poneretur aliqua conditio.

156 Deberet ducere paritas objicientem, vt non modo intenderet futurum conditionatum divinum existere absolutè de præsenti in decreto reflexo sui; verùm in se ipso, quomodo rationem futuri conditionati destrueret ex non præcisione ab statu absoluto; ita vt nullum posset esse futurum conditionatum divinum de hypothesi nunquam purificanda. Ratio est: quia futurum absolutum divinum non tantum existit de præsenti in decreto reflexo absolutè ipsum respiciente; sed insuper in se ipso immediatè: propterea quod Divinum existens absolutè omnem replet durationem secundum existētiam propriam, & formalem sui; id autem quàm distans à veritate sit; sicut, & ab assumpto serio videant; & paritatem obiectam, vt sibi non proficuam recolligant.

157 Disparitas clara est ex ipsa argumenti propositione: nam cùm quidquid divinum est; non aliter si existat, possit existere; quàm ab æterno, & in æternum; & aliunde futuro divino absoluto sit concedenda in aliqua duratione existentia absoluta; per consequens in omni duratione dicendum est, existere absolutè, nè incipiat in tempore, aut ne in tempore deficiat; quomodò convenit futuris absolutis creatis adhùc *specificativè* acceptis. Non sic in futuro divino conditionato, de quo formaliter sumpto, cum non sit necessarium concedere existentiam absolutam; sed tantum existentiam, quæ foret; consequenter nec opus est concedere ipsum existere absolutè, neque in omni, neque in aliqua duratione, nisi id ipsum accipiatur conditionatè, videlicèt, quòd si existeret conditio, sub qua est verum extiturum, existeret non tantùm provt correspondens illi durationi, sub qua consideratur futurum; verùm æternè, & indefectibiliter consequenter ad existentiam absolutam illius, tàm *à parte ante*, quàm *à parte post*: vnde longa intercedit differentia inter vnum, & alterum futurum; etiam quando contractè ad actus divinos consideratur futuri ratio.

158 Objciunt quartò. Actus Dei contingens conditionatè existens sub posteriori durationè est actus conditionatè futurus in ratione talis Deo liber: sed ad hoc est necessarium aliquid de præsenti connexum cum eventu futuro: ergo actus divinus conditionatè futurus non potest intelligi, vt talis independenter ab aliquo de præsenti connexo cum eventu futuro. Maior est certa: cùm Deus pro nutu suæ voluntatis possit impedire prædictam veritatem conditionatam de futuro, & oppositam determinatè; non secus ac nos possumus impedire statum conditionatum nostrorum actuum liberorum. Probatur minor. Actus divinus tantùm potest esse liber, vt conditionatè futurus sub existentia hypothesis, eo modo quo potest existere sub illa: sed non potest existere sub existentia hypothesis independenter ab aliquo de præsenti connexo cum eventu futuro, scilicèt independenter à se ipso, vt semper existente, & connexo cum eo, quod semper existat; ac per consequens etiam cōnexo cùm eo, quod correspondeat durationi posteriori: ergo vt actus divinus sit Deo liber in ratione cōditionati futuri est necessarium aliquid de præsenti connexum cum eventu futuro.

159 Etiam argumentum istud probat plus quàm intendere potest, scilicèt tantum esse conditionatè futuros actus divinos, qui sunt de conditione purificanda, aut qui sunt absolutè futuri. Ratio est: quia hi soli sunt, qui ita durationi futuræ correspondeant, vt totam æternitatem repleant, & simul de præsenti existant. Ad formam, concessa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, distinguo maiorem. Actus divinus tantùm potest esse liber vt conditionatè futurus sub existentia hypothesis eo modo, quo potest existere sub illa *conditonatè*, concedo maiorem. Eo modo quo potest existere sub illa *absolutè*, nego maiorem, & distinguo minorem. Non potest existere *absolutè* sub existentia hypothesis independenter ab aliquo de præsenti connexo cum eventu futuro, scilicèt independenter à se ipso vt semper existente, & connexo cum eo, quod semper existat; ac per consequens etiam connexo cum eo quod correspondeat durationi posteriori, concedo minorem. Non potest existere *conditionatè*, nego minorem, & consequentiam. Est dicere: quàmvis actus divinus contingens non possit existere absolu-

lutè in aliquâ duratione posteriori independenter ab eo, quod existat de præsenti, vt connexo cum existentia posteriori propter æternitatem, quam habet ex suppositione, quod sit; at benè potest existere conditionatè independenter ab aliquo de præsenti connexo cum existentia illius in duratione posteriori; si hoc de præsenti connexum sumatur *absolutè*, & non *conditionatè* tantùm, sicut sumitur *esse* illius volitionis, cui pro *foret* involuto in *esse conditionato* de futuro sufficit, quod *foret* etiam de præsenti, si talis conditio purificaretur; quin sit necessarium pro illo *foret*, aliquid quod absolutè sit.

160 Fundamenta, quæ doctissimum Molinam impulerunt in exceptionem protegendam, cum immediatè ex scientia correspondente prædictis veritatibus conditionalibus de conditionato divino accipiantur, aptius cum egerimus de scientia, quâ Deus ea futura cognoscit, dissolventur: ideoque in præsenti missa facimus.

(9)

JHS.

DISPUTATIO XVIII.

PRÆVIA AD SCIENTIAM contingentem Deo non liberam; in qua de veritate propoſitionum ſingularium, & conditionalium de futuro contingenti.

CAPVT I.

An prædictæ propoſitiones habeant determinatam veritatem?

1 DETERMINATAM veritatem, aut determinatam falſitatem convenire dictis propoſitionibus negant vltra illos, qui cenſent, propoſitiones abſolutas de futuro contingenti non habere determinatam veritatem, aut falſitatem, quos ſupra dedimus: plures alij, qui cum propoſitionibus abſolutis concedant; tamen à conditionatis excludunt, non aliam concedentes eis determinatam veritatem, aut falſitatem, quàm quæ deſumi poſsit à probabilitate, veriſimilitudine, aut certitudine morali circunſtantiarum, & hypotheſis, ſub quibus proponitur aliquid eventurum: quomodo cum propoſitionibus abſolutis confunduntur, & reddunt hunc ſenſum: *Tales, aut tales circunſtantiæ, aut hypotheſes fundant probabilitatem, veriſimilitudinem, aut certitudinem moralem de eo, quod ſi exiſterent, daretur talis, aut talis eventus.* Hi ſunt illi de quibus diſputatione ſequenti, dicemus, negaſſe in Deo ſcientiam infallibilem futurorum contingentium conditionatorum: propterea quæ duntaxat admittentes in intellectu divino notitiã quandam *obiectivè* coniecturalem erga ea futura, & *formaliter, ſubiectivèque* certiſsimam erga coniecturas. De quibus pòſt magis per ocium: interim verò ſciendum ad hanc claſſem pertinere Cabrera tomo primo in 3. partem, quæſt. 1. articulo 3. diſputat. 1. & tom. 2. quæſt. 62. artic. 1. diſputat. 12. Petrum de Ledeſma, diſputat. 2. affini de ſcientia futurorum contingentium, difficult. 2. citantem pro ſe Cayetanum, Ferraram, Catherinum, & Ianſenium. Cabezudo, 3. part. quæſt. 62. Ripa, prima part. quæſt. 14. artic. 13. Idem, vt probabile ſuſtinent Curiel, libr. 1. Controverſiarum, controverſ. 7. artic. 1. & Cornejo, prima parte. quæſt. 14. artic. 13. diſputat. 3. dub. 2. quibus iure adſcribendus Navarrete, qui prima parte, quæſt. 14. articul. 14. controverſ. 56. tenet in Deo nullam eſſe ſcientiam formaliter conditionatorum contingentium, ſed tantùm eminenter. Quæ, vt vides ſtare non poſſunt cum determinata veritate, aut falſitate propoſitionum conditionalium de futuro contingenti, ne aliter diceretur, id, quod determinatè, & infallibiliter verum eſt, à Deo, aut ſimpliciter ignorari, aut ſaltem certitudine, quam in ſe habet, neſciri.

2 Affirmant reliqui, quorum ſententia ita invaluit iam in Scholis, vt nullus audeat reijcere timens inter duo extrema inevitabilia; nimirum, aut negandi determinatam veritatem propoſitionibus abſolutis de futuro contingenti, aut incurrendi notam patentiſſimæ inconſequentiæ, ſi admiſſa determi-

minata veritate in absolutis excludatur in conditionatis; ideo ociosum reputans aliquem in particulari referre, sat sit concludere cum Rivadeneyra: omnes nunc Scribentes, tàm ex gravissima Dominicana Familia, quàm ex nostra Societate eàm vniformiter amplecti; necnon monere Magistrum Ioannem à Sancto Thoma, disputat. 20. de scientia, artic. 1. oppositam sententiam putare horribilem. Zumel, disputat. 8. conclus. 1. Thomam Pium, disputat. 3. num. 5. vocare non satis tutam. Et Montepilosum, prim. part. disput. 31. articul. 1. num. 8. asserere periculosam in Fide.

3 Hanc igitur veram, communem, & omninò tenẽ dam sententiam suadet Scripturæ Sacræ authoritas, non semel; verùm multipliciter proponendo veritates determinatas conditionales de futuro contingenti, quibus correspondent totidem propositiones conformes; ac propterea habentes determinatam veritatem circa huiusmodi futura ex consensione in modo repræsentandi cum obiecto in modo conditionatè contingenter se habendi sub hypothesi: tales sunt: *Si David mansisset apud Ceylitas, tradendus esset in manus Saulis. Si virtutes, & signa, quæ alibi facta sunt, facta fuissent apud Tyros, & Sydonios, pœnitentiam egissent. Si diutiùs viveret, qui citò à vivis rapitur, malitia mutaret intellectum eius: si ad illos mittereris, ipsi audirent te: si accipias vxorem de filiabus Gentilium, veram religionem deseres*, & aliæ multæ similes infra per ocium expendendæ, dum scientia divina certissima de prædictis futuris comprobetur: in quibus omnibus iurè animadvertendum, quàm firmiter, & sine hæsitatione vlla proponuntur eventus contingentes determinati, vt sub hypothesi extituri: quomodo non permittunt, aut vaguitatem aliquam in existendo, si purificaretur conditio, aut veritatem eorum esse restringendam ad solam inclinationem, & dispositionem causarum inclusam in hypothesi, præcipuè, cum nulla fiat mentio talis dispositionis, aut inclinationis, & vlteriùs propositio, & manifestatio earum veritatum tenderet ad sedandum animum quoad illos eventus, vt non sedaretur, si duntaxat ad causarum inclinationem referrentur, vtpotè, quæ fæpè fallit ex victoria liberi arbitrij tendentis in oppositum inclinationis etiam vehementissmæ.

4 Talem exprimunt Sancti Patres admittentes quæstiones fundatas super huiusmodi determinatas veritates conditionales contingentes, quibus determinatæ affirmationes in mente correspondent, vt sunt: quare ex pluribus, quibus communis sit status conditionatus de lapsu sub conditione diuturnioris vitæ; alij à periculis huius vitæ per immaturam mortem substrahantur, ne malitia immutet intellectum, aut nè fictio decipiat animas eorum; alij verò in periculis, & occasionibus huius vitæ relinquantur, ex quibus infœlix exitus eis contingit? Quare Angelus, qui sub existentia erat lapsurus, nihilominus sub tali veritate non ignorata fuerit creatus? Aut cur homini constituto sub veritate conditionali de lapsu sub hypothesi impositionis præcepti à cognoscente prædictam veritatem, fuerit præceptum impositum, quin talis eventus eius voluntatem à promulgatione legis retardaverit? Et aliæ similes, quibus cum admiratione propositis, præbere tentant solutionem, vt non facerent, si falsa laborarent suppositione ex determinata assertione veritatis contingentis conditionalis, neque difficultatem extollerent; sed potius contemnerent, vtpotè omni fundamento destitutam. Ità Cyrillus Alexandrinus, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Iræneus, Iustinus, Tertulianus, Nazianzenus, Theodoretus, quos omnes suis locis dabimus infra disputat. iam proximè citata de scientia divina conditionalium contingentium.

5 Vnus Div. Thom. est hic expresse referendus qui ad illa verba Aristotelis, capit. 8. libro Perhierm. *Esse quidem, vel non esse omne necesse est*; inquit lect. 15. comment. 2. *Necesse est de vnoquoque quod sit, vel non sit, & quod futurum sit, aut non sit, & hoc sub disiunctione. Hæc necessitas fundatur super hoc principium, quòd impossibile est contradictoria simul esse vera, vel falsa: vnde impossibile est, nec esse, nec non esse*: ergo *necesse est, vel esse, vel non esse, non tamen si divisim alterum accipiatur.* Quæ verba, & si ibi sint ad intentum probãdi determinatam veritatem, aut falsitatem propositionum de futuro absoluto contingenti, tamen ob suam generalitatem, & propter principium assumptum pro medio ad statuendam determinatam veritatem, aut falsitatem earum propositionum, probant simili-

ter

ter idem eſſe neceſſarium in propoſitionibus de futuro contingenti conditionato ; idque eſſe de mente Divi Thomæ ex vi identitatis rationis , & medij , & quia non minus ſunt contradictoriè oppoſita *eſſe* , & *non eſſe conditionaliter*; quàm *eſſe*, & *non eſſe abſolutè*.

6 Inde eruitur ratio probativa non minus vrgens pro determinata veritate cõditionalium de futuro contingente ; quàm pro determinata veritate abſolutarum de futuro contingenti ; & quidem lumini ipſi naturalis , & evidentis rationis conformis: Nam ſi inter *obiectum ſe habere , ſicut per propoſitionem conditionalem de futuro contingenti affirmatur , aut non ſe habere, ſicut per propoſitionem affirmatur*, non datur medium , propoſitio conditionalis de futuro contingenti habebit determinatam veritatem , aut falſitatem: ſed inter obiectum ſe habere, aut non ſe habere ſicut per propoſitionem conditionalem de futuro contingente affirmatur , non datur medium : ergo propoſitiones de futuro contingente conditionato habent determinatam veritatem , aut falſitatem. Diſcurſus rectus eſt , & maior certa , ex eo, quod determinata veritas cuiuſvis propoſitionis nihil aliud ſit , quàm *obiectum ſe habere , ſicut per propoſitionem affirmatur*; & determinata falſitas *obiectum non ſe habere ſicut per propoſitionem affirmatur*. Iam minor facilè conſtat ob repugnantiam ſimultatis , ſicut & defectus vtriuſque contradictorij , ex qua inter vnum , & aliud non datur medium: ſed obiectum ſe habere , ſicut per propoſitionem de futuro contingenti conditionato affirmatur , & non ſe habere taliter , ſunt duo contradictoria : ergo tàm repugnat eſſe ſimul , quàm ſimul deficere; ac per cõſequens inter vnum, & aliud non datur medium.

7 Confirmatur primò. Non minus repugnat , *neque eſſe , neque non eſſe conditionatè* ; quàm *neque eſſe , neque non eſſe abſolutè* : ſed propter hanc repugnantiam propoſitiones de futuro abſoluto contingenti habent determinatam veritatem , aut falſitatem : ergo propter illius repugnantiam propoſitiones de futuro contingenti conditionato habebunt determinatam veritatem , aut falſitatem. Minor eſt certa , & conſequentia patet ab identitate fundamenti. Probatur maior. Inter contradictoria par eſt oppoſitio, & repugnantia : ſed *eſſe conditionatè* , & *non eſſe conditionatè*, ſunt contradictoria : ergo non minus repugnat, *neque eſſe , neque non eſſe conditionatè* ; quàm *neque eſſe , neque non eſſe abſolutè*.

8 Confirmatur ſecundò : Exiſtente propoſitione de futuro contingenti conditionato; verb. grat. *Si Ioannes cras exiſtat , ſolvet pecuniam debitam* , non datur medium inter *eſſe determinatè veram* , & *non eſſe determinatè veram* : ſed *eſſe determinatè veram* , & *non eſſe determinatè veram* , eſt *eſſe determinatè veram* & *eſſe determinatè falſum*: ergo inter *eſſe determinatè veram* , & *eſſe determinatè falſam* non datur medium. Maior eſt adverſariorum dicentium prædictas propoſitiones *non eſſe determinatè veras*: ergo non poteſt præſcindi à determinata veritate , & non determinata veritate. Probatur minor. Dari propoſitionem determinatè affirmantem aliquod obiectum conditionatè, & non dari obiectum determinatè, taliter conditionatè, ſicut per ipſam affirmatur, eſt dari propoſitionem determinatè falſam; cùm ab eo , quod res eſt, vel non eſt, vti per propoſitionẽ affirmatur , propoſitio ſit vera, vel falſa: ergo propoſitionem de futuro contingenti conditionato dum exiſtit, *eſſe determinatè veram* , & *non eſſe determinatè veram* , eſt *eſſe determinatè veram*, & *eſſe determinatè falſam*.

9 Sic præoccupata manet ſolutio, quæ adhiberi poſſet dicendo: non eſſe idem , propoſitionem *non eſſe determinatè veram* , & *eſſe determinatè falſam* cùm propoſitio non exiſtens non *ſit determinatè vera* , quin *ſit falſa determinatè*. Nam licèt id verum teneat , dum propoſitio non exiſtit , propterea quod , tàm veritas , quàm falſitas formalis requirant dari propoſitionem conformem , aut diſconformem ſuo obiecto , vnde inter *eſſe veram* propoſitionem , & *eſſe falſam* datur medium , ſcilicet , *non exiſtere propoſitionem* ; aliter tamen contingit , quando , & ex ſuppoſitione quod propoſitio exiſtat ; tunc enim inter *eſſe determinatè veram* , & *eſſe determinatè falſam* , non datur medium ; ſicut inter *eſſe obiectum* , *vt repræſentatur per propoſitionem* , & *non eſſe obiectum* , *vt re-*

repræsentatur per propositionem, non datur medium, cui correspondeat, nec *conformitas*, nec *disconformitas* cum propositione: etenim existente propositione, si obiectum se habeat conformiter ad ipsam, propositio est vera: at si per oppositum non se habeat conformiter ad ipsam, propositio est falsa.

10 Dices inter *esse futurum*, & *non esse futurum* obiectum, sicut inter esse veram propositionem de futuro, & non esse veram, aliqua ratione non dari medium; necessarium enim est, obiectum A; v.g. conditionatè acceptum in ordine ad durationem posteriorem esse, vel non esse futurum: insuperque propositionem affirmantem conditionatè existentiam illius esse, vel non esse veram; cæterum inter *esse futurum determinatè*, & *non esse futurum determinatè*; necnon inter *propositionem esse veram determinatè*, & *non esse veram determinatè* esse medium, scilicèt, esse, vel non esse futurum *vagè*, esse, vel non esse propositionem veram *vagè*.

11 Sed contra: Quia hæc solutio multis titulis implicat. Contra ipsam arguo primo. Ergo hæc propositio determinata, *si Ioannes cras existat, solvet pecuniam debitam*, & in cæteris simili modo, non est determinatè vera, aut determinatè falsa in ratione contingentis, & eius obiectum non est determinatè futurum, aut determinatè non futurum in ratione contingentis; sed vagè, vel vera, vel falsa, & eius obiectum, vel futurum; vel non futurum. Probatur illatio. Ea propositio tantum habet veritatem, aut falsitatem modo, quo ipsi deficere non potest veritas, aut falsitas, id est disiunctivè, qualiter per te deficere non potest, tàm veritas, quàm falsitas: sed modo, quo ipsi deficere non potest veritas, & falsitas, contingens non est; sed necessaria: ergo prædicta propositio in ratione contingentis nullam habet veritatem, aut falsitatem. Iam si in ratione contingentis nullam habeat veritatem, aut falsitatem; in ratione veræ, & falsæ habebit incomponibilitatem cum eo, quod accedente duratione crastina, & existentia Ioannis, in ipsa determinatè solvat debitum, aut determinatè non solvat debitum; aliàs fuisset vera determinatè, vel falsa determinatè propositio prædicta; ac per consequens omnis propositio de futuro contingenti conditionato provt vera, aut falsa habebit determinationē, vt nulla propositio de præsenti existat determinatè vera, aut falsa, nec aliter, quàm sub simili disiunctione, vel vera, vel falsa; quomodo contingens non est.

12 Contra deinde. Aut disiunctio illa necessaria, tàm futuri conditionati, quàm veritatis propositionis potest stare à parte rei sine determinato extremo disiunctionis determinatè accepto, vel non? Si hoc secundum: ergo propositio correspondens determinato illi extremo, quod in re determinatè existat, erit determinatè vera de futuro; sicut eius opposita determinatè falsa de futuro, vt intendimus, quin assignata disiunctio futuritionis, & veritatis aliquid proficiat. Si primum: ergo disiunctio illa necessaria duplicis contradictorij, nec conducit ad evitandam contradictionem in rebus, nec inducit conceptibile in rebus, vt verè existens. Probo sequelam. Non conducit ad evitandam contradictionem in rebus id quod secum affert defectum vtriusque contradictorij determinatè sumpti in rebus; cum formaliter ex ipso rationis lumine deficere à rebus vtrumque contradictorium determinatè sumptum, sit existere in rebus vtrumque contradictorium determinatè sumptum, neque inducit aliquid conceptibile in rebus, vt verè existens; cùm omne in rebus existens sit aliquid, quod potius sit; quàm non sit, & non inter puros vaguitatis terminos contineatur; aliàs id, quod debetur illi disiunctioni, non erit aliquid determinatum, quamvis non determinatè requisitum; sed aliquid, tàm indeterminatum, quàm indeterminatè requisitum: vnde ille, qui debet centum hæc, vel illa, vt assolet in omni debito, in vi suæ obligationis semper remanebit intra terminos vaguitatis, quin aliqua solutio determinata ei correspondeat; propterea cum impossibile sit solvere per aliquid vaguum, erit impossibilis omnis obligatio solvendi ex impossibilitate termini, redditurque nugatorius conceptus omnis creditoris, & debitoris.

VI-

13 Vlterius: Implicat propositio, quæ non modò ex se; verùm absolutè, & provt reduplicat suum obiectum tantum habeat veritatis; quantum falsitatis: sed propositio dicta, cuius veritas, & obiectum tantum disiunctivè se habeant inter *esse*, & *non esse*, est propositio, quæ non modò ex se; verùm absolutè, & provt reduplicat suum obiectum tantum habet veritatis, quantum falsitatis: ergo est implicatoria. Maior est certa. Nam propositio ita se habens non plus participat de *esse* conformitatis ad obiectum, quàm de *non esse* eiusdem conformitatis; ac proindè continet veritatem chymæricam. Probatur minor. Dicta propositio per te tantum habet veritatem sub disiunctione versante inter veritatem, & falsitatem, sicut & eius obiectum tantum habet conformitatem sub disiunctione versante inter *esse*, & *non esse futurum*: sed hoc est participare tantum veritatis, quantum falsitatis; cum disiunctio versans inter falsitatem, & veritatem tantum participet de veritate, quantum de falsitate ob æqualem indifferentiam ad quodcumque extremum determinatè sumptum, & æqualem determinationem ad aliquod hoc, vel illud: ergo propositio dicta, cuius veritas, & obiectum tantum disiunctivè se habeant inter *esse*, & *non esse*, est propositio, quæ non modò ex se, verùm absolutè, & provt reduplicat suum obiectum, tantum habet veritatis, quantum falsitatis.

14 Contra insuper: Nam disiunctio necessaria inter obiectum *esse*, & *non esse de præsenti*, & inter veritatem, & falsitatem propositionis *de præsenti* non potest consistere sine determinato *esse*, aut *non esse* obiecti *de præsenti*, aut sine determinata veritate, aut falsitate propositionis *de præsenti*: ergo disiunctio necessaria inter obiectum *esse*, & *non esse de futuro conditionatè*, & inter veritatem, & falsitatem propositionis *de futuro conditionato* non potest stare absque determinato esse, aut non esse obiecti *de futuro conditionato*, aut sine determinata veritate, aut falsitate propositionis *de futuro conditionato*. Antecedens est indubitatum, aliter propositiones de præsenti essent indeterminatæ veritatis, non minus quàm propositiones de futuro. Probatur consequentia: Tota efficacia disiunctionis de præsenti ad determinatum esse, vel non esse de præsenti, & ad determinatam veritatem, vel falsitatem propositionis de præsenti reducitur ad oppositionem contradictoriam, ex qua oritur illud principium, *impossibile est rem, aut conceptum simul esse, & non esse: necesse est rem, aut conceptum esse, vel non esse*: sed disiunctio illa de futuro conditionato non minus respicit duo contradictoria, cùm talia sint: *existere*, & *non existere* sub conditione tempore posteriori: esse *verum*, vel *falsam* propositionem tale futurum enuntiantem: ergo disiunctio necessaria inter obiectum esse, & non esse de futuro conditionato, & inter veritatem, & falsitatem propositionis de futuro conditionato non potest stare absque aliquo determinato *esse*, aut *non esse* obiecti de de futuro conditionato, aut sine determinata veritate, aut falsitate propositionis de futuro conditionato.

15 Apparet inde, datam solutionem, dum auferre tentat determinatam veritatem, & falsitatem propositionibus de futuro conditionato contingenti, pariter reijcere determinatam veritatem, & falsitatem propositionum *de præsenti*, & *de præterito* conditionatis: nec id solum, verùm æquo iure deturbat veritatem, & falsitatem determinatam omnis propositionis, tàm *de futuro*, quàm *de præsenti*, & *præterito absolutis*, & contingentibus, pro quibus intendenti convincere vnum ex contradictorijs determinatè existens, eadem evasio parari potest ad eludendam vim probationis ex disiunctione acceptæ: vnde rursus fatendum, solam experientiam rerum præsentium legitimè probare determinatam veritatem, aut falsitatem propositionum de præsenti, quæ si deficiat, vt deficit circa hæc, quæ contingunt in diverso loco nobis remotissimo; v. g. apud Indos, semper restare effugium intra latebras disiunctionis, & vaguitatis prætensæ.

16 Dices adhùc: inter duo contradictoria sumpta respectivè ad aliquod tertium sæpè dari medium, ita vt prædicatum, quod vni non convenit, alteri etiam non conveniat. Id suadent exempla non infrequentia, vt creaturæ cuiusvis non identificatæ cum Deo, quin eius defectus debeat cum Deo identificari, ni velis carentiam rei contingentis identificari cum divino decreto, à quo

modò præſcindimus; equi non influentis in exiſtentiam hominis, quin eius defectus in exiſtentiam hominis influat; defectus meæ præſentiæ Complutenſis non conducentis, vt Turca dormiat, quomodo nec mea præſentia Complutenſis conducit ad ſomnum Turcæ, ex quibus mille alia adduci, poſſunt ad idem intentum: ſed eſſe futurum conditionatè aliquod obiectum determinatum, & eſſe futuram conditionatè carentiam determinatam eiuſdem, eſt obiectum determinatum, & carentiam determinatam eiuſdem reſpectivè ſe habere in ordine ad tertium durationis craſtinæ, aut poſterioris ad præſentem durationem: ergo benè poterit contingere, nec obiectum determinatum conditionatè ſe habere ad durationem craſtinam, & poſteriorem, neque eius defectum determinatum conditionatè ſe habere ad durationem craſtinam, & poſteriorem: vnde propoſitio affirmans idem obiectum conditionatè pro tali duratione non erit determinatè vera ex defectu correſpondentiæ in obiecto ad talem durationem, nec erit determinatè falſa ex defectu correſpondentiæ in carentia obiecti ad eandem durationem.

17 Ex tam lata ſolutionis doctrina, quod ſolvens in ſe ipſum agat, propriam ſententiam deſtruens, omnibus clarum apparet, tum quia tenetur fateri propoſitionem de futuro, cui determinatam veritatem negat de præſenti, nec habere determinatam veritatem, nec non habere determinatam veritatem; ſed ſub quadam veritatis determinatæ præciſione exiſtere, in qua non magis *vera determinatè*, quàm *non vera determinatè* ſit, propter reſpectum, quem ad inſtans præſens, in quo datur propoſitio habet, involvit ergo hoc duplex contradictorium: *Habere determinatam veritatem, non habere determinatam veritatem*; tum quia in omni contradictione, ſive de præſenti, ſive de præterito, ſive in abſolutis, ſive in conditionatis eadem præciſio erit obſervanda ex vniverſali regula traddita propter reſpectum ad determinatam menſuram, quæ tertium quoddam eſt, ſine cuius intelligentia omnis oppoſitio, & contradictio funditus evertitur. Id vero an ſit commodè deglutiendum, ipſe videat, cui tradita ſolutio placeat.

18 Quæ facilè refellitur, notando inter contradictoria, vt contradictoria ſunt, nunquam dari medium, quomodocumque accipiantur: vnde ſi comparata ad aliquod tertium extremum medium inter ipſa inveniatur, ideò eſt, quia in tali conſideratione non ſunt contradictoria, vt probant exempla adducta identitatis cum Deo, & influxus in aliquod extremum: ſiquidem vnum contradictorium, provt dicens ordinem ad identitatem cum Deo; ſeu provt identificatum cum Deo non opponitur formaliter cum ſuo defectu; ſed cum defectu identitatis ſui: nec provt influens in aliquod extremū opponitur cum ſuo defectu, ſed cum defectu influxus ſui cum tali extremo; quare & ſi inter *identificari, & non identificari, influere, & non influere* non datur medium, cum hæc ſint contradictoria; non vero inter *identificari*, aut *influere vnum*, & *identificari*, & *influere alterum*, quomodo contradictoria non ſunt, & valent ſimul deficere; cum defectus vnius in tali conſideratione non conſtituatur per exiſtentiam alterius in tali conſideratione, & è converſo; ſed per defectum alium, qui poteſt eſſe communis vtrique. Aliter res ſe habent, ſi comparentur quoad eandem durationem, & menſuram determinatam, in qua ſi vnum exiſtat, ſivè abſolutè, ſivè conditionatè; alterum deficere, ſive abſolutè, ſive conditionatè eſt neceſſarium; propterea quod exiſtentia in vna menſura, & duratione non aliter queat deficere; quàm per non eſſe exiſtentiam in tali duratione; & *non eſſe in tali duratione, & menſura*, non aliter poſsit deficere, quàm per exiſtentiam in tali duratione; qua ratione contradictoria ſunt: ſtat ergo æquivocatio ſolutionis in eo, quod malè confundat contradictoria *ſpecificativè* accepta cum contradictorijs *reduplicativè* ſumptis: & medium, quod ſæpè invenitur inter ipſa *ſpecificativè* conſiderata, applicet eiſdem in ſenſu *reduplicativo*, & provt contradictoria ſunt abſque diſtinctione harum propoſitionum: *Ea, quæ contradictoria ſunt, habent aliquod medium: ea, quæ contradictoria ſunt, vt talia habent aliquod medium*, maximè diſtinguendæ, quarum vna vera eſt, altera neceſſariò falſa.

Repli-

19 Replicabis: etiam inter contradictoria comparata ad eandem menſuram, & durationem datur medium: ergo tenet ſolutio. Probatur antecedens. Futurum, vt futurum, & carentia futuri, vt futuri ſunt contradictoria: ſed inter hæc comparata ad eandem menſuram, & durationem datur medium: ergo inter contradictoria comparata ad eandem menſuram, & durationem datur medium. Maior eſt certa. Prob. min. ſola difficilis. Futurum, vt futurum non datur in duratione præſenti; aliàs futurum, vt futurum eſſet præſens: ſed neque carentia futuri, vt futuri datur ſuo modò in duratione præſenti, aliàs futurum vt futurum tale non eſſet; cùm ſemper ac detur exclusivum formale alicuius in aliqua ratione, illud non ſit ſub tali ratione: ergo inter hæc contradictoria comparata ad eandem menſuram, & durationem, ſcilicèt ad inſtans præſens, datur medium.

20 Evertit replica, vt ſtatim occurrit non modò veritatem determinatam propoſitionum de futuro contingenti *conditionato*; verùm de futuro *abſoluto*, & *de præterito*, quibus eadem poteſt adaptari doctrina, cùm non minus non ſit de *præſenti* futurum abſolutum, vt tale, & *præteritum* abſolutum, vt tale; necnon defectus futuri *abſoluti*, & *præteriti*; quàm futurum *conditionatum*, vt futurum *conditionatum*, & defectus illius, vt talis. Quarè in communi difficultate omnibus ineſt obligatio oſtendendi inefficaciam inſtantiæ, cuius æquivocationem detegit facili opera doctrina à nobis ſuperius tradita de præſentia, qua gaudent futura in eſſe talium, licèt ea careant in ratione præſentium. Itaque futura, vt futura, ſive abſolutè, ſive conditionatè habent ſuam præſentiam, vi cuius iurè dicuntur nunc potius eſſe futura; quàm fuiſſe futura, aut eſſe futura *reflexe*, & in ratione talium; huic præſentiæ correſpondet ſuus defectus formalis, qui tunc datur, quando obiectum non eſt futurum, aut *abſolutè*, aut *conditionatè*, vel quia nunquam habuit exiſtentiam correſpondentem his ſtatibus; vel quia & ſi aliquando habuerit, iam non habet ex eo, quod potius verificatur *fuit futurum*, *vel abſolutè*, *vel conditionatè*, quàm *eſt futurum*, & hic quidem defectus datur etiam de præſenti ſuo modò præſentia propria defectus futuri. Aſt futura, vt futura non habent præſentiam propriam *præſentium*; ne ſic deſtruantur in ſuo ſtatu, vndè non tàm futura, quàm præſentia reddantur; cui præſentiæ correſpondet etiam ſuum exclusivum formale, ſcilicèt defectus proprius *præſentium*.

21 His ita diſtinctis, apparet, quomodo inter *eſſe futurum*, & *non eſſe futurum*, vt contradictoria ſunt relatè ad menſuram, & durationem præſentem, nunquam detur medium. Nam ſi futurum, vt tale conſideretur in ordine ad inſtans præſens, vt præſens præſentia propria, futuri, nunquam datur medium inter *eſſe*, & *non eſſe* illius: nam ſi modo nõ ſit futurum præſentia propria futuri; ac per conſequens modò non ſit futurum, dabitur defectus illius in ratione talis; id eſt, non eſſe modo futurum: ſi verò futurum conſideretur in ordine ad præſentiam propriam præſentium; cùm impoſsibile ſit, futurum eſſe ſic præſens, dabitur neceſſariò defectus illius in ratione præſentis: quomodo inter eſſe præſens præſentia propria præſentis, & non eſſe præſens præſentia propria præſentium, qua ratione contradictoria ſunt, etiam non dabitur medium ex neceſſaria exiſtentia ſuo modò defectus talis præſentiæ. Iam ſi præſentias iſtas, & defectus correſpondentes inter ſe confundas; invenies medium; ſed quid mirum, ſi ſic non ſe habent, vt contradictoria; ſed, vt contraria, quæ poſſunt eſſe ſimul falſa, vt conſtat in exemplo propoſito, ſcilicet, *futurum modò eſt præſentia propria præſentis carentia futuri modò eſt præſentia propria præſentis*, quod vtrumque falſum eſt, quando obiectum futurum verificatur, quod neque præſens eſt, vt futurum præſentia propria præſentium; neque defectus eius in ratione futuri, ne excludat ipſum à ratione futuri; quando futurum reputatur. Idem contingit in exiſtentia rei de præſenti, & defectus rei, provt de præſenti exiſtentis. Nam quando res, quæ modò exiſtit, non eſt futura, neque exiſtentia rei correſpondet durationi poſteriori, nec carentia rei, provt exiſtentis de præſenti correſpondet durationi poſteriori; aliàs tunc verificaretur *non extitiſſe de præſenti*; inſuper id, quod modò eſt poſſibile, & modò non exiſtit, neque vt poſsibile modò exiſtit *eſſe*, & *exiſtentia propria præſentium*, neque defectus eius *in ratione poſsibilis* correſpondet durationi præſenti.

22 Probatur ſecundò concluſio. Aut repugnat iudicium formaliter conditionatum de futuro contingenti, aut datur determinatà veritas propoſitionum de futuro contingenti conditionato: ſed non repugnat iudicium formaliter conditionatum de futuro contingenti: ergo datur determinata veritas propoſitionum de futuro contingenti conditionato. Diſcurſus rectus eſt, ſi præmiſſæ conſtent, quas per ordinem probo: Maiorem prius. Quia ſi non repugnat iudicium formaliter conditionatum de futuro cõtingenti poterit exiſtere tale iudicium: iam ſi exiſtat; aut illud, quod affirmat, & repræſentat ſe habet obiectivè, ſicut per ipſum repræſentatur, vel ſecus? Si illud: ecce verum determinatè iudicium formaliter conditionatum de futuro contingenti. Si iſtud: ecce falſum illud iudicium determinatè; cum nihil aliud ſit eſſe falſum determinatè iudicium; quàm obiectum non ſe habere, ſicut per actum repræſentatur, ac per conſequens erit verum determinatè iudicium oppoſitum illud ipſum determinatè negans: ergo, aut repugnat iudicium formaliter conditionatum de futuro contingenti, aut datur determinata veritas propoſitionum de futuro contingenti conditionato. Deinde minor. Quia non repugnat in cognoſcente non infallibiliter iudicare, & tendere in obiectum reſolutoriè ex fundamento probabiliter inducente conſequens, vt nobis paſsim occurrit in concluſionibus Phyloſophicis, & Theologicis: ſed ſunt plures conditiones quæ ſi exiſtant, probabiliter inferunt aliud extremum: ergo non repugnat iudicium probabiliter motum ex tali fundamento conditionatè affirmans illud extremum in duratione poſteriori ſub exiſtentia conditionis in eadem duratione: ergo non repugnat iudicium formaliter conditionatum de futuro contingenti.

23 Confirmatur. Quia ſunt poſſibiles conditiones metaphyſicè inferentes conditionatum de futuro, non repugnat iudicium certum de futuro conditionato neceſſariò: ergo quia ſunt poſsibiles conditiones inducentes conditionatum de futuro probabiliter, non repugnabit iudicium probabile de futuro conditionato contingenti. Conſequentia videtur bona: cum tantum inducat antecedens probabile conſequens probabiliter: quàm antecedens metaphyſicum conſequens certò, & metaphyſicè. Inde ſubinferam, ſi iudicium probabile de futuro conditionato habet veritatem determinatam, aut falſitatem, id non poteſt eſſe ex determinatione conditionis ad conditionatum, aut ex repugnantia eiuſdem ad idem; cum conditio ſit componibilis, tàm cum exiſtentia, quàm cum defectu conditionati: ergo tantum provenit ex neceſſaria determinatione, vt vel exiſtat conditionatum, vel carentia conditionati ſub exiſtentia conditionis: ſed hæc neceſsitas communis eſt omni conditionato ſub exiſtentia conditionis: ergo quodcumque iudicium conditionatum de futuro contingenti debet habere determinatam veritatem, aut falſitatem.

24 Vrgetur hæc ratio ex veritatibus conditionalibus de præſenti, & de præterito contingentibus, erga quas nec repugnat iudicium cõditionale de præſenti, aut de præterito, nec ſemel quod exiſtat, deficit ei determinata veritas, aut determinata falſitas pro modò, quo obiectum in ſe correſpondet, aut conforme, aut diſconforme iudicio; quin tamen conditio ſit magis ex ſe determinata ad præſens, aut præteritum conditionatum; nec minor determinatio detur, vt quodvis detur, aut non detur in duratione poſteriori ſub exiſtentia alterius; quàm vt ſit, aut non ſit in duratione præſenti, fuerit, aut nõ fuerit in duratione anteriori ſub exiſtentia alterius, qualecumque illud ſit. Quod vehementius premit eos, qui non vniverſaliter negant veritatem determinatam, aut determinatam falſitatem omni propoſitioni de futuro contingenti, vt fuerunt Gentiles, & hæretici; verùm Catholicè fatentur determinatam veritatem, aut falſitatem propoſitionum de futuro abſoluto contingenti, quo dato, quidquid difficultatis occurrere poteſt pro conditionalibus, in abſolutis manet ſuperatum; ideòque, vt à quæſtionis initio præmiſimus, inconſequentiæ notam nequeunt non incurrere.

25 Probatur tertiò: Hæc conditionalis: *Si cràs exiſtat libertas A, in Petro poterit eſſe cum conſenſu diviſsim à diſſenſu, & carentia conſenſus, & poterit eſſe cum diſſenſu, & carentia conſenſus diviſsim à conſenſu* eſt de futuro conditionato neceſſario; ac per conſequens habens determinatam veritatem: ſed hæc determinata veritas affert ſecum poſsibilem ve-

veritatem, & determinatam falsitatem propositionum de futuro contingenti conditionato: ergo determinata veritas, & determinata falsitas propositionum de futuro contingenti conditionato est possibilis. Mai. est certa: cum sit propositio conditionalis pertinens ad essentiam libertatis Prob.min. Prædicta veritas affert secum possibilem conditionatè consensum, & dissensum sub existentia libertatis; necnon propositiones ipsis correspondentes: sed hoc est secum afferre possibilem determinatam veritatem, & determinatam falsitatem propositionum de futuro contingenti conditionato: ergo prædicta veritas determinata secum affert possibilem determinatam veritatem, & determinatam falsitatem propositionum de futuro contingenti conditionato. Mai. quæ sola desiderari posset, clarissima est siquidem posse dari libertatem, si existat crás, iam cum dissensu, iam cum consensu est formalissimè non repugnare; quod si existat libertas crás, existet, tàm consensus; quàm dissensus sub ipsa; idque formalissimè etiam est quodvis ex illis extremis consensus, & disensus possibiliter conditionatè intelligi sub existentia libertatis,

26 Procedo: id, quod est possibile eo modo, quo possibile est, potest reduci ad factum: ergo illa conditionata, & propositiones ipsis correspendentes, quæ, vt talia, possibilia sunt, poterunt reduci ad factum, in quo, & illa obiecta conditionatè existerent divisim sub existentia libertatis, & propositiones ipsis correspondentes existerent; quo casu propositiones illæ haberent determinatam veritatem, aut falsitatem pro modo quo suum obiectum esset conditionatè sub existentia libertatis: at omnes propositiones de futuro conditionato, quæ defacto dantur, se habebunt, sicut illæ, quæ si existerent; haberent determinatam veritatem, aut falsitatem, cum nulla sit disparitatis ratio, & semel probata possibilitate determinatæ veritatis, aut falsitatis propositionum de futuro contingenti conditionato, omnis, quæ defacto existat, debet habere determinatam veritatem, aut falsitatem: ergo propositiones de futuro contingenti conditionato habent determinatam veritatem, aut falsitatem.

27 Explicatur, & ad breviorem formam reducitur efficacia huius rationis. Posse coniungi crás libertatem determinatam cum consensu divisim à dissensu, & pariter cum dissensu divisim à consensu, si crás existat, est non repugnare, quod si crás existat libertas, existat consensus divisim à dissensu; & dissensus divisim à consensu: ergo non repugnat existere suo modo id, quod est: *Si existat libertas, existet consensus divisim à dissensu: si existat libertas, existet dissensus divisim à consensu:* sed id est formalissimè verificativum vnius propositionis de futuro conditionato, & falsificativum alterius: ergo non repugnat id existere suo modo: at existente suo modo, propositio, quæ tunc daretur, aut esset determinatè vera, aut determinatè falsa, pro modo, quo obiectum illud affirmaret, in eaque vincerentur omnes difficultates, quæ movere possunt, vt negetur veritas, aut falsitas determinata propositionibus de futuro conditionato contingenti: etenim tunc se haberet illa, sicut quævis alia, quæ nunc formari, aut considerari posset: ergo convincitur quascumque propositiones de futuro contingenti conditionato habere determinatam veritatem, aut determinatam falsitatem: sicut legitimè arguitur ex eadem forma duntaxat transmutata non repugnantia *conditionati* in non repugnantiam *absoluti*, determinata veritas, aut falsitas propositionum de futuro contingenti absoluto.

28 Probatur quartò. Gradus veritatis determinatæ est separabilis à veritate necessaria in propositionibus absolutis de *futuro, præterito, & præsenti*, & in conditionalibus de *præsenti, & præterito*: ergo gradus veritatis determinatæ est separabilis à veritate necessaria in propositionibus conditionalibus de futuro. Antecedens est adversariorum. Consequentia probatur. Nam si semel veritas determinata propositionum stare potest cum indifferentia, vt sit, aut non sit veritas; vt sit, aut non sit propositio vera, vt contingit in omni veritate contingenti, non est ratio vlla, vt similis veritatis gradus stare nequeat, secluſa necessitate in propositionibus conditionalibus de futuro. Confirmatur. Non minus indifferens, & contingens est conditio ad conditionatum in conditionalibus de *præterito*, aut *præsenti*, contingentibus, quàm in conditionalibus de futuro, vt sit, aut non sit conditionatum

de

de futuro: ſed per te cum illa indifferentia benè componitur gradus determinatæ veritatis in propoſitionibus conditionalibus de *præſenti*, & *præterito*: ergo cum ſimili indifferentia ſtabit benè gradus determinatæ veritatis in propoſitionibus conditionalibus de *futuro*; cùm nulla ſit diverſitatis ratio: etenim, tàm indifferens eſt conditio ad *fuiſſe*, & *non fuiſſe*, ad *eſſe*, & *non eſſe* in conditionalibus de *præterito*, & *præſenti*; quàm ad *erit*, & *non erit* in conditionalibus de *futuro*.

29 Probatur quinto ab everſione fundamenti oppoſiti. Nam determinata veritas, aut falſitas propoſitionum de futuro contingenti conditionato non impedit contingentiam effectus pro tempore, quo intelligitur determinatè conditionatè extiturus, aut determinatè conditionatè non extiturus, nec iura noſtræ libertatis evertit: ergo nihil eſt, quod impediat determinatam veritatem, aut determinatam falſitatem propoſitionum de futuro contingenti conditionato. Conſequentia recta eſt à ſufficienti enumeratione inconvenientium, quæ prædictæ determinatæ veritati, aut falſitati poſſent obſtare. Antecedens probatur, Ex eo, quod incommoda illa efficaciter vrgeant pro determinata veritate, & falſitate propoſitionum de futuro abſoluto contingenti, & tamen ibi facili negotio vincuntur, vt manet in antecedentibus probatum, & fide Sanctum eſſe debet: ergo determinata veritas, aut falſitas propoſitionum de futuro contingenti conditionato non impedit contingentiam effectus pro tempore, quo intelligitur determinatè conditionatè extiturus, aut determinatè conditionatè non extiturus, nec iura noſtræ libertatis evertit. Confirmatur; ſicut ſe habet veritas abſoluta de futuro ad futurum, & eſſe abſolutum effectus in duratione poſteriori, ita ſe habet veritas conditionata de futuro ad futurum, & eſſe conditionatum effectus in duratione poſteriori: ſed determinata veritas abſoluta de futuro, nec impedit abſolutè contingentiam effectus in duratione poſteriori, nec deſtruit abſolutè libertatem noſtram abſolutè exercendam in duratione poſteriori: ergo veritas determinata conditionalis de futuro nec impedit conditionatè contingentiam effectus, nec deſtruit conditionatè libertatem noſtram conditionatè exercendam in duratione poſteriore.

30 Rurſus roboratur ex Ruiz. Nam ſicut neceſsitas, quæ datur in cauſa libera de futuro abſolute extitura, vt non maneat ſuſpenſa in tali duratione erga obiectum propoſitum; ſed cum aliqua determinatione, & exercitio libero erga ipſum, non aufert contingentiam exercitij liberi, nec in minimo lædit libertatem ad ipſum, ita neceſsitas, quæ datur, vt ſi cauſa libera conditionatè exiſtat in tali duratione, conditionatè non remaneat ſuſpenſa circa obiectum, quod tunc proponeretur; verùm cum aliqua determinatione, & exercitio libero erga ipſum, non auferet contingentiam conditionatam exercitij liberi, nec in aliquo lædet conditionatè libertatem ad ipſum. At prima neceſsitas affert ſecum determinatam veritatem propoſitionum abſolutarum de futuro contingenti: ergo ſecunda neceſsitas afferet ſecum determinatam veritatem propoſitionum conditionalium de futuro contingenti; ac proinde ſicut illud datur ſine impedimento vllo libertatis, & contingentiæ, dabitur ſecundum.

31 Probatur ſextò. Specialiter contra eos, qui fatentur erga conditionalia contingentia non aliam determinatam veritatem inveniri, quam coniecturalem, vt dicunt, id eſt, quæ deſumitur à coniecturis, ſeu inclinatione hypotheſis in conditionatum, vel ſecundum ſe conſideratæ, vel in conſortio aliarum circunſtantiarum, quæ poſſent occurrere, & quæ magis vrgerent in extremum determinatum; v. g. *conſenſum liberum*; quàm in oppoſitum, & è contra, Nam vel propoſitio reſpiciens prædictas coniecturas, & circunſtantias tenentes ſe ex parte hypotheſis ſiſteret purè in ipſis, nihil affirmando circa exiſtentiam conditionati, ſi prædictæ circunſtantiæ ponerentur, vel vltra tranſiret ad affirmandum conditionatum ſub exiſtentia, & ex motivo ipſarum taliter, vt iudicium non eſſet tantum *obiectivè* coniecturale; verùm *ſubiectivè* affirmando conditionatè exiſtentiam extremi ſub exiſtentia coniecturarum, & ex motivo ipſarum? Si primum: hoc eſt penitùs abolere veritatem propoſitionum de futuro conditionato contingenti, & tantum adſtruere veritatem determinatam in propoſitionibos de futuro conditionato neceſſario. Patet id ex eo, quod illud iudicium purè, & præciſè ſiſtens in coniecturis, & circunſtantijs obiectivis habe-

beret hunc modum tendendi, vel alium æquivalentem: *Si crâs existant in Petrò tales, vel tales circunstantiæ, talis, aut talis libertas, erit, aut maior inclinatio, aut maior probabilitas, aut omnimoda necessitas moralis ad consensum; quàm ad disensum, aut omnimoda indifferentia ad vtrumque extremum:* sed iudicium hoc est de veritate obiectiva conditionali necessaria: cum nihil aliud affirmet præter naturam, & conditionem libertatis, & circunstantiarum obiectivarum ex suppositione, quod sint: ergo veritas prædicti iudicij non esset de futuro contingenti conditionato; sed de futuro necessario conditionato: ac per consequens nulla esset determinata veritas conditionalis contingens de futuro.

32 Si propterea dicatur secundum; destruunt id ipsum, quod adstruere intendunt nempè: nullam aliam esse veritatem determinatam erga futura conditionalia contingentia, quàm coniecturalem; nam tunc casus modus tendendi propositionis, & iudicij sic se haberet: *Si detur talis libertas, aut talis dispositio ex parte causæ erit, aut tale determinatum extremum liberum, aut talis determinatus effectus*: vnde propositio resolutè tenderet in conditionatum sub existentia conditionis, quamvis ex incertitudine motivi, cui inniteretur intellectus, tantùm evaderet iudicium, aut probabile, aut certum tantùm moraliter, aut ad summum certum physicè: iam si hypothesis illa assumpta, & circunstantiæ se tenentes ex parte conditionis fallerent, quoad conditionatum casu, quo existerent per coniunctionem sui cum carentia conditionati, & effectus, vt coniungi possunt, quando in ipsis non residet connexio metaphysica cum conditionato; iudicium illud sic tendens in conditionatum esset modo determinatè falsum ex non coniunctione futura conditionatè hypothesis cum conditionato: si verò non fallerent; sed coniungerentur casu, quo existerent, vt coniungi possunt, illud iudicium esset nunc determinatè verum: ergo ex tali assertione infertur contra id, quod sentiunt, determinata veritas, aut determinata falsitas propositionum de futuro contingenti conditionato plusquam coniecturaliter: siquidem illa determinata veritas, aut determinata falsitas, quæ in redaretur, in se non esset tantum coniecturaliter; sed determinatissimè ea determinatione, qua necessarium est, esse quodvis ex suppositione, quod sit.

33 Vnde liquet terminos illos: *Veritatis determinatæ coniecturalis*, quibus vtuntur aliqui Authores, nihil deservire ad tuendam aliquam determinatam veritatem in propositionibus conditionalibus de futuro contingente conditionato: nam licèt quoad speciem, eam concedere insinuent, re tamen perpensa totam determinationem veritatis convertunt ad futurum conditionatum necessarium, quale est illud quod correspondet iudicio verò obiectivè tantùm coniecturali, cautè fugientes determinationem veritatis circa aliud iudicium subiectivè coniecturale, probabile, moraliter, aut physicè certum, cui correspondet futurum conditionatum contingens, vt tale, ne incidant in veritatem determinatam propositionum, quam negant, non aperto ore, sed involucris illis *veritatis determinatæ* obiectivè coniecturalis.

34 Nec prætermittendum, vt omninò appareat, quàm impertinens, & extra rem sit illa veritas conditionata admissa ab his Authoribus ad determinatam veritatem futurorum contingentium conditionatorum, sæpè hypothesim, & dispositionem tenentem se ex parte causæ ad effectum continere plenam indifferentiam ad vtrumvis; quin plus in vnum, quàm in oppositum extremum ferantur, vt accidit quando libertas ita est in æquilibrio posita, temperatis hinc inde ad pondus, & æqualiter rationibus allicientibus, & retrahentibus taliter, vt penès solam voluntatem dominativam sit determinatio in vnum præ alio, quo casu in conditionali constituta per hypothesim huius determinatæ libertatis tantùm esset verùm conditionaliter, quod *si daretur crâs in Ioanne*; v. g. *talis libertas, esset plena, & omnimoda indifferentia ad vtrumvis*, quin aliud esset determinatè verum: sed quid hoc cum determinato extremo libertatis, quod sub existentia eiusdem, non deficeret; esset nè vera propositio, quæ illud conditionatè sub existentia libertatis affirmaret? Negare tenentur, vt suam protegant sententiam; verùm omisso mirabile quoddam esse, & plusquam mirabile deficere determinatam veritatem in propositione, cui obiectum, vt per ipsam affirmatur, correspondet, inferam tantum: ergo veritas

illa

illa determinata, quæ per te datur in propoſitione conditionali, præſcindit omninò à veritate conditionata contingenti: ac propterea extra rem adducitur ad leniendam difficultatem ex non determinata veritate, & falſitate propoſitionum conditionalium de obiecto futuro contingenti.

35 Dicta graviter ſuadet communis apprehēſio, & naturalis exiſtimatio omnibus inſita pro veritate determinata, & falſitate determinata propoſitionum de futuro contingenti conditionato, quam ponderationem latè proſequitur Ruiz diſp. 68. de Scientia ſect. 5. & inſtruitur variè: tum quia quando infelix, & ſiniſter aliquis eventus proveniens ex cauſis liberis tribuitur imprudentiæ, & inconſiderationi dirigentis actionem, & exequentis media in ordine ad finem intentum, ſolet parari excuſatio in limitatione noſtræ cognitionis, quam latet eventus conditionatus, qui ſub his, vel illis circunſtantijs contingeret, aut contingit, quod minimè fieret, ſi prædictæ veritates, aut non darentur, aut non eſſent affirmabiles, & cognoſcibiles: etenim minimè tribui poteſt limitationi in cognoſcendo defectus cognitionis, & Scientiæ illius, quod incognoſcibile, & inſcibile eſt: cum id accidat etiam reſpectu mentis perſpicaciſſimæ, cuius aciem non minuit, non ſcire illud, quod à nemine ſciri poteſt ex defectu veritatis obiectivæ, quæ talis non eſt: aliàs, qui non ſciret aliquid vltra omne, quod ſcibile ſit iure diceretur limitatus, & defectuoſus in cognoſcendo, quod quantum diſtet à veritate per ſe eſt conſtans.

36 Confirmatur: ignorantia non eſt eorum, quæ verè affirmari non poſſunt ex defectu correſpondentiæ obiectivæ, & aptitudinis ad affirmationem, & tendentiam aſſertivam, quomodo nō dicitur ignorans ille, qui falſa non cognoſcit, vt vera, aut vera, vt falſa. At ignorantiæ tribuitur inſcitia futurorum contingentium, vt conſtat Prov. 27. *Ne glorieris in craſtinum ignorans quid ſuperventura pariat dies*: ergo conditionata contingentia ex ſe ſcibilia, & iudicabilia ſunt: propterea que habentia determinatam veritatem correſpondentem ſcientiæ illorum. Nec dicas ibi loqui de futuris contingentibus abſolutis; non de conditionatis: quia id evincitur falſum, cum ibi ſenſus ſit de futuro contingente pendente à gloriatione in præſenti die, à qua avertere intenditur per propoſitionem ignorantiæ illius, quod ſub gloriatione præſenti, & ex ſuppoſitione illius die craſtina contingeret modo non abſimili ei, quo non infrequenter ſolemus inte ndere revocare alios, vel ab actione prava, vel à repetitione facti ardui, & difficilis per propoſitionem contingentiæ ſimul cum ignorantia ſuplicij imminentis, aut infelicis eventus, qui ſub exiſtentia earum actionum poteſt determinatè exiſtere: ſic Chriſtus Dominus, Ioannis cap. 5 hominem illum, quem à diuturno morbo liberaverat, monuit, dicens: *Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Nam ſuplicium, quod tu ignoras proximè eventurum ſub tuo peccato, poteſt habere determinatam veritatem conditionalem contingentem, ex qua verùm ſit: *Si exiſtat in te peccatum, cum pœna, & ſuplicio debito coniungetur*: idque voluit Chriſtus modo illo indeciſo more noſtro proponere, quamvis certiſimè quid ſub illa hypotheſi contingenter accideret, cognoſceret: merito igitur, vt planiſsimum ſuppoſuit Nazianzenus orat. 40. *in Sanctum Baptiſma* verſus medium: explorabiles eſſe ex ſe, & verè ſcibiles prædictas veritates conditionales contingentes, quando, vt depelleret moram aliquorum in recipiendo baptiſmate dixit: *Si tibi exploratum eſſet, fore, vt ita ſentiens, ac de labore, & operatione aliquid malitiosè ſubtrahens baptiſmum conſequereris, ignoſcendum tibi eſſet.*

37 Tum etiam ex multis prolationibus conditionatis de futuro contingenti, quæ non ſine contemptu accipiuntur ab audientibus, & ſtatim, vt falſę reijciuntur, quod non fieret à prudentibus, & cordatis, ſi talia obiecta eſſent iniudicabilia, & inenuntiabilia, taliter, vt ſtrictæ propoſitiones ad ipſa non reſpicerent: ſic comprobat experientia ipſa frequentiſsima in aliquibus, qui nimis ſtolidè de ſe confidentibus magna, & ardua blaterant, ſi hæ, vel illæ circunſtantiæ ſibi occurrerent, aut alienas actiones carpunt, quaſi in eadem occaſione poſsiti ipſi rectius eſſent operaturi, cum aliunde in minoribus experti ſint timidi, & oneri ſuccumbentes: in his ergo tales affirmationes ſine cunctatione vlla reputantur, vt falſæ, & nullus ex circunſtantibus eſt, cuius menti non inſideat reſolutiſsimè: *Non ita contingeret: ſed*

sed potius oppositum. Et vt gravius resista tractetur, & vis ponderationis magis eluceat, non deficiunt exempla in sacris literis, quibus similes prædictiones conditionatæ contingentes proponuntur, vt fallæ qualis fuit illa D. Petri ad Christum Dominum. Matth. 26. & Marci 14. *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor*: & rursus. *Etiam si opportuerit me mori tecum, non te negabo: similiter & omnes discipuli dixerunt*: quæ licèt à proferente putaretur vera, non sic à Christo cognoscente eam, vt falsam: quomodo eventus ipse comprobavit: super quo August. Serm. 124. de Tempore, initio inquit: *Medicus prædicebat, & ægrotus negabat. Sed vbi ad horam ventum est, falsum fuit, quod promisserat homo, & verum apparuit, quod prædixerat Deus.* & illa Matth. cap. 23. ex qua Christus Dominus, Iudæis improperavit, scilicèt: dicitis: *Si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum Itaque testimonio estis vobis metipsis: quia filij estis eorum qui Prophetas occiderunt; & vos implete mensuram Patrum vestrorum*: quamque falsam ostendit, propterea quod illi similes essent in morum pravitate suis Progenitoribus: vnde pariter fuissent participes in sceleribus, & sanguine Prophetarum. Nec non illa Satanæ, Iob cap. 1. *Tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* & cap. 2. *Tange os eius, & carnem, & tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi.* Significans Iobum non retenturum innocentiam, & morum puritatem. *si ponerentur conditiones illæ* adversitatum, & tentationum, contra verò Deus falsitatem prædictionis implicitè insinuans per concessionem illam purificationis hypothesis: *Ecce vniversa, quæ habet in manu tua sunt, ne extendas manum tuam.*

38 Accedit, quod apud prudentes assertiones conditionales contingentes non refutantur, vt innanes, nec voces, quibus significantur, vt non habentes sensum, & tanquam si à Pitacho proferrentur, vt accideret, si strictum iudicium conditionatum formari non posset; verùm in eam partem inclinant in quam hypothesis, & circunstantiæ magis feruntur, quod si indifferentes omninò sunt ad conditionatum, ancipites, & in ambiguo manent, nec decernentes falsitatem nec veritatē concedentes, donec ex ipso eventu colligant vnum, vel alterum extremum, taliter, vt si purificata hypothesi conditionatum eveniat, vti assertū protulit, continùo veritatem prædictionis confirment; si verò secus accidat, & sub existentia conditionis conditionatum deficiat, falsitatem ipsius redarguant in prædicentem. Nec parum favet desiderium commune omnibus investigandi num veræ, num falsæ fuerint dictæ conditionales? quod non accenderetur, si veritatis & falsitatis determinatæ essent incapaces: quomodo non ferimur ardenter in assequutionem rei impossibilis, & quæ non nisi chymæricè, & cum metaphysica repugnantia potest obtineri:

39 Idem intentum promovet recepta praxis Theologorum, & Iurisconsultorum decernentium sæpè, tàm in foro conscientiæ, quàm exteriori obligationem restituendi per recursum ad has conditionales contingentes, vt patet in casu, & exemplo possessoris malæ fidei, cuius obligatio restituendi rem alienam, incrementum, aut fructum illius pensatur penes conditionales: *Num si existeret apud dominum periret, vel asservaretur: num distraxisset ante periculū destructionis? Num distulisset in tempus, quo pretium eius augeretur, vel minueretur? Num agros pecuniam, aut rem familiar. m ita curasset, vt magnos proventus percepisset, vel ita negligenter, vt vtilitas, quæ alijs solicitis proveniret, ei deficeret.* Et sic in alijs conditionalibus ex quarum veritate, aut falsitate prudenter iudicata, iam nullam obligationem restituendi, iam maiorem, iam minorem definiunt: nec sistunt in sola cognitione coniecturarum quæ favent eventui; sed progrediuntur vlterius ex coniecturis ad veritatem, vel falsitatem eventus, cum quibus sunt coniungibiles coniecturæ ex parte hypothesis, vt inde quæstionem, & dubium obligationis resolvant: aliter, & extra prudentiam esset consideratio hypotesis, & coniecturarum, quibus nulla determinata veritas, aut falsitas posset obtingere: sicut nec formari iudicium prudens circa id, quod sub ipsis esset, aut non esset. Quæ omnia determinatam veritatem, & falsitatem propositionum de futuro contingenti conditionato consonam esse lumini ipsi rationis satis ostendunt.

40 Fundamenta proposita probant sine vlla restrictione determinatam veritatem; aut falsitatem omnis propositionis de futuro contingenti con-

conditionato Vnde concluſio venit intelligenda, tàm de propoſitionibus de futuro conditionato pertinente ad noſtram libertatem, quàm de futuro conditionato pertinente ad libertatem diuinam, tam de conditionalibus influxiuis, quàm de puris coniunctiuis. Nam cùm ex parte obiecti omnes iſtæ veritates conditionales contingenter ſuo modo ſint, propoſitiones omnes eis correſpondentes, aut ab *eſſe* conditionato erunt determinatè veræ, aut à non *eſſe* conditionato erunt determinatè falſæ.

41 Ex eiſdem manet reiectus Mag Palanco, qui licèt cum communi concedat veritatem determinatam futurorum contingentium conditionatorum in ſingulari, & propoſitionem ſingularium correſpondentium prædictis futuris; tamen poſt extra orbitam, & declinans in illam ſententiam Aureoli, quam ſupra retulimus diſput. 14. cap. 1. diſcrepat circa medium probativum concluſionis, non admittens ex disiunctione cõtradictoriorum ſub hypotheſi rectè probari determinatam veritatem conditionatam, vel poſitivam, vel negativam de conditionato ſub hypotheſi. Itaque tom. 2. diſp. 5. quæſt. 6. à num. 319. inquit, loquendo de hac hypotheſi; v. g. *Auxilium, ſeu libertatem determinatam A. in Petro*, poſſe dari ſtatum quendam præciſionis, tum ab hac veritate determinata, *ſi exiſtat auxilium, ſivè libertas determinata A in Petro, exiſtet conſenſus liber*, tum ab altera oppoſita: *Si exiſtat auxilium, ſivè libertas determinata A in Petro, exiſtet diſſenſus liber, ſeu non conſenſus liber*: quia poteſt Deus quoad vtramque veritatem ſuſpendere ſuum decretum, aut exercitium liberum *ſubiectivè* abſolutum, & *obiectivè* conditionatum, quod in eius ſententia ſe habet, vt futuritio conditionata, & forma futuri conditionati; quomodo per conſequens in tali ſuppoſitione poſsibili, & Deo libera non erit futurus conditionatè *conſenſus liber* ſub tali hypotheſi, neque *diſſenſus*, aut *non conſenſus liber*. Nam licèt inter *eſſe veram*, & *non eſſe veram*, quamvis ex prædictis propoſitionibus, non detur medium; datur verò inter *eſſe veram conditionalem de conditionato affirmativo conſenſus liberi*, & *eſſe veram conditionalem de conditionato negativo diſſenſus, ſeu non conſenſus liberi*, ex eo quod nec vna, nec altera ſit vera; imò potiùs vtraque falſa.

42 Manet, inquam, reiectus, tum ex generalitate, qua cum Ariſtotele vtitur D. Thomas medio *disiunctionis* inter contradictoria ad probandam determinatam veritatem propoſitionum ſingularium de futuro contingenti, nullo facto diſcrimine inter *conditionales*, & *abſolutas*, quomodo fit clarum omnes ſub prædicto medio probativo comprehendiſſe: tũ ex conſequentia mihi irrefragabili à veritate determinata propoſitionũ abſolutarum ad veritatem determinatã propoſitionũ *conditionalium*, & è cõverſo. Etenim quidquid enervet veritatem determinatam alicuius ex propoſitionibus oppoſitis contentis ſub hypotheſi memorata per præciſionem veritatis determinatæ, tàm in vna, quàm in altera, pariter infringit veritatem determinatam alicuius ex propoſitionibus *abſolutis* oppoſitis de futuro, quales ſunt: *Petrus peccavit cràs*: *Petrus non peccabit cràs*; imò ex de præſenti propter ſimilem præciſionem à veritate vnius, & alterius; quin neceſſaria disiunctio inter contradictoria abſoluta, ſivè *de futuro*, ſivè *de præſenti*, amplius convincat; quàm vnam, vel alteram *disiunctim*, & in ſuppoſitione confuſa debere eſſe veram; neutram vero *determinatè*, ſivè in ſuppoſitione disiunctiva, qualiter corruit principale, & efficaciſsimum argumentum ad probandam determinatam veritatem propoſitionum *de futuro abſoluto* contingente; imò & de *præſenti*; & patet additus cuivis reſpondenti, vt ſe protegat in latebris ſuppoſitionis *confuſæ*, inquiens: Argumentum illud duntaxat convincere veritatem determinatam in ſuppoſitione *confuſa*; ſecus in ſuppoſitione *determinata*. Vnde poſsibilis erit ſuppoſitio, in qua per ſuſpenſionem exercitij divini liberi, nec ſit verum determinatè: *Petrum peccaturum cràs*; nec *Petrum non peccaturum cràs*; imò vtrumque falſum, & tantum verum diſiunctim, vel *Petrum peccaturum*, vel *non peccaturum cràs*.

43 Verum oportet aliquantulum immorari, & vim huius illationis amplius oſtendere ſub hac forma. Non minus neceſſarium eſt ſub exiſtentia libertatis determinatæ *A*, exiſtere, aut *conſenſum liberum*, aut *non conſenſum liberum*; quam ſub exiſtentia disiunctionis ne-

neceſſariæ duplicis contradictorij, exiſtere vnum, aut alterum illorum: ſed per te *libertas* ſumpta ex parte hypotheſis poteſt componi cum defectu veritatis determinatæ conditionatæ, tàm *conſenſus liberi*; quàm *non conſenſus liberi*: ergo disiunctio neceſſaria duplicis contradictorij poteſt componi cum defectu veritatis determinatæ abſolutè, tàm vnius, quàm alterius contradictorij. Mai. eſt certa: nam nulla ſuppoſitio poſsibilis, vt eſt libertas, poteſt præſcindere ab exiſtentia vnius ex contradictorijs ob illud evidentiſsimum principium, *quodlibet eſt, vel non eſt*. Min. eſt huius Authoris, & conſeq. Prob. Neceſsitas coexiſtendi libertatem, vel *conſenſui libero*, vel *non conſenſui libero* reddit neceſſariam hanc conditionalem: *ſi exiſtat libertas exiſtet ſub ipſa conſenſus, vel non conſenſus liber*, quæ quidem connectitur non minus disiunctim, cum his veritatibus, *ſi exiſtat libertas exiſtet conſenſus liber*: *ſi exiſtat libertas exiſtet non conſenſus liber*; quàm disiunctio duplicis contradictorij connectitur disiunctim cum his veritatibus abſolutis; v. g. *exiſtet Petrus*: *non exiſtet Petrus*, aut *exiſtet defectus Petri*: ergo ſi libertas in ratione hypotheſis poteſt præſcindere à veritate conditionali determinata, tàm *conſenſus*, quàm *non conſenſus liberi*, disiunctio neceſſaria inter quævis contradictoria poterit præſcindere à veritate determinata cuiuſvis.

44 Confirmatur primò: id quod exiſtens abſolutè non poteſt præſcindere ab vno ex contradictorijs hoc, vel illo, eſt id quod ſi detur non poteſt præſcindere conditionatè ab vno ex contradictorijs hoc, vel illo, vt patet repetitis exemplis: nam quia modus exiſtens abſolutè non poteſt præſcindere ab exiſtentia rei, cuius eſt modus ſumptus in hypotheſi non poteſt præſcindere conditionatè ab exiſtentia rei, cuius eſt modus: quia contingens, vt exiſtens abſolutè non poteſt præſcindere ab exiſtentia Dei, ſumptum in hypotheſi non poteſt præſcindere conditionatè ab exiſtentia eiuſdem: quia homo vt exiſtens abſolutè non poteſt præſcindere ab exiſtentia animalis rationalis, ſumptus in hypotheſi non poteſt præſcindere conditionatè ab hoc quod ſit animal rationale: ſed per te libertas determinata, vt exiſtens abſolutè non poteſt præſcindere, tàm à conſenſu, quàm non conſenſu liberis: ergo nec ſumpta in hypotheſi poterit præſcindere conditionatè, tàm à conſenſu; quàm non conſenſu liberis: ergo vel iſta diſiunctio non poteſt præſcindere, tàm à veritate determinata huius conditionalis: *Si exiſtat libertas, exiſtet conſenſus liber*; quàm ab hac: *Si exiſtat libertas, exiſtet diſſenſus*; *aut non conſenſus liber*, vel ſi poteſt pariter disiunctio inter abſoluta poterit componi cum præciſsione à veritate determinata vnius, & alterius contradictorij.

45 Confirmatur ſecundo. Non minus per te eſſentialiter requiritur ad hanc veritatem conditionalem: *Si exiſtat libertas determinata A, exiſtet conſenſus liber*, decretum liberum Dei *ſubiectivè* abſolutum, & *obiectivè* conditionatum id decernens; quàm ad hanc veritatem abſolutam: *Petrus cràs exiſtet* decretum *ſubiectivè*, & *obiectivè* abſolutum liberum Deo id decernens: ſed defectus decreti liberi Dei *ſubiectivè*, & *obiectivè* abſoluti erga hanc veritatem abſolutam *Petrus exiſtet cràs*, reddit veram determinatè hanc propoſitionem *Petrus non exiſtet cràs*: ergo defectus decreti liberi Dei *ſubiectivè* abſoluti, & *obiectivè* conditionati erga hanc veritatem: *Si exiſtat libertas A exiſtet conſenſus liber* reddit veram hanc propoſitionem determinatam: *ſi exiſtet libertas A, exiſtet diſſenſus ſeu non conſenſus liber*: ſed per te defectus decreti liberi Dei *ſubiectivè* abſoluti, & *obiectivè* conditionati præſcindit à veritate huius alterius propoſitionis: *Si exiſtat libertas A, exiſtet diſſenſus, ſeu non conſenſus liber*: ergo defectus decreti liberi Dei *ſubiectivè*, & *obiectivè* abſoluti erga hanc veritatem: *Petrus exiſtet cràs*, præſcindit etiam à veritate huius alterius propoſitionis: *Petrus non exiſtet cràs*: ac proinde par erit præciſsio inter conditionata, ac inter abſoluta, aut par determinatio, vt ſi vna propoſitio non ſit vevera; ſit altera vera. Nec ſit recurſus ad disiunctionem non permittentem medium inter contradictoria, cum apud ipſum non minus ſit neceſſaria disiunctio inter conſenſum liberum, & non conſenſum liberum ſub exiſtentia libertatis determinatæ *A*; quàm eſt neceſſaria disiunctio inter hæc contradictoria: *Petrus exiſtet cràs*: *Petrus non exiſtet cràs*.

46 Confirmatur tertiò: Per te inter

inter defectum exercitij liberi divini requisiti ad hanc veritatem absolutam : *Petrus existet crâs* , & existentiam exercitij liberi divini requisiti ad veritatem absolutam oppositam : *Petrus non existet crâs* , non datur medium : ergo neque datur medium inter defectum exercitij liberi divini requisiti ad hanc veritatem conditionalem : *si existat libertas determinata A, existet consensus liber* , & existentiam exercitij liberi divini requisiti ad hanc veritatem conditionalem oppositam: *Si existat libertas determinata A, existet dissensus*, *seu non consensus liber.* Prob. consequentia : ideo primum est verum, quia deficienti exercitio libero Dei requisito ad hanc veritatem absolutam: *Petrus existet crâs*, necessariò intelligi debet defectus huius veritatis : *Petrus existit crâs*, qui defectus necessario secum affert *Petrum non exiturum crâs* : sed deficienti exercitio libero Dei requisito ad hanc veritatem conditionalem : *Si existat libertas determinata A, existet consensus* necessario debet intelligi defectus talis veritatis, qui defectus etiam necessario secum affert : *Si existat libertas determinata A, non existet consensus liber* : ergo inter defectum exercitij liberi divini requisiti ad hanc veritatem conditionalem : *Si existat libertas determinata A, existet consensus liber* , & existentiam exercitij liberi divini requisiti ad veritatem conditionalem oppositam non datur medium. Probatur minor. Non esse verum : *Si existat libertas determinata A, existet consensus liber* , est esse falsum : *Si existat libertas determinata A, existet consensus liber* : sed esse falsum : *Si existat libertas determinata A, existet consensus liber* , est esse verum : *Si existat libertas determinata A, non existet consensus liber* : ergo deficienti exercitio libero Dei requisito ad hanc veritatem conditionalem : *Si existat libertas determinata A, existet consensus liber* necessario debet intelligi defectus talis veritatis, qui secum necessario trahit , vt verum : *Si existat libertas determinata A, non existet consensus liber.*

47 Id amplius vrgetur. Per te deficienti decreto *subiectivè* absoluto, & *obiectivè* conditionato correspondenti huic veritati : *Si existat libertas determinata A , existet consensus liber,* non est talis veritas conditionalis: ergo est defectus talis veritatis : sed defectus talis veritatis est hæc altera veritas : *Si existat libertas determinata A, non existet consensus* : ergo inter vnam , & alteram veritatem non datur medium ex defectu decreti , sivè exercitij liberi divini. Probatur min. In qua est difficultas. Non esse huius veritatis conditionalis : *Si existat libertas determinata A , existet consensus liber,* in primis non est defectus *conditionis,* quia cum defectu conditionis stat veritas conditionalis: dari enim valet veritas conditionalis de conditione non purificanda , dummodo non sit ex intrinsecis veritatis conditionalis: neque consistit in defectu *hypothesis,* & *conditionati complexivè accepto* , propter similem rationem , nam existere potest veritas conditionalis cum defectu hypothesis , & conditionati , vt per se est patens quoties non existit hypothesis conditionalis veritatis , ac proinde neque id quod verum est conditionatè exiturum sub ipsa , si ipsa existeret : neque in defectu *illationis hypothesis ad conditionatum* ; vel quia talis veritas non est illativa ; sed purè coniunctiva , alias non conditionalis contingens ; verum necessaria foret , vt supra manet probatum loquendo de constitutivo veritatis conditionalis, vel quia etsi veritas talis conditionalis esset illativa, *purus defectus illationis* hypothesis ad conditionatum non inducit defectum veritatis conditionalis , nisi inducat oppositum conditionati sub existentia hypothesis : ergo defectus illius veritatis conditionalis consistit ad summum , *in defectu conditionati consensus liberi sub hypothesi libertatis provt illato ex defectu libero Deo decreti subiectivè absoluti , & obiectivè conditionati* circa hanc veritatem : *Si existat libertas determinata A, existet consensus liber* : quomodo inter defectum illius , & existentiam alterius veritatis conditionalis oppositæ non est medium , cum defectus vnius sit existentia formalis alterius.

48 Adhùc insisto ad idem intentum. Defectus decreti *subiectivè* absoluti , & *obiectivè* conditionati circa hanc veritatem conditionalem : *si existat libertas determinata A, existet consensus liber* , permittit ex se existentiam libertatis determinatæ *A*, vel quia ex se permittit existentiam alterius decreti oppo-

poſiti, nimirum: *Si exiſtat libertas determinata A, non ſit conſenſus liber*, aut *ſit diſſenſus liber*, vel quia ſicut tale decretum exiſtens permittit defectum hypotheſis, ſic defectus eiuſdem decreti componitur cum eo, quod exiſtat id quod eſſet hypotheſis exiſtenti tali decreto: ſed non aliter permittere poteſt exiſtentiam *libertatis determinatæ A*, niſi connexus cum carentia conſenſus liberi ſub tali libertate: nam cum excludat conſenſum liberum, ſi *libertas determinata A exiſtat*, connecti neceſſe eſt cum defectu conſenſus liberi, ſi eadem libertas determinata *A* exiſtat, qualiter vera debet eſſe hæc altera propoſitio: *Si exiſtat libertas determinata A, non exiſtet conſenſus liber, ſeu exiſtet diſſenſus liber*: ergo inter vnam, & alteram veritatem determinatam, & conditionalem non datur medium.

49 Roboratur: ſi forma futuri conditionati, ſeu conditionata futuritio non conſiſteret in decreto *ſubiectivè abſoluto*, & *obiectivè conditionato*, vt volunt Thomiſtæ, inter has veritates conditionales determinatas: *Si exiſtat libertas determinata A, exiſtet conſenſus liber: ſi exiſtat libertas determinata A, non exiſtet conſenſus liber, ſivè exiſtet diſſenſus liber*, & ſic de alijs, non daretur medium: ergo etiam ſi forma futuri conditionati, ſivè conditionata futuritio conſiſtat in tali decreto, inter veritates conditionales, & veritatem propoſitionum eis correſpondentium non erit medium. Prob. conſeq. quia quando ſtatus aliqui ita inter ſe oponuntur, vt inter vnum, & alterum non ſit medium, quod requirant, vel conſtituantur per aliquid poſitivum, non eſt in cauſa, vt inter prædictos ſtatus detur ſtatus medius, vt conſtat: nam quia *eſſe*, & *non eſſe* rei taliter inter ſe opponuntur, vt impoſsibile ſit vtrumque deficere, & neceſſarium alterum eorum exiſtere, etiam ſi conſtituantur per aliquid poſitivum, quomodo contingit in ſententia probabili conſtituente carentias rerum poſitivarum contingentium in aliquo poſitivo incomponibili, conſervant eandem impoſsibilitatem, & neceſsitatem: inſuper quia *eſſe*, & *non eſſe* abſolutum, ſivè de præſenti, ſivè de futuro, ita comparantur inter ſe, vt nō detur medium, quamvis impoſsibilis ſit iuxta communem & probabilem ſententiam, pura omiſsio libera in Deo, qua ratione neceſſarium eſt ad *non eſſe* abſolutum rei poſitivæ contingentis decretum liberum Dei, conſervant ſub tali impoſsibilitate modum eundem oppoſitionis, ex qua non poſſunt ſimul deficere: ergo etiam ſi forma futuri conditionati conſiſtat in decreto *ſubiectivè* abſoluto, & *obiectivè* conditionato inter prædictas veritates obiectivas conditionales, & veritatem propoſitionum eis correſpondentium non erit medium.

50 Hinc iudicarem impertinens, venia huius Authoris, id in quo magnam vim ſibi parat, vt hanc ſingularem ſententiam ſuſcitet, & protegat, ſcilicet futuritionem conditionatorum contingentium conſiſtere in decreto, vel quia, vt latè manet probatum in quæſtionibus de conſtitutivo futuri, argumenta Scholæ Thomiſticæ, ſi aliquid nobis probant, non probant conſtitutionem futuri per decretum, quaſi per formam; ſed ad ſummum prærequiſitionem decreti, & quidem in conditionatis etiam *ſubiectivè* conditionatè tantum intellecti ad formale futuri, vt in hoc ſalvetur dependentia, & in Deo ſupremum dominium, vel quia etiam ſi probarent futuritionem formalem conſiſtere debere in decreto, aut altero exercitio Dei libero, inde ſolum proveniret, quod inter vnum, & alterum decretum, inter vnum, & alterum exercitium liberum Dei non detur medium; ſecus quod propter talem conſtitutionem poſsit Deus ita ſuſpenſivè ſe gerere, vt nec vna nec altera veritas conditionalis determinata ſuo modo detur.

51 Impugnatur inſuper ab abſurdis. Quorum primum eſt: nam ſi Deus poſſet ex ſua libera determinatione ita præciſivè ſe habere in ordine ad hypotheſim, vt nec extremum poſitivum, nec negativum ſit determinatè verum conditionatè ſub ipſa, eo quod in determinata linea oppoſitorum, ſic præciſivè ſe gereret, deberet in omni linea pariter præciſivè ſe habere, nec poſſet talis entitas exiſtere, vt hypoteſim in quacumque alia linea: explico, & ponamus caſum præciſionis reſpicere *alterum mundum* ſub quo nec Deus decreverit conditionatè *Incarnationem Spiritus Sancti*, nec *defectum talis Incarnationis*: vnde nec ſit verum: *ſi exiſteret alter mundus, incarnaret Spiritus Sanctus*; nec *ſi exiſteret alter mundus non incarnaret Spiritus Sanctus*. Intendo igitur, eo ipſo quod Deus ita præ-

ciſsivè conditionatè ſe haberet, quoad alterum mundùm in ordine ad hæc oppoſita: *Incarnatio Spiritus Sancti*: *Non incarnatio Spiritus Sancti*, deberet ſimiliter præciſsivè ſe habere in ordine ad omnem veritatem cuiuſcumque lineæ, quæ formari poſſet erga *alterum mundum*, vt hypotheſim. Ratio eſt: quia ſi ſub præciſsione in illa linea poſſet decerni *alter mundus* conditionatè, vt hypotheſis in ordine ad alia obiecta; v. g. *exiſtere cum Angelis*, aut *ſine Angelis*; poſſet per conſequens ſub tali præciſsione *mundus alter* exiſtere, quod ingens chymæra foret. Nam ſi exiſteret in re *alter mundus*, aut exiſteret determinatè cum *incarnatione Spiritus Sancti*, aut cum carentia *incarnationis Spiritus S.* quomodo toleretur præciſsio, cui ſupponitur coexiſtere: ergo nè hoc dicatur, dicendum neceſſario erit: præciſsionem illam exercitam circa alterum mūdum ſecum afferre ſimilem præciſsionem in omni linea, imò ſecum afferre neceſsitatem, vt non exiſtat *alter mundus*; aliter ſi cum ipſa poſſet exiſtere, rediret argumentum ex eo quod tunc, aut deberet exiſtere cum *incarnatione Spiritus Sancti*, aut *cum carentia illius*, quomodo deſtrueretur præciſsio, cui coexiſteret.

52 Iam quam abſurdum ſit iſtud conſequens per ſe innuitur: Nam quid præciſsio in ordine ad *incarnationem Spiritus Sancti*, cum præciſsione eiuſdem mundi ab omni altero conditionato, quod ſub altero mundo poteſt exiſtere, ſivè poſitivum ſit, ſivè negativum? Quid vlterius præciſsio *alterius mundi*, in ordine ad futuritionem conditionatam *incarnationis Spiritus Sancti*, vel conditionatam futuritionem *non incarnationis eiuſdem* cum non exiſtentia alterius mundi? Vnde mirabilibus adhùc ſubinfertur: præciſsionem futuritionis conditionatæ in certa linea inducere futuritionem abſolutam defectus abſoluti alterius mundi, cum benè valeat: *Deus præciſsivè ſe habet conditionatè in ordine ad incarnationem, & non incarnationem Spiritus Sancti ſub altero mundo: ergo alter mundus non erit.* Quæ ſi devorentur ab hoc Authore negari non poterit multò ſtare ipſi compoſitionem ex rebus tam diſsitis, & incompoſitis, quæ, vt connexa inter ſe difficile eſt veniſſe in mentem.

53 Deinceps ad hominem contra ipſum deducitur eſſe admittenda plura futura conditionata non revelata, quod negat num. 319. quæſt. 6. iam citatæ referens pro ſe Mag. Ioannem à S. Thoma. Nam ſi non poteſt dari præciſsio à futuritione conditionata intra certam lineam reſpectu illius, quod poſſet eſſe hypotheſis, quo ad veritates illas conditionatas cum exiſtentia eiuſdem, infertur per oppoſitum: *Omne id quod abſolutè exiſtit eſſe hypotheſim ſine præciſsione in omni linea diſiunctionis contradictoriorum, quæ reſpicere poteſt*: ergo coniungitur cum infinitis veritatibus contingentibus conditionalibus, reſpectu quarum poteſt eſſe hypotheſis: ſed non omnes iſtæ ſunt revelatæ, vt per ſe eſt conſtans: ergo plura; imò innumera futura contingentia conditionata, vltra revelata, ſunt concedenda. Declaro: ponamus abſolutè exiſtentem Petrum, quem exiſtere abſolutè cognoſcimus. Iam ſi hic quoad aliquas veritates cōditionales oppoſitas præciſsivè ſe haberet, non exiſteret, vt manet probatum: ergo ſi exiſtit in vlla linea veritatum conditionalium oppoſitarum habet præciſsionem: ergo in omni linea coniungitur cum vnā ex veritatibus conditionalibus ex ſe oppoſitis: ſed nō omnes iſtæ ſunt revelatæ, provt iudica iſtas: *Si Petrus exiſtat, Ioannes non ſalvabitur: ſi Petrus exiſtat, mille apud Indos veram Religionem, & baptiſmum ſuſcipient*, & alias innumeras, quæ aut de conditionato poſitivo, aut de conditionato negativo formari poſſunt: ſiquidem in omni linea, quod abſolutè exiſtit debet coniungi abſolutè cum vno ex duplici contradictorio, à qua propoſitione abſoluta benè valet ad conditionalem: ergo tenet illatio ad hominem contra ipſum.

54 Si effugium paret dicens: non valere ab abſolutis ad conditionata: quia veritates cōditionales tantum ſunt de non exiſtentibus *abſolutè*, incidet in doctrinam illam difficilem, & nobis penitus imperceptibilem de conditionalibus veritatibus incomponibilibus cum purificatione hypotheſis, iam abūde ſupra impugnatam diſput. 13. de conſtitutivo futuri, & poſt iterum impugnandam diſput. 23. videamus locis citatis, vt modo ab his ſuperſedeamus, quę opus non eſt in præſenti repetere.

55 Secundum abſurdum ſumitur ex perſuaſione communi omnium, ex qua dum quævis conditionalis contingens occurrit, etſi propriam, circa eventum

tum determinatum ſub hypotheſi, ignorantiam fateantur; non ſic cenſent de Deo; imò vt impium, & ſacrilegum proponitur Numen ſupremum ſub eadem neſcientia comprehendere: vnde vnanimis conſenſus eſt in reſpondendo: *Quid ſub tali hypotheſi determinatè eventurum foret, Deus quem nihil latet ſolus ſcit.* Hoc igitur iudicium ex rationis naturalis lumine ortum labefactat cogitatio doctiſſimi huius Magiſtri, ob quam alter modus reſpondendi, apud cordatos, ſaltem debet invalere dicendo: *Quid ſub tali hypotheſi contingeret determinatè neſcimus, & forſan, nec Deus ſcit, propterea quod nihil de hac conditione, & hypotheſi ſtatueret conditionatè; vnde vtrumque falſum eſſe valet.* Scio plane concedere num. 325. & ſequentibus; cæterum neceſſaria eſt Authoritas illius, aut diſſonantia hæc reſpectiva non tranſeat in abſolutam. Præcipuè cum quidquid eam temperet facile valeat accomodari veritatibus abſolutis.

56 Id vt videat, iam ponderata refrico, & pono ipſum Doctiſsimum Mag. me interrogare de *Peccato Petri abſolutè futuro crà*, ſub his terminis: *Peccabit ne: an non peccabit Petrus crà?* Meque reſpondentem *neſcire.* Rurſuſque inquirere: *Licèt tu neſcias; Deus tamen id ſcit?* Cui ego tunc, *forſam nec Deus ſcit, quia nihil de hoc habet conſtitutum*: inclamantemque, & merito contra me *Quomodo id audes aſſerere: poteſt ne Deus aliquid ignorare?* Minimè reſpondebo, Mag. graviſsimè; cæterum ſcias opus eſt: non eſſe idem *neſcire*, ac *ignorare*, ſiquidem, quæ non habent veritatem ſine imperfectione neſciuntur; aſt *ignorare*, nihil poteſt ſine dedecore divinæ & infinitæ Sapientiæ, propterea quod non eſſet defectus obiecti; verum defectus notitiæ, quę non permittit infinita vis intellectiva, & perſpicacia ſumma in cognoſcendo. Quomodo igitur nec verum determinatè eſſe poſit: *Petrum peccaturum crà*, ſicut, & nec: *Petrum non peccaturum crà*, ex te didici: etenim vnum ex contradictorijs debere exiſtere tãtum eſt verum in ſuppoſitione *confuſa*, pro qua ſalvanda nullum determinatum eſt *determinatè* requiſitum: ideoque poteſt præſcindere ab vtroque, vt *determinatè* accepto: in cuius confirmationem adducam exemplum ipſi familiariſsimum, nimirum, *alter oculus requiritur ad videndum*, cuius veritas componitur cum eo, quod ſit falſum, *dexter requiritur ad videndum: ſiniſter requiritur ad videndum*, ſicut, & cum eo quod Deus neſciat *dextrum determinatè eſſe requiſitum ad videndum: ſiniſtrum determinatè eſſe requiſitum ad videndum* Iam ſcire cuperem: quomodo me dimovere poſſet ab hac cogitatione ſtante ſua doctrina, aut inducere in diſſonantiam meæ ſolutionis, ſtante conſonantia ſuæ?

57 Propterea vltimo detegenda eſt æquivocatio, ſi licet ita loqui, quam patitur perdoctus iſte Mag. tàm in doctrina; quàm in exemplis, quibus vtitur ad eam firmandam. Siquidem aliud eſt ad ſatisfaciendum *diſiunctioni*, ſivè in abſolutis ſivè in conditionatis: *nullam determinatam veritatem eſſe determinatè requiſitam*; aliud longè diverſum, *eandem diſiunctionem poſſe conſiſtere ſine aliqua veritate determinata, non determinatè requiſita.* Primum eſt verum, & id tántum probant exempla ſuppoſitionis confuſiæ; ſecundum eſt falſum, vt probant eadem exempla, ideſt: *diſiunctio duplicis contradictorij de præſenti, aut de futuro abſoluto: vel Petrus exiſtit nunc, vel non exiſtit: vel Ioannes peccabit crà, vel non peccabit*, cui etſi non ſit debita determinatè exiſtentia Petri nunc, aut peccatum Ioannis crà, vt fiat ſatis diſiunctioni, neque determinatè exiſtentia defectus Petri nunc, aut defectus peccati Ioannis crà, vt eidem ſatisfaciat; attamen talis diſiunctio eſſe nequit ſine aliquo determinato ex illis extremis; tametſi vt non determinatè requiſito. Vnde non valet eſſe ſine implicatione caſus, in quo nec verum ſit *Petrum exiſtere*, nec verum ſit *Petrum non exiſtere, aut quod idem eſt: defectum Petri ſuo modo exiſtere.* Inde procedit quod inter illa extrema, inter quæ ex ſe non datur medium, ſemper *ſuppoſitio confuſa* connectitur cum *ſuppoſitione determinata*, & ſic veritas hæc, *aliquod ex contradictorijs contingentibus debet dari*, quæ eſt veritas *ſuppoſitionis confuſæ*, ſtare nequit ſine hac altera veritate, *aliquod ex contradictorijs contingentibus exiſtit*, quæ eſt veritas *ſuppoſitionis determinatæ.*

58 Quæ doctrina translata ad caſum quæſtionis probat Deum ſub quacumque hypotheſi debere cognoſcere determinatè, aut *conditionatum*, aut *non conditionatum* per tendentiam conditionatam, non quidem, quæ proponat, aut *conditionatum poſitivum*, vt debitum determinatè diſiunctioni neceſſariæ ſub hypotheſi, aut *conditionatum negativum*,

vt debitum determinatè eidem diſiunctioni ; ſed quæ proponat aliquod determinatum ex illis, vt *determinatè non requiſitum*, quomodo vera ſemper erit aliqua determinata ex illis propoſitionibus, vt intendit noſtra, & communis ſententia, cui non ſe opponeret, ſi diſtinxiſſet, vt notatum eſt, inter hanc propoſitionem, *aliqua ex illis propoſitionibus eſt determinatè vera*, quæ ſupponit *determinatè*, & hanc: *aliqua ex illis propoſitionibus debet eſſe vera*, quæ ſupponit *confusè*: ſicut inter has, *aliquod ex contradictorijs contingentibus exiſtit*, quæ ſupponit *determinatè*, & *aliquod ex contradictorijs contingentibus debet exiſtere*, quæ ſupponit *confusè*: vnde corruit pulchra fabrica ; verùm levi innitens filo, vt frequentem phraſim huius Authoris etiam vſurpem, quam cum repetitam viderim apud ipſum referentem fundamenta noſtræ Scholæ non potuit non occurrere Ovidianum illud aliquantulum immutatum: *Omnia ſunt homini tenui pendentia filo.*

CAPVT II.

Solvuntur obiectiones.

59 NOnnulla, quæ contra determinatam veritatem, & falſitatem propoſitionum de futuro contingenti conditionato opponi poſſunt tum inter probandum : tum in antecedentibus pro determinata veritate, & falſitate propoſitionum de futuro abſoluto contingenti, ſunt iam ſoluta ; reſtant verò aliqua in præſenti, quæ etſi non magni momenti, ſolutione indigent. Obijcies primò. Saltem ea conditionata de conditione non purificanda, ſeu quæ nunquam extitura ſunt, non habent determinatam veritatem, aut falſitatem contingentem : ergo neque quoad ipſa poſſunt eſſe propoſitiones determinatè veræ, aut determinatè falſæ contingenter. Conſequentia tenet: cum ab eo, quod res eſt, vel non eſt in ſe, propoſitio ſit determinatè vera, vel determinatè falſa. Antecedens probatur. Prædicta conditionata nunquam extitura præcisè ſcibilia ſunt, vt poſsibilia formaliter : at poſsibilia formaliter vt talia, nullam habent determinatam veritatem, aut falſitatem contingentem : etenim erga ipſa, vt talia, tantum datur veritas neceſſaria, & falſitas impoſsibilis : ergo ſaltem ea conditionata de conditione nunquam purificanda, ſeu quæ nunquam extitura ſunt, non habent determinatam veritatem, aut falſitatem determinatam contingentem. Mai. in qua ſtat difficultas conſtat ex Div. Thom. 1. contra Gentes cap. 65. alias 66. dicente vniverſaliſsimè: *Ea, quæ non ſunt, nec erunt, nec fuerunt, à Deo ſciuntur, quaſi eius virtuti poſsibilia. Vnde non cognoſcit ea, vt exiſtentia aliqualiter in ſe ipſis, ſed exiſtentia ſolùm in divina potentia*: ſed ſi eſſent ſcibilia, vt contingentia, non ſcirentur tantùm, vt poſsibilia, & provt habent eſſe in Omnipotentia neceſſaria : ergo prædicta conditionata præcisè ſcibilia ſunt in Omnipotentia.

60 Reducitur argumenti difficultas ad verba Div. Thomæ in quibus fundatur : vnde expoſitio, & recta intelligentia ipſorum erit ſolutio oſtendens nihil nobis adverſum continere. Dicendum ergo eſt pro libito addi in obiectione ly *præcisè*, quod in textu nō invenitur. Nam licèt dicat D. Thom. *Ea, quæ non ſunt, nec erunt, nec fuerunt, à Deo ſciuntur quaſi eius virtuti poſsibilia*; non tamen dixit: *præcisè ſcire à Deo, quaſi eius virtuti poſsibilia*, quod tantùm nobis officere poſſet, & argumenti intentum confirmaret: itaque ſicut in exiſtentibus non eſt incomponibile, quod ſciantur à Deo, vt poſsibilia cum eo, quod non ſciantur ab ipſo præcisè, vt poſsibilia : ita quod futura conditionata contingenter ſciantur à Deo quaſi eius virtuti poſsibilia, non incomponitur cum eo, quod ſciantur à Deo etiam alio modo, ſcilicèt, *vt conditionatè exiſtentia contingenter*. Nec obſtat id ; quod immediatè ſubiungit dicens: *Vnde non cognoſcit ea, vt exiſtentia aliqualiter in ſe ipſis; ſed exiſtentia ſolùm in divina potentia*. Nam, vt conſtat ex capitis contextu loquitur de *exiſtentia ſimpliciter tali*, qualis ſolùm dicitur exiſtentia præſens, præterita, aut futura, ſecus, quæ tantùm ſub hypotheſi exiſteret, vt eſt exiſtentia conditionata : qua propter concludit : *His, quæ nec ſunt, nec erunt, nec fuerunt, non ad eſſe exiſtentiam aliam ſimpliciter talem niſi in Omnipotentia præcontinente : quomodo tantum ſciuntur in divina Omnipotentia.*

61 Explanationem adhibitam confirmat ipſe Sanctus Doctor docens in eodem capite, cui titulus eſt: *Quod Deus cognoſcat ea, quæ non ſunt*; non entia cognita

nita à Deo eſſe in duplici differentia; alia, quæ non habent exiſtentiam, vt ſunt, quæ nec erunt, nec fuerunt, nec ſunt; alia vero, quæ & ſi non ſint entia, quia non exiſtunt de præſenti, habent tamen aliquam exiſtentiam, vel de præterito, vel de futuro, vt ea, quæ & ſi non ſint modò, extiterunt aliquando, & ea, quæ, & ſi non ſint modò, exiſtent tamen aliquando: ex quibus deducitur *non exiſtentiam* illorum, de quibus procedunt verba obiecta contraponi *exiſtentiæ* horum, quibus, licèt non entia ſint, nihilominus competit exiſtentia aliqua abſoluta: igitur illis non negat exiſtentiam conditionatam, & non ſimpliciter talem, neque ſcientiæ divinæ ad ea, provt in tali ſtatu conditionato, terminari.

62 Inſiſtes ex Faſſolo, quæſt. 14. de ſcientia, artic. 13. dub. 13. punct. 5. Quæ non ſunt futura abſolutè non ſunt præſcibilia, ſed ſi haberent determinatam veritatem: præſcibilia eſſent, ſicut præſcibilia ſunt futura abſolutà: ergo futura cõditionata, quæ nunquam erunt, non habent determinatam veritatem. Maior difficilis conſtat ex frequenti Patrum loquutione, inquit enim Auguſtinus, libro 1. de Anima, & eius origine, cap. 12. *Quid quod ipſa examinatur omnino præſcientia, ſi quod præſcitur non erit? Quomodo enim rectè dicitur præſciri futurum, quod non eſt futurum?* Rurſus, libr. de prædeſtinatione Sanctorum, capite 14. circa principium illud Sapientiæ 4. *Raptus eſt nè malitia mutaret intellectum eius*, ſic explicat: *Dictum eſt enim ſecundum pericula vitæ huius; non ſecundùm præſcientiam Dei, qui hoc præſcivit, quod futurum erat; non quod futurum non erat; id eſt, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, vt tentationum ſubtraheretur incerto, non quod peccaturus eſſet, qui manſurus in tentatione non eſſet.* Vbi ſedulo attendendum Iv *non eſſe præſcibile, quod peccaturus eſſet ſub tentatione*; cum tentatio, & peccatum non eſſent *abſolutè extitura.* Damaſcenus dialogo contra Manichæos non multò ante finem: *Prænotio eſt, ea, quæ futura ſunt ante quam in ortum prodeant, noſſe*; cuius rationem exhibens proſequitur. *Quemadmodum enim cognitio eſt earum rerum, quæ ſunt, ſic prænotio eorum eſt, quæ certo futura ſunt.* Et alij, ad quorum inſtar proceſſerunt Magiſter Sententiarum, libro 1. diſtinct. 35. Albertus Magnus, 1. diſtinct. 38. artic. 1. Alenſis, 1. part. quæſt. 23. membro 1.

63 Futura contingentia conditionata habere provt talia determinatam veritatem in ſigno, quo præſcindunt ab exiſtentia abſoluta apertiſsimè conſtat ex omnibus illis quæſtionibus iam tactis, quibus provt innitentibus determinatæ veritati futurorum contingentium conditionatorum præbere ſolutionem ſtudebant, & à quibus facillimè ſe expedirent per excluſionem determinatæ veritatis conditionalium, quin ad alias rationes confugerent, vel merè ſuccumberent, vt fecit Damaſcenus loco proximè citato reſpondens quæſtioni: *Cur creentur hi, de quibus verum eſt, peccaturi, ſi ſint, alijs relictis, qui ſi crearentur, non peccaſſent?* per hæc verba: *Quis enim novit mentem Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Neque enim conſilia omnia ſua nobis patefecit; ſed ea demum, quæ noſtra ſcire intererat, quæ autem ſcire nihil noſtra referebat, ea occultavit.* Vbi quæſtionem non abijciens per negationem ſuppoſiti, ingenuè faſſus eſt, ſibi eſſe inſolubilem ex vi rationis dubitandi.

64 Quare reſpondendum eſt cum Suario, tom. 1. de gratia prolegomeno 2. cap. 4. num. 2. & Arrubal, diſput. 44. de ſcientia, cap. 7. ad 2. approbante eodem Faſſolo: Magnum Parentem Auguſtinum, & alios Patres non negaſſe veritatem determinatam futurorum cõtingentium conditionatorum, quæ nunquam ſunt extitura ex eo, quod negaverint ea eſſe præſcibilia, cum ea ſupponerent ſcibilia, vt ſufficit pro determinata veritate ipſorum; modo, quo ex acceptione nominis *præſcientia* etiam negarunt poſsibile nunquam extiturum eſſe præſcibile, quin inde liceat deducere apud ipſos purè poſsibilia non habere determinatam veritatem in ratione talium, nec plus eſſe poſsibilia, quàm non poſsibilia, niſi ſint extitura, quod expreſsit clariſsimè Hugo de Sancto Victore, libro 1. de Sacramentis, part. 2. capite 16. probans: ſi res futuræ abſolutè non fuiſſent *Sapientia Dei ſcientia eſſet*; ſed præſcientia *non diceretur*: itaque Patres non quamcumque ſcientiam ſimpliciter talem appellabant *præſcientiam*; ſed eam ſolùm, quæ vltra conformitatem, quam dicebat ad veritatem ſui obiecti, habebat præcedentiam ex parte rei ſecundum exiſtentiam abſolutam ſui ad exiſ-

existentiam absolutam obiecti, vt contingit in his, quæ aliquando verè, & propriè absolutè extitura sunt: inde apud ipsos non omne *scire* est *præscire*; quamvis omne *præscire* sit *scire*; neque omne habere veritatem *scibilem*, sit habere veritatem *præscibilem*, quamvis omne habere veritatem *præscibilem* sit habere veritatem *scibilem*. Vnde vlterius liquet; negare futuris conditionatis contingentibus nunquam extituris *præscientiam*, nō esse negare eis veritatem determinatam simpliciter talem; sed duntaxat illam specialem determinatam veritatē correspondentem scientiæ existentium absolutè in aliqua differentia temporis: in quo nihil contra nos, quibus sufficit, ea futura contingentia conditionata habere determinatam veritatem correspondentem *scientiæ*; licèt eis deficiat veritas correspondens *præscientiæ*, quod formalissimè est asserere veritatem determinatam existentium tantùm conditionatè; secus existentium conditionatè, & absolutè, vt verum est, & sine præiudicio vllo libenter fatemur.

65 Obijc. secundò. Quodvis pro modo, quo determinatè est, habet determinatam veritatem: sed quodcumque conditionale contingens determinatè non est: ergo neque habet determinatam veritatem. Maior constat: quia esse, & veritas inter se valent ad convertentiam: ergo pro modo, quo aliquid determinatè est, habet determinatam veritatem. Minor probatur. Id, quod tātum esset cum indeterminatione quatenus tale, vt sit, non est determinatè: sed quodcumque conditionale contingens tantum esset cum indeterminatione quatenus tale, vt sit: ergo quodcumque conditionale contingens determinatè non est. Confirmatur. Non habet determinatam veritatem de futuro id, quod, provt tale eo modo, quo præscindit ab esse absolutè, præscindit etiam ab esse futurum absolutè: sed quodvis conditionale contingens provt tale, ita præscindit ab esse absolutè, vt non sit absolutè; sed esset: ergo etiam præscindit ab esse absolutè futurum, ita, vt non sit absolutè futurum; sed esset: ac per consequens tantum haberet determinatam veritatem, quam non habet.

66 Hoc argumentum sæpè repetitum in varijs quæstionibus æquè impugnat veritatem possibilium in esse talium; imò, & veritatem determinatam futuri absoluti: etenim si eo modo, quo aliquid est, tantùm habet determinatam veritatem, id, quod habet possibiliter esse, habebit tantùm possibiliter determinatam veritatem; & id, quod non est, sed erit; tantùm habebit determinatam veritatem in posterum; secus de præsenti. Ideò pro omnibus distinguenda est illa maior primi syllogismi. Quodvis pro modo, quo determinatè est, habet determinatam veritatem *commensurativè*, nego maiorem; *conjunctivè*, concedo maiorem, & distinguo minorē. Quodcumque conditionale contingens determinatè non est *absolutè*, concedo minorē; determinatè non est *conditionatè*, nego minorem, & consequentiam. Ad minoris probationem, distinguo etiam maiorem; id, quod tantum esset cum indeterminatione quatenus tale, vt sit, non est determinatè *absolutè*, concedo maiorem; non est determinatè *conditionatè*, nego maiorē, & distinguo minorē. Quodcumque conditionale contingens tantum esset cum indeterminatione, quatenus tale, vt sit *absolutè*, concedo minorem; vt sit *conditionatè*, nego minorem, & consequentiam.

67 Explicatio terminorum est iuxta ea, quæ alibi diximus loquentes de cognoscibilitate possibilium, videlicèt, quod licèt veritas cuiusvis conceptus coniungatur cum modo, quo conceptus obiectivus in se est, ita taliter, vt si sit conditionatè veritas, fundetur in *esse conditionato*; si sit absolutè, in *esse absoluto*, si sit simpliciter; in *esse simpliciter tali*; si sit impossibiliter, in *esse obiectivè impossibili*; at non debet commensurari modus veritatis cum modo, quo est conceptus obiectivus, ita vt si obiectum sit *conditionatè*, veritas non sit, sed esse; si *possibiliter*, veritas sit tantum possibiliter; *si negativè*, veritas sit etiam negativè, si *impossibiliter*, veritas sit tantum impossibilis, aliàs impossibile in ratione impossibilis haberet impossibilitatē reflexam, & possibile possibilitatem reflexam; conditionatum conditionem reflexam; & negativum negationem reflexam, qua non esset in ratione non existentis. Vnde constat possibile habere veritatem determinatam in ratione possibilis, quamvis non in ratione existentis; futurum conditionatum in ratione futuri conditionati; quamvis non

in

in ratione futuri abſoluti, & futurum abſolutum in ratione futuri abſoluti; quamvis non in ratione præſentis; & non exiſtens in ratione non exiſtentis; quamvis non in ratione poſitivi, & exiſtentis.

68 Ex his ad confirmationem dicendum: Præſcindens ab *eſſe abſoluto*, ac proinde à futuritione abſoluta non habere veritatem determinatam futuri abſoluti; at habere determinatam veritatem futuri conditionati, à qua dum conditionatè intelligitur, non præſcindit; ſiquidem non eſt condionatè in ratione conditionati, nec præſcindens ab eo, quod ſit, vel non ſit conditionatè, vt probant exempla adducta, *poſsibilis, impoſsibilis, futuri abſoluti; & rei non exiſtentis*, in quibus per propoſitiones reflexas eadem eſt ſolutio, ſicut & eadem difficultas non conveniens ſpecialiter futuris conditionatis contingentibus; ſed inſuper pluribus alijs conceptibus, necnon conditionalibus contingentibus de præſenti, & præterito, ſicut & conditionalibus de futuro neceſſario, vt per ſe eſt manifeſtum omni volenti applicare formam propoſitam omnibus recenſitis.

69 Obijc tertio. Indifferens, provt indifferens nullam aliam habet veritatis determinationem niſi in ratione indifferentis: ſed futurum conditionatum contingens, provt tale, eſt indifferens provt indifferens ad exiſtentiam conditionati ſub exiſtentia conditionis: ergo nullam aliam habet veritatis determinationem, niſi in ratione indifferentis ad exiſtentiam conditionati ſub exiſtentia conditionis; ac proinde nullam habet determinatam veritatem, nec in ratione exiſtentiæ conditionati ſub exiſtentia hypotheſis, nec in ratione non exiſtentis ſub exiſtentia hypotheſis. Maior eſt certa, cum de indifferenti, provt tali in ordine ad aliud tantùm ſit verum eſſe ſic indifferens; ſecus habere determinationem ad aliud, ſive ad carentiam illius. Prob. min. Id, quod provt tale, nullum habet conſtitutivum determinatum, vt potius ſit; quàm non ſit, aut è contra, conditionatum ſub exiſtentia conditionis, vt tale, eſt indifferens, provt indifferens ad exiſtentiam conditionati ſub exiſtentia conditionis: ſed futurum conditionatum contingens, provt tale eſt ita indifferens; quia omnia conſtitutiva illius ſunt conditio, & conditionatum, quorum quodvis habet indeterminationem, vt ſit conditionatum ſub hypotheſi; cum æquè contingens ſit ex parte hypotheſis exiſtere conditionatum ſub illa, ac ex parte conditionati in talem hypotheſim ſe habere ad illud: ergo futurum conditionatum contingens, provt tale, eſt indifferens, provt indifferens ad exiſtentiam conditionati ſub exiſtentia hypotheſis.

70 Comprehendit etiam obiectio non minus *præſentia, & præterita conditionata* contingentia, quàm *futurum conditionatum* contingens propter indifferentiam conditionis ad conditionatum, neque id ſolum; ſed *futurum abſolutum* contingens, in quo nihil invenies, quod non ſit indifferens ad exiſtendum, & non exiſtendum; quare, vbi erit illa determinatio, vt potius ſit, quàm non ſit in duratione poſteriori? Reſpondeo ergo futurum conditionatum provt tale ſemper habere indifferentiam contingentiæ, quæ eadem eſt, ac indifferentia antecedens, vt ſit, aut non ſit; cæterum habere determinationem cõſequentem, vt potius ſit, quàm non ſit, quando potius verificatur extiturum, quàm non extiturum ſub exiſtentia coditionis: quomodo videre eſt in omni futuro abſoluto contingenti, in quo benè cohærent abſoluta, & antecedens contingentia cum neceſsitate, & determinatione conſequente, & ex ſuppoſitione, quod ſit; nec minus neceſſarium eſt quodvis conditionatum contingens ſic ſe habere ex ſuppoſitione, quod ſit; quàm quodvis abſolutum contingens ſic ſe habere ex ſuppoſitione, quod ſit. Ad formam tranſmiſſa mai. quæ diſtingui poteſt de indifferentia antecedente, & conſequente, nego minorem.

71 Ad cuius probationem poterat abſolutè negari maior, quam falſam oſtendunt mille caſus; nimirum id, quod non habet vllum conſtitutivum completum, incompletum eſt in ſua linea: ſed homo nullum habet conſtitutivum completum: ergo incompletum quid eſt in ratione hominis: id, quod non habet conſtitutivum vllum impertranſibile, & incommenſurabile impertranſibile, & incommenſurabile non eſt: ſed æternitas nullum habet conſtitutivum incommenſurabile, & impertranſibile: ergo æternitas incommenſurabilis, & impertranſibilis non eſt: Id, quod non habet vllum conſtitutivum impoſſibile, impoſsibile non eſt; ſed coniunctum

tum duplicis contradictorij contingentis non habet vllum constitutivum impossibile: ergo impossibile non est: Id, quod non habet constitutivum sufficiens ad extinguendum debitum viginti, sufficiens ad extinguendum debitum viginti non est: sed quantitas viginti non habet constitutivum sufficiens ad extinguendum debitum viginti: ergo quantitas viginti ad extinguendum debitum viginti sufficiens non est; & sic in alijs multis: tamen distingui etiam potest. Id, quod, provt tale nullum habet constitutivum determinatum, *tàm antecedenter, quàm consequenter*, vt potius sit, quam non sit, aut è contra, conditionatum sub existentia conditionis, vt tale, est indifferens ad existentiam conditionati sub existentia hypothesis, & conditionis: permitto maiorem; id, quod, provt tale nullum habet constitutivum determinatum *antecedenter*, vt potius sit; quàm non sit, aut è contra conditionatum sub existentia conditionis, vt tale est indifferens ad existentiam conditionati sub existentia conditionis, nego maiorem, & sub eisdem terminis distincta minore, nego consequentiam.

72 Sensus est, quod sicut in coexistentia absoluta duorum contingentium; v. g. duorum hominum, neuter est determinatus antecedenter, & ex se ad coexistendum; tamen ex suppositione, quod vnus, & alter eidem durationi correspondeat, quivis est consequenter determinatus per se, & per alium, vt alteri coexistat; sic in coexistentia, & coniunctione conditionata illius, quod dicitur conditionatum, & illius, quod dicitur hypothesis, licèt tam hypothesis, quàm conditionatum sint ex se, & antecedenter indifferentia, vt conditionatè iungantur, & sibi conditionatè coexistant; at consequenter, & ex suppositione, quod casus existentiæ vnius sit casus existentiæ alterius, iam hypothesis per se, & per conditionatum est determinata ad conditionatum, & istud per se, & per hypothesim est determinatum, vt sit sub hypothesi. Pro quo renovandum est exemplum contingentiæ antecedentis, & necessitatis consequentis, & ex suppositione; quæ benè componuntur in quocumque contingenti, quin indifferentia antecedenti convincat nullam habere determinationem contingens, vt sit, nec determinatio consequens suadeat nullam habere indifferentiam contingens, vt sit, vel non sit.

73 Notandum verò est: quòd licèt admiserimus in conditionalibus cõtingentibus indifferentiã antecedentem hypothesis ad cõditionatum, & huius ad hypothesim, quia [illegible] in pluribus conditionalibus cõtingentibus, tàm de futuro, quàm de præterito, & præsenti contingat, non ideò in omnibus est concedenda; cùm in aliquibus detur tantum indifferentia non mutua; ideſt, *hypothesis*, ad coexistendum conditionato, secus *conditionati* ad existendum sub hypothesi, vt ostenditur in actibus essentialiter liberis ea libertate, à qua de facto prodeunt, in quibus hypothesis libertatis, sub qua verum sit conditionatè extituros, est ex se antecedenter indifferens, vt sub ipsa conditionatè existant; cum possit esse verum conditionatè oppositum; non sic conditionatum, quod aliter quàm sub tali determinata libertatis hypothesi nequeunt existere. Et generaliter idem tenendum in omni conditionali, cuius hypothesis sit principium, & conditionatum actio specificata à tali principio determinato, vt ab alio distincto non possit provenire.

74 Replicabis. Futurum conditionale contingens, tàm antecedenter, quàm consequenter, tàm ex parte hypothesis, quàm ex parte conditionati est ex se absolutè indeterminatum, sive quoad *esse*, sive quoad *non esse*; sed absolutè ex se indeterminatum, sive quoad *esse*, sive quoad *non esse*, est absolutè indeterminatum quoad veritatem spectantem ad *esse*, & *non esse*: ergo futurum conditionatum contingens nullam habet determinatam veritatẽ obiectivam, ex qua possit esse conformitas ad propositionem conditionalem de futuro contingenti, sive affirmativam, sive negativam. Distinguo maiorem. Futurum conditionale contingens, tàm antecedenter, quàm consequenter, tàm ex parte hypothesis, quàm ex parte conditionati est ex se absolutè indeterminatum, sive quoad *esse*, sive quoad *non esse absolutè sumptis*, concedo maiorem; sive quoad *esse*, sive quoad *non esse conditionatè sumptis*, nego maiorem, & distinguo minorem. Absolutè ex se indeterminatum, sive quoad *esse*, sive quoad *non esse, tàm absolutè, quàm conditionatè*, est absolutè indeterminatum quoad veritatem spectantem ad esse, & *non esse*, con-

ce-

cedo minorem; *absolutum* ex se indeterminatum, sive quoad *esse*, sive quoad *non esse absolutè*, secus quoad *esse*, aut *non esse conditionatè*, nego minorem, & consequentiam. Id est, futurum conditionatum contingens absolutè est determinatum, vt tale sit, sive positivè, sive negativè; quamvis non sit absolutè determinatum, vt sit, aut non sit *absolutè*; sicut possibile contingens est absolutè determinatum, vt sit possibile; cùm indeterminatum sit ex se, vt sit, aut non sit existens absolutè.

75 Objicies quartò. Omne habens veritatem determinatam in ratione contingentis habet ab alio eam determinationem; sed omne, quod tantum esset, si poneretur aliqua conditio, non habet aliud à quo procedat determinatio: ergo omne conditionatum contingens non habet determinatam veritatem. Minor apparet certa: tum quia id, quod tantum esset contingenter sub conditione ex se præscindit ab omni, quod sit; ac proinde ex se non habet, nec requirit aliud, à quo procedat determinatio, vt tale sit; tum etiam, quia &si requireret aliquid, quod esset, non requireret illud, vt absolutè determinatum: nam sic contingens non se haberet conditionatè; sed absolutè pro modo determinationis absolutè. Probatur maior. Omne contingens, provt tale, non est determinatum à se; aliàs esset necessarium, aut impossibile, non verò contingens; quomodo argumentatur Div. Thomas, 1. contra Gentes, ad demonstrandum dari ens necessarium, in quod *esse* contingentium refundatur: ergo omne habens veritatem determinatam in ratione contingentis habet ab alio eam determinationem.

76 Respondeo. Quod sicut id, quod contingenter fuit, non requirit, Deo excepto, aliud, quod sit; sed aliud, quod fuerit; & id, quod futurum absolutè sit sub simili exceptione non requirit aliud, quod sit, aut fuerit; sed aliud, quod erit; ita quod contingenter conditionatè tantum erit, non requirit aliud, quod absolute fuerit, sit, aut erit; sed quod esset, si poneretur conditio. Ratio est: quia id, quod, vt contingens requiritur absolutè ad *esse absolutum* contingens, requiritur, & sufficit conditionatè ad statum contingentis conditionati; pariter ac id, quod requiritur vt contingens existens ad rei existentiam, requiritur tantum possibiliter ad rei possibilitatem: vnde distinguenda est maior primi syllogismi: Omne habens veritatem determinatam in ratione contingentis, habet ab alio eam determinationem, sive *absolutè*, sive *conditionatè*, concedo maiorem; *determinatè absolutè*, nego maiorem. Discursus autem doctrinæ Divi Thomæ adductus in probationem, non est contrarius; cum intentum eius tantum sit ostendere, quod si sint possibilia contingentia debet dari aliquod necessarium, & in *suo esse* indefectibile, vnde contingentia in existendo sumant initium; non verò, quod circa omne contingens, in quocumque statu consideretur, debeat dari aliqua determinatio absoluta, sive proveniens à necessario, sive ab altero contingenti, cum sufficiat pro non repugnantia contingentium esse aliquid, ex quo, vel sit possibilis, vel sit absolutè, vel fuerit, vel futura sit absolutè; vel futura sit conditionatè determinatio pro varijs statibus contingentium; scilicèt in esse possibilium, existentium, præteritorum, futurorum absolutè, vel conditionatè.

77 Replicabis. Id benè percipi, si veritas futuri contingentis conditionati non esset tunc determinata; sed foret in hypothesi, & suppositione cum correspondentia ad conditionatè futurum, quod non est, sed esset. At cum veritas sit modo, & de præsenti determinata, aliquid quærendum est quod modò, & de præsenti determinet; id autem cùm non inveniatur, dicendum est, deficere futuris contingentibus conditionatis determinatam veritatem. Replica hæc si contineatur intra terminos *veritatis determinatæ futuri contingentis conditionati*, inconsequenter procedet ad veritates determinatas *possibilis futuri & præteriti absoluti* contingentis, quas æquo iure ferit, si verò totum id intendat, nihil probabit, propterea quod nimis probet.

78 Respondeo. In veritate determinata futuri contingentis conditionati, sicut in quavis alia determinata veritate contingenti duplicem determinationem esse distinguendam, vnam *formalem*, & *intrinsecam*; alteram *extrinsecam efficientiæ*, *influxus*, aut *electionis* provenientis à causa, & principio. Ex his, si de *formali* sit sermo: datur nunc, & de præsenti eo modo, quo nunc, & de præsenti futurum conditionatum

natum contingens tale eſt; potiùs quàm non eſt : nam prædicta determinatio non diſtinguitur ab ipſa veritate conditionata; & propterea eo ipſiſsimo ſenſu, quo verificatur futurum conditionatum eſſe nunc tale, verificatur etiam habere in ſe determinationem proportionatam, vt tale ſit : ſi vero de *extrinſeca efficientiæ*, *influxus*, *aut electionis* argumentum procedat, hanc non opus eſt dari de præſenti, vt veritas conditionata contingens determinata ſit de præſenti; cum ſufficiat, dandam eſſe conditionatè, & extituram caſu, quo exiſterent conditio, & conditionatum. Et ratio eſt : quia cum hæc determinatio eo modo requiratur ad veritatem determinatam, quo requiritur ad exiſtentiam conditionis, & futuri, ſi pro exiſtentia futuri, & conditionis ſufficiat talis, quæ eſſet dum, & aliud exiſteret; pro veritate determinata eiuſdem futuri conditionati, etiam ſufficiet, ſi ſit talis, quæ eſſet : vt dicere debent omnes in veritate determinata *Poſsibilis*, *præteriti*, *& futuri abſoluti*, in quibus diſtincta eadem duplici determinatione, vna datur de præſenti præſentia propria *poſsibilis*, *præteriti*, aut *futuri*; altera verò *daretur*, *data fuit*, aut *dabitur*, *prout contingens poſsibile* tantum ſit *præteritum*, aut *futurum*.

79 Obijcies quintò. Id, quod habet determinatam veritatem contingentem in eſſe correſpondet æternitati Dei in aliqua duratione: ſed futurum conditionatum contingens non correſpondet æternitati Dei in aliqua duratione : ergo futurum conditionatum contingẽs non habet determinatam veritatem. Maior eſt certa, ex eo, quod omne quod contingenter eſt, contingenter etiam coexiſtat neceſſario, vt eſt æternitas Dei, à quo in exiſtendo non poteſt præſcindere. Probatur minor. Futurum conditionatum contingens, ſicut præſcindit ex ſe ab *eſſe abſolutè*, ita præſcindit, tàm ab exiſtentia in duratione, quàm à coexiſtentia alterius in duratione : ergo futurum conditionatum contingens non correſpondet æternitati Dei in aliqua duratione. Probat argumentum, tàm futurum conditionatum contingens, quàm neceſſarium non habere determinatam veritatem. Patet. Nam futurũ conditionatum neceſſarium non diſtinguitur à conditionato contingenti per non præciſionem ab ſtatu abſoluto; ſed per connexionem hypotheſis cum conditionato, quæ ex ſe præſcindit ab exiſtentia hypotheſis, & conditionati.

80 Dicendum, verum eſſe omne, quod habet determinatam veritatem contingentem in eſſe debere correſpondere æternitati Dei in aliqua duratione pro modo, quo habeat determinatam veritatem, ſcilicèt, ſi *abſolutè*, abſolutè; ſi *conditionatè*, conditionatè, vt non deficit in futuro contingenti conditionato, quod quidem habet veritatem determinatam abſolutam in eſſe *conditionatè* duntaxat, & eo ſolùm modo, quo conditionatè eſt futurum abſolutum: vnde ſecundum hanc veritatem in eſſe, non amplius debet coexiſtere æternitati Dei in aliqua duratione, quàm *conditionatè*. Vlterius habet veritatem determinatam conditionatam contingentem in eſſe, & hanc quidem *abſolutè*, ſicut *abſolutè* dicitur futurum cõditionatum, quin ad hoc, vt tale ſit, expectet aliam hypotheſim, & conditionem reflexam, qua ratione *abſolutè* correſpondet æternitati Dei in omnibus illis durationibus, quibus verum eſt eſſe futurum conditionatum contingens potius, quam non futurum, non aliter ac poſsibile præteritum, & futurum habent ſuam præſentiam in ratione talium, & ſunt de præſenti correſpondentia æternitati Dei, & cuivis alij in ſuo conceptu neceſſario. Inde conſtat pro forma, quo ſenſu futurum conditionatum contingens præſcindat ab *eſſe*, quo verò non præſcindat : quo habeat coexiſtentiam conditionatam æternitati Dei, & quo abſolutam.

81 Obijcies ſextò. Omne, quod contingenter habet determinatam veritatem in *eſſe*, pariter habet ex tali ſuppoſitione neceſsitatem, vt ſit : quia quodvis ex ſuppoſitione, quod ſit, neceſſe eſt eſſe : ſed futurum conditionatum nullam habet neceſsitatem, vt ſit adhuc ex ſuppoſitione propter independentiam, quam ſemper retinet ab *eſſe* cum indifferentia, vt ſit, aut non ſit : ergo contingenter non habet determinatam veritatem in eſſe. Reſpondeo. Futurum conditionatum contingens eandem dependentiam, & independentiam ab *eſſe* includere, ac includit futurum conditionatum neceſſarium : vnde, vel propoſitiones de futuro neceſſario conditionato non habebunt determinatam veritatem, vel non deficiet determinata veritas ex hoc capite in propoſitionibus de futuro contingenti conditionato,

to: dependet ergo futurum conditionatum contingens in ratione talis,& provt habens veritatem determinatam ab *esse* conditionato, & ex hypothesi, à quo non præscindit ex suppositione,imò necessario illi competit; cùm non minus non possit deficere in ratione conditionati, si tale sit, ac futurum absolutum, aut existens absolutè contingens, dum talia sunt, est verò independens ab *esse* absoluto, quod haberet tantum, si poneretur conditio: cæterum in hoc *esse* non habet veritatem determinatam,sed haberet;nec habet suppositionem aliquam,ex qua necessario sit; sed haberet, ex qua necessario esset.

82 Objcies septimò. Omnis propositio conditionalis, aut est necessario vera, aut est necessario falsa: ergo nulla est propositio de futuro contingenti conditionato habens determinatam veritatem, aut determinatam falsitatem. Consequentia est legitima, cum illa veritas determinata, aut determinata falsitas essent contingentes. Antecedens probatur. Omnis propositio conditionalis affirmat illationem hypothesis ad conditionatum,quæ cum sit prædicatum intrinsecum hypothesis, si detur, necessariò dabitur;& si deficiat, necessariò deficiet: vnde propositio, quæ affirmet illationem,quæ non datur, erit necessario falsa;& propositio, quæ affirmet illationem,quæ datur,erit necessario vera; sicque in negativis, proportione servata: ergo omnis propositio conditionalis, aut est necessario vera, aut est necessario falsa.

83 Nego antecedens. Nam conditionales ex parte actus correspondent conditionalibus ex parte obiecti: quare si falsum est, vt latè probavimus, omnem conditionalem obiectivam esse *illativam*; falsum per consequens erit, & eisdem fundamentis omnem conditionalem *subiectivè*, & ex parte actus sumptam, esse *illativam*: sunt enim plures *coniunctivæ* coniunctione quidem contingenti hypothesi, & quæ tam existere, quam deficere potest, existente hypothesi; & in his omnibus veritas determinata,aut falsitas determinata,quæ datur, non est necessaria,sed contingens.

84 Objc. 8. Nobis met ipsis, qui determinatam veritatem,& determinatam falsitatem propositionum de futuro contingenti cõditionato protegimus, non est fundamentum pro determinata veritate,aut determinata falsitate earundem: ergo immeritò prædictæ propositiones affirmantur determinatè veræ,& determinatè falsæ. Consequentia bona est:nam si nobis nullum fundamẽtũ adest pro determinata veritate,& falsitate prædictarum propositionum,omni prorsus fundamento carebit nostrum iudiciũ de determinata veritate,& falsitate. Prob. antecedens. Si rogemur de quacumque propositione de futuro cõtingenti conditionato determinatè accepta, an habeat determinatam veritatem? Respondebimus: nobis non adesse fundamentum vllum pro determinata veritate illius. Si per oppositum, de determinata falsitate? Eadem esset responsio:nisi in aliquibus ad puras coniecturas recurramus:sed si in nobis considerantibus omnes propositiones de futuro contingenti in particulari acceptas nullum est fundamentum pro determinata veritate,& falsitate ipsarum nobis, qui determinatam veritatẽ, & falsitatem propositionum de futuro contingenti conditionato concedimus, non est fundamentum pro determinata veritate, & falsitate ipsarum: ergo nobis affirmantibus deest fundamentum pro determinata veritate,& falsitate ipsarum.

85 Confirmatur. Quia si nobis rogatis de determinata veritate,& falsitate earum propositionum deest fundamentum pro determinata veritate, & falsitate;nobis cõsiderantibus tales propositiones adest medium inter *esse determinatè veras*, & *esse determinatè falsas* ex quadam præcisione, quã nobis habent à determinata veritate,& determinata falsitate:ergo nobis non est idem *non habere determinatam veritatem*,ac *habere determinatã falsitatem*:aut *non habere determinatã falsitatem*, ac *habere determinatã veritatem*: vnde etiã corruet nobis fundamentum illud potissimum nostræ sententiæ ex defectu medij inter duo contradictoria, necnon inter falsitatẽ, & veritatem propositionũ; insuperq; omnia,quæ pro suadendo nostro iudicio in adversam partem attulimus,aut nullius erunt efficaciæ,aut si alicuius vis sint fatenda, pariter in nos retundentur: dicendum ergo est ex nostris principijs non constare determinatã veritatem, & falsitatem propositionum de futuro contingenti conditionato, quam firmare conati sumus.

86 Ante solutionem scire vellem ab arguente: an habeat sciẽtiam futurorum

abſolutorum cõtingentiũ, deſignataque propoſitione determinata de futuro abſoluto contingenti; v. g. *Petrus peccabit cras*, aliter, quàm ex præſentibus coniecturis, ſi quę ſint, poſsit certò, & evidenter præferre veritatem determinatam falſitati determinatæ prædictæ propoſitionis, vel è contra? Quod ſi non habens ſcientiam futurorum abſolutorum contingentiũ, nec potens præferre veritatem determinatam falſitati determinatæ, aut è contra, adhùc tuetur ſibi, & omnibus debere eſſe certiſsimũ, propoſitiones de futuro abſoluto contingenti habere determinatam veritatem, & falſitatem retenta vi illius principij: *quodlibet eſt, vel nõ eſt: impoſsibile eſt eandem rem, neque eſſe, neque non eſſe*; vnde inferunt, nullũ eſſe medium inter contradictoria abſoluta; ac proinde, nec inter falſitatem, & veritatem determinatã propoſitionum de futuro abſoluto contingenti; cur nobis in eodem diſcrimine conſtitutis quoad ignorantiam eventuum conditionatorum contingentium non erit licitum ex eiſdem principijs in ſua vi, & efficacia perſeverantibus arguere determinatam veritatem, & falſitatem propoſitionum de futuro contingenti conditionato? Iam ſi in vi argumenti vtramque ſententiam, & determinatam veritatẽ, & falſitatem omnium propoſitionũ de futuro contingenti eliminare ſtudeat, ſciat, & ſit difficultatis ſolutio.

87 Non eſſe idem, deficere nobis fundamentum ad præferendã veritatem determinatam falſitati determinatæ; aut falſitatem determinatam veritati determinatæ in propoſitione determinata, & particulari, ac deeſſe nobis fundamẽtum ad affirmandum, tàm veritatem, quàm falſitatem determinatam poſſe deficere in propoſitione, quin vna, vel altera debeat ipſi convenire. Quorum diſtinctionem clarè probat eorum ſeparabilitas, ex qua poteſt non dari fundamẽtum ad primum, & dari ad ſecundum. ſic defacto ſeparantur in contradictorijs contingentibus, vbi ſæpè non datur fundamentum ad prę ferendum in exiſtendo vnum determinatum alteri determinato, ſcilicèt, carentiam rei contingentis ipſi rei contingenti; aut rem contingentem defectui contingenti ipſius, vt clarum ſit in Petro; v. g. de quo nobis conſtat migraſſe ad locum valdè diſtantem, & ideò in duratione præſenti non habemus fundamẽtum evidens perſuadens nunc potius exiſtere in rebus; quàm deficere; aut deficere potius, quàm exiſtere, & tamẽ datur nobis fundamẽtum evidentiſsimum pro exiſtentia cõtradictorij determinati, ſcilicèt *carentiæ*, vel *exiſtentiæ Petri*, & verificativum huius certiſsimæ aſſertionis, *determinata veritas, & determinata falſitas inter hæc contradictoria debet reperiri.* Neq; in his ſolùm; verùm in multis alijs poteſt oſtẽdi, vt in præſentia, & duratione cuiuſvis rei cõtingẽtis, in quibus adeſt evidentia determinatæ rationis, per quã conſtituãtur durantes, & præſentes cum inevidentia præferendi rationem aliquã determinatam ex his, quę cõmuniter deſignantur pro conſtitutivo præſentiæ, & durationis, ideſt, aut *modum*, aut ſolã *entitatem* aut *coexiſtentiam ipſius loco & tempori*; inſuper evidẽtiſsimum nobis eſt dari in Deo determinatam rationem excludendi imperfectionem à ſuo *eſſe* cum inevidentia ad prę ferendam determinatam rationẽ connexionis cum poſsibilibus, & impoſsibilibus inconnexioni cum eiſdem conceptibus, vel è contra.

88 Ergo defectus fundamenti in nobis, ex quo ignorantia futurorum contingentium, ad præferendam veritatem determinatam falſitati determinatæ, & è converſò, in quavis propoſitione ſingulari de futuro, non obſtat, vt adſit nobis fundamentum vrgentiſsimum ad convincendam determinatam veritatem, & falſitatem in propoſitionibus de futuro contingenti conditionato, benèque componitur cum hac aſſertione: *In quavis propoſitione de futuro conditionato contingenti non poteſt deficere veritas determinata, & falſitas determinata, quin vna, aut altera exiſtat, ex eo, quod non detur medium inter ſe habere obiectum, ſicut affirmatur per propoſitionem, aut non ita ſe habere.* Vndè evidentiſsimè concluditur dari determinatam veritatem, & falſitatem in prædictis propoſitionibus, nam ſi exiſtat veritas determinata in vna, exiſtet falſitas determinata in oppoſita; & ſi in hac ſit veritas determinata, erit falſitas determinata in altera, quæ ei contradicit; ſicque perſeverat inconcuſum noſtrum intentum, quod non eſt ſuadere cuivis propoſitioni convenire potius determinatam veritatem; quàm determinatam falſitatem, vel è contra; ſed tantum, quod in quacumque propoſitione deſignata de futuro contingenti conditionato, vel falſitas determinata, vel veritas determinata

de-

debeat existere; & in complexo duplicis propositionis de futuro contingenti conditionato, quarum vna sit affirmativa, & altera negativa, tàm veritatem determinatam, quàm falsitatem determinatam non posse deficere.

89 Pro confirmatione dicendum: Eam tantum probare esse nobis medium inter præferendam veritatem determinatam falsitati determinatæ, & è contra per præcisionem ab vtraque prælatione, quarum nullam facere iure possumus ex ignorantia eventus, qui nos latet; at non probat esse nobis medium inter falsitatem determinatam, & veritatem determinatā propositionis; cùm ex illis principijs memoratis adsit nobis fundamentum ad excludendum defectum vtriusque per existentiam determinatam alicuius, quod cum præcessione ab vtraque non componitur, & infert nobis legitimè hoc consequens: *Vel veritas determinata, vel falsitas determinata existit in propositione.* Inde non confundenda in interrogatione proposita suspensio quoad prælationem veritatis determinatæ, & falsitatis determinatæ cum suspensione quoad existentiam veritatis determinatæ, & falsitatis determinatæ, in qua si rogaremur, prompta adesset responsio: *Vtraque deficere non potest in propositione, & altera ex illis debet existere; & ideò propositio, aut debet esse determinatè vera; aut determinatè falsa.* Ecce excluſum medium nobis nocivum, & ecce admissum medium, cuius assequutio argumenti intentum non promovet. Propterea etiam constat, quomodo accipienda sit, aut reijcienda efficacia illorum principiorum, quibus nititur nostræ sententiæ principale robur, & fundamentum: nam si comparatio fiat ad prælationem veritatis determinatæ, aut falsitatis determinatæ, nobis invtilia sunt; si verò ad existentiam ex parte rei determinatæ veritatis, & determinatæ falsitatis propositionum de futuro contingenti conditionato, maximè nobis conducentia, ex eis igitur hanc inferimus tanquam ex medio certissimo, secùs illam.

90 Id quod solutio nostra continet, intendit Aristoteles, si quando egit de veritate propositionum conditionalium de futuro contingenti, vnde evanescit aliquorum æquivocatio putantium non concessisse veritatem, aut falsitatem determinatam talibus propositionibus, confundentiumque defectum fundamenti in nobis ad præferendam veritatem falsitati, & ad assignandam in propositione quavis determinata vnam præ altera, quam tradidit Phylosophus, cum defectu fundamenti ad affirmandam determinatam veritatem, aut falsitatem ipsarum, quod longè fuit à mente ipsius, vt in simili notavimus agentes de veritate determinata propositionum de futuro absoluto contingenti, adductis ibi locis, in quibus clarissimè eam propugnat ex generali principio necessariæ disiunctionis inter *esse*, & *non esse contingens* comprehendentis non minus contingentia conditionata, quàm absoluta; ideò ociosum duximus expendere alia eiusdem Phylosophi testimonia, quæ pro præsenti quæstione refert eruditissimus Ruiz, disputatione 68. sectione 3. cùm vel nimis anxio de mente Aristotelica per adnotata in præsenti, & per discussa à nobis loco citato fiat satis.

CAPVT III.

An propositiones de futuro contingenti conditionato habeant determinatam veritatem independenter ab aliquo de præsenti connexo cum eventu conditionatè futuro.

71 ACTVM agere, & per molestam repetitionem legentium animis fastidium parere nolentes cogimur præsens dubium brevi absolvere, quod alioquin ob rei gravitatem, & acrem inter Scholarum capita contentionem videretur non levem operam insumpturum: cæterum quidquid laboris in hunc scopum pro nostra tenuitate adhibere possemus, iam præmisimus. Etenim constitutis iam in antecedentibus, sive veritate determinata propositionum absolutarum de futuro contingenti, sive *esse* futuri *conditionati* contingentis independenter omnino pro formali ab omni de præsenti connexo, sive pertinente ad intellectum, sive pertinente ad voluntatem,

nihil reſtat in præſenti noviter proponendum, nec pro quæſtionis ſenſu, & notationibus ad eius perfectam intelligentiam, nec pro ſententiarum diverſitate, & varijs diſcurrendi modis, nec pro ſtabilienda noſtra, & communiſſima Societatis ſententia reijcienti talem dependentiam à præſenti connexo pro determinata veritate, aut falſitate propoſitionum conditionalium de futuro contingenti in tota ſua latitudine; ſed omnia dicta, fundamentaque ponderata pro excluſione, ſive ſcientiæ, ſive decreti, in quibus pro iudiciorum diverſitate aſsignatur tale connexum conſtitutivè ſe habens, tàm ad determinatam veritatem propoſitionum, quàm ad *eſſe* ipſius futuri, in præſens ſunt revocanda, iam ſervata proportione inter abſoluta, & conditionata contingentia, iam attenta conſtitutione obiectiva futuri conditionati contingentis.

91 Inde videbis, tale præſens connexum adhibitum pro determinata veritate propoſitionum conditionalium de futuro contingenti iam nobis apparere repugnans cum ipſa veritate determinata aliquorum futurorum, vt quando talis determinata veritas contrahatur ad futura conditionata nobis libera; iam caſu, quod benè componeretur, eſſe invtile; cum pro conditionato extituro, & veritate illius in eſſe talis, ſufficiat intelligi conditionatè quidquid ſive ex parte effectus, ſive ex parte cauſæ ſit neceſſarium pro contingentia abſoluta illius; iam caſu, quo exiſteret, eſſe purè arguitivum, tàm veritatis formalis propoſitionis, quàm *eſſe formalis* futuri conditionati: iam eſſe identificatum cum ratione formali, vt dicitur à ſuis aſſertoribus, & ſimul diſtinctum ob ſolam connexionem cum ratione formali veritatis, & futuri, quæ à nobis ſuaderi intenditur, ex quorum recognitione cuiquam facilè conſtabit, litem nunc occurrentem non perfunctoriè quidem; verùm ſedulò, provt in nobis fuit, eſſe deciſam, quin egeat iterum in iudicium vocari.

92 Nè verò omninò vacuus maneat præfixus titulus huius capitis, deturque occaſio, tàm memoriæ dictorum, quàm ſolutioni vnius, vel alterius obiectionis nondum ſolutæ; ſit noſtra concluſio. Propoſitiones de futuro contingenti conditionato ex conceptu ſuo ſunt determinatè veræ independenter conſtitutivè ab omni de præſenti connexo cum eventu futuro, quàm ſic breviter probo. Determinata veritas formalis propoſitionis de futuro contingenti conditionato ex ſe, & ex conceptu ſuo ſolum exigit conſtitutivè propoſitionem, & id, quod formaliter conſtituit obiectum in ratione futuri conditionati, ſicut per propoſitionem affirmatur: ſed in propoſitione, & obiecto conditionatè ſe habente, ſicut per propoſitionem affirmatur ex conceptu ſuo non includitur aliquid de præſenti connexum cum eventu futuro: ergo veritas formalis propoſitionis de futuro cõtingenti conditionato ex conceptu ſuo eſt independens conſtitutivè ab omni de præſenti connexo cum eventu futuro. Diſcurſus eſt legitimus, & maior certa. Nam determinata veritas formalis propoſitionis de futuro contingenti conditionato eſt determinata conformitas actus, & obiecti: hæc autem conformitas actus, & obiecti ex conceptu ſuo nihil aliud conſtitutivè dicit niſi propoſitionem enuntiantem obiectum de futuro conditionatè, & id, quod ſit conſtitutivè obiectum ſe habere conditionatè, ſicut per propoſitionem affirmatur: ergo determinata veritas formalis propoſitionis de futuro contingenti conditionato ex ſe, & ex conceptu ſuo tantùm exigit conſtitutivè propoſitionem, & id, quod formaliter conſtituit obiectum in ratione futuri conditionati, ſicut per propoſitionem affirmatur.

93 Probatur minor, quoad vtram que partem. Quoad primam de propoſitione: nam ſi propoſitio de futuro conditionato contingenti ex conceptu ſuo eſſet de præſenti quid connexum cum eventu, quem conditionatè affirmat, omnis propoſitio noſtra de futuro contingenti conditionato eſſet eſſentialiter vera, quia eſſentialiter ex ſe determinata, vt obiectum ſe habeat, ſicut per ipſam affirmatur: ſed propoſitiones noſtræ de futuro contingenti conditionato eſſentialiter veræ non ſunt, imò potius indifferentes ad veritatem, & falſitatem; ſicut cæteræ propoſitiones abſolutæ, ſive de futuro, ſive de præſenti, ſive de præterito, niſi velis hoc eſſe prævilegium propoſitionũ conditionalium, quo quid futilius? Ergo in propoſitione conditionali ex conceptu ſuo non inclu-

cluditur aliquid de præsenti connexum cum eventu futuro. Quoad secundam de futuro conditionato: quia futurum conditionatum contingens, provt tale, & constitutivè ex conceptu suo solùm dicit, id, quod constitutivè sit ex conceptu suo *non esse nunc*, & *esset sub hypothesi*: sed *non esse nunc*, & *esset sub hypothesi* ex conceptu suo nihil includit de præsenti cõnexum cum eventu futuro; cum non *carentiam præsentem* ex se indifferentem, vt esset, vel non esset post sub hypothesi; neque *esset sub hypothesi*, quia pro *esset* sufficit omnis determinatio, quæ foret componibilis ex se cum omni indifferentia de præsenti, sicut omnis determinatio, quæ *erit* componitur cum omni indifferentia, quæ sit, tum etiam, quia omnis determinatio, quæ de præsenti daretur ad *foret sub hypothesi* esset illativa, & non constitutiva illius *foret sub hypothesi*; cum non esset formaliter *conditionata coniunctio hypothesis* & *conditionati*; sed quid inferens *conditionatam coniunctionem hypothesis, & conditionati*: ergo in obiecto conditionatè de futuro se habente, sicut per propositionem enuntiatur, non includitur constitutivè ex conceptu suo aliquid de præsenti connexum cum eventu futuro.

94 Confirmatur hæc pars difficilior: Omne connexum, quod de præsenti datur, non est formaliter constitutivè *non esse* futurũ conditionatum nunc in ratione præsentis, aut generaliter, quia *non esse* rerum contingentium non constituitur per *esse positivum*, vt esset scientia, vel decretum; aut specialiter, quia tale *non esse*, in quocumque consistat, ex se præscindit ab existentia conditionata eventus, neque est formaliter existentia hypothesis, aut conditionati; aliàs existentia rerum contingentium esset cõstitutivè scientia, aut decretum; neque tandem esset formaliter constitutivè duratio posterior, cui coniunctio conditionata hypothesis, & conditionati corresponderet: Nam sicut *esse*, & *existentia* aliarum rerum contingentium non consistit pro formali in scientia, aut decreto; sic nec duratio: sed futurum conditionatum, vt tale, nihil aliud includit constitutivè, & pro formali, nisi, quod formaliter, & constitutivè sit *non existere*, *& conditionata existentia coniunctionis hypothesis, & conditionati provt correspondens durationi posteriori*: ergo futurum conditionatum contingens in esse talis non includit constitutivè, & pro formali aliquid de præsenti connexum cum eventu futuro.

95 Rursus confirmatur. Conditionata, & contingens coniunctio duorum in duratione posteriori ex suppositione, & casu vnius, qua intellecta formaliter, intelligitur formaliter futurum conditionatum contingens, est formaliter, & constitutivè id ipsum, quod formaliter, & constitutivè est absoluta coniunctio contingens duorum in duratione posteriori ex suppositione, & casu vnius, conditionatè acceptum: sed absoluta, & contingens coniunctio duorum in duratione posteriori ex suppositione, & casu vnius non est formaliter, & constitutivè aliquid connexum cum tali absoluta coniunctione: ergo neque id ipsum conditionatè acceptum est formaliter, & constitutivè id, quod cum ipso conditionatè connectitur. Consequentia apparet recta ex eo, quod illa, quæ absolutè sunt constitutiva absoluti conditionatè sint constitutiva conditionati. Maior etiam videtur certa; propterea quod conditionatum sit id ipsum, quod est absolutum, purificata conditione. Minor adhùc certius constare debet; tum quia nihil constituitur per secum connexum; aliàs constitueretur per id, à quo distinguitur. Tum quia existentia absoluta contingentium, vt esset illa absoluta coniunctio conditionati, & hypothesis non consistit pro formali in actu voluntatis, aut intellectus. Sufficiant hæc, quæ reliqua tractata à disput. 13. hùc convocent.

96 Oppones primò. Veritas determinata propositonis de futuro cotingenti conditionato includit constitutivè, & formaliter *obiectum esse nunc contingenter conditionatè futurum*: ergo includit aliquid nunc connexum cum eventu conditionatè futuro tanquam constitutivum sui. Antecedens constat: quia sicut *ab eo, quod res est, vel non est, propositio verè dicitur vera, vel falsa, ita ab eo, quod res est, propositio constituitur in ratione veræ*. Probatur consequentia: Si veritas determinata propositionis de futuro cõtingenti conditionato includit constitutivè, & formaliter *obiectum esse nunc contingenter conditionatè futurum*, includit etiam constitutivè, & formaliter determinationem nunc, vt obiectum nunc tale sit: sed determinatio nunc, vt obiectum sit nunc contingenter conditio-

natè futurum, eſt conexum nunc cum eventu futuro conditionatè: ergo ſi veritas determinata propoſitionis de futuro contingenti conditionato includit conſtitutivè, & formaliter *obiectum eſſe nunc contingenter conditionatè futurum*, includit aliquid nunc connexũ cum eventu conditionatè futuro tanquam conſtitutivum ſui. Maior vera eſt: Nam cuiuſcumque eo modo, quo eſt, datur determinatio identica ipſi, vt tale, & taliter ſit: ergo ſi veritas determinata propoſitionis de futuro contingenti conditionato includit conſtitutivè, & formaliter *obiectum eſſe nunc contingenter conditionatè futurum*, includit etiam conſtitutivè, & formaliter determinationem nunc, vt obiectum nunc tale ſit. Probatur minor, in qua eſt difficultas. Determinatio nunc, vt obiectum nunc ſit conditionatè futurum, non eſt obiectum, quod nunc non eſt, ſed eſſet: ergo eſt aliquid nunc diſtinctum ab obiecto conditionatè futuro, & ſimul nunc determinatio, vt obiectum ſit conditionatè futurum: ſed determinatio nunc diſtincta ab obiecto conditionatè futuro, & inſeparabilis ab eo, quod obiectum ſit conditionatè futurum, eſt connexio nunc, & de præſenti cum obiecto conditionatè futuro; nam omne, quod diſtinguitur ab alio, & aliunde eſt determinatum ad illud, eſt connexum cum illo: ergo determinatio nunc, vt obiectum ſit nunc contingenter cõditionatè futurum, eſt connexum nunc, & de præſenti cum eventu futuro conditionatè.

97 Iterum, atque iterum ſe irretiunt contrarij in *nunc* futurorum, veritatis, & determinationis, quod factum eſt ipſis lapis offenſionis ex non animadverſa diſtinctione *præſentiæ* propriæ futuri, præteriti, poſsibilis, & impoſsibilis in ratione talium, & *præſentiæ* propriæ præſentium non ſemel à nobis in ſuperioribus traditæ, ex cuius obſervatione (niſallor) facilè tollitur iſtud offendiculum. Quare facta prius inſtantia in ipſo futuritionis conditionatæ ſubiecto, quod in ratione talis eſt nunc, eo ipſo ſenſu, quo nunc denominatur affectum futuritione conditionata, ſeu futurum cõditionatè, quin ideò pro ipſo, vt ſubiecto quæratur aliquid de præſenti connexum, à quo conſtitutivè ſit in ratione ſubiecti futuritionis conditionatæ. Reſpondendũ: futurum cõditionatum contingens ea ipſiſsima ratione, qua nunc tale potius eſt, quam non eſt, & excludit, aut indifferentiam, aut determinationem ad oppoſitum habere nunc determinationem, vt ſit id, quod eſt; cæterum determinatio iſta, vtpotè accommodata conditioni, & naturæ futuri conditionati contingentis, non aliter eſt nunc; quàm eſt nunc futurum ipſum cõditionatum in ratione futuri conditionati, ſcilicèt *exiſtentia*, & *præſentia propria* futuri conditionati; *non præſentia* propria illorum, quæ dicuntur, aut abſoluta, aut præſentia: vnde ex veritate determinata propoſitionis de futuro cõtingenti conditionato non poteſt colligi alia determinatio nunc conſtitutiva illius præter eam, quæ nunc ſit eo modo præſentiæ, & exiſtentiæ convenientis futuro conditionato, vt tali; non verò alijs rebus abſolutis, aut præſentibus ex communi vſu, & acceptione.

98 Pro hac autem determinatione, quæ conſtitutiva eſt veritatis formalis propoſitionis de futuro contingenti conditionato, non eſt neceſſarium aliquod connexum nunc cum eventu conditionatè futuro, & quod exiſtat, & ſit nunc præſentia propria præſentium; ſed ſola identitas ſufficit, quam ſecum dicit futurum conditionatum, vt tale, ex qua eſt id, quod eſt, non minus ac *abſolutum* eſt identicè abſolutum: *Poſsibile* eſt identicè poſsibile: *Impoſsibile* eſt identicè impoſsibile: & *ſucceſsivum* eſt identicè ſucceſsivum; identitas verò hæc, ſicut in alijs conceptibus, & conſtitutis ſtat in ſuis conſtitutivis, ſcilicèt in *non eſſe nunc*, & *eſſet*, ſi poneretur caſus; & hypotheſis in quibus pro formali nihil invenies connexum cum eventu futuro conditionatè *ſpecificativè* accepto; ſed puram identitatem, tàm cum ipſo ſpecificativè accepto, quàm cum ipſo reduplicativè accepto, & provt futuro conditionatè. Hinc pro forma ſtat perſpicuè, quomodo, & ſub qua diſtinctione accipiendæ ſint omnes propoſitiones, quæ contineant *eſſe nunc* futuri conditionati, & determinationis, vt ſic ſe habeat. Et ad vltimum enthymema, in quo ſiſtit difficultas; diſtinguendum eſt antecedens ſub hac forma: determinatio nunc, vt obiectum nunc ſit conditionatè futurum, non eſt obiectum, quod nunc non eſt; ſed eſſet *eſſe*, & *præſentia propria præſentium*, nego antecedens; *eſſe*, & *præſentia propria conditionatorum*, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens. Eſt

ali-

aliquid nunc distinctum, & simul nunc determinatio *adæquata*, vt obiectum sit conditionatè futurum, nego consequentiam; & simul nunc determinatio *inadæquata*, vt obiectum sit conditionatè futurum (scilicèt, *non esse*, quod de præsenti datur) concedo consequentiam. Ad min. subsumptam, etiam distinguendum. Determinatio *adæquata* nunc distincta ab obiecto conditionatè futuro, & inseparabilis *adæquatè* ab eo, quod obiectum sit conditionatè futurum, est connexio nunc & de præsenti cum obiecto conditionatè futuro, concedo min. determinatio *inadæquata*, & inseparabilis tantùm *inadæquatè*, & *constitutivè*, nego min. & consequentiam.

99 Denotant termini adhibiti, futurum conditionatum contingens non esse; sed esset in ratione præsentis; at esse in ratione futuri conditionati: quemadmodum possibile contingens ex se non est; sed esset in ratione existentis sine repugnantia; at est in ratione possibilis: insuper determinationem, quæ datur nunc in futurum conditionatum in ratione talis, vt potius nunc sit, quàm non sit, inadæquatè sumptam esse aliquid suo modo nunc distinctum ab entitate conditionatè futura; nimirum *non existere nunc*, quod de præsenti datur *præsentia propria præsentis*, ex quo, & ex entitate conditionatè futura, provt correspondente sub hypothesi durationi posteriori resultat adæquatè determinatio ad futurum identica cum ipso futuro reduplicativè accepto. Cæterùm ex hoc non licet inferre existere de præsenti aliquid connexum cum eventu futuro, quod constitutivè se habeat ad veritatem determinatam propositionis, & ad ipsum *esse* futuri: nam & si illud *non esse*, quod de præsenti datur, eo modo, quo constituit veritatem, & futurum, sit determinatio ad illa; non tamen est determinatio adæquata; sed inadæquata, & partialis; ideoque nec inseparabilitas simpliciter talis ab eventu futuro, cum hæc tantùm resideat in complexo, quod, vtpote inseparabile identicè à ratione futuri conditionati, est etiam inseparabile ab eventu futuro: clarum enim est, inseparabilitatem inadæquatam, & purè constitutivam inseparabilitatis simpliciter talis non esse connexionem cum altero constitutivo, vt demonstrat mea existentia constitutiva inadæquatè coexistentiæ mei, & Pauli inseparabilis simpliciter ab existentia Pauli, quin propterea mea existentia sit connexa, & inseparabilis simpliciter ab existentia Pauli.

100 Vtque roboretur solutio data, & clariùs innotescat improportio cuiusvis connexi cum eventu futuro conditionato ad salvandum ly *nunc* correspondens futuro conditionato advertere oportet, *nunc* conveniens cuivis futuro, sivè conditionato, sivè absoluto esse *nunc æternitatis à parte ante*; secus *à parte post*. Etenim, vt alibi notavimus, quodcumque futurum, semel quod tale sit, est æternum à *parte ante*, ita vt per totam æternitatem fuerit verum esse futurum, aut conditionatè, aut absolutè, prout fuerit conditio illius vsque ad durationem illam posteriorem, per ordinem ad quam verificatur esse futurum, & à qua desinet esse futurum, & incipit esse præteritum in ratione futuri per totam æternitatem à parte post, in qua semper verificabitur fuisse futurum: ergo *nunc* correspondens præsentiæ cuiusvis futuri est æternum à parte antè, & defectibile, & inverificabile in ratione futuri à parte post: sed connexum præsens, quod ab adversarijs designatur in quo consistit *nunc*, & præsentia futuri, sivè pertineat ad intellectum, sivè pertineat ad voluntatem est æternum *à parte ante*, & *post*: ergo *nunc*, & præsentia consistens in connexo de præsenti cum eventu futuro est *nunc*, & præsentia improportionata ad commensurandum illud *nunc*, tam proclamatum futuri; ac per consequens aliunde mensurandum est *nunc*, & *præsentia* propria futurorum, cuiuscumque conditionis sint. Nec dicant, illud connexum, in quo consistit *nunc* futurorum, esse quidem æternum à parte ante, & post in ratione entitatis; at in ratione futuritionis, qua ratione constituit *nunc*, & *præsentiam* futurorum esse solùm æternum à parte antè. Quia eisdem terminis vtens, dicam ego illud connexum esse nunc, & præsens in ratione entitatis; at non esse nunc, & præsens in ratione futuritionis, quam non constituit; sed tantum arguit propter connexionem, quam dicit ad eventum futurum.

101 Oppones secundò. Prædictæ propositiones sunt nunc determinatè veræ contingenter: ergo nunc datur contingentia veritatis earum: sed contingentia hæc, quæ nunc datur, non est con-

contingentia, quæ tantum foret, vt eſt contingentia eventus conditionati: ergo aliquid aliud contingenter modo exiſtens determinatum ad illud *foret* eventus conditionati: ſed id, quod contingenter modò exiſtens eſt determinatum ad illud *foret* eventus conditionati, eſt quid contingenter de præſenti exiſtens connexum cum eventu conditionato, & conſtitutivum veritatis determinatæ propoſitionis, vtpote contingentia illius, quæ à tali veritate non diſtinguitur: ergo propoſitiones de futuro contingenti conditionato non ſunt determinatè veræ indepenſenter conſtitutivè ab aliquo de præſenti connexo cum eventu futuro.

102 Reſpondeo. Prædictas propoſitiones, ſicut nunc, & de præſenti ſunt determinatè veræ, ſic etiam nunc, & de præſenti eſſe contingenter veras: rurſus, ſicut, & eodem ſenſu, quo datur determinata veritas ipſarum, dari contingentiam veritatis ipſis correſpondentis; verùm cum dari *nunc* veritatis determinatæ ſit dari *nunc* proprium, & accommodatum conditionatis; non abſolutis, & futuris; non præſentibus, pariter dari *nunc* contingentiæ indiſtinctæ à veritate, eſt dari *nunc* propriũ, & acommodatum contingentiæ conditionatorum; non abſolutorum; futurorum; non præſentium, quam non licet inferre poſitam in aliquo præſenti connexo cum eventu conditionato; ſed in ipſo eventu, qui foret, & qui prout foret abſolutè contingenter pro caſu exiſtentiæ hypotheſis eſt nunc conditionatè contingenter, & contingentia, quæ *foret*, & *nunc* non eſt in exiſtentia abſoluta eventus ſub exiſtentia conditionis eſt contingentia, quæ modo eſt, & non tantùm eſſet in exiſtentia conditionata eventus. Sicut in entitate poſsibili, & contingenti ea ipſiſsima neceſsitas, quæ datur *nunc*, quando non exiſtit, vt ſit poſsibilis eſt eadem contingentia, quæ datur abſolutè, aut daretur, quando contingenter exiſtit abſolutè, aut exiſteret; nec magis proportionata eſt neceſsitas, vt non diſtinguatur à contingentia abſoluta, quàm contingentia conditionata, vt ſit contingentia abſoluta, ſeu abſolutè exiſtens exiſtentia propria præſentium.

103 Inſiſtes: veritas determinata propoſitionis eo modo, quo eſt contingens, eſt alicui libera. Conſtat: nam omne contingens eo modo, quo eſt contingenter, non eſt determinatum à ſe: ergo ab alio: ſed non neceſſariò ab alio: aliàs non eſſet contingens; ſed neceſſarium: ergo contingenter ab alio, & cum potentia ad vtrumvis, quod eſt eſſe ab alio liberè: ſed veritas modo, & de præſenti eſt contingens: ergo modò, & de præſenti eſt libera. Subſumitur: ſed nihil modò, & de præſenti eſt liberum, niſi modo, & de præſenti detur aliqua determinatio agentis liberi in id, quod modò, & de præſenti liberum eſt: ergo ſi veritas determinata propoſitionis de futuro contingenti conditionato eſt *nunc* de præſenti libera; per conſequens nunc, & de præſenti eſt neceſſaria aliqua determinatio orta ab agente libero in talem veritatem: cumque nihil detur, & ſit ſine eo, quod neceſſarium eſt ad ſuum *eſſe* nulla determinata veritas propoſitionum de futuro contingenti conditionato erit independens ab aliquâ determinatione præſenti inſeparabili ab eadem veritate, & à futuro, ſeu eventu conditionato incluſo in ea veritate, vt eſt intentum contrariæ ſententiæ.

104 Petendum eſt à contrarijs: in futuris contingentibus conditionatis de conditionato nobis libero; v. g. *conſenſu ſalutari*, aut *peccato*, quæ, provt conditionata, nobis libera ſunt, aliàs nec prout abſoluta, eſſent nobis libera: quodnam ſit illud exercitium de præſenti a nobis liberè proveniens, ratione cuius veritas determinata ipſorum modo nobis liberè exiſtit, cum nobis non exiſtentibus per totam æternitatem à parte antè ſaltem in menſura propria, quomodo ſunt futura contingentia conditionata, vt talia, ſint, & verificentur? Si autem veritas ipſorum, vt exiſtens de præſenti à nobis liberè, non requirat aliquod exercitium nobis liberum modò præſens, & exiſtens præſentia, & exiſtentia propria præſentium; quod erit medium aptum ad probandum ex veritate determinata propoſitionis, quæ modò libera ſit, dari nunc, & de præſenti aliquam determinationem ſubiectivè abſolutam, à qua denominatio *liberæ* in veritate proveniat. Vlterius: diſsimulandum non eſt, confundi, *dari de præſenti aliquam determinationem, vt modo ſit vera propoſitio*, cum *dari conſtitutivè ad talem veritatem*; vt eſt præcipuum intentum ſententiæ adverſæ: idque confundendum minimè eſt, re-

reclamante pro distinctione veritate determinata propositionum absolutarum de præsenti, in quibus determinatio omnis distincta ab existentia obiecti non se habet constitutivè; sed duntaxat arguitivè ad eandem veritatem.

105 Respondendum consequenter ad dicta. Verum esse determinatam veritatem propositionis eo modo, quo contingens est, esse alicui liberam; propterea que, cùm contingens tantùm sit in ratione veritatis conditionatorum, libera etiam debet esse alicui libertate propria conditionatorum, quæ sufficit existere conditionatè, & habere determinationem etiam conditionatè; sicut ipsum futurum in se existit tantùm conditionatè. & includit existentiam absolutam extremi liberi tantùm conditionatè. Ratio est: quia id, quod existens absolutè requiritur & sufficit pro absoluto; existens conditionatè requiritur, & sufficit pro conditionato, quod benè valet semper in his, quæ requiruntur, vt contingentia, vt iam supra notavimus: itaque pro effectu, qui non est; sed esset, sufficit causa, & determinatio contingens, quæ non est, sed esset; ac proindè libertas, quæ non sit absolutè sed esset; nè verò decipiat affirmatio illa, *determinata veritas propositionis est modò contingens: est modò libera*, semper exponendus est modus ille *existendi contingenter*, & *existendi liberè*: scilicèt, existentia, contingentia, & libertate propria conditionatorũ, quæ neque existentiam absolutam, nec contingentiam absolutam, nec libertatem absolutam, & quæ sint modò, & existentia præsentium, & absolutorum exposcunt; sed tantùm, quæ sic essent sub existentia hypothesis: non igitur probatur ex contingentia, & modo existendi liberè, quam modò habet determinata veritas propositionis, necessitas alicuius determinationis liberæ, quæ modò sit subiectivè absolutè.

106 Si nondùm quiescas, & inferas: veritas determinata propositionis de futuro contingenti conditionato in ratione veritatis conditionatæ est absoluta; sicut ipsum futurum conditionatum contingens in ratione futuri conditionati est absolutè; alias non modò, vt sit absolutè; verùm, vt sit conditionatum expectaret casum, & hypothesim, à qua præscindit, nec diceretur *modò est conditionatum*; sed *modo esset conditionatum*: vnde de illo conditionato reflexo idem conficeretur argumentum, & per processum infinitum conditionatorum confunderetur essentia, & quidditas conceptus conditionati: ergo in ratione veritatis conditionatæ de futuro est absolutè libera: sed nihil est absolutè liberum nisi per absolutam determinationem, quæ modo sit, si extremum absolutè modo liberum sit: ergo libertas, & contingentia conditionatorum & veritatis determinatæ propositionis ipsis correspondentis talis est, vt ei non fiat satis per libertatem, quæ foret & modò non sit, & per determinationem, quæ foret, & modò non sit.

107 Dicendum: inter veritatem conditionatam propositionis contingentem, & liberam semper dari correspondentiam, & pro modo contingentiæ, & libertatis passivæ veritatis, dari contingentiam, & libertatem activam; quin inde benè inferatur necessitas alicuius determinationis, aut libertatis, quę modò sit absolutè in ratione absolutæ; sed quæ modò sit absolutè in ratione conditionatæ. Itaque sicut veritas determinata contingens propositionis est absolutè, non in ratione veritatis absolutæ; sed in ratione veritatis conditionatæ; sic libertas, & determinatio eidem veritati activè correspondens debet esse absolutè in ratione conditionatæ; secus in ratione absolutæ. Insuper; sicùt veritatem esse absolutè in ratione conditionatæ aliud non est; quàm quod foret absolutè, si poneretur conditio; sic libertatem, determinationem, & contingentiam activam illius veritatis esse absolutè in ratione conditionatarum, aliud non erit, nisi quod si existeret hypothesis, absolutè existerent in ratione absolutarum; idque, vt per se constat, distantissimum est à libertate, & determinatione præcensa in contrario iudicio.

108 Oppones tertiò. Veritas determinata propositionis de futuro contingenti conditionato pertinente vnicè ad libertatem divinam dicit pro formali, & constitutivè divinum decretum. ergo veritas quævis alia de futuro contingenti conditionato dicit pro formali, & constitutivè divinum decretum. Constat antecedens: quia illa veritas est de conditionato, quod est exercitium divinæ libertatis: ac proindè dicit pro formali tale exercitium. Consequentia pro-

probatur. Ideò illa veritas pro formali includit divinum decretum, quia eſt de conditionato libero Deo: ſed quævis alia veritas eſt de conditionato libero Deo; cum omne contingens eo modo, quo contingens eſt, liberum ſit Deo, à quo dependet in exiſtendo, vel poſitivè vel permiſsivè, provt ferat conditio contingentis taliter, vt penès divinam libertatem ſit impedire eius exiſtentiam: ergo veritas quævis alia de futuro contingenti conditionato dicit pro formali, & conſtitutivè divinum decretum.

109 Ad argumentum diſting. antecedens. Veritas determinata propoſitionis de futuro contingenti conditionato pertinenti vnicè ad libertatem divinam dicit pro formali, & conſtitutivè divinum decretum *ſubiectivè abſolutum, & quod de præſenti ſit*, nego antecedens; *ſubiectivè conditionatum, & quod eſſet ſub exiſtentia conditionis*, concedo antecedens; & diſting. conſequens. Veritas quævis alia de futuro contingenti conditionato dicit pro formali, & conſtitutivè divinum decretum *ſubiectivè abſolutum, & quod de præſenti ſit*, nego conſequentiam; *ſubiectivè conditionatum, & quod eſſet*, ſubdiſting. *antecedens, & connexum*, nego conſequentiam: *indifferens*, vel *connexum conſequens*, concedo conſequentiam. Ratio ſolutionis, & terminorum explicatio eſt: nos non negare in quavis propoſitione de futuro contingenti conditionato, qualecumque illud ſit, vt vera, includi pro formali aliquod decretum, & exercitium divinum immediatè liberum, quod *eſſet* caſu quo exiſteret conditionatum contingens, cum tunc exiſteret pro voluntate Dei, vel poſsitiva, vel non impeditiva, & permiſsiva; ſed dicere tale exercitium divinum non eſſe neceſſarium exiſtere de præſenti, & *ſubiectivè abſolutè* connexum cum eventu futuro. Addidimus, adhùc illud decretum, quod eſſet, caſu quo exiſteret conditionatum abſolutè contingenter, debere eſſe *indifferens, ſi ſit antecedens*, vt eſt decretum applicativum Omnipotentiæ in noſtra ſententia ad ſalvandam libertatem creatam, quam conſtituit; & *conſequens, ſi ſit connexum*, quod diximus, propter prædefinitionem efficacem divinam in noſtra opera honeſta, quam aliqui ex noſtris non modò poſsibilem, & exiſtentem; verùm neceſſariam, & indiſpenſabilem ex debito noſtræ ſubiectionis in operando ad primam cauſam operantem concedunt, à quo modò præſcindimus videndi tom. 2. de prædeſt. diſp. 12. cap. 4.

110 Replicabis immediatè. Ergo ſaltem omnes propoſitiones veræ de futuro contingenti conditionato, cuius conditio ſit purificanda, dicent pro formali, & conſtitutivè aliquod decretum *ſubiectivè abſolutum*, & quod modò de præſenti ſit. Prob. ſequela. Hæ propoſitiones, vt veræ, dicunt pro formali, & conſtitutivè decretum, quod aliquomodo abſolutè erit: ſed decretum, quod aliquomodo abſolutè erit, ab æterno fuit, & de præſenti eſt, propter immutabilitatem ipſi intrinſecam: ergo pro formali, & conſtitutivè in eſſe veræ omnis propoſitio de futuro contingenti conditionato, cuius conditio purificanda ſit, dicet decretum *ſubiectivè abſolutum*, & quod de præſenti ſit.

111 Inſtantia vrgens, & clara eſt in propoſitionibus veris veritate de poſſibili erga entitates contingentes, quæ ex ſe, vt verę ſint, non requirunt exiſtentiam abſolutam rei contingentis abſolutè ſumptam; ſufficit enim eis non repugnantia in exiſtendo rei contingentis, quæ cum defectu abſoluto eiuſdem pro *ſemper* eſt componibilis; tamen ſi conceptui *veritatis de poſsibili* addatur *entitatis, quæ abſolutè extitura ſit*, immutabitur ille conceptus *veritatis*, & quidquid denuò pro formali veritate, aut conſtitutivè, aut quomodolibet neceſſarium proveniet, & conceptu illo contracto per additamentum adhibitum. Vnde conſtat ſolutio ad replicam dicendo: eam conſtitutionem veritatis per decretum, quod de præſenti ſit non procedere ex conceptu propoſitionis veræ de futuro contingenti conditionato; ſed ex conceptu propoſitionis taliter veræ de futuro conditionato, videlicèt, *cuius conditio abſolutè purificanda ſit*, qui accidentalis omninò eſt veritati determinatæ propoſitionis de futuro contingenti conditionato. Nec volo controvertere: an ſub tali reduplicatione in propoſitione vera de futuro, decretum, provt exiſtens de præſenti, eſſet conſtitutivum, aut ſolum requiſitum; cum neutrum ſit nocivum. Cæterùm facillimè, & quidem iuxta veritatem dici poſſet decretum tantùm, prout extiturum, conſtitutivè ſe habere, & pro formali

ad

ad eam veritatem; secus, prout existens de præsenti: qua ratione est solùm requisitum essentialiter ad *extiturum* illius.

112 Opponès quartò. Inter *esse necessarium*, & Deo *liberum* non datur medium: sed veritas determinata propositionis de futuro contingenti conditionato non est Deo necessaria, vt per se patet; aliàs non esset contingens: ergo est Deo libera: sed omne Deo liberum includit determinationem Dei inseparabilem ab obiecto libero: ergo veritas determinata propositionis de futuro contingenti conditionato talis non est independenter à determinatione libera divina connexa cum eventu futuro. Confirmatur. Prædicta veritas non contingit præter intentionem Dei; cum ex se omne possibile repugnet contrarietati, & oppositioni ad divinam intentionem: ergo ex se est determinata, vt sit cum divina intentione: sed omnis intentio divina erga talem veritatem est intentio connexa cum eventu futuro: ergo talis veritas determinata independens non est ab aliquo de præsenti connexo cum eventu futuro.

113 Argumentum alia continet falsa; aliud verò malè confusum, & indistinctè propositum. Falsum est nobis primò id, quod, vt in concussum proponit, scilicet *inter necessarium, & Deo liberum non esse medium, cum detur medium*, nempè, *esse contingens*, vt tota Societatis Schola contendit in Scientia conditionata divina de conditionato nobis libero, de quo post; nec tam peculiare est nostrum, vt idem dicere non cogantur omnes illi DD. qui plures sunt, & gravissimi tenentes inconnexionem Dei cum possibilibus, & impossibilibus, quibus oppositum illius principij debet esse constans ex eo, quod possibilitas, & impossibilitas contingat Deo ex se, nec vnam, nec aliam inferenti, quin propterea *esse possibilia*, & *impossibilia* sit Deo liberum. Nec respondeant: id tantùm accidere in his, quæ sunt tantùm contingentia respectivè vt accidit possibilitati, & impossibilitati in illa sententia; secus in his, quæ sunt contingentia absolutè in se; qualis est veritas determinata, de qua loquimur, & quomodo contingentia non sunt possibilia, & impossibilia in illa sententia. Quia dum medium *contingentiæ* inter necessarium, & liberum non repugnet divinæ perfectioni, nulla est disparitas ex contingentia absoluta, præcipuè quando hæc contingentia non est eorum quæ tantùm forent.

114 Falsum vlterius nobis est illud, quod subsumitur, ideſt, *omne Deo liberum includere determinationem ipsius inseparabilem ab obiecto libero*, si per id intendatur determinatio modò, & de præsenti existens, quando suo modo existit status obiecti Deo liber, vt debet intendi ad inferendum legitimè, & non ineptè consequens veritatis contingentis constitutæ per aliquid modò existens connexum cum eventu futuro. Ratio falsitatis est: quia, vt sit liber Deo status conditionatus contingens suorum decretorum, non opus est existere aliquod exercitium præsens divinum; sed sufficit exercitium quod foret, esse tale, vt pro casu existentiæ hypothesis liberè à Deo esse determinabile & impedibile, quomodo falsum debet esse omnibus; quòd vt futura conditionata de conditionato nobis libero, & veritas determinata propositionis ipsis correspondentis sint nobis libera, egeant determinatione nostra libera antevertente statum absolutum purificationis conditionis, & obiecti futuri nobis liberi coexistentis per totam æternitatem statui contingenter conditionato nostræ operationis liberæ. Si autem libertas status conditionati de operatione nobis libera sic benè componitur, absque determinatione vlla nostra quæ de præsenti sit, benè componetur; cur idem non benè stabit in libertate divina, præcipuè quando ex hac diversitate non commendatur excellentia, & perfectio libertatis diuinę super creatam libertatem?

115 Malè deindè confunditur in confirmatione *contingere præter intentionem Dei*, positivè, aut privativè; cum *contingere præter intentionem Dei* purè negativè; *repugnare intentioni contrariæ Dei*, cum *exigere intentionem positivam Dei*; Vltimò: *exigere intentionem Dei*, cum *exigere intentionem Dei, quæ modò sit absolutè, & de præsenti*: quæ omnia discerni accuratè debent; siquidem necessaria Dei sunt præter intentionem Dei *purè negativè*; in quantum Deus non potest intendere, & decernere necessaria; nec propterea repugnant alicui intentioni Dei sibi contrariæ: ergo ex repugnantia ad contrarietatem cum divina intentione non infertur: *non esse præter intentionem Dei negativè*, id est, non esse conformia alicui decreto, & intentioni Dei: neque in-

infertur esse determinata ad aliquam intentionem Dei erga ipsa. Deinde operationes nostræ liberæ conditinatè futuræ exigunt aliquam determinationem, & intentionem nostram liberam, quin illam exigant, vt existentem absolutè in tempore futuritionis conditionatæ; patiterque contingit in futuris conditionatis contingentibus, quæ sint de libertate divina, vt iam diximus: ex quibus satis constat pro forma obiectionis.

116 Vrgebis adhùc intendens non esse medium *inter necessarium Deo, & ipsi liberum*; ac per consequens, quod si veritas determinata de futuro conditionato de qua loquimur, non est Deo necessaria, debet esse ipsi libera, & innitens determinationi divinæ libertatis. Probatur sub hac forma. Veritas non libera Deo est veritas intellecta ante omne decretum Dei: sed intellectum ante omne decretum Dei est ipsi necessarium: ergo veritas illa si Deo non est libera, est ipsi necessaria. Mai. videtur certa, ex eo, quod veritas non libera Deo est veritas independens ab exercitio libero Dei; independens autem ab exercitio libero Dei intelligitur ante decretum Dei; vt constat in rerum possibilitate, & conceptibus quidditativis ipsorum, quæ intelliguntur ante omne decretum Dei. Iam prob. min. Intellectum ante omne decretum Dei intelligitur in signo necessariorum: sed intellecta in signo necessariorum sunt Deo necessaria saltem extrinsecè, & excludentia à se omnem contingentiam, vt constat in eodem exemplo *possibilitatis*, *impossibilitatis*, & *conceptus quidditativi rerum*, quæ etsi Deo non sint necessariæ *necessitate intrinseca* propter inconnexionem, quam Deus dicat cum possibilibus, & impossibilibus, & rerum essentijs; sunt tamen necessariæ *necessitate extrinseca*, & à se excludentes omnem contingentiam: ergo intellectum ante omne decretum Dei est ipsi necessarium. Prob. mai. difficilis. Intellectum ante omne decretum Dei intelligitur esse independenter à nutu, & voluntate Dei: sed sola necessaria, & quæ sunt in signo excludenti omnem contingentiam, intelliguntur esse independenter a nutu, & voluntate Dei: ergo intellectum ante omne decretum Dei intelligitur in signo necessariorum.

117 Ante solutionem nè confundantur ea, quæ distinguere expedit, sciendum est primò. Quòd licèt sit bona consequentia: *Veritas non libera Deo est veritas intellecta ante omne decretum Dei absolutè sumptum*; non valet mutuò: *Veritas intelligitur ante omne decretum Dei absolutè sumptum: ergo non est libera Deo.* Ratio est: quia vt veritas aliqua sit libera Deo sufficit, quod includat decretum Dei conditionatè sumptum *subiectivè*, quod pro arbitrio Dei sit impedibile sub existentia hypothesis, vt contingit in omnibus veritatibus conditionatis de conditionato libero Dei. v.g. *Si existeret alter mundus, existeret incarnatio Spiritus Sancti: si prævidissem consensum sub auxilio, illud conferrem*; neque hoc speciale nostrum est: verùm omnium illorum Thomistarum; qui dixerunt pro veritate conditionali de futuro contingenti etiam nobis libero non esse necessarium decretum De antecedens *subiectivè absolutum*; cum sufficiat pro salvando dominio, & libertate divina in omni contingenti decretum antecedens *subiectivè conditionatum*. ac proinde veritatem conditionalem; posse intelligi ante decretum Dei absolutè sumptum, & simul esse impedibilem, & determinabilem pro libertate divina; & videntur sentire debere, omnes reliqui in conditionali reflexa pertinente ad ipsum decretum *subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum* sub hypothesi libertatis, qua de facto existit, ni velint pro illa conditionali quærere aliud decretum *subiectivè absolutum*, & *obiectivè conditionatum*; & sic pro quavis conditionali contingenti construere infinita decreta *subiectivè absoluta, & obiectivè conditionata.*

118 Sciendum est secundò, vt illatum ex primò, propositionem illam: *Intellectum ante omne decretum Dei esse ipsi necessarium*, esse falsam, si sub omni decreto includat tantùm decretum absolutè sumptum, vt ostensum est in exemplis immediatè propositis, at esse veram si sub omni decreto comprehendat non modò decretum absolutè sumptum; verum conditionatè: ratio est: quia quod ita se habet exclusivè ad omne decretum ex antecedentia ad illud est tale, cuius status absolutus non est contingens: sed id cuius status absolutus non est contingens, est Deo necessarium: ergo id, quod intelligitur ante omne decretum Dei in tota sua latitudine est Deo necessarium. Cæterum ex hac veritate non licet inferre: *Veritas, aut conceptus aliquis non intelligitur ante omne de-*

cre-

vetum in tota sua latitudine : ergo est Deo contingens. Nam veritas, & conceptus possibilis contingentis, sicut, & conceptus quidditativus rerum possibilium contingentium non intelliguntur ante omne decretum Dei in tota sua latitudine, vt constat, quia includunt ex parte hypothesis dependentiam à Deo liberè decernenti in illa conditionali : *Si existat, non repugnabit : si sit, erit animal rationale : si sit, erit animal hinnibile*, quæ est de conceptu *possibilis contingentis*, & alterius veritatis pertinentis ad quidditatem rerum contingentium, & tamen non sunt Deo contingentes contingentia absoluta, & tàm intrinseca, quàm extrinseca : ergo stare potest non esse antecedens omne decretum in tota sua latitudine, & non esse Deo contingens.

119 Sciendum est tertiò. *Necessarium* esse in duplici acceptione, *vno modò* provt opponitur contingentiæ, qua ratione dicitur Deus necessarius in existendo, & quivis conceptus indeffectibilis in ratione talis, possibilitas, impossibilitas, quidditas, & essentia rerum ; *altero*, provt opponitur libertati ; quomodo dicitur necessarium alicui id, quod ab eius arbitrio non dependet, vt existentia *hiemis*, *veris*, aut *æstatis* dicitur mihi necessaria, quia à mea libertate non dependet hæc temporum vicissitudo, quamvis in se contingens sit, & valeat non existere. Iam inter necessarium alicui, provt opponitur libertati, & esse liberum non datur medium ; sicut non datur inter hæc contradictoria : *habet libertatem, non habet libertatem : est liber Petrus ad actionem determinatam ; non est liber ad actionem determinatam* ; at inter *esse liberum*, & *esse necessarium*, prout opponitur contingentiæ datur medium, scilicèt, *esse in existendo contingens*, quod benè componitur sine libertate in ordine ad tertium, & sine necessitate ad ei coexistendum : sic mihi contingens est existentia Pauli ; v. g. quin sit mihi libera, nec mihi necessaria, tàm in existendo absolutè ; quàm in existendo respectivè. Inde *existere in signo necessariorum* venit distinguendum pro distinctione data necessarij ; & dicendum ; alia esse in signo necessariorum *non liberorum*, quæ correspondent necessitati, provt libertati oppositæ ; & alia in signo necessariorum *non contingentium*, quæ correspondent necessitati, provt oppositæ contingentiæ.

120 Ex his ad propositam rationem vrgentiæ dicendum : veritatem determinatam propositionis de futuro contingenti conditionato pertinente ad nostram libertatem, in qua est specialis difficultas existere ante omne decretum Dei absolutè sumptum, & ante omne decretum Dei conditionatè acceptum, quod sit antecedens simpliciter nostram operationem liberam, & cum illa connexum ; at non esse ante omne decretum Dei conditionatè sumptum, quod, & si sit antecedens, non tamen est connexum ; verùm indifferens, quale est decretum applicativum Omnipotentiæ inclusum in hypothesi libertatis in veritate conditionali de futuro nobis libero. Dicendum insuper, hanc non antecedentiam, etsi sufficientem, vt veritas ista sit rei contingentis ; non tamen sufficere, vt dicta veritas sit Deo libera. Ratio est : quia veritas conditionalis ei voluntati duntaxat est libera, cui liberum est sub existentia hypothesis ponere, & non ponere conditionatum, quod tantùm competit libertati creatæ, si eius libertas salva consistat ; cæterùm Deo liberum non est sub purificatione libertatis, & hypothesis ponere, & non ponere conditionatum ; sed tantùm non ponere, aut ponere hypothesim, & media ipsa ponere, aut non ponere conditionatum, quod non sufficit pro libertate exercenda in libertatem conditionalem quæ adhùc persistit ablata hypothesi, & conditionato, vt cernitur in conditionali de conditione non purificanda.

121 Dicendum etiam, eam veritatem *quia Deo non liberam* esse in signo necessariorum Dei, quæ sic dicuntur, *quia Deo non libera*, & provt necessitas contraponitur libertati divinæ ; at non esse in signo necessariorum, quæ sic dicuntur, *quia in existendo suo modo non sint Deo contingentia*, & provt necessitas opponitur *contingentiæ*. Ratio est : quia, vt non intelligatur in eo signo, sitque absolutè contingens, sufficit in existendo subdi libertati alicuius, vt subditur libertati creatæ ; quamquam non libertati divinæ quoad eius impeditionem, & determinationem. Nec determinatio, &

impeditio eiusdem veritatis penes creatum arbitrium, quin id competat libertati divinæ, imperfectio aliqua est divinæ libertatis, voluntatis, & dominij: tum quia ad perfectionem divinam non spectat, sicut neque ad eius dominium immutare rerum essentias, & conceptus; vnde si aliter salvari nequeat libertas nostra, id quod ex iure essentiali ipsius sit, nullæ divinæ perfectioni erit infensum: tum quia tota illa determinatio, & impeditio est à libertate subiecta divinæ potentiæ, libertati, & dominio, sine cuius influxu absoluto non potest operari absolutè, & sine cuius influxu conditionato non potest intelligi decernens, aut eligens conditionatè: tum etiam, quia sicut imperfectio Dei vlla non est, creaturam posse aliqua facere, Deo non causante per se, sed tantùm influente permissivè ex conditione actionis non ferentis maiorem influxum; sic nulla imperfectio erit, voluntatem creatam posse aliquid conditionatè impedire, & determinare sine potentia in Deo ad impediendum, & determinandum ex conceptu actionis liberæ non ferentis maiorem subiectionem libertati divinæ, quàm quoad impeditionem, & acquisitionem in statu absoluto, & quoad statum conditionatum per solum influxum proventurum à libertate divina conditionatè intellectum, insufficientem verò, vt talis veritas conditionata determinabilis, aut impedibilis sit pro libertate divina. Plura alia, quæ ex capite libertatis divinæ, sicut ex causalitate eorum respectu Dei vrgent adversarij, vide supra disput. de constitutivo futuri conditionati, & disput. Appendice eiusdem, ibidem etiam soluta.

122 Opponunt quintò. Veritas determinata propositionis de futuro contingenti conditionato qua parte dicit obiectum esse conditionatè futurum, dicit etiam amabilitatem illius, quod sua proportione intelligendum est de dignitate ad odium, prout fuerit futurum conditionatum, vel honestum, vel turpe; non secus ac scibilitatem illius: sed ita includit scibilitatem, vt non possit separari ab hoc, quod est, *subiectivè absolutè esse à Deo scitum*: ergo ita includit amabilitatem, vt non possit separari ab hoc, quod est, *subiectivè absolutè esse à Deo volitum*. At si veritas determinata dictæ propositionis, qua parte dicit obiectum esse conditionatè futurum, dicit etiam inseparabilitatem ab eo, quod tale obiectum *subiectivè absolutè sit à Deo volitum*, non est veritas independens à decreto Dei *subiectivè absoluto*: ergo veritas propositionum de futuro contingenti conditionato non est independens ab aliquo de præsenti connexo cum eventu futuro, nempe, decreto *subiectivè absoluto*, & *obiectivè conditionato*.

123 Si ex scibilitate obiecti esset consequentia legitima ad amabilitatem eiusdem, malè esset Thomistis concedentibus esse scibiles creaturas possibiles, & negantibus esse amabiles. Deinde, si amabilitas obiecti tantam inducit necessitatem ad amorem sui, quantam inducit scibilitas ad Scientiam sui, nullus esset finis assequibilis, & intendibilis per divinam voluntatem; qua ratione habet amabilitatem correspondentem intentioni, & assequutioni, qui in re non esset intentus, & assequutus: vnde omnia, quæ non sunt in præsenti providentia, essent in eadem propter amabilitatem, quam in se habent, vel vt media, vel vt fines alterius providentiæ: est enim clara disparitas inter scibilitatem, & amabilitatem obiecti finiti: nam si scibilitas obiecti finiti non secum afferret Scientiam sui pro dignitate scibilitatis, Deo esset contingens, & si velis liberum, scire, & non scire quod scibile actualiter est; ac per consequens contingens esset Deo, aut liberum ignorare, quod planè repugnat perfectioni divini intellectus: at quamvis amabilitas obiecti finiti secum non afferat necessariò divinum amorem, nulla imperfectio arguitur divinæ voluntatis, cuius potius perfectio, & excellentia est, non rapi necessariò à bonitate finita, & limitata, vt est ea, quæ correspondet amabilitati obiecti finiti.

124 Ad argumentum respondeo: veritatem determinatam propositionis, qua parte dicit obiectum conditionatè futurum nobis liberum, dicere amabilitatem illius; cæterùm hæc

ama-

amabilitas est tantùm ad affectum simplicem, scilicèt, complacentiæ, aut ad affectum, quem vocant *compositum*, aut *procurativum* futuri conditionati in ratione absoluti; secus ad affectum procurativum ipsius in ratione conditionati, quale est decretum *subiectivè absolutum* positum à Thomistis; & quidem illos affectus dicit non necessario, sed contingenter iuxta doctrinam iam notatam; eo modo, quo finis, vt possibilis, habet amabilitatem in ordine ad complacentiam liberam divinam in ipso, vt possibili, & ad affectum procurativum liberum existentiæ eiusdem; ideoque amabilitas obiecti etiam ab illis affectibus est independens: nunc verò excludit: nam aut illud decretum esset simpliciter antecedens veritatem illam conditionatam nobis liberam, & sic planè everteret libertatem eiusdem; aut esset comitans; qua ratione etiam repugnat ex repugnantia condeterminationis comitantis duplicis agentis liberi; quomodo non esset duplex libertas; sed vna: vel esset consequens veritatem illam conditionatam in ratione talis, & sic actum ageret illud decretum, esseтque ob fatuitatem Deo indignum. Vnde in his facit libertas creata, quod in alijs facit necessitas obiectiva, ob quam obiectum possibile, & finis intendibilis, & si prout talia possint terminare affectum divinum complacentiæ, aut procurativum existentiæ; secus affectum procurativum possibilis in ratione talis, aut finis intendibilis in ratione talis ob fatuitatem, & ineptiam prædicti affectus perfectioni divinæ voluntatis repugnantem.

125 Dixi: *Veritatem determinatam propositionis, qua parte includit obiectum, vt conditionatè futurum nobis liberum*, vt sic dem locum speciali investigationi pro veritate determinata propositionis, qua parte dicit *obiectum, vt conditionatè futurum Deo liberum*, in cuius amabilitate est aliquantulum immorandum, & videndum: num inter vnam, & alteram veritatem quoad affectum divinum, quem potest terminare, sit aliqua disparitas, vel potius conveniente in omnibus se habeant, & pares omninò debeant iudicari? Cuius dubij decisio erit adæquata, & plena obiectionis præcedentis solutio.

126 Id, vt fiat, certum debet esse primò: vtrumque futurum conditionatum, vt tale vniformiter procedere quoad amabilitatem in ordine ad affectum simplicem divinum complacentiæ, aut displicentiæ, provt tale futurum conditionatum reduplicativè sumptum sit, vel non sit adæquatè honestum. Ratio est: quia ex nullo capite apparet repugnans Deum complacere in eo, quod honestum est, aut displicere in eo, quod turpe est: sed futurum conditionatum liberum Deo reduplicativè sumptum potest habere adæquatam honestatem, ex qua simpliciter honestum sit; aut potest habere aliquam turpitudinem ex parte hypothesis, ex qua simpliciter turpe sit: nam bonum ex integra causa, malum verò ex quocumque defectu: Erit enim adæquatè honestum, si tàm hypothesis, quàm conditionatum honesta sint, vt in hoc futuro: *Si sit alter mundus, existat homo Angelus, aut existat Angelus Deus, aut existat homo Deus.* Erit verò turpè ex hypothesi, vt in hoc futuro: *Si existat peccatum, sit qui possit satisfacere per condignam satisfactionem*: ergo vtrumque obiectum, vt conditionatè futurum, quoad terminationem affectus divini simpliciter conveniunt.

127 Certum debet esse secundò. Pariter etiam procedere vnum, & alterum futurum quoad terminationem non necessariam prædicti affectus, quando is sit displicentiæ. Ratio est: quia tale obiectum, vtpote finitum tantùm potest habere malitiam finitam, quæ non rapit necessariò divinam voluntatem in displicentiam; sicut bonitas finita non rapit necessariò in sui complacentiam: ergo displicentia correspondens vtrique futuro libera, & contingens debet esse Deo: ast si affectus sit complacentiæ erit convenientia inter vtrumque futurum, provt fuerit convenientia in includendo divinum adæquatè: quo casu vtrumque terminabit complacentiam divinam necessariò; at quando vnum includat divinum adæquatè, & alterum, aut non includat divinum, aut non includat adæquatè, erit disparitas ex eo, quod vnum terminet complacentiam necessarò; alterum

verò liberè, & contingenter. Ratio est: quia divinum adæquatè, vtpotè infinitum bonum rapit divinam voluntatem in complacentiam sui; at quando vel nullo modo divinum est, vel saltem complexivè creatum, & finitum est, cum provt tale non habeat infinitam bonitatem, non rapit necessariò divinam voluntatem in sui affectum simplicem. Exemplum *adæquatè divini* sit, quando futurum conditionatum includat ex parte hypothesis vnum decretum, & ex parte conditionati aliud; aut vnam Scientiam divinam ex parte hypothesis, & aliam ex parte conditianati; aut *adæquatè non divini*, vt quando tantùm, vel ex parte hypothesis, vel ex parte conditionati sit aliquid divinum; aut quando neque ex parte hypothesis, neque ex parte conditionati est aliquid divinum. Quod vtrumque potest verificari, tàm in futuris conditionatis liberis Deo; quàm in futuris conditionatis liberis creaturis: accipe in his: *Si sit decretum de altero mundo, erit decretum de incarnatione*: En futurum conditionatum adæquatè divinum liberum Deo: *Si sit decretum alterius mundi, erunt plures prædestinati; quàm reprobi*: En futurum conditionatum inadæquatè divinum liberum Deo: *Si sit alter mundus, erit incarnatio alicuius Personæ divinæ*: En futurum conditionatum adæquatè distinctum à divino, vtpotè claudens tantùm existentiam alterius mundi, & vnionem humanitatis ad divinam Personam, quæ divinæ in se non sunt, quod quidem est liberum Deo: *Si sit Scientia conditionata consensus Petri sub libertate A, in determinato instanti, erit Scientia conditionata de consensu Ioannis sub libertate B. in determinato instanti*: aut, *si sit decretum de conferenda tali libertate determinata Paulo, erit prædefinitio divina intentiva consensus sub ipso*. Vide futura conditionata adæquatè divina libera creaturæ: *primum*, quia potest impedire, & determinare: *secundum*, quia potest impedire, *si sit decretum de libertate A, erit consensus Petri sub ipso*. Vide futurum conditionatum inadæquatè divinum liberum creaturæ: *si sit consensus in Petro in instanti A, erit consensus in Antonio in eodem instanti*. Vide futurum conditionatum adæquatè distinctum à divino liberum creaturæ.

128 Certum debet esse tertiò. Dari convenientiam in vno, & altero futuro, quod ad terminationem affectus liberi divini complexi, seu compositi tendentis procurativè in statum absolutum futuri conditionati, quando istum nihil turpe includit, ratione cuius subterfugiat divinam intentionem: etenim id, quod honestè potest reduci ad statum absolutum, propositum conditionatè divinæ voluntati potest movere intentionem procurantem statum absolutum: sed quando futurum conditionatum Deo liberum tale est, vt provt futurum conditionatum, nihil includat turpe, honestissimè potest reduci ad statum absolutum: ergo propositum conditionatè divinæ voluntati potest movere intentionem procurantem statum absolutum eiusdem: non secus, ac quivis alius finis honestus propositus conditionatè sub existentia mediorum potest movere divinam voluntatem in intentionem, & procurationem sui quoad statum absolutum sub existentia, & exequutione mediorum.

129 Certum debet esse nobis quartò, quòd quando futurum conditionatum Deo liberum in ratione talis; sed distinctum ab ipso decreto *subiectivè absoluto*, & *obiectivè conditionato*, vel distinctione reali, vel distinctione virtuali extrinseca, qua vnus actus contingens divinus distinguitur ab alio actu divino contingenti, si possibilis sit talis affectus complexus, & procurativus subiectivè absolutus, & obiectivè conditionatus, erit tantùm futuritio illativa, & arguitiva obiecti, in quod conditionatè tendit; secus formalis. Id constat ex dictis in disputationibus antecedentibus de constitutivo futuri conditionati, in quibus conati sumus suadere contra Thomistas decretum illud subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum, quod pro veritate cuiusvis futuri conditionati designant, adhùc admissa eius existentia, & necessitate non gaudere ratione futuritionis *formalis* sui obiecti; sed duntaxat *illativæ*: propterea quod in obiecto ipsius, quod respicit, & infert, inveniatur tota formalis, & adæquata ratio futuri conditionati. Hoc quidem propterea diximus esse certum, *non absolutè; sed*

nobis; & adhùc nobis, non in alio ſenſu, niſi in quantum eſt extra præſentem controverſiam, & iam ſupponitur alibi diſputatum, & deciſſum. Additum vlterius eſt pro exceptione: *Si futurum conditionatum Deo liberum diſtinguatur ab ipſo decreto ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato*: quia quando non diſtinguitur ab ipſo decreto ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato, cuius ſtatus abſolutus in ratione abſoluti decernentis etiam eſt conditionatè futurus, tunc negari non poteſt, ipſum decretum, quod defacto ſit ſubiectivè abſolutè eſſe futuritionem formalem ſui in ratione abſolutè decernentis, ſi prout fert ſententia plurium ipſum decretum conditionatum ſit abſolutum à ſe, & per ſe pro caſu purificationis conditionis: tunc verò futuritio conſiſtet in aliquo de præſenti inſeparabili ab eventu futuro; ſed non proveniet ex conceptu futuri; verùm ex conceptu talis futuri, vt etiam iam ſuprà notavimus in peculiari conditione aliquorum futurorum.

130 His extra controverſiam poſitis; quod controvertitur eſt: an vtrumque futurum pariter ſe habeat in ordine ad repugnantiam cum divino affectu efficaci, & procurativo *ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato*: an verò diſconformiter, taliter vt quamvis futurum conditionatum, vt tale liberum creaturæ, pugnet cum affectu efficaci Dei *ſubiectivè abſoluto*, & *obiectivè conditionato* ob inſinuatas rationes in ſolutione præcedentis argumenti, futurum conditionatum Deo liberum non pugnet; ſed permittat? Iam ſi prædictus divinus affectus probetur incomponibilis cum futuris conditionatis Deo liberis; per conſequens probabitur abſolutè repugnans in Deo decretum *ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum*. Ratio eſt: quia prædictus affectus ſolùm poteſt tendere in obiecta contingentia conditionata, quæ ſunt in duplici differentia: nempè, aut nobis, aut Deo libera; cum contingentia ab vtraque libertate nequeat præſcindere: ergo ſi repugnet tendere in obiecta conditionata, tàm Deo; quàm nobis libera, repugnabit etiam tendere in ſuum obiectum, quomodo talis tendentia oſtenditur repugnans: benè ergo valebit, *tendentia divina ſubiectivè abſoluta, & obiectivè conditionata eſt poſsibilis: ergo poteſt tendere, vel in obiecta conditionata Deo libera, vel in obiecta conditionata nobis libera*: vnde ab oppoſito erit etiam bona conſequentia, *non poteſt tendere, tàm in obiecta conditionata nobis libera, quàm in obiecta conditionata Deo libera: ergo tendentia divina ſubiectivè abſoluta, & obiectivè conditionata non eſt poſsibilis*. Inde excluſo eo divino affectu *ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato* à futuris conditionatis liberis voluntati creatę, idem erit inquirere: an futuris conditionatis Deo liberis valeat convenire? Ac inquirere: an talis affectus ſit Deo poſsibilis? Qui ſi talis probetur, probabitur per conſequens benè cohærens cum futuris conditionatis Deo liberis, & hæc erunt quoad hanc partem diſconformia futuris conditionatis liberis voluntati creatæ. Si autem per oppoſitum probetur repugnans, etiam probabitur incomponibilis cum futuris conditionatis Deo liberis; & hæc omninò convenientia cum futuris conditionatis liberis voluntati creatæ; ideò ſub terminis vniverſalioribus ſequens caput quæſtionem dirimet.

CAPVT IV.

An ſit poſsibilis in Deo voluntas efficax ſubiectivè abſoluta, & obiectivè conditionata?

131 NEGANT poſsibilem meo iudicio quotquot futuris conditionatis contingentibus non aliam eõcedunt veritatem determinatã; quàm coniecturalẽ, ſeu deſſumptam ex coniecturis, qui ſi agnoſcerent in Deo poſsibile decretum *ſubiectivè abſolutum & obiectivè conditionatum*, agnoſcerent per conſequens medium determinatum, & infallibile, vnde veritas futurorum conditionatorum plus quàm coniecturalis eſſet ſumenda. Hi ſunt Thomiſtæ illi, quos dedimus initio huius diſp. Inſuper negat abſolutè Navarrete controv. 56. §. 2. vbi ad excludendam in Deo Scientiam formaliter obiectivè conditionatam aſſumit pro medio repugnare in Deo voluntatem formaliter obiectivè conditionatam: negat etiam apud Ribadeneyram, Author quidam Anonymus de ordine cap. 21. Ex noſtris partem ne-

gativam tuentur Vázquez 1. part. disp. 67. num. 71. Alarcon tract. 3. cap. 8. citans pro se Enriquez lib. vltimò de fine hominis cap. 4. num. 2. Mendozam Auguſtinianum in quodlibetic. quæſt. 7. Scholaſtica num. 13. & Medinam 1. p. quæſt. 14. art. 13. diſput. 15. 17. & 18. Immeritò tamen, vt notarunt alij: cum hi AA. tantùm velint reijcere prædicta decreta non vt Deo poſsibilia; verùm, vt neceſſaria ad veritatem determinatam futurorum contingentium conditionatorum.

132 Ruiz diſput. 71. de Scientia ſect. 7. & ſequentibus, & diſput. 8. de volunt. ſect. 7. ſatis implexè procedit, diſtinguens in Deo duplex genus decretorum conditionatorum, quorum alia vocat merè, & præciſè conditionalia, vtpote, quæ neque formaliter, neque virtualiter continentur in aliquo decreto obiectivè abſoluto, vt forent omnia illa, quæ non pertinerent ad regimen actualiter, & abſolutè exercendum in aliqua differentia temporis. v.g. Si Deus decerneret quæcumque futura eſſent ex hypotheſi, quod ipſe alios mundos conderet. Alia autem dicit eſſe decreta mixtè conditionata, ſeu contenta in decreto aliquo abſoluto & vniverſali, ex quo pertinent ad regimen actualiter, & abſolutè exercendum: qualiter inquit; *Deus decrevit Adamum in Paradyſo retinere, ſi non peccaſſet, & Iudam in Apoſtolatu, ſi fur, & proditor non eſſet*: tum etiam: *Omnes homines ſalvare, ſi legem, & præcepta ſervaverint*; & ſic de alijs. Ex his prima illa decreta purè conditionalia (inquit) non eſſe Deo poſsibilia; ſecus ſecunda mixta, & non purè talia. Inde iudicarem, quod quamvis ſententiæ affirmativæ communiter adſcribatur, potius pro negativa debeat referri; nam ſi attentè legatur, non aliud videtur concedere poſsibile decretum *ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum* in Deo, quàm in pura æquivalentia decretorum, quæ abſoluta ſunt, & modum tendendi conditionatum in obiecta formaliter non habent.

133 Poſsibilitatem affirmant communiter Thomiſtæ, tàm antiqui; quàm recentes, quos refert, & ſequitur Illuſt. Godoy tom. 2. in 1. partem diſp. 36. §. 1. Franciſcus Fælix cum alijs Scotiſtis cap. 6. de Scientia diſſertatione 2. Noſtri ferè omnes cum Molina in concordia à quæſt. 19. art. 7. diſp. 1. Suario in opuſc. lib. 2. de Scientia futurorum cap. 7. & tom. 2. de gratia prolegomen de Scientia conditionata cap. 8. Quibus adhærent Ribadeneyra diſp. 22. de volunt. cap. 3. Izquierdo tom. 2. de Deo, diſp. 34. quæſt. 8. propoſit. 1. Herrera quæſt. 13. de volunt. ſect. 2. & omnes RR. in manuſcriptis.

134 Concluſio ſit affirmativa, quam probatam invenio ab omnibus, qui eam protegunt authoritate Scripturæ ex multis prædictionibus conditionatis de conditionato libero Deo, in quibus continentur iam promiſsiones, iam comminationes conditionatæ, vt Geneſ. 4. *Si benè egeris, recipies; ſi autem malè, ſtatim in foribus, peccatum tuum aderit*, 18. *Si invenero Sodomis quinquaginta Iuſtos in medio Civitatis dimittam omni loco propter eos.* Et deinceps: *Si inventi fuerint quadraginta quinque, vel triginta, vel viginti, vel decem.* Iob. 9. *Si venerit ad me non videbo eum, ſi abierit non intelligam.* Iſaiæ 30. *Si converſus fueris, & ingemueris, ſalvus eris.* 1. Reg. 13. *Nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quod ſi non feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus Regnum tuum ſupra Iſrael ſempiternum.* 4. Reg. 13. *Si percuſiſſes quinques, aut ſexies, ſivè ſepties percuſiſſes Syriam vſque ad conſumationem.* Ioannis 13. *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* 16. *Si enim non abiero Paraclitus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Matth. 26. *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum?* Quibus addi poſſent plura alia loca continentia ſimiles conditionales de conditionato Deo libero, cum frequentiſsimæ ſint in ſacris litteris loquutiones taliter conditionatæ.

135 Vnde fundamentum inſtruunt ſub hac forma. Deo conveniunt plures promiſsiones, & comminationes conditionatæ: ergo & plura decreta conditionata. Antecedens conſtat ex textibus præmiſsis. Conſequentia prob. tum quia difficultates inſurgentes contra decreta conditionata æquali vi pugnant contra promiſsiones conditionatas: etenim non minùs connexæ ſunt divinæ promiſsiones conditionatæ cum eventu promiſſo ſub exiſtentia conditionis; quàm decretum conditionatum cum eventu decreto ſub exiſtentia conditionis: quod ſi difficultas attendatur ex ſcientia regulante decretum conditionatum, eadem vincetur in ſcientia regu-

lan-

lante promissionem conditionatã: tum etiam, quia omnis promissio importat quandam promittentis attestationem, per quam significat, vel non habere animum contra adimpletionem promissionis, vel si sit plenè perfecta, qualis debet esse promissio divina, habere animum adimplendi: sed non animum absolutum, quia animus desideratur pro modo promissionis: ergo animum conditionatum, & correspondentem promissioni conditionatæ, qui quidem animus per promissionem attestatus formalissimè est decretum subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum decernens rem conditionatè promissam sub existentia conditionis Hæc est omnium probatio authoritate innixa.

136 Quam, veneratione susceptam efficacem ad intētum reputare non valui, fallar forsan ego; verùm motiva mihi debilitatem huius fundamenti ad convincendam possibilitatem decreti subiectivè absoluti, & obiectivè conditionati proponam. Primum. Quia ex his locis titulo assertionis conditionatæ de conditionato libero Deo non ostenditur necessarium tale decretū: ergo nec possibile. Consequentia recta est: quia deficiente necessitate decreti ad salvandam veritatem assertionis conditionatæ de conditionato liberoDeo, deficit fundamentum ad probandam possibilitatem eiusdem. Antecedens probatur. Titulo assertionis conditionatæ de conditionato libero Deo, solùm ostenditur necessarium id, sine quo non stat veritas prædictæ assertionis: sed sine decreto subiectivè absoluto, & obiectivè conditionato stat veritas prædictæ assertionis: ergo titulo assertionis conditionatæ de conditionato libero Deo non ostenditur necessarium tale decretum. Probatur minor: Nam cætera constare videntur. Vt stet veritas prædictæ assertionis, solùm requiritur decretum sufficiens, vt sit conditionatum liberè à Deo sub existentia conditionis: sed vt sit conditionatum liberè à Deo sub existentia conditionis, sufficit decretum, quod esset sub existentia conditionis, quin requiratur decretum, quod sit in statu præcisionis ab existentia hypothesis, & conditionati Deo liberi; ergo sine decreto subiectivè absoluto, & obiectivè conditionato stat veritas prædictæ assertionis.

137 Confirmatur. Non magis requirit veritas assertionis conditionalis de conditionato libero Deo necessaria ad conditionatum liberum, vt contingenter existentia ex parte libertatis, & decreti; quàm conditionatum ipsum liberum: sed conditionatum ipsum liberum tantum requirit subiectivè absolutè pro casu purificationis conditionis libertatem, & decretum: ergo libertatem, & decretum ad conditionatum necessaria tantum requirit subiectivè absolutè pro casu purificationis conditionis; secus pro casu præcisionis ab existentia conditionis. Dixi in maiori: *Necessaria ad conditionatum liberum, vt contingenter existentia ex parte hypothesis & decreti*, nè instantia fieret in scientia simplicis intelligentiæ, & in possibilitate ipsius decreti, quæ sunt necessariæ ex parte libertatis, & decreti, vt existentes subiectivè absolutè, quando præscinditur ab statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati. Nec video: quomodo ex assertione conditionata vera probari possit decretum subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum, nisi iterum incidamus in fundamenta Thomistarum pro veritate determinata propositionum de futuro contingenti.

138 Secundum. Neque probatur titulo comminationis conditionatæ propter similem rationem: nam pro comminatione cōditionata sufficit propositio mali, seu pœnæ indefectibiliter futuræ sub existentia conditionis: sed stat propositio mali, seu pœnæ indefectibiliter futuræ sub existentia conditionis absque propositione vlla decreti, quod sit subiectivè erga pœnam conditionatè futuram: ergo ex titulo comminationis conditionatę non probatur decretum subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum tendens in obiectum liberum Deo. Maior videtur certa; cùm non aliud sit comminatio conditionata, nisi propositio conditionata mali eventuri, si existat hypothesis à cuius positione deterrere intenditur per manifestationem mali indefectibilis sub existentia conditionis. Probatur minor. Ad propositionem pœnæ indefectibiliter futuræ sub existentia conditionis sufficit propositio decreti non defecturi erga pœnam, si fit conditio: sed ad propositionem decreti non defecturi erga pœnam sufficit propositio decreti, quod erit erga pœnam, si fit conditio, quin fit necessarium decretum vllum, quod sit: ergo stat propositio mali, seu pœnæ inde-

defectibiliter futuræ ſub exiſtentia conditionis abſque propoſitione vlla decreti, quod ſit ſubiectivè erga pœnam conditionatè futuram.

139 Confirmatur, & explicatur. Ad comminationem cõditionatam pœnæ liberæ comminanti ſufficit voluntas in comminante erga manifeſtationem conditionatã mali imminentis ſub exiſtentia conditionis, & manifeſtatio voluntatis liberæ comminantis non defecturæ erga pœnam, ſi ſit conditio: ſed neque voluntas exiſtens erga manifeſtationem conditionatã mali imminentis ſub exiſtentia conditionis, neque voluntas propoſita per talem manifeſtationem eſt aliqua voluntas ſubiectivè abſoluta, & obiectivè conditionata: ergo ex comminatione conditionata non probatur in Deo voluntas aliqua ſubiectivè abſoluta, & obiectivè conditionata. Probatur minor. Voluntas comminantis exiſtens erga manifeſtationem conditionatã mali imminentis ſub exiſtentia conditionis eſt voluntas ſubiectivè, & obiectivè abſoluta, cum non tendat in manifeſtationem, vt ponendam ſub aliqua hypotheſi, à qua præſcindat; verùm abſolutè, & independenter ab omni conditione. Deinde voluntas libera comminanti propoſita per talem manifeſtationem non defutura erga pœnam, ſi ſit conditio, eſt voluntas propoſita conditionatè extitura; cum pro modo, quo proponitur non defectus, proponatur exiſtentia, ac per conſequens eſt voluntas, quæ eſſet, non quæ ſit: ergo neque voluntas exiſtens erga manifeſtationem conditionatã mali imminentis ſub exiſtentia conditionis, neque voluntas propoſita per talem manifeſtationem eſt aliqua voluntas ſubiectivè abſoluta, & obiectivè conditionata.

140 Iam ſi ex paritate difficultatum occurrentium in cõminatione conditionata, & decreto ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato deſumatur fundamentum ad inferendum ex exiſtẽtia vnius poſsibilitatem alterius, ideoque dicatur exiſtentia comminationis non eſſe argumentum ad exiſtentiam talis voluntatis, benè vero inducere poſsibilitatem eiuſdem; hoc etiam deficit: Nam comminatio conditionata benè componitur conſequens ad exercitium illud liberum divinum conditionatum ex eo, quod abſque inconvenienti vllo procedat ex Scientia divina conditionata illius exercitij liberi, nec fatuum ſit manifeſtare alijs cõditionatè extiturum id, quod à manifeſtante ſcitur, vt tale; non ſic decretum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum, quod ſi procedat antecedenter ad tale exercitium conditionatè futurum, deſtruet eius libertatem immediatam pro caſu purificationis hypotheſis: vnde omne decretum à Deo per tendentiam ſubiectivè abſolutam, & obiectivè conditionatam erit Deo tantum mediatè liberum: ſi autem ſit conſequens ob dependentiam à ſcientia conditionata eiuſdem exercitij liberi ſub hypotheſi libertatis immediatæ divinæ ad illud ponendum, vel non ponendum, erit fatuum, vt in ſimili arguunt omnes noſtri Doctores pro futuris conditionatis nobis liberis; etenim tale decretum tendentia ſua ſubiectivè abſoluta, & obiectivè conditionata tenderet conditionatè in id, quod aliunde, & independenter ab ipſo erat extiturum conditionatè; vnde nullius efficacitatis oſtenderetur, præciſèque, vt actum ageret, procederet, quod indecorum eſt voluntati perfectiſſimæ, & in decernendo efficaciſsimæ.

141 Tertium. Non plus vrget titulus promiſsionis conditionatæ, cui occurri poſſet dicendo, non dari in Deo promiſsionem ſimpliciter talem; ſed quando Scriptura proponit divinas promiſsiones, more noſtro loqui, & firmitatem divini decreti, per quandam ſimilitudinem ad actus noſtros explicare; quod confirmari poteſt paritate *iuramenti* duntaxat convenientis Deo metaphoricè, vt tenent plures Theologi ex ſententia Patrum, dicente Athanaſio, Serm. de Paſsione, & Cruce Domini, columna 4. *Non vt homo iurat Deus; ſed nobis ipſius ſermo pro iuramento eſt ad veritatem. Hominibus autem loquens iurare dicitur, & hoc ipſum humano more efferunt ſancti, vt inde ipſi loquentes ſibi fidem habere velint, inde etiam Deo loquenti fidem habeant.* Hieronym. Iſaiæ 14. ad illud *iuravit Dominus exercituum, &c.* proferente. *Hoc autem humano loquitur affectu, quod ſcilicèt non fallatur, qui falli non poteſt.* Ambroſio, libro 1. de Cain, & Abel, cap. 10. *Qua ratione igitur Moyſes iurantem Dominum inducit? Quia nos vſu quodam mortalium claudimur, & velut Echini cortice quodam nos vulgaris opinionis involvimus, aut velut Cochleæ, quæ niſi intra teſtæ operimentum ſint ſpirare non poſſunt, nec Aërem liberum*

berum capere, aut sustinere: sic nos non nisi intra quædam humanæ consuetudinis latibula terrena versamur: vnde quia illud verius solemus credere quod iure iurando firmamus, nè nostra claudicet fides, iurare describitur Deus, qui ipse non iurat: hinc cum non minus proponatur Deus in Scriptura iurans; quàm promittens improprietatem, quam patiatur verborum sensus, quoad iuramentum Dei, feret etiam quoad diuinam promissionem, cum non se ostendat ratio, vt magis dedeceat Deum iuramentum; quàm promissio, aut verba proponentia Deum iurantem laxiùs, quàm proponentia ipsum promittentem, sint vsurpanda.

142 Si respondeatur: Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 16. definire: *Iustis propositam esse vitam æternam tanquàm gratiam filijs per Christum Iesum promissam, & tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis reddendam fideliter.* Nec Concilia in re dogmatica vti verbis in sensu *improprio*, aut *metaphorico*; Id etiam non obstat: tùm quia dum non probetur *Promissionem* in Scriptura propriè, & strictè accipi, nihil colligi potest ex loquutione Concilij iuxta tenorem Scripturæ & conformi sensui ipsius in proprietate, si proprius sit, & in metaphora, & improprietate, si improprius sit, & metaphoricus. Fidei autem dogma ibi traditum, in quo seruanda est proprietas, nè detur locus ambiguitati, non est gloriam, & æternam vitam contingere iustis finaliter perseverantibus ex stricta promissione divina; sed duntaxat infallibilitas assequutionis ex propositione divina, quidquid sit, an dicta propositio includat strictam promissionem, vel non? Sufficit enim pro firmitate, & infallibilitate assequutionis divina assertio explicata, vt dixerunt Patres, more, & vsu nostro in simili de divino iuramento, vt concipiamus securissimum eventum.

143 Occurri etiam potest ex doctrina Suarij in opusculis relectione de libertate divina, disputat. 2. sect. 2. qui licet studeat retinere in Deo proprietatem promissionis, nihilominus inquit: veram, & strictam promissionem diuinam esse duntaxat simplicem assertionem, qua declaratur diuinæ voluntatis propositum de aliquo beneficio conferendo, scilicèt absolutum subiectivè, si absoluta sit; conditionatum verò subiectivè, si conditionata sit. Quod probat ex more loquendi Scripturæ, quæ licèt in varijs locis mentionem faciat diuinarum promissionum sub his terminis; tamen vbi proponuntur ipsæ promissiones, provt à Deo fiunt, verba, quibus vtitur non sunt promissiva, sed purè assertoria. Vt Genes. 12. & 22. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Et 2. Reg. 7. *Suscitabo semen tuum post te.* Et Psalm. 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et sic in alijs, quibus adiungi possunt omnes promissiones conditionatæ adductæ in probatione, quam modo expendimus. Probat vlterius: quoniam assertio simplex sola sufficit, vt id, quod Deus asserit, infallibiliter eveniat; cum procedat ex certissima scientia futurorum: ergo vltra assertionem simplicem nihil amplius opus ad firmandum id, quod asseritur: ac proinde ratio promissionis inducta ad firmandum promissarium in re promissa non distinguitur formaliter ab assertione simplici, vel absoluta, vel conditionata alicuius boni respectivè ad alterum, cui fit promissio. Quæ si ita sint, patet quid subsidij restat ex promissionibus conditionatis ad inferendam possibilitatem affectus efficacis divini subiectivè absoluti, & obiectivè conditionati.

144 Vltimò infringi potest titulus promissionis ex eo, quod quamvis ratio promissionis strictæ, & simpliciter talis admittatur in Deo, & insuper ratio promissionis strictè talis non sit tantummodo simplex assertio, vel absoluta, vel conditionata; sed includat animum se obligandi, vel absolutè, vel conditionatè, & testificationem illius, excludatque præsentem animum non adimplendi, quod etiam sub lite est, vt videri potest ad tractatū de voto, tenente sententia communissima ad valorem voti, & promissionis Deo factæ non obstare præsentem animum nō implendi rem promissam; ast includere præsentem animum implendi, vel absolutè, vel conditionatè provt fuerit promissio absoluta, vel conditionata, est magis dubium, si de animo formali, & non virtuali contento in ipso animo se obligandi, qui est quædam inseparabilitas moralis ab adimpletione, sicut est quædam moralis alligatio ad exequendum id, quod promittitur. Neque omnia, quæ regulariter in nobis promittentibus coniunguntur, sunt de essentia promissio-

ſionis : ſicut non omnia , quæ in nobis ligatis ſub præcepto inveniuntur , ſunt de eſſentia in omni , qui præcepto teneatur ; aliàs multis de cauſis probaretur Chriſtus Dominus incapax præcepti : vndè etiam licèt in nobis ad perfectam , & completam promiſsionem eſſet neceſſarius præſens animus, ſive abſolutus , ſive conditionatus erga adimpletionem promiſsi , is tamen neceſſarius non eſſet in Deo ad perfectiſsimè , & completiſsimè promittendum , in quo voluntas ſe obligandi eſt metaphyſicè connexa cum adimpletione , & procedit ex ſcientia certiſsima adimpletionis, quæ cum deficiant in nobis , nihil mirum , ſi pro completione promiſsionis, & teſtificatione adimpletionis , quæ in promiſsione includitur , requiratur animus præſens , vel abſolutus , vel conditionatus decernens exequutionem promiſsi.

145 Dices. Admiſſa in Deo ſtricta promiſsione , necnon ſtrictam promiſsionem non conſiſtere in ſimplici aſſertione , ſaltem neceſſariò eſt concedēda in Deo obligatio quædam abſoluta in promiſsione abſoluta , & conditionata in promiſsione conditionata , vel rei promiſſæ , vt loquuntur plures nolentes admittere obligationem Dei , vel ſui , vt tenent alij , quibus non diſſonat Deum obligari , ſive ex ſtricta iuſtitia, ſive ex ſtricta fidelitate : ergo in promiſsione conditionata oritur ex actu ſubiectivè abſoluto, vt eſt actus promittendi, obligatio quædam conditionata; quæ ſi poſsibilis ſit , cur poſsibilis non erit actus alius ſubiectivè abſolutus, & obiectivè conditionatus , quo Deus efficaciter decernat conditionatè obiectum aliquod liberè à ſe procedendum?

146 Verùm iſta ſolutio intentum noſtrum confirmat , & debilitatem probationis , quam , vt inconcuſam ſupponunt , facilè oſtendit : ex ea enim facilè conijcitur , quot tractus difficiles opus ſit percurrere, vt in conſequente *poſsibilitatis* decreti ſubiectivè abſoluti, & obiectivè conditionati tanquam in termino ſiſtamus : conſideretur ergo quanta ſint gratis danda, & quæ ſine longa controverſia aſſequi non valent , adhùcque in ancipiti puræ poſsibilitatis conſiſtunt, ac ſi ex iure , & ratione evidentiſsima concederentur ſunt prætermittenda:vnde recognoſcere cogimur tenuem vim diſcurſus tot adminiculis indigentis. Cæterùm poſt tot anfractus videamus rectitudinem illationis, quæ nulla eſt, vt diximus in ſimili paritatis comminationis conditionatæ ad poſsibilitatem decreti ſubiectivè abſoluti , & obiectivè conditionati , planumque fiet, longam eſſe diſtantiam inter vnum, & aliud.

147 In primis : Quia obligatio conditionata promiſsionis conditionatæ aliud non eſt ab ipſo animo ſe obligandi conditionatè , qui extra ſe nihil aliud ponit , nec vult aliquid à ſe diſtinctum ex generali doctrina tradita diſputat. 10. de prædeſtinat. cap. 4. quoad tendentiam , & obiectum decreti applicativi indifferentis omnipotentiæ , vbi reſolutum eſt quid dicendum de voluntate *præceptiva, legislativa, condonativa*, & de quacumque alia Imponente ſibi , vel alijs obligationem ; at decretum ſubiectivè abſolutum , & obiectivè conditionatum de obiecto Deo libero , cum ſit efficax ; non modò formaliter , verùm effectivè tendet in aliquid extra ſe liberè ponendum , ex quo reſultant difficultates cohærentię cum libertate illius, quod condionatè decernit , & ſcientiæ regulantis , ob quam non reddatur fatuum, & intendens impertinenter aliunde factum. Deinde in obligatione conditionata ſtatim relucet conducentia in ordine ad obiectum promiſſum, vtpotè quæ non tendit ſimpliciter , vt ſit obiectum conditionatè , quo modo per ſcientiam regulantem proponitur conditionate liberè extiturum ; ſed vt ſit conditionatè ex obligatione, qua ratione amplius addit ſupra *eſſe* , quin libertatem lædat; propterea quod ſit neceſsitas quædam conſequens ſimilis ei , quæ provenit noſtris actibus liberis ex prædefinitione divina intentiva dependente à ſcientia conditionata. Non ſic in decreto, cuius conducentia non eſt tam patens propter rationem traditam ; nimirùm , quod ſi ſit *antecedens*, auferet libertatem immediatam exercitij divini : ſi *comitans* , pariter cum eadem libertate non componetur ; ſi verò *conſequens*, obiectum conditionatè extiturum ſupponet : quid ergo ſeriò intendet conditionatè erga aliundè conditionatè factum, iam præviſum.

148 Propoſita , quæ occaſionem præbuerunt tangendi aliqua non invtilia , lubricam mihi reddunt probationem deſumptam ab authoritate ad ſtatuendam poſsibilitatem decreti ſubiectivè

vè absoluti, & obiectivè conditionati, quam traditam absque animadversione aliqua invenio. Forsan quæ mihi alicuius ponderis sunt, cæteris scrupuli contemnendi apparebunt; verùm cum de ratione, & vi fundamenti agitur, seclusa authoritate dicentium, id non ex alieno iudicio; sed ex proprio sit pensandum, licet mihi scrupuloso, dum animus sedetur, proferre, non esse tam inoffenso pede procedendum in via multis impedita, relictoque alijs, quibus placeat, hoc fundamento ex sacris litteris accepto ad aliud rationis confugere.

149 Id sit vulgare illud, & tritum in quæstionibus de possibili ex non apparentia repugnantiæ; itaque possibilis censendus est in Deo affectus ille, qui nullam imperfectionem arguit in voluntate divina ex modo suo tendendi efficaciter in obiectum, aut ex alio quocumque capite: sed affectus efficax subiectivè absolutus, & obiectivè conditionatus erga obiectum Deo liberum, neque ex modo suo tendendi efficaciter in obiectum, neque ex alio vllo capite arguit imperfectionem in divina voluntate: ergo talis affectus admittendus est possibilis in Deo. Discursus est legitimus, & mai. certa. Nã secluso titulo imperfectionis, & indecentiæ divinæ voluntatis ex tali affectu non est vnde probari possit repugnans; imo potius tunc probabitur positivè possibilis talis affectus ex perfectione divinæ libertatis, cui competere debet se posse exercere omni eo modo, & omni illo exercitio benè cõposito cum reliquis divinis prædicatis, & attributis. Minor autem constabit ex solutione difficultatum, quæ obijciantur ad suadendam imperfectionem aliquam in Deo ex tali affectu.

150 Vltra hanc probationem negativam tribui potest alia positiva ex paritate aliorum affectuum divinorum, qui cõmuniter censentur in Deo minimè repugnãtes, & cum perfectione divinæ voluntatis benè cohærẽtes, vt sunt affectus medius inter efficacẽ simpliciter, & inefficacẽ simpliciter, qualis est scientia illa procuratio salutis omnium, qua vult iuxta Apostolũ, *omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, ita tẽperando efficaciã cum inefficacia, vt nec sit inseparabilis à bono procurato; qua ratione extrahitur ab efficacia simpliciter tali, nec ita purè sistat in cõplacentia obiecti, vt non determinet ad positionem mediorum ex se sufficientium pro consequutione finis; sicque recedit ab inefficacia simpliciter tali. Item affectus purè intentivus ita temperans suam efficaciam erga obiectum intentum, vt ex se non sit sufficiens ad exequendum illud; verùm indigeat alio decreto immediatiori, cui tribuatur immediata exequutio finis intenti. Deinde affectus imperij reflectens supra alios directos & adigens divinam voluntatem ad illos, quamvis voluntas ex se tali imperio nõ indigeat, vt promptissimè, & expeditissimè se exerceat, qui omnes, si imperfectionem vllam non dicunt, & ideò possibiles in Deo reputantur; cur affectus subiectivè absolutus, & obiectivè conditionatus erga obiectum Deo liberum non erit immunis ab omni imperfectione divinæ voluntatis, & ideò possibilis? Præcipuè cum non minores difficultates occurrant pro illis, ac quæ occurrere possunt pro isto affectu.

151 Et confirmari potest ex possibilitate affectus virtualiter conditionati necessariò ab omnibus concedendi. Etenim voluntas illa generalis, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, cuius mentionem fecimus ex Apostolo, si non sit formaliter subiectivè absoluta, & obiectivè conditionata, vt sentiunt multi; saltem virtualiter conditionata ab omnibus est concedenda, propterea quod per illam taliter afficiatur Deus erga salutem omnium, vt defectus salutis in nullo stet per ipsum; vndè æquivalet huic tendentiæ: *Sit salus in omnibus, si per ipsos non steterit*. quæ formaliter conditionata est de cõditionato libero Deo: sed tendentia æquivalens tendentiæ formaliter conditionatæ, virtualiter conditionata est: ergo ex illa tendentia innegabili divinæ voluntati; ac proinde sine præiudicio divinæ perfectionis in Deo concedenda, ponimur in discrimine concedendi saltem in divina voluntate tendentiam virtualiter subiectivè absolutam, & obiectivè conditionatam: sed omnes difficultates, quæ contra tendentiam formaliter conditionatam de conditionato libero Deo vrgeri possunt, æquali vi militant contra tendentiam virtualiter conditionatam, vt ex argumentis contrarijs constabit: ergo vel vtraque, vel neutra est repugnans: at vtraque, reclamante Sacro textu non potest repugnare: ergo vtraque, vt possibilis, est admittenda.

Con

152 Confirmari poteſt rurſus ex poſsibilitate decreti disiunctivi, quam propugnant Ripalda, tomo 1. de ente ſupernaturali, diſputat. 86. ſect. 5. Arriaga, prima parte, diſputat. 35. ſect. 7. Aldrete, diſputat. 26. de incarnat. ſect. 2, Ribadeneyra, diſputat. 22. de volunt. cap. 2. Herrera, quæſt. 13. de voluntat. ſect. 1. & multi alij; videturque congruere poſsibilitati communiſsimè receptæ decreti purè intentivi, & divino dominio potenti decernere vagè hoc, vel illud extremum, aut ſibi, aut alteri liberum; ſicut poteſt præcipere vagè hoc vel illud extremum; v. g. reſtitutionem argento, vel auro, aut ære faciendam: ſed ex terminis ipſis non magis opponitur, aut nõ opponitur expeditioni divinæ voluntatis decernere cõditionatè id, quod per ſolum decretũ abſolutum poteſt decernere; quàm decernere disiunctivè id, quod per decretum determinatum aſſequi poteſt: ergo ſi vnum decretum non repugnat, alterum etiam eſt poſsibile.

153 Probari etiam poteſt ſecundo *poſsitivè*: quia ſicut ad perfectionem Dei perfectiſsimè providentis ſpectat cognoſcere conditionatè in hac providentia quid ſub alijs providentijs à ſe liberè eſſet eventurum; ita videtur pertinere ad perfectionem eiuſdem vniverſaliſsimi, & generaliſsimi proviſoris poſſe liberè diſponere in hac providentia, quod in alijs providentijs à ſe eſſet liberè exercendum; extenſio enim hæc cuiuſvis providentiæ præſentis ad quaſvis alias providentias conditionatè futuras videtur magis augere amplitudinem divinæ electionis: aſt diſponere circa alias providentias poſsibiles, & quæ tantùm forent ex hypotheſi, non valet per decretum ſubiectivè, & obiectivè abſolutum; aliàs prædictæ providẽtiæ aliquando eſſent extituræ, nec per ſimplicem affectum ex ſe præſcindentem ab exiſtentia obiecti, tàm abſolutè, quàm conditionatè: ergo per decretum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum; vnde poſsibilitas ipſius, & cohærentia cum perfectione divinæ voluntatis oſtenditur.

154 Contra concluſionem obijciunt primò. Ex his, quæ proponunt Ribadeneyra, & Herrera locis citatis. Decretum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum non poteſt eſſe de obiecto libero Deo ſub conditione purificanda, neque ſub conditione non purificanda: ergo abſolutè repugnat in Deo decretum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum. Conſequentia eſt legitima: quia decretum decernens aliquid conditionatè; ſicut non poteſt abſolutè præſcindere à duplici contradictorio, ſic non poteſt abſolutè præſcindere ab eo, quod eius hypotheſis exiſtat, aut non exiſtat; ac proinde, ſi omnis caſus poſsibilis hypotheſis eſt caſus repugnantiæ decreti, abſolutè erit in Deo repugnans tale decretum. Antecedens probatur, quoad vtramque partem. Quoad primam: Nam quando conditio ſit purificanda, obiectum illud, vtpotè extiturum, abſolutè terminat decretum omninò abſolutum; vnde fruſtraneum rederetur, ac propterea repugnans in tali caſu decretum illud conditionatè tendens in obiectum ſub conditione illa purificanda; ſiquidem otioſum omninò eſt, & contra ſerietatem voluntatis perfectiſsimæ decernere conditionatè id ipſum, quod per eandem voluntatem decernitur abſolutè: ergo dictum decretum repugnat in caſu conditionis purificandæ.

155 Quoad ſecundam: quoniam invtiliter, & ociosè decernitur eventus ſub conditione nunquam ponenda; cum affectus efficacia nunquam ſit reducenda ad ſtatum abſolutum obiecti: tum quia impoſsibile eſt conditionem poni, & purificari ex ſuppoſitione, quod nunquam ſit ponenda, & purificanda: ſed ſtultum eſt aliquid decernere ſub conditione impoſsibili, vt indicat hic affectus: *Volo conſervare chymæram, ſi ſemel eam producam*: ergo ſtultum eſt decernere eventum ſub conditione nunquam ponenda: tum etiam ex experientia ipſa, quæ manifeſtat homines prudentes impediri à decernendo aliquid conditionatè, dum certò ſciunt non extituram conditionem; ſicut etiam quando certò ſciunt extituram: vnde quivis ratione prædituſ me argueret imprudentiæ, & fatuitatis, ſi experiretur decernentem ſub his terminis; *Decerno non ſtudere nunc, ſi nunc non exiſto: Decerno ſtudere nunc, ſi nunc exiſto*: ergo imprudens affectus eſt ille, qui tendit in obiectum conditionatè ſub conditione clarè cognita non purificanda; cum autem imprudentia omnis ſummè diſtet à Deo, nihil poterit decernere ſub conditione non purificanda, quando eius non purificatio

non

non poteſt ipſum latere: ac propterea decretum conditionatum de obiecto Deo libero pro caſu non purificationis hypotheſis eſt ipſi repugnans.

156 Ad argumentum, negato antecedenti quoad vtramque partem, reſponderi poteſt primò ad eius primę partis probationem: fruſtraneum, & invtile eſſe decretum conditionatum erga illud obiectum, quod abſolutè extiturum eſt, quando iſtud abſolutè extiturum eſt vi alterius decreti abſoluti diſtincti ſuo modo à decreto ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato; at non eſſe fruſtraneum, & invtile, quando decretum abſolutum aliud non datur pro exiſtentia abſoluta obiecti præter ipſum decretum conditionatum, quod pro caſu purificationis conditionis eſt decretum abſolutum; quomodo nullum decretum per ſe invtile, & fruſtraneum intercedere eſt clarum; cum non intercedat aliud decretum præter decretum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum, & decretum de purificatione conditionis Ex his decretum conditionatum non eſt invtile ad dandam exiſtentiam abſolutam obiecto, quia decretum alterum tantum tendit ad dandam exiſtentiam abſolutam conditioni, cuius exiſtentia non eſt abſoluta exiſtentia conditionati, quod non exiſteret abſolutè, niſi adiungeretur decretum conditionatum, nec decretum de purificatione conditionis eſt invtile, ſuppoſito decreto conditionato; ſiquidem iſtud, vt ſit abſolutum, indiget purificatione caſus, & hypotheſis, ſub qua decrevit conditionatè obiectum, quam ex ſe non affert independenter ab alio decreto tendente abſolutè in exiſtentiam conditionis.

157 Exemplum rem declarat in promiſsione conditionata, quæ &ſi apparere poſſet invtilis, & ocioſa, quando coniungeretur cum alia promiſsione abſoluta diſtincta omninò ab ipſa promiſſione conditionata; cum in tali caſu promiſsio abſoluta faceret quidquid facit promiſsio conditionata, & amplius, vnde promiſsio conditionata oſtenderetur omninò redundans, & ſupervacanea; at quando in caſu purificationis conditionis, ſub qua promiſſum eſt aliquid, non alia intercedat promiſsio abſoluta præter ipſam promiſsionem cõditionatam, quæ pro tunc obligat abſolutè, & ideò communiter dicitur tranſire in abſolutam; quis prudens iudicabit invtilem, & fruſtraneam promiſsionem conditionatam, qua ſecluſa, purificatio conditionis eſſet inconducens, vt promittens teneretur ad rem promiſſam, ſicut & ipſa promiſsio conditionata, ſecluſa voluntate purificandi conditionem, eſſet inſufficiens, vt res promiſſa, aut exiſteret, aut conferretur abſolutè? Hinc dum nõ probetur, vt nõ facilè probabitur, caſum purificationis conditionis decreti conditionati eſſe caſum, in quo neceſſariò debeat dari decretum aliud abſolutum, & per ſe ſufficiens ad exiſtentiam conditionati ſub hypotheſi, nec probatur decretum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum ſecum afferre invtilitatem, & fruſtraneitatem pro exiſtentia obiecti, quod ſub hypotheſi reſpicit.

158 Reſponderi poteſt ſecundò: Admittendo invtilitatem decreti conditionati in caſu purificationis conditionis, quando decretum aliud abſolutum, quod tunc exiſtat, ſit per ſe independens à decreto conditionato; ſecus quando decretum abſolutum per ſe dicat reſpecpectum abſolutum, & eſſentialem ad decretum cõditionatum, quem dicere non repugnat: ſicut non repugnat ex communi ſententia actus ita eſſentialiter imperatus (etiam in Deo) vt nequeat exiſtere non imperatus: actus exequutivus per ſe prę ſupponens intentionem diſtinctam ſuo modo eiuſdem obiecti; actus ita tepidus in modo efficaci reſpiciendi, vt ſecum nõ afferat exiſtentiam illius, quamvis adſint media efficaciſsima, niſi accedat alia voluntas, quæ non contineatur intra terminos ſolius medij ſufficientis; verùm exigat mediorum efficaciam: igitur probetur decretum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum talis conditionis eſſe, vt per ſe excludat decretum aliud abſolutum ita dependens, & dum modo id non aſſequantur contrarij, intentam fruſtraneitatem fruſtraneam reddent.

159 Reſponderi poteſt tertiò vniverſalius ex Ribadeneyra: non eſſe confundendum inter non requiſitionem ad aliquid, & invtilitatem, & inconducentiam ad illud: multa enim contingunt non requiſita ad exiſtentiam obiecti, vtpotè quod exiſtere poteſt independenter ab illis *independentia indigentiæ*, quæ tamen dum exiſtunt, vtilia, & conducentia ſunt pro exiſtentia illius ex dependentia

influxus, quam ab eis defacto habet: quomodò minima scintilla ignis sufficit, & maior non requiritur ad incendendum pulverem tormetarium in magna quantitate; nec propterea si applicetur ingens flamma inutiliter se habet ad combustionem, & effectum ex combustione resultantem: igitur sit sponte decretum illud conditionatum in casu purificationis conditionis non esse requisitum pro existentia obiecti ex adiunctione alterius decreti absolutè reducentis ad statum absolutum coniunctionem hypothesis, & conditionati; verùm non ideò probatur inutile, & frustraneum pro existentia obiecti, in quam conspirat vtraque determinatio divinæ voluntatis, altera conditionata, & altera absoluta. Quod præcipuè locum tenet, & suadibilius redditur quando inter vnum, & alterum affectum datur præcedentia aliqua, & præcisio ab existentia alterius, vt fieret, quoties Deus decerneret aliquid sibi liberum conditionatè: nam pro priori ad taliter decernendum non existeret scientia proponens absolutè exiturum alterum decretum absolutum, imò scientia alia proponens decretum conditionatum, sicut præscindit ab existentia conditionis, ita præscindere ab existentia absoluta conditionati sub ipso, & omni absoluto tendenti in eam absolutam coniunctionem: quid ergo prohibet, ne Deus sic constitutus decernat conditionatè id, quod omni ex capite videt præscindens ab statu absoluto? Insuper, cùm supposito eo decreto conditionato, nihil adhùc sit connexum cum statu absoluto obiecti, quid impediet Deum sub tali præcisione velle dare statum absolutum ei, quod aliunde tantum agnoscit exiturum conditionatè? Benè igitur componitur vtraque determinatio, quin neutra ex alterius consortio iure censeatur inutilis.

160 Replicabis primò. Si Deus posset habere decretum obiectivè conditionatum de conditione purificanda, habebit decretum tale de omni obiecto sibi libero, propterea quod habebit de obiecto conditionato sub conditione non purificanda, & insuper de conditione purificanda, qua ratione comprehendit omne distinctum sibi liberum. Sic insistit Anonymus iam citatus apud Ribadeneyram, cuius sequella inepta satis est ex medio assumpto valdè improportionato ad consequens deductum; igitur antecedens est: *Deus potest decernere conditionatè omne obiectum sibi liberum*; & consequens: *ergo id facit*; quo quid distantius? Nam licèt benè valeat *ab actu ad potentiam*; non sic *à potentia ad actum*; aliàs, quia Deus dum decrevit hunc mundum, potens fuit ad illum non decernendum, arguat coniungi in hac providentia decretum huius mundi, & omissionem illius, aut decretum oppositum cū existentia præsentis decreti, aut omnia possibilia defacto existere, quia quodvis ipsorum est potens existere: igitur decreta taliter conditionata non repugnare in Deo, neque est fundamentum, vt aliquod, aut omnia, quæ non repugnant, defacto existant.

161 Replicabis secundò. Si esset possibile tale decretum erga obiectum de conditione purificanda, inconiungibilis esset duplex determinatio libera proveniens à duplici libertate independente respectu eiusdem obiecti: ergo possibilis esset condeterminatio comitans duplicis libertatis independentis, quod iuxta nos repugnat. Consequentia apparet legitima: nam quid aliud est determinatio comitans duplicis libertatis independentis, nisi determinatio proveniens à duplici libertate independente, quæ in idem extremum liberum concurrat? Antecedens probatur. Posito decreto conditionato de obiecto sub conditione purificanda stat in primis sub purificatione conditionis determinatio absoluta ad conditionatum proveniens ex libertate ad decretum conditionatum, quæ independens est à libertate, qua decernitur absolutè existentia conditionati: cum talis determinatio conditionata pro casu purificationis conditionis sit determinatio absoluta. Deinde stat determinatio alia absoluta, & non præcisiva ab statu absoluto obiecti independens etiam in decernendo ab altera libertate actus conditionati: cum sive detur, sive non detur actus ille conditionatus valeat decernere, aut non decernere statum absolutum obiecti: ergo si esset possibile tale decretum erga obiectum de conditione purificanda, coniungibilis etiam esset duplex determinatio libera proveniens à duplici libertate independente respectu eiusdem obiecti.

162 Replica eludi potest non minus

nus facilè ; quàm principale argumentum, vel dicendo, decretum conditionatum in casu purificationis conditionis non indigere alio decreto absoluto pro statu absoluto obiecti præter decretum absolutè tendens in purificationem conditionis , quod quidem ex se præscindit ab statu absoluto obiecti , vtpotè , quod existere posset erga id, quod dicitur hypothesis, etiam si sub ipsa non esset extiturum tale conditionatum, sed oppositum illius : quomodo manifestum est non coniungi in casu purificationis conditionis duplicem determinationem ad idem conditionatum ; verùm vnicam determinationem absolutam provenientem à libertate actus conditionati , qui pro casu purificationis conditionis est determinatio absoluta. Vel dicendo ; Decretum illud absolutum coniungendum pro casu purificationis conditionis cum decreto conditionato fore decretum dependens ab existentia actus conditionati , & libertate illius , quomodo iam non conspirarent in idem duæ determinationes provenientes à duplici libertate independente ; sed duæ determinationes provenientes ab eadem libertate decernendi , & non decernendi conditionatè , aut modo simili ei , qui datur in omni libertate mediata , aut modo simili ei , qui datur in libertate actus imperati , & imperantis in sententia dicentium imperium non auferre libertatem immediatam imperato.

163 Vbi pro memorata concomitantia determinationum libertatum independentium notandum, eam solum obstare iuri independentiæ , quam habeant libertates distinctæ , quæ mereatur nomen condeterminationis vnius, & alterius libertatis , ita taliter , vt determinatio vnius sit determinatio exercitij alterius ; & impeditio exercitij vnius sit impeditio exercitij alterius ob mutuam connexionem determinationum vnius , & alterius libertatis ; secus illam , quæ rationem condeterminationis non participat, propterea quod licèt duæ determinationes liberæ in idem conspirent , si per accidens , & non ex exigentia determinationum , quarum quælibet posset existere sine altera ; & deficere , quin altera deficiat : tunc enim erit concurrentia duplicis determinationis liberæ in idem intentum ; non verò concomitantia illa nociva , ex qua vnicum dominium libertatis , potius quàm duplex argueretur : vt quando duo agentia libera sine dependentia vlla in se determinando concurrunt in eandem subventionem pauperis : vnde vt arguens concluderet ex decreto conditionato concomitantiam illam nocivam libertatum independentium , opus erat ostendere vltra distinctionem , & independentiam libertatum determinationem vnius , & alterius habere inter se mutuam connexionem , & non se habere per accidens in concurrendo ad determinationem eiusdem.

164 Ad secundæ partis antecedentis primam probationem respondeti potest ex doctrina Eximij Doctoris loco supra citato: Eam tantum evincere repugnare decretum conditionatum de obiecto libero Deo sub conditione nunquam purificanda, quando conditio in existendo dependet ab arbitrio divino , secus quando conditio in existendo dependet ab arbitrio creato. Ratio primi est : quia nugatorium planè esset decernere Deum aliquid sub conditione à solo nutu ipsius pendente , & simul decernere absolutè exclusivum prædictæ conditionis : tunc enim per tale decretum esset Deus ex se paratus ad exequutionem obiecti , quod decernit , & vlterius non esset sic paratus , cum ex se impediret absolutam existentiam illius per absolutam impeditionem conditionis , sub qua conditionatè decrevit. Ratio secundi sumitur ab oppositio. Nam quando conditio in existendo subdita est arbitrio creaturæ , licèt per determinationem huius impediatur, & cognitio impeditionis existat prioti ad decretum , non redditur decretum conditionatum invtile , aut nugatorium ex eo , quod persistat maximè conducens , & serium in ordine ad finem ostendendi non stare per Deum defectum obiecti ; sed per arbitrium alienum : cum Deus ex se sit paratissimus ad illius exequutionem , nisi pro alterius arbitrio impediretur.

165 Quod explicari potest exemplo superioris præcipientis , aut consiliantis subdito , quod rectum est sub prævisione violationis præcepti , &

consilij; quo casu nullus reputabit frustraneum, aut nugatorium præceptum, & consilium ex frustratione per liberam voluntatem subditi. Nam licet de facto coniungatur cum contradictione voluntatis subditi, imò ex cognitione mali vsus eiusdem proveniat, remanet semper vtile, & serium ad finem manifestandi non esse penes superiorem, quod subditus pravè se gerat: nec ea, quæ propria sunt superioris soliciti ad continendum subditum in bono, omittere; sed potius ex se paratum esse, vt si per subditum non fuerit operatio recta, exequutioni mandetur. Ex qua solutione colligitur, non probari repugnans absolutè decretum conditionatum de obiecto libero Deo sub conditione non purificanda; sed tantum restrictè, & in certa linea, manente possibili decreto taliter conditionato sub conditione non purificanda, vbi non militat inconveniens obiectum, vt sufficit pro nostro intento, quod tantùm est defendere non repugnans simile decretum etiam in casu non purificationis conditionis.

166 Aliter responderi potest vniversalius præmittendo distinctionem inter coniunctionem decreti conditionati cũ non purificatione conditionis, quæ sit accidentalis decreto; & coniunctionem cum non purificatione conditionis, quæ sit ex determinatione decreti, & etiam inter præcedentiam cognitionis repræsentantis non purificationem conditionis exactam à decreto ex respectu intrinseco ad illam, & præcedentiam contingentem, & accidentalem decreto, quod licèt defacto procedat ex tali cognitione, potuit tamen ex se eodem modo intrinseco existere, quamvis non præcederet: vnde permittimus parùm serium, & frustraneum decretum conditionatum ex se connexum cum non purificatione conditionis, & cum præcedentia cognitionis proponentis defectum conditionis, vtpotè, quod per se esset ab intrinseco inefficax, & inconiungibile cum existentia conditionati sub existentia conditionis, quando aliundè præsupponitur ex se efficax pro tali casu, & serio procurativum conditionati pro casu purificationis hypothesis: Non verò decretum aliud ex se præscindens, tàm à coniunctione sui cum defectu hypothesis, quàm à præcedentia cognitionis proponentis non extituram conditionem: hoc enim ex se potest manere vtile, & serium: proindeque non repugnabit ex frustraneitate obiecta decretorum conditionatorum pro casu non purificationis conditionis.

167 Nec obstat in contrarium ratio adducta in prima solutione, ex qua excluduntur decreta conditionata de conditionato pendente vnice à nutu Dei, vt parùm seria, & nugatoria. Nam dici potest eam duntaxat vrgere in decretis conditionatis de conditionato pertinente ad bonum alicuius tertij independentis ab illo decreto; secus quando decretum conditionatum contineatur intra terminos duplicis exercitij liberi ipsius decernentis. Ratio est: quia in primo casu decreta illa conditionata, cum sint ex suo modo tendendi in gratiam, & favorem alterius sapiunt conditionem promissionis conditionatæ, quæ, vt seria reputetur, exigit ex parte promittentis, ita esse ex se paratum ad conferendum bonum, vt penes ipsum non stet impeditio status absoluti, vt staret, si quando conditio vnicè pendet ab eius arbitrio, nolet ipsam reducere ad actum; sed potius determinare defectum; non sic in alijs decretis in quibus, vt ita dicam, vnicè attendendum commodum ipsius decernentis, cui non præiudicat, supposito decreto conditionato nole reducere conditionatum ad statum absolutum, cum semper ex suo arbitrio, & beneplacito illo careat: vnde tam longe est, vt decretum conditionatum ex sua serietate impediat libertatem in non purificanda conditione sub ipso, vt potius eam inferat, præbendo tantùm motivum, vt si voluntas decernentis velit, purificet conditionem, quia decrevit conditionatè.

168 Exempla decretorum primi generis sunt. *Decerno, quod si existat in Petro*; v. g. *auxilium efficax in instanti A. ad actum charitatis, existat etiam in instanti B. ad conservationem illius. Decerno, quod si Ioannes sit prædestinatus, Paulus sit etiam prædestinatus.* Exempla decretorum secundi generis. *Decerno, quod si existat alter mundus, non sit creatura rationalis in ipso. Decerno, quod si existant homines, existant*

ſtant Angeli. Dixi in primis decretis: *De conditionato pertinente ad bonum alicuius tertij independentis ab illo decreto*, vt denotetur eſſe neceſſarium ad comprobandum parum ſerium, aut nugatorium tale decretum eſſe aliquem independentem in exiſtendo à purificatione conditionis illius, vt ſic ſub impeditione conditionis poſsit conqueri de bono parum ſerio, & quaſi per ludibrium, ſibi conditionatè decreto, quomodo non accideret caſu, quo ipſa impeditio conditionis eſſet impeditio ſubiecti, cui bonum ſit conditionatum, vt apparet in hoc decreto: *Decerno, quod ſi exiſtat ſolus alter mundus poſsibilis, exiſtat incarnatio Spiritus Sancti*; in quo ipſa impeditio conditionis eſt ſimul impeditio ſubiecti potentis conqueri de impeditione conditionis, cum non creatura rationalis, quæ tunc foret: quia deficiente altero mundo nulla eſſet creatura in ipſo, nec creatura rationalis, quæ nunc ſit: quia ei non expediret exiſtere alterum mundum ſolum, in quo ipſa non exiſteret.

169 Tertiam ſolutionem acceptam ex Aldrete addit, & approbat Ribadeneyra dicens tantum poſſe arguere fruſtraneum decretum conditionatum non purificationem conditionis precognitam independenter à tali decreto conditionato; non verò quando non purificatio conditionis ponenda eſt cum dependentia à tali decreto, & cum tali tendentia pro priori ad decretum præcognoſcitur. Nec implicatio vlla eſt in ea dependentia, qua poſita benè cognoſcitur vtilitas prædicti decreti, vt confirmari poteſt in præcepto ſuperioris poſito ſub cognitione non obligationis abſolutæ dependentis ab exiſtentia ipſius præcepti: quia non obligatio abſoluta non aliter dabitur, quàm per diſpenſationem ipſius præcepti requirentem eſſentialiter exiſtentiam præcepti: & etiam in decreto conditionato de conferenda pœna ſub culpa exiſtente ſub libertate conſtituta per cognitionem impeditionis conditionis cum dependentia à tali decreto, vt dabitur, quando evitetur culpa, & impediatur conditio ex motivo exiſtentiæ illius decreti: quibus in caſibus, nec præceptum, nec decretũ erunt fruſtranea, & invtilia ex coniunctione cum non obligatione abſoluta, & cũ non purificatione conditionis: nam decretum poteſt eſſe valde vtile, vt moveret ad evitandum ſupplitium comminatum per impeditionem conditionis, vt profuit Niniviti comminatio illa: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*. Jonæ, cap. 3. vt ſubterfugerent divinam iram per impeditionem conditionis *non emendationis* per poſitionem pœnitentiæ, & præceptum poteſt eſſe valde conducens, ad ſibi devinciendam voluntatem ſubditi ex nova gratia diſpenſationis conceſſæ ad petitionem ſubditi.

170 Nec præparatio illa animi deſiderata à Patre Suario in decernente conditionatè ſupra iam relata, alia debet eſſe, quàm accommodata affectui tendenti conditionatè in obiectum, & quæ conſiſtat in non determinatione affectus conditionati ad carentiam conditionis, & in ſinceritate affectus in volendo efficaciter obiecto ſub exiſtentia conditionis, quæ omnia componuntur cum defectu conditionis dependente in exiſtendo ab ipſo actu conditionato, imo cum præcedentia cognitionis proponentis eundem defectum ſub exiſtentia actus conditionati. Quod explicari poteſt in expeditione libertatis, quæ ſit ad duos actus oppoſitos; v. g. nolitionem, & volitionem eiuſdem obiecti, quæ quidem eſt determinatio conditionata, vt ſi deficiat nolitio, ſit volitio, & è contra, & tamen cum expeditione, & promptitudine incluſa in illa conditionali ad vtrumvis ſtat provenire ab eadem libertate impeditionem hypotheſis vnius, & alterius determinationis conditionatæ.

171 Tandem abſolutè dicendum eſt, non aliam vtilitatem, & conducentiam eſſe quærendam in affectu efficaci ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato, vt non reputetur fruſtraneus, aut parùm ſerius, & nugatorius præter illam, quam de præſenti fert in exercendo libertatis dominio eo modo affectus, & quæ detur conditionatè dependenter ab exiſtentia conditionis in determinando, & exequendo obiecto conditionatè volito. Vnde fluũt duo; vnum: actum conditionatum non poſſe eſſe determinatum ex ſe ad defectum conditionis: aliàs nullius efficacitatis eſſet, nec abſolutè, nec conditionatè quoad obiectum conditionatè volitum. Alterum: non eſſe contra rationem talis determinationis conditionatæ impeditionem conditionis, quæcumque illa ſit proveniens ab ipſo decernente. Ratio

est: quia affectus conditionatus, sicut ex se præscindit à purificatione conditionis ex parte volentis, sic ipsi liberum relinquit, in quantum potuerit, aut determinare, & acquirere existentiam conditionis; aut determinare, & acquirere defectum conditionis, quin ex hac potestate, aut sinceritas, aut serietas affectus deficiat.

172 Id mihi suadet probabilissimè, quod si aliter res contingerent, promissiones, & determinationes aliquæ conditionatæ, quæ seriæ, & non frustraneæ à prudentibus censentur, aut nugatoriæ, aut absolutæ essent iudicandæ. Exemplum det, tum promissio, & determinatio divina conditionata: tum promissio, & determinatio hominis conditionata, hæc: *Si dedero tibi centum, quæ sunt in mea potestate, & dominio, non dabo tibi illa sola; sed cum alijs, quæ subiacent eidem potestati, & dominio.* Illa: *Si sit in te perseverantia finalis libera à me data, sit tibi gloria æterna.* In quibus assumptum probo. Nam vel istæ promissiones, & determinationes conditionatæ relinquunt sub potestate promittentis, & decernentis, sive Deus sit, sive homo, non dare existentiam conditioni, quam sub potestate habet: & sic per te in ratione conditionalium, erunt parùm seriæ: vel non relinquunt; sed determinant ad purificandam conditionem: & sic erunt determinationes, & promissiones absolutæ in me dandi centum, quæ sunt sub mea potestate, & dominio, & in Deo dandi perseverantiam finalem liberam, quam in sua potestate habet ex suppositione prævisionis conditionatæ plurium auxiliorum efficacium, quam defacto habet respectu cuiusvis decedentis à vivis: quod potius vrgere debet in sententia prædeterminantium, in qua ipsa prædeterminatio est requisitum inacquiribile, & prædeterminationis defectus est impedimentum inauferibile: ergo prædictæ promissiones, aut essent dicendæ nugatoriæ, aut magna ex parte absolutæ: at promissiones istæ seriæ iudicantur secundum prudentiam, neque vlli in mentem venit, aut Deum vi illius promittere absolutè alicui consensum salutarem, & perseverantiam finalem, aut me decernere absolutè, aut absolutè promittere dare centum, quæ sunt sub mea potestate: ergo quia ratio determinationis, & promissionis conditionatæ seriæ, & vtilis integrum relinquit decernenti, & promittenti impedire, aut determinare conditionem, in quantum possit.

173 Ad secundam probationem illius secundæ partis antecedentis dicendum: Impossibilitatem illam, quam habet conditio, vt purificetur ex suppositione, quod purificanda non sit esse impossibilitatem duntaxat consequentem, & quæ non extrahit conditionem à ratione simpliciter possibilis, & potentis existere: sicut impossibilitas, quàm res quævis contingens habet, vt existat ex suppositione, quod detur eius defectus, est impossibilitas quædam consequens, & non extrahens rem contingentem à ratione possibilis, & potentis existere: remanet ergo conditio illa, sub qua decernitur antecedenter, & simpliciter possibilis, & decretum conditionatum sub illa decernens obiectum aptissimum, vt ex se in casu possibili conferat existentiam obiecto: cum ex se neque respiciat conditionem antecedenter impossibilem, neque ex se afferat impossibilitatem consequentem ex non purificatione conditionis, cum qua per accidens, & citra omnem connexionem, & determinationem ad ipsam coniungitur. Vnde constat, quàm distans sit determinatio illa conditionalis obiecta: *Volo conservare chymæram, si semel eam producam* propter impossibilitatem antecedentem *productionis* chymæræ: & si velis ex sententia communi connexionis Dei cum possibilibus, & impossibilibus ex determinatione illius affectus ad non purificationem conditionis, vtpotè connexi cum impossibilitate productionis chymæræ.

174 Constat etiam quid dicendum ad tertiam probationem in qua falsum est experientia ipsa comprobari absolutè homines prudentes impediri à decernendo aliquid conditionatè, dùm certò sciunt non extituram conditionem: sicut etiam quandò certò sciunt extituram conditionem. Tum propter latè hucusque ponderata. Tum quia, vt benè vidit Herrera, in contrarium reclamat promissio Dei conditionata de danda gloria sub auxilio finali, quod prævidet inefficax, *si sit*, vt potest, *consensus sub ipso*, quin talis prævisio extrahi possit à signo antecedenti promissionis: cum sit Scientia independens ab omni decreto absolutè existenti iuxta principia Societatis: ideoque antevertens

tens omne decretum. Determinationes autem illæ in assumptum propositæ, videlicèt: *Decerno non studere nunc, si nunc non existo. Decerno studere nunc, si nunc existo*, extra rem sunt, tum quia in eis non modo videtur conditio purificanda, aut non purificanda; sed aliunde, & omninò independenter ab eis determinationibus purificata, aut non purificata: tum quia in prima decernitur necessarium, quale est *non studere sub non existentia*; & in secunda decernitur *studium* sub conditione à qua decretum non potest præscindere: cum decernens, provt talis, debeat existere. Vnde iure reputantur similes determinationes conditionatæ imprudentes. Cæterùm inde non licèt inferre alias determinationes conditionatas ex eo, quod coniungendæ sint, vel cum purificatione conditionis, vel cum exclusione illius etiam prævisis, forè imprudentes: nam imprudentia in illis non provenit ex hoc capite coniunctionis, aut non coniunctionis cum hypothesi præcognitæ; sed ex alijs adiunctis, & iam explicatis, quibus cărere possunt determinationes aliæ conditionatæ, sivè de hypothesi purificanda, sivè de hypothesi non purificanda.

175 Obijci potest secundò. Difficultas non levis ex Scientia regulante decretum subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum de conditionatò libero Deo, quæ sub hac forma proponi valet. Deus in signo priori ad liberam determinationem conditionatam, in quo intelligitur libertas ipsius ad decernendum, vel non decernendum conditionatè obiectum sibi liberum, cognoscit, quid esset facturus ex hypothesi independenter ab illa determinatione conditionata: sed si id cognosceret, impotens esset ad decernendum conditionatè obiectum sibi liberum: ergo impossibile omninò est decretum subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum, vtpote, quod secum afferret in Deo non aliter existere, quàm sub impotentia ad existendum in divina voluntate. Discursus est legitimus, si præmissæ constent, quæ sigillatim veniunt probandæ: prius mai. Tum quia pro priori ad omne decretum absolutè existens stat Scientia conditionata contingens, quæ vtpotè non innitens decreto absolutè existente antevertere debet omne decretum absolutè existens, vt sic magis voluntariè procedat tale decretum: ergo cum Scientia, qua Deus cognoscit, quid esset facturus sub hypothesi independenter ab omni decreto, quod de præsenti sit, Scientia conditionata contingens, & independens ab omni decreto absolute existenti iure nominatur, per consequens pro priori ad illud decretum debet existere. Tum etiam: quia cum Deum se exercere libere sub hypothesi non indigeat necessariò decreto subiectivè absoluto, & obiectivè conditionato; sed contingenter cum tali decreto coniungatur, taliter, vt possit esse verùm: *hoc, vel illud Deum esse facturum sub hypothesi* per decretum, quod tunc foret præcisè, quin opus sit decretum, quod modo sit: propterea dabitur in Deo Scientia, qua cognoscat quid esset facturus, aut non facturus sub hypothesi, si hæc sine decreto vllo conditionato existeret: at hæc Scientia, vtpote independens à decreto, in signo priori ad omne decretum, ac proinde ante decretum conditionatum existet: ergo Deus in signo priori ad liberàm determinationem conditionatam, in quo intelligitur libertas ipsius ad decernendum, vel non decernendum conditionatè obiectum sibi liberum cognoscit quid esset facturus ex hypothesi independenter ab illa determinatione conditionata.

176 Deinde minor: nimirum, quod si Deus id cognosceret; impotens esset ad decernendum conditionatè obiectum sibi liberum. Nam aut illa Scientia repræsentaret Deum facturum sub hypothesi independenter à decreto id ipsum, quod conditionatè decernit, & sic aut actum aget decernendo id, quod non est necessarium decernere, aut falsificabit Scientiam præcedentem, & quæ proponit facturum sub hypothesi independenter ab omni decreto subiectivè absoluto, & obiectivè conditionato; aut repræsentat Deum non facturum sub hypothesi independenter à decreto id ipsum, quod conditionatè decernit, & sic se opponet veritati Scientiæ regulantis faciendo per decretum, quod si existat hypothesis, sit Deus facturus dependenter à decreto conditionato: quomodo deficiet ly *non esset facturus*: quia vi decreti esset facturus sub hypothesi: & ly *independenter à decreto sub hypothesi*: quia non aliter se exerceret sub hypothesi, *quàm dependenter à decreto*, scilicèt subiectivè absoluto, & obiectivè conditionato:

ergo

ergo ſi Deus id cognoſceret pro priori ad decretum conditionatum, eſſet impotens ad illud exequendum: cum non aliter poſſet ſe exercere per tale decretum, quàm vel fruſtra, & invtiliter, vel falſificando Scientiam regulantem, aut per deſtructionem, & immutationem illius, quod affirmat, aut per adſtructionem oppoſiti.

177 Confirmatur. Omne, quod impediat libertatem Dei ad decernendum conditionatè conditionatum nobis liberum, impedit libertatem eiuſdem ad decernendum conditionatè conditionatum ipſi liberum: ſed per nos repugnat dari libertatem in Deo ad decernendum conditionatè id, quod nobis conditionatè liberum eſt: ergo pariter repugnat dari libertatem in Deo ad decernendum conditionatè id, quod ipſi conditionatè liberum eſt. Prob. mai. Omne impedimentum libertatis divinæ ad decernendum conditionatè conditionatum nobis liberum provenit ex Scientia regulante, per quam, aut probaretur fatuè decernens id ipſum, quod aliunde ſupponit ſufficienter extiturum, aut immutans ipſam Scientiam per deſtructionem obiecti illius, quod proponitur liberè proditurum à voluntate creata ſub hypotheſi, & liberè non eſſet exercendum ſub hypotheſi in vi talis decreti conditionati: ſed hæc eadem inconvenientia militant pro libertate divina in decernendo conditionatè illud, quod per Scientiam regulativam proponitur conditionatè liberè extiturum à Dei voluntate nimirum, aut ex fatuitate in decernendo aut ex immutatione, & deſtructione conditionati in eſſe liberi ſub hypotheſi: ergo non minus repugnat in Deo determinatio conditionata ad conditionatum ſibi liberum; quàm ad conditionatum liberum creaturæ: ac propterea abſolutè repugnat in Deo decretum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum.

178 Hoc argumentum obnoxium decipiendis incautis non magis impugnat decretum conditionatum de conditionato Deo libero; quàm imperium, decretum intentivum, & quod plus eſt, decretum quodcumque divinum defacto exiſtens. Ratio eſt: quia ſicut pro priori ad decretum conditionatum ſtat Scientia regulans proponens quid eſſet Deus facturus, aut non facturus præciſivè à decreto, ita Deus pro priori ad imperium, intentionem, & quodcumque aliud decretum debet cognoſcere quid facturus, aut non facturus eſſet præciſivè ab imperio, intentione, & quocumque alio decreto defacto exiſtenti. Patet: ſiquidem illa Scientia non minus conditionata, & independens eſt à decreto abſolutè exiſtenti; quàm illa, quæ ponitur pro regulativo actus conditionati: vnde æquè ac illa debet pro priori exiſtere: deinde non minus immutat præciſionem ab imperio, intentione, & decreto imperium, intentio, & decretum, quàm præciſionem ab actu conditionato ipſe actus divinus conditionatus: ergo ſi Scientia regulans probat repugnantiam decreti conditionati de conditionato Deo libero, Scientia regulans omnia aſsignata inducet pariter repugnantiam eorum.

179 Pro ſolutione notandum, non eſſe idem, per exercitium præſens impedire hypotheſim in exiſtendo, ſeu purificationem illius, ac immutare hypotheſim, & obiectum Scientiæ conditionatæ affirmantis conditionatum ſub hypotheſi. Ratio eſt clara: quia immutatio hypotheſis non fit niſi per illud, quod ſi exiſteret hypotheſis, aufferret aliquod conſtitutivum illius, & impeditio veritatis conditionatæ non fit per id, quod intactam relinquit veritatem conditionalem repræſentatam per notitiam conditionatam, quod vtrumque ſtat cum exercitio de præſenti incomponibili cum purificatione conditionis, vt videre eſt in decreto, quo Deus nolit conferre libertatem, & auxilium, ſub quo eſſet conſenſus, aut libertatem, & auxilium, ſub quo eſſet diſſenſus: tale enim decretum, vtpotè incomponibile cum purificatione conditionis, ſi exiſteret conditio, non aufferret vllum conſtitutivum illius: quia ipſum tunc non extitiſſet: neque impedit veritatem, aut conſenſus, aut diſſenſus ſub auxilio: cum impedire hypotheſim, non ſit impedire, quod ſi exiſtat id quod in vi exercitij præſentis non exiſtit, aut eſſet conſenſus, aut eſſet diſſenſus, provt fuerit Scientia conditionata vel de conſenſu, vel de diſſenſu: aliàs dum Deus nobis denegat auxilium efficax, impediret omnem Scientiam de efficacia ex denegatione hypotheſis, & dum non confert nobis auxilium inefficax, impediret in nobis Scientiam omnem de inefficacia: in-

insuperque immutaret hypothesim prævisionis efficaciæ, & inefficaciæ.

180 Vnde ad argumentum concessa mai. nego min. Ad cuius probationem respondeo: in nullo ex illis casibus sequi inconvenientia prætensa. Nam si casus sit Scientiæ repræsentantis Deum facturum sub hypothesi independenter à decreto id ipsum, quod conditionatè decernit, nec actum agit decernendo id, quod non est necessarium decernere, nec falsificat Scientiam præcedentem, & quæ proponit facturum sub hypothesi independenter ab omni decreto subiectivè absoluto, & obiectivè conditionato: non primum: Quia hypothesis illius Scientiæ est libertas ad conditionatum constituta per carentiam decreti subiectivè absoluti, & obiectivè conditionati, & sub hac hypothesi nihil decernit, nec potest decernere, cum sit incomponibile cum purificatione talis conditionis: quare nec actum agit, aut fatuè, & invtiliter procedit in decernendo. Non secundum. Quia decretum illud conditionatum per se est incomponibile cum purificatione illius libertatis, & hypothesis independentis: ex quo secundùm prænotata ante solutionem, non deducitur immutatio hypothesis, aut falsificatio, vel impeditio scientiæ præcedentis.

181 Si verò casus sit scientiæ proponentis non facturum Deum sub hypothesi independenter à decreto id ipsum, quod conditionatè decernit, minimè se opponet veritati scientiæ regulantis faciendo per decretum, quod si existat hypothesis, sit Deus facturus dependenter à decreto propter eandem rationem. Nam hypothesis, quam assumit Scientia ad affirmandum Deum non facturum sub hypothesi independenter à decreto est hypothesis libertatis constitutæ per carentiam decreti, & quæ tunc foret, quando non existeret decretum, sub qua hypothesi nihil decernit decretum; sed sub alia hypothesi, quæ non sit illa libertas, simul impediēdo per sui existentiā, existentiā illius hypothesis, ex qua impeditione, vt diximus, & probavimus, nec falsificatio, nec impeditio Scientiæ potest oriri. Inde liquet illud: *non facturum*, quod affirmat Scientia, non esse oppositum cum illo *facturum*, quod adstruit decretum: quia illud *non facturum* non sit absolutum; verùm respectivum ad determinatum casum, & hypothesim: & hoc *facturum* non sit absolutum; verùm respectivum ad determinatam aliam hypothesim: beneque componi possunt defectus respectivus vnius cum existentia respectiva eiusdem etiam in statu absoluto: quomodo in me componitur deficere Romæ, & existere Compluti; & in statu conditionato fore consensurum sub vno auxilio, & fore dissensurum sub alio.

182 Replicabis: in casu decreti conditionati illud tenderet in eandem hypothesim, in quam tendit Scientia affirmando conditionatum sub hypothesi cum independentia à decreto conditionato: ergo solutio non tenet. Prob. antecedens. Et ponamus decretum conditionatum ita tendere. *Decerno, quod si existat alter mundus, sit incarnatio Spiritus Sancti.* Iam sic. Scientia conditionata præcedens, & repræsentans quod Deus facturus, aut non facturus esset independenter à decreto conditionato, casu, quo existet alter mundus, assumit pro hypothesi existentiam alterius mundi: sed decretum eandem hypothesim respicit ad decernendum conditionatum sub ipsa, vt constat ex modo ipso tendendi, & decernendi incarnationem Spiritus Sancti sub existentia alterius mundi: ergo non differunt ex hypotesi decretum, & Scientia: ac per consequens nulla est potentia in Deo ad tale decretum, cuius possibilitas duntaxat salva manere posset ex distinctione hypothesis ipsius, & Scientiæ.

183 Respondeo: hypothesim posse sumi adæquatè, & inadæquatè: hypothesis adæquatè sumpta, est hypothesis secundùm omnia sua constitutiva; inadæquatè verò accepta, est hypothesis secundùm aliquod constitutivum. Inde identitas vnius, & alterius hypothesis valet esse tantùm inadæquata, aut adæquata: identitas adæquata erit, quando nihil datur in vna hypothesi, quod non detur in alia; at identitas tantùm inadæquata tunc eveniret, quando in vna hypothesi datur aliquid, quod datur in alia; non verò totum, quod est in alia. Ex his sola identitas adæquata est quæ obstat, vt sub ipsa diversimodè, aut oppositè se habeat conditionatum relatè ad idem tempus, & ad easdem circunstantias; secus identitas inadæquata: nam tunc nec invtiliter decernitur conditionatum, vt extiturum sub illa hypothesi inadæquatè accepta, quod quidem

dem videtur extiturum conditionatè ſub eadem hypotheſi, vt coniuncta cum alijs: neque eſt vlla oppoſitio, ſi ex vi vnius conditionalis conditionatum ſit extiturum ſub illa hypotheſi ſolitariè accepta, & non ſit extiturum ex vi alterius conditionalis, quæ reſpiciat illam hypotheſim, vt aſſociatam cum alijs, & vt quid inadæquatum reſpectu hypotheſis, ſub qua proponit conditionatum non extiturum. Ita abſque vllo incommodo verificari poteſt in nobis: *Sub eadem cognitione retrahente, vt quatuor, eſſe diſſenſuros adſtante cognitione alliciente tantùm, vt quatuor; & eſſe conſenſuros adiecta cognitione alliciente, vt ſex.*

184 Vnde ad replicam diſtinguendum eſt antecedens. In caſu decreti conditionati illud tenderet in eandem hypotheſim *inadæquatè* concedo antecedens: in eãdem hypotheſim *adæquatè* nego antecedens, & conſequentiam. Ad probationem antecedentis dicendum, verum eſſe decretum illud aſſumere pro hypotheſi ad decernendum incarnationem Spiritus Sancti exiſtentiam alterius mundi, quæ eadem eſt *inadæquatè* cum hypotheſi Scientiæ; at iſta non aſſumit pro hypotheſi ſolam exiſtentiam alterius mundi; ſed inſuper libertatem conſtitutam per cognitionem de exiſtentia, & per carentiam, aut formaliter, aut illativè, de quo modò non curo, decreti conditionati: quare ſi Scientia repreſentet conditionatè Deum decreturum exiſtentiam incarnationis Spiritus Sancti ſub illa hypotheſi, remanet adhùc quid vtiliter decernendum conditionatè ſub eadem hypotheſi inadæquatè ſumpta, id eſt ſub nuda exiſtentia libera decreti de altero mundo, quin conſtituat novam aliam libertatem ad decernendam incarnationem Spiritus Sancti: ſi autem repræſentet non decreturum incarnationem Spiritus Sancti ſub illa hypotheſi, non eſt vllum impedimentum, vt Deus ſub tali Scientia ſine oppoſitione aliqua ad ipſam decernat oppoſitum ſub eadem hypotheſi tantùm inadæquatè accepta.

185 Ad confirmationem negatur eſſe eadem impedimenta pro libertate Dei ad decernenda per decretum conditionatum conditionata ſibi libera, ac ſunt pro libertate eiuſdem ad decernendum per decretum conditionatum conditionata nobis libera. Diſparitas iam ſupra inſinuata inter vnum, & aliud clara eſt. Nam ſi Deus ſub præviſione conditionata noſtri conſenſus liberi ſub determinata libertate decerneret conditionatè conſequenter eundem conſenſum liberum ſub eadem omninò hypotheſi, & libertate, invtiliter, & fruſtraneè quidem decerneret illud, quod independenter à decreto illo conditionato videt conditionatè extiturum; ſi verò antecedenter id decernat, ſe implicabit in terminis: cum velit conditionatum nobis liberum ſub hypotheſi, quod vnicè ſibi liberum ſub hypotheſi conſtituit ex adiuncto decreto. Non ſic in conditionato ſibi libero, in quo ſi conditionatè decernat ſub Scientia proponente conditionatum ſub hypotheſi, non decernit ſub eadem hypotheſi adæquatè, & aliunde quamvis in vi decreti auferat libertatem ſub exiſtentia hypotheſis, quæ foret, ſi non decerneret conditionatè, & quæ eſt hypotheſis Scientiæ conditionatæ præcedentis, relinquit aliam libertatem ſufficientem ſub hypotheſi, ex qua exiſtat liberè conditionatum, vt eſt illa, quæ refunditur in libertatem decernendi, aut non decernendi conditionatè: neque enim, vt conditionatum liberè exiſtat à Deo, eſt neceſſarium, quod ſit liberè ab omni libertate, quam Deus poteſt habere erga ipſum; ſed ab aliqua modo, quo vt fuerit liberum decretum huius mundi, non eſt neceſſarium, vt provenerit ab omni libertate, à qua poſſet exire, vt eſſet libertas conſtituta per oppoſitas Scientias conditionatas his, quæ defacto dantur; ſed ſufficit proceſiſſe liberè ab aliqua libertate defacto exiſtenti, quidquid ſit, an etiam ſub alia libertate poſsibili determinatè exiſteret, aut determinatè non exiſteret.

186 Obijcit tertiò Alarcon. Impoſsibile eſſe voluntati ferri per actum abſolutum in bonum conditionatum: ſed actus ſubiectivè abſolutus, & obiectivè conditionatus eſt actus voluntatis: ergo implicat ferri in obiectum conditionatum, quod eſt tantùm bonum conditionatum. Maiorem probat à paritate viſſus, ſeu potentiæ viſivæ, quæ non poteſt ferri per abſolutum actum viſionis in obiectum, quod non eſt; ſed foret illuminatum: quomodo etiam contingit in alijs potentijs, quarum actus non feruntur abſolutè in obiecta non comprehenſa abſolutè in ratione *ſub qua* potentiæ, quin ſufficiat, quod ex hypotheſi eſſent

essent in tali ratione comprehendenda: ergo impossibile etiam debet esse voluntatem ferri per actum absolutum in bonum conditionatum.

187 Cum potentia visiva similior sit intellectui, quàm voluntati posset similiter inferre: *Implicat potentiam visivam ferri per actum absolutum visionis in chymæram: ergo implicat intellectum ferri per actum absolutum in chymæram: implicat potentiam visivam ferri per actum absolutum in illuminatum tantùm possibiliter: ergo implicat intellectum ferri per actum absolutum in verum possibile.* Quod si in his paritas potentiæ visivæ non teneat, quamvis potentia visiva conformior sit in tendentia ad suum obiectum potentiæ intellectivæ, quàm volitivæ, cur tenebit relatè ad potentiam sibi distantiorem, qualis est voluntas? Dicendum ergo est: disparitatem inter potentiam visivam, & alias potentias ex vna parte; & intellectum, & voluntatem ex alia consistere in eo, quòd obiectum conditionatè illuminatum nullam habet de præsenti illuminationem, ratione cuius feratur potentia visiva per actum absolutum in ipsum; at obiectum conditionatum in ratione boni absoluti, & verum possibile in ratione existentis absolutè, & si non habeant modo, sed haberent bonitatem propriam absolutorum, & veritatem propriam eorum, quæ existunt absolutè; habent tamen bonitatem, & veritatem propriam conditionatorum, aut possibilium, quæ non est sola veritas, aut bonitas, quæ foret; verùm veritas, aut bonitas, quæ modò sit existentia propria veritatis, & bonitatis eorum, quæ non sunt; sed forent absolutè, & quæ vt sint conditionatè, aut possibiliter, nullam aliam expectant conditionem: vt clarissimè ostenditur in impossibili quod, & si sit repugnans in existendo absolutè, nec est impossibile reflexe in verificando, neque in habendo quidditatem propriam impossibilis: vnde quamvis non habeat veritatem propriam non repugnantium; habet tamen veritatem propriam impossibilium, de quibus, tàm verè dicitur *repugnare*; quàm de possibilibus *non repugnare*.

188 Si redarguat, pari licentia posse dici obiectum conditionatè illuminatum, seu illuminandum sub hypothesi non habere illuminationem propriam eorum, quæ illuminantur absolutè, at habere illuminationem propriam eorum, quæ illuminantur conditionatè, aut quæ forent illuminanda, indeque instaurari argumentum sub hac forma: Illuminatio propria conditionatorum, seu eorum, quæ sub hypothesi essent illuminanda absolutè non sufficit, vt potentia visiva feratur per actuum absolutum subiectivè in ipsa: ergo neque bonitas propria conditionatorum, seu eorum, quæ sub hypotesi forent bona absolutè, non sufficit, vt voluntas per actum subiectivè absolutum feratur in ipsa,

189 Primò renovanda est instantia potentiæ intellectivæ, respectu cuius possibilia, & impossibilia habent veritatem proportionatam, vt per actum absolutum feratur in ipsa; quamvis non habeant visibilitatem proportionatam, vt potentia visiva per actum subiectivè absolutum tendat in ipsa. Dent ergo disparitatem, quam desiderant, aut negent id, quod innegabile est: nimirùm, intellectum cognoscere possibilia, & impossibilia, sivè hæc tantùm sint impossibilia veritatis, vt aliqui defendunt, sivè sint impossibilia entitatis, vt communior fert sententia: & deinde dicendum, diversitatem sumi ex ipsis terminis *illuminationis conditionatæ, & bonitatis conditionatæ*. Nam bonitas conditionata, id est conditionatorum est simpliciter bonitas: sicut bonitas quidditatis est simpliciter bonitas, quæ est suo modo; & non quæ tantùm esset; at illuminatio conditionata, seu conditionatorum non est simpliciter illuminatio: cum *fore* illuminationis sub hypothesi nullo modò participet rationem illuminationis, quæ sit. Id perceptibile reddit inculcata paritas veritatis obiectivæ, in qua eandem doctrinam sustinere debent adversarij dicentes veritatem conditionatorum, possibilium, & impossibilium esse veritatem simpliciter talem, & ideò aptam, vt terminet actus subiectivè absolutos intellectus; cum illuminatio conditionata non participet rationem illuminationis; aliàs non minus viderent oculi conditionata, possibilia, & chymæras; quàm intellectus tendens in ea per actus subiectivè absolutos.

190 Ex dictis deprehendes: Non esse admitendas exceptiones, quas pro possibilitate decreti conditionati quoad conditionatum Deo liberum adhibent Izquierdo, & Ruiz: ille dum coarctat decreta conditionata ad vtilitates quasdam

dam ſimiles eis, quæ interveniunt in voluntate illa generali, qua vult Deus omnes homines ſolvos fieri, iuxta ſententiam dicentium eſſe decretum conditionatum de danda gloria, ſi per homines non fuerit, extra quas, inquit, decretum conditionatum fore invtile prorſus, & fruſtraneum, ac per conſequens repugnans. Hic, dum excludit decretum nude conditionatum, id eſt, quod non contineatur, vel formaliter, vel virtualiter in alio decreto abſoluto, vt continentur in legibus, & promiſsionibus vniverſalibus. Ratio non admiſsionis eſt doctrina generaliter tradita, ex qua conſtat, non eſſe aliam vtilitatem, aut efficacitatem in decreto quærendam, quàm præſentem exercendi divinam voluntatem ſuum dominium per talem actum, & conditionatè dandam pro caſu hypotheſi in ordine ad exiſtentiam obiecti voliti ſub hypotheſi: quæ omnia ſtare poſſunt, vel ſecluſis eis vtilitatibus, quas meditatur Izquierdo quoad providentiam aliquam abſolutam; aut præcontinentia illa, quam requirit Ruiz, aptiorem quidem ad confundendum decretum conditionatum cum abſoluto, quàm ad probandam poſsibilitatem decreti divini conditionati.

191 Deprehendes rurſus integram, & perfectam intelligentiam ſolutionis datæ obiectioni intendenti probare neceſsitatem alicuius præſentis, & connexi cum eventu futuro conditionato ex amabilitate prædicti futuri: vnde redditur aptum terminare decretum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum. Quæ aptitudo in quibus futuris, ſivè veritatibus obiectivè conditionalibus locum teneat; in quibus ſecus: an pro formali; an tantùm arguitivè: an ex conceptu veritatis conditionatæ; an ex conceptu ſpeciali talis determinatæ veritatis conditionalis adhùc quando tale decretum ſubiectivè abſolutum dicitur; facilè colligitur ex dictis: in quibus ſi nimis detenti ſumus, cum alij breviùs abſolvant; inſpecta arduitate materiæ, & difficultatibus paſsim occurrentibus animadverſis, alij iudicent, & quod redundans, & ſuperfluum fuerit, abſcindant.



DISPV-

JHS.

DISPUTATIO XIX.

PRÆVIA AD SCIENTIAM conditionatam Deo non liberam.

De Scientia futurorum conditionatorum contingentium.

CAPVT I.

An Deus certò cognoſcat futura conditionata nobis libera?

1 NEGATIVAM ſententiam tribuit diſcipulis D. Thomę Magiſter Petrus de Ledeſma diſputat. 2. affini de Scientia futurorum contingentium vbi folio 574. Editionis Salmanticenſis anni 1618. inquit: *In hac difficultate ſunt duæ oppoſitæ ſententiæ inter Doctores. Prima ſententia eſt affirmativa, videlicèt, quod in Deo eſt ſcientia certa, & infallibilis futurorum conditionatorum*, pro quâ citatis noſtris Molina, Vazquez, Suarez, & Valentia proſequitur: *Secunda ſententia eſt omninò huic oppoſita, quæ quidem docet, quod in Deo non reperitur talis ſcientia conditionata iſtorum futurorum conditionatorum: dicit enim iſta ſententia, quod poteſt Deus per coniecturas aliquomodo cognoſcere, quod cauſa libera faceret ſi in tali occaſione cum illis, vel iſtis conditionibus conſtitueretur; non tamen poſſe infallibili ſcientia id cognoſcere.* Quam ſententiam ipſe amplectitur folio 590. vocans eam certiſsimam *taliter, vt non renuat aſſerere: oppoſitam non eſſe ſibi probabilem.* Advocatiſque in favorem Cayetano, Ferrara, Catherino, & Ianſenio concludit: *Hanc ſententiam ſequuntur omnes diſcipuli Div. Thomæ, qui hac tempeſtate interpretantur illum, & omnes, qui ſequuntur eius doctrinam in materia de auxiliis divinæ gratiæ.* Idem tenuerunt quoad ſententiam negativam Cabreta tom. 1. in 3. part. quæſt. 1. artic. 3. diſput. 1. §. 22. & tom. 2. quæſt. 62. artic. 1. diſput. 12. §. 6. Cabezudo 3. parte, quæſt. 62. negans abſolutiſsimè Deo certam, & infallibilem conditionatam præſcientiam, concedenſque tantummodo notitiam de diſpoſitione cauſarum. Ripa 1. parte quæſt. 14. artic. 13.

2 Vltra progreſſus eſt Navarrete 1. parte quæſt. 12. artic. 13. controverſia 56. §. 2. qui ne Deo tribueret Scientiam formaliter coniecturalem, non timuit affirmare nullam eſſe in Deo Scientiam formaliter conditionatorum contingentium; ſed tantum eminenter, & tom. 2. controverſia 31. §. 9. in fine, dictis non contentus addidit, Scientiam conditionatorum, veluti per metaphoram Deo eſſe tribuendam. Eandem ſententiam negativam probabilem propoſſuerunt Curiel lib. 1. Controverſiarum controverſia 7. art. 1. & Cornejo 1. parte quæſt. 14. artic. 3. diſput. 3. dub. 2.

3 Hinc videant doctiſsimus Ioannes à S. Thoma 1. parte diſp. 20. art. 1. & Hieronymus Vives in opere de primatu divinæ libertatis diſput. 19. quo iure negaverint fuiſſe ſententiam iſtam negativam antiquiorum Thomiſtarum, eiſque ſolum per impoſturam poſſe tribui, cum contra ſe non noſtros; ſed proprios Doctores habeant, id vt firmum teſtificantes; ſic vltra relatos Gonzalez 1. parte quæſt. 14. artic. 13. diſput. 44. ſect. 2. inquiens: *Prima ſententia eſt aliquorum Iuniorum Tnomiſtarum, qui dicunt, quòd eiuſmodi futura ſolum cognoſcuntur à Deo coniecturaliter, & certi-*

tudine quadam morali, non autem certitudine logica, aut metaphisica excludente omne dubium ex parte rei cognitæ. Machin 1. parte quæst. 14. articul. 13. disput. 33. sect. 1. *In hac re prima sententia est aliquorum Thomistarum asserentium Deum non cognoscere futura conditionata libera nisi solum coniecturaliter, vel certitudine quadam morali non excludente omne dubium.* Consentiunt Mendoza in quodlibetis quæst. 7. Scholastica, Zumel tom. 2. variarum in 1. partem disput. 8. dub. 5. & Cursus Carmelitanus 1. parte disput. 31. de Scientia art. 1. qui omnes Thomistæ sunt, non Iesuitæ.

4 Et quidem iudicium istud aliquando invaluisse apud Doctissimos Thomistas manifestum faciunt controversiæ illæ celebres Romæ habitæ coram Summo Pontifice inter gravissimos Patres Dominicanos, & nostros super Molinæ sententiam. In quarum initio ceptum est controverti acriter de notitia certa divina conditionatorum contingentium nostris adstruentibus, & reluctan-ibus contrarijs, donec primus eorum Sapientissimus Magister Fr. Thomas de Lemos voluit ab hoc dissidio supersedere; suppositaque notitia certa conditionatorum contingentium in Deo ad alia maioris ponderis certamen convertere. Pro cuius rei veritate non aliquis noster; sed alius benè conscius eorum, quæ tunc contigerunt, scilicèt Gabriel Pennotus in propugnaculo humanæ libertatis lib. 3. cap. 26. num. 2. audiatur dicens de prædictis renuentibus contra nostros firmã supponere in Deo notitiam certam, & infallibilem conditionatorum contingentium: *Initio respondisse: futura conditionata à Deo solum coniecturaliter cognosci; sed postea assidua concertatione certiores factos affirmasse Deum illam certo, & infallibiliter cognoscere.* Hæc placuit proponere non alio animo; quàm ostendendi veritatem, & liberandi nostros Authores ab infidelitatis nota in referendis aliorum sententijs.

5 Sententia affirmativa statuens in Deo firmissimam, & certissimam notitiam conditionatorum contingentium, quæ sub nostra sunt libertate, iam facta est omnium, quod cum ita sit, ociosam reddit propositionem Authorum per longum silabum eorum, qui pro ipsa stant; cùm facilius exprimantur sub generalitate proposita, & sine temporis dispendio ad examen fundamentorum, quæ ipsam, vt omninò amplectendam suadent, vtilius procedatur.

6 Potissimè probatur Authoritate ex Sacris litteris, quibus constant prædictiones divinæ conditionatæ proponentes determinatissimè, & sine hæsitatione, aut ambiguitate vlla eventus contingentes conditionatos, & nobis liberos. Vnde infertur clarissimè notitia infallibilis prædictorum eventuum correspondens in mente Dei, qui sine infinitæ suæ Authoritatis in dicendo iactura non posset asseveranter, & vt certo eventurum sub hypothesi proponere, quod ipse certo, & indubitanter sub ea ratione non sciret; quare, tàm firma redditur infallibilitas Scientiæ; quàm firma est eius in dicendo infallibilitas, & Authoritas. Has divinas loquutiones conditionatas ex proposito tetigimus pro exclusione omnis decreti divini antecedentis, sivè, vt constitutivi, sivè vt requisiti pro futuris conditionatis nobis liberis. Iterùm leviter memoravimus pro statuenda determinata veritate propositionum de futuro conditionato contingenti, & tertiò cogimur diffusè referre in præsenti; patienter tamen ferenda est repetitio, & dandus multiplici conducentiæ eiusdem ad plura multiplex, & iteratus vsus eiusdem.

7 Primus locus est Geneseos 11. vbi primi illi homines post dilubium dixerunt: *Venite faciamus nobis Civitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad Cœlum, &c.* Deus autem de illis dixit: *Cœperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur descendamus, & confundamus linguas eorum.* Sciebat igitur Deus id, quod asseveranter conditionatè prædixit, id est, eos homines non destituros ab opere incepto, nisi per medium confusionis linguarum, vbi conditionalis ista veritas de conditionato ipsis libero; *si sit defectus confusionis, non erit desistentia ab opere*, exprimitur. Secundus Exodi 34. *In quo prohibentur Iudæi* accipere vxores alienigenas, seu filias Gentilium, ibi: *Ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ fornicari faciant, & filios tuos in Deos suos:* Ecce Deus proponitur sciens lapsuros Hebræos in idololatriam, si vxores acciperent ex filijs Gentilium. Ne

verò

verò scrupulus aliquis excitari posset quoad certitudinem notitiæ in divina mente, ipse Deus post repetens idem mandatum provt refertur 3. Regum 11. inquit: *Super quibus dixit Dominus Filijs Israel non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissimè enim avertent corda vestra, vt sequamini Deos earum*, vt comprobavit infelix eventus Salomonis: *Nam cum iam esset senex, depravatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos* quomodo refertur eodem capite 11: notetur ergo ly *certissimè enim avertent*, in quo certitudo notitiæ, vnde oriebatur conditionata prædictio, reflexè asseritur.

8 Tertius locus 1. Regum 23. Proponens Davidem post Philisteos superatos, & Ceilam Civitatem Iudeæ liberatam manentem cum suis in eadem vrbe resciviſſe Saulem superventurum, vt ipsum invaderet. Vnde motus est ad consulendum Dominum de eventu in hunc modum: *Domine Deus Israel audivit famam servus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, vt evertat vrbem propter me. Si tradent me viri Ceilæ in manus eius, & si descendat Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel, indica servo tuo. Et ait Dominus: descendet. Dixitque David, si tradent me viri Ceilæ, & viros, qui sunt mecum in manus Saul? Et dixit Dominus, tradent, surrexit ergo David*, &c. Vide plures veritates conditionatas de conditionato pertinente ad libertatem creatam, quales sunt: *Si manseris, descendet Saul: Si manseris, tradent te, & tuos viri Cæilitæ.* Quartus 4. Regum 2. Vbi petenti Elisæo duplicatum spiritum Eliæ, hic respondit: *Rem difficilem postulasti, attamen si videris me quando tollar à te, erit tibi, quod petijsti; si autem non videris, non erit.* Per quæ duas conditionales contingentes proposuit non aliunde, quàm ex divina revelatione cognitas: *Si videris erit; si non videris, non erit.*

9 Quintus Sapientiæ 4. *Raptus est nè malitia mutaret intellectum eius*; quem textum latè supra expendimus, & includit veritatem conditionalem de futuro lapsu illius sub conditione diuturnioris vitæ. Sextus Ieremiæ 37. *Sed etsi percusseritis omnem exercitum Caldæorum, qui præliantur adversum vos, & relicti fuerint ex eis aliqui vulnerati: singuli de tentorio suo consurgent, & incendent Civitatem hanc igne.* Septimus eiusdem Ieremiæ 38. *Et dixit Ieremias ad Sedeciam, hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel, si profectus exieris ad Principes Regis Babilonis, vivet anima tua, & Civitas hæc non succendetur igne, & salvus eris tu, & domus tua. Si autem non exieris ad Principes Regis Babilonis, tradetur Civitas hæc in manus Chaldæorum, & succendent eam igne, & tu non effugies de manu eorum. Et dixit Rex Sedecias ad Ieremiam: Solicitus sum propter Iudæos, qui transfugerunt ad Chaldæos, ne fortè tradar in manus eorum, & illudant mihi. Respondit autem Ieremias: non te tradent, audi quæsso vocem Domini.* In quibus multæ sunt veritates conditionales ostensæ; vt de conflagratione Civitatis sub hypothesi prælij, & vulnerationis aliquibus relictis: de eadem Civitatis destructione, si Rex ad Principes Babilonicos non se convertisset: de Regis, & vrbis liberatione sub hypothesi adeundi ad Principes: de non traditione facienda à Iudæis, casu quo Rex Principibus se committeret, quas omnes ex tam certa Scientia prodijsse, ac illam, quam infallibilem comprobavit eventus destructionis Civitatis, & perditionis Regiæ domus sub defectu profectionis in Rege: quomodo constat ex capite sequenti eiusdem Prophetæ, compertum fuit.

10 Octavus Ezechielis 3. *Non enim ad Populum profundi sermonis, & difficilis linguæ tu mitteris, & si ad illos mitteretis, ipsi audirent te.* Accipe assertum conditionatum auditionis sub conditione missionis Prophetæ ad eos, ad quos defacto non mittebatur. Nonus Matthæi 11. & Lucæ 10. iam suprà ponderatus: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent*, &c. *Et tu Capharnaum nunquid vsque in Cœlum exaltaberis? Vsque in infernum descendes: quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, fortè mansissent vsque in hunc diem.* Vbi duo contingentia conditionata, & quidem hominibus libera assertivè prædicuntur à Christo Domino. Decimus Matthæi 16. Vbi refertur diviti abaro responsum fuisse ab Abraham per prædictionem futuri condi-

tionati dependentis à libertate creata, ſcilicèt, *ſi Moyſem, & Prophetam non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.*

11 Dictis annumerari poſſunt conditionales aliæ contingentes eiuſdem conditionis expreſſæ Lucæ 22. *Si tu es Chriſtus dic nobis: ait illis: ſi vobis dixero, non credetis mihi: ſi autem, & interrogavero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis.* Ioannis 4. *Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi, da mihi vivere, tu forſitan petijſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam.* Ioannis 5. *Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* Ioannis 6. *Ieſus ergo cum cognoviſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.* Pauli ad Romanos 9. *Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorra ſimiles fuiſſemus.* Primo ad Corinthios 2. *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum Gloriæ crucifixiſſent*; & aliæ plures quibus abundant Sacri textus, & quas copioſiſsimè congeſsit Ruiz à diſputatione 61. de Scientia, vbi videri poſſunt; ſicut, & Faſſolus quæſt. 14. de Scientia artic. 13. dubio 13.

12 Efficaciam huius argumenti debilitare intendunt contrarij varijs adhibitis ſolutionibus, quæ adeo placuerunt Illuſtriſsimo Godoy tom. 2. in 1. partem tract. 4. diſput. 34. §. 5. vt eas defenſandas à communibus impugnationibus ſuſcipiat, & licet demùm teneat, rectè ex Scriptura probari certitudinem divinæ Scientiæ quoad conditionata contingentia, communemque ſententiam propugnet, non recuſſat aſſerere, & quod talis divinæ præſcientia non poſsit evidenter convinci, & quod fundamentis ab Authoritate deſſumptis, poteſt probabilis acommodari ſolutio. Sed videamus ſolutiones, quas protegere ſtudet iſte Sapientiſsimus Magiſter.

13 Prima eſt contra extenſionem, & vniverſalitatem fundamenti, ex quo relatis ex Scriptura tantum aliquibus futuris conditionatis nobis liberis, quorum certiſsimam Deus habuit Scientiam; concludimus Deum omnium futurorum conditionatorum ſimilis conditionis habere Scientiam certiſsimam, & infallibilem, in quo modo inferendi male proceditur, cum à particularibus adæquatè non numeratis ad vniverſale diſtributum mala ſit conſequentia. Nec valet (inquit) reſpondere: eandem eſſe rationem de his, quæ revelata exiſtunt, ac de alijs, quæ per Scripturam non manifeſtantur; nam tota ratio, vt hæc cognoſcantur, eſt veritas obiectiva determinata ipſorum, quæ ratio reliqua non revelata comprehendit; præcipuè cum hæc non ſit vera, quia revelata; ſed potius revelata, quia vera, veritas conditionatorum oſtenditur independens à revelatione; ideoque aptiſsima, vt à Deo certiſsimè cognoſcatur. Rationemque præbet: nam ab vrgentia iſta facillimè ſe expedient contrarij Authores aſſerendo: ea, quæ prædicuntur à Deo, cognoſci ab ipſo certò, & infallibiliter ratione decreti, quo illorum exiſtentiam ſub aliqua conditione decrevit, quod decretum circa alia non revelata negabunt; vnde diſparem rationem inter hæc, & alia aſsignabunt; ideoque eandem rationem eſſe pro his, & alijs non admittent. Inde ad aliud de veritate independente à revelatione conceſſo non eſſe vera, quia revelata, reijcient conſequentiam ex eo, quod licet veritas ſit independens à revelatione, non tamen à decreto; cum vera ſint conditionatè, quia à Deo ſic decreta; decretum autem ſatis liquet quoad ea, quæ ſunt revelata; aliàs revelatio conſiſtere poſſet abſque ſua veritate; non verò conſtat erga alia, cum Deus liberè hoc, vel illud decernat, & ab omni libero decreto ex poſſibilitate puræ omiſsionis Deo non repugnantis, ſe expedire poſsit.

14 Verùm ſolutio, adhùc ſub hoc patrocinio nulla eſt, & probatio noſtra firma; nam ſi ratio cognoſcendi futura æqualis ſit in omnibus, progreſsio à particularibus revelatis ad vniverſale recta erit, & non diſsimilis ei, quæ fit ad inferendum *hominem eſſe animal*, enumeratis aliquot individuis naturæ humanæ, quibus convenit ratio *animalis*, & addito *in cæteris ſimili modo*, vnde concluditur *omnis homo eſt animal*. Etenim licèt ratio *revelati* ſecum afferat rationem veritatis futuri conditionati; at ratio *futuri conditionati* eſt independens à ratione *revelati*, & per ſe argumentum irrefragabile cognitionis certiſsimæ, & infallibi-

lis

lis existentis in mente divina: ergo si ratio veritatis vniformis sit omni futuro, comprobata veritate per revelationem in aliquibus rectè adiungitur, *& in cæteris simili modo*, ex quo procedit legitimè illud consequens: ergo omne futurum conditionatum nobis liberum terminat divinam cognitionem certam, & infallibilem.

15 Vniformitatem verò determinatæ veritatis in omni futuro conditionato non labefactat parata illa evasio ex decreto *subiectivè absoluto*, & *obiectivè conditionato* necessario ad futuritionem conditionatam: nam permissa pro nunc ea necessitate nobis quidem falsa, & in antecedentibus reiecta, cùm pro nunc solum sit animus stabilire cognitionem certam futurorum conditionatorum, secùs obiectum, potius probationem factam firmat, quàm infringit. Arguo sic: vel sublato decreto illo libero erga alia futura conditionata præter revelata adhùc remanerent alia futura conditionata, vel non? Si hoc secundum: ergo rectè convincitur ex cognitione certa futurorum, quæ per revelationem constat cognitio certa omnium futurorum, quæ ponitur in consequente: Patet: vltra futura conditionata revelata nulla alia sunt futura conditionata ex libera determinatione Dei: ergo Deus cognoscit certò, & infallibiliter futura omnia conditionata. Probo consequentiam. Cognitio illa certa, & infallibilis futurorum, vltra cuius obiectum nullum est aliud futurum conditionatum, est cognitio certa, & infallibilis omnis futuri conditionati: sed cognitio illa futurorum, quæ per revelationem constant, est cognitio certa, & infallibilis futurorum, vltra cuius obiectum nullum est aliud futurum conditionatum: ergo est cognitio certa, & infallibilis omnis futuri conditionati. Si primum: ergo independenter à decreto, quod Deus libere omittit alia sunt futura conditionata; ac per consequens veritas ipsorum independens etiam est à divino decreto: quare exclusio decreti non impediet conformitatem inter futura conditionata revelata, & non revelata in ratione habentium determinatam veritatem, quæ est ratio potissima inferendi cognitionem divinam certissimam circa revelata: at quando ratio terminandi cognitionem divinam infallibilem conformis est in revelatis, rectè proceditur in revelatis ad consequens vniversale *omnis futuri conditionati*: ergo non obstante dependentia à decreto, benè probatur infallibilis Scientia divina omnis futuri conditionati ex revelatis.

16 Eodem modo venit impugnandum illud, quod additur de possibilitate puræ omissionis in Deo, vtpote omninò inconducens ad intentum: siquidem admissa ea non repugnantia puræ omissionis; quam etiam nego, tàm in Deo; quàm in creaturis, dissimulatisque tum quod sit Deo liberum præscindere à duplici contradictorio, quod percipere non est facile, tum etiam, quod sicut casus puræ omissionis non tolleret futura omnia contingentia absoluta, & exclusiva futuri omnis contingentis positivi, & absoluti, de quibus verificaretur suo modo extitura, scilicèt *extituram esse carentiam mei contingentem*, & sic de reliquis, quæ in hac providentia existunt; ita etiam casus puræ omissionis non impediret futura omnia contingentia conditionata, & exclusiva omnis futuri conditionati contingentis, & positivi, vt supra promovere intendimus agentes de constitutivo futuri: his igitur prætermissis, reddit argumentum factum: nam, vel hæc omissio pura sumitur absolutè, & hac ratione nullatenus improbat cognitionem divinam certissimam omnium futurorum, propterea quod Deum nullum futurum conditionatum cognoscere, quando nullum futurum conditionatum est, non infert ipsum non cognoscere omnia futura conditionata, quando talia futura conditionata sint, vt sunt in hac providentia: vel sumitur restrictè ad aliqua futura conditionata, quomodo cùm etiam auferat rationem eorundem futurorum; vnde poterit inferri Deum non cognoscere certò, & infallibiliter omnia futura conditionata, quæ sint? Manebimus ergo in casu disiunctionis similis huic, *vel non existit hic mundus, vel si existit, Deus certissimè, & infallibiliter eum cognoscit*, quæ sicut nec per vmbram lædit cognitionem, & infallibilitatem cognitionis divinæ erga præsentem mundum, & determinationem, vt si existat, illum cognoscat; pariter nec impediet certitudinem, & infallibilitatem cognitionis divinæ erga omnia conditionata, quæ sint, & determinationem, vt si sint, ea infalibilliter cognoscat.

17 Secunda solutio est: ea futura con-

conditionata prædici non vt in ſe ipſis conditionatè futura; ſed iuxta diſpoſitionem præſentem cauſarum; quod alij explicant dicentes, in locis allegatis non revelare Deum, quid re ipſa eſſet futurum conditionatè; ſed quid tunc temporis eſſet in voluntate, & cognitione eorum, à quibus ille effectus futurus erat, ideſt præſens diſpoſitio, & præparatio animi ad talem effectum: inde mala eſt illatio ab his revelationibus, & veritate; quam ſupponunt ad cognitionem infallibilem futurorum in ſe ipſis. Modum iſtum ſolvendi promovet tum ex adducta doctrina Div. Thomæ quæſt. 12. de veritate, artic. 10. & 2. 2. quæſt. 179. art. 8. vbi triplicem prophetiam diſtinguit Magiſter Angelicus; aliam *præſcientiæ*, aliam *prædeſtinationis*; & aliam *comminationis*; inter quas ſatis ad intentum ſolutionis intercedit diſcrimen, quod prima, & ſecunda ſpecies prophetiæ terminantur ad futura provt in ſe ipſis; ideoque ex illis veritas futurorum in ſe evidenti illatione convincitur; tertia verò non futura, provt ſunt in ſe, reſpicit, ſed diſpoſitionem, & ordinem cauſarum ad ipſa, ac proinde ſtante hac diſpoſitione cauſarum, & ſi veritas eventus non exiſtat, ſubſiſtit veritas propheticæ revelationis, quæ primum, non ſecundum reſpicit. Tum ex alijs revelationibus, quæ ex Scriptura conſtant, vt eſt illa inſinuata per Iſaiam Prophetam Ezechiæ. Regi 4. Regum: *Morieris enim tu, & non vives*; & per Ionam Prophetam 3. Ninivitis *adhùc quadraginta dies*, & *Nineve ſubvertetur*, quæ tantum habuerunt veritatem ſecundùm præſentem diſpoſitionem cauſarum, quam reſpiciebant; non ſecundùm eventum, qui defecit, & provt in ſe non erat revelatus: qua doctrina ſuppoſita, inquit: omnibus Scripturæ locis, & alijs, quæ pro ſententia affirmativa magno armorum ſtrepitu congeruntur, ſatis probabiliter occurri poteſt.

18 Sed contra eſt primò: quia hæc ſolutio non poteſt convenienter applicari omnibus revelationibus, quæ ex Scriptura conſtant, cùm aliquæ ſint, in quibus præſens diſpoſitio, & inclinatio cauſarum potius vergebat in oppoſitum eventus aſſerti, vt eſt illa de tradendo Davide per Ceilitas, quibus vt rectè ponderat Ruiz, ignotus planè erat animus Saulis evertendi Civitatem, & duntaxat manifeſtus Davidi per nuntios fortè miſſos à Ionata, vel alio confidente exploratore, & aliunde beneficium liberationis à Davide nuper acceptum, potius inducebat diſpoſitionem animi grati, quàm averſi, & prompti ad traditionem benefactoris. Et altera de obiurgatione facta à Chriſto D. in Iudæos per comparationem ad Tyrios, & Sidonios de correſpondentia ad virtutes factas apud Iudæos, quæ in præſentem diſpoſitionem, aut animi præparationem reduci non poteſt, cùm quamvis pravi eſſent Iudæi; tamen erant cultores veri Dei, & magna ex parte obſervatores legis: quæ omnia apud Gentiles deficiebant. Vnde in diſpoſitione, & præparatione animi reddebantur nequiores ex turpibus moribus idololatriæ, & vano idolorum cultui annexis: iam ſi de aliquibus eventibus liberis, & conditionatis, provt in ſe, & non tantum in præparatione cauſarum acceptis ſtat notitia certa, & infallibilis in Deo per revelationem manifeſtata, quid coget ad intelligendas alias revelationes ſimiliter conditionatas de ſola præparatione, & diſpoſitione cauſarum? Redditurque propterea irritus conatus ſuſtinendi ſolutionem ex hoc ſolo capite arbitrariam, & ad nutum compoſitam apparentem.

19 Contra ſecundo: quia ſi veritas prædictionum penſanda eſſet non penes eventus futuros in ſe ipſis; ſed penes præſentem diſpoſitionem, & præparationem cauſarum non eſſet cur prædicti eventus revelarentur potius ſub terminis conditionalibus: quàm abſolutis, cùm diſpoſitio abſoluta ſit, nec quamvis eventus ſit proditurus à tali diſpoſitione dependenter ab aliqua conditione id obſtat abſolutæ affirmationi, vt redargui poteſt contra reſpondentem in exemplis appoſitis revelationum Ezechiæ: *Morieris enim tu, & non vives*, & Ninivitarum *adhùc quadraginta dies*, & *Nineve, ſubvertetur*, quæ per terminos abſolutos fuerunt propoſitæ; tametſi eventus affirmatus dependeret à conditione non purificanda in exiſtendo, vt confirmari etiam poteſt ex doctrina memorata Div. Thomæ loquentis de prophetia abſoluta, & tribuentis ſenſum abſolutum revelationi *comminatoriæ* ex præſenti diſpoſitione, & præparatione cauſarum: ergo cum ex recto modo intelligendi Sacras litteras nihil ſit, vt Sancti Patres monent, prætermittendum, aut non attendendum, ali-

aliquid dandum est modo illi conditionato enuntiandi eventus futuros, provt non confuso cum modo absoluto affirmandi.

20 Inde contra tertiò: nam similis interpretatio adhiberi posset pro certa, & infallibili cognitione futurorum contingentium absolutorum dicendo: per revelationes absolutas de eventibus contingentibus nihil aliud denotari; quàm præparationem, & dispositionem causarum, nihil verò de futuris absolutis in se ipsis, cum quorum defectu absoluto tales affirmationes sunt compatibiles, quod quantum dedeceat divinas prædictiones, ex terminis ipsis se ostendit, & confirmari potest quoad speciem etiam adducto D. Thom. in repetito illo textu, quæst. 12. de veritate, articulo 7. ad 2. dicente: *Aliquid potest dici futurum non solum ex hoc, quod ita erit; sed quia ita est ordinatum in causis suis, vt sic sit futurum.* Vndè concludit, sæpè posse coniungi cum affirmatione vera de futuro absoluto defectus absolutus ipsius futuri, quod explicat exemplo medici prædicentis sanitatem futuram, qui non mentitur deficiente post sanitate: quia in causis erat ordinata, ad quas potissimè respiciebat enuntiatio futuræ sanitatis: videant ergo, an benè ipsis sit comprobare ex Divo Thoma cognitionem certam, & infallibilem futurorum contingentium absolutorum non constare ex Scriptura: verùm probabiliter posse eludi.

21 Hinc constat, quàm parum subsidij possint habere in verbis Divi Thomæ qui, quia loquitur de revelationibus absolutis per absolutam prophetiam debet ab ipsis interpretari, ne nimis probet, & absolutam scientiam futurorum in seipsis obscurare videatur; insuper recognoscant id, quod supra vrgebant, nimirum ex vna, aut altera particulari argui consequens vniversale, cum doctrinam particularem Angelici Doctoris in vna, aut altera revelatione velint facere communem omni revelationi, & quia vnam, aut alteram, in qua deficit eventus, intellexit veram secundùm dispositionem, & præparationem causarum, doctrinam extēdant ad quancumque assertionem divinam, in qua non concurrit simile motivum. Vnde potius confirmatur nostra, & communis sententia. Siquidem Angelicus Doctor ibi solum admittit appellationem veritatis assertionis supra dispositionem causarum, vbi eventus in se non est futurus: ergo vbi eventus in se sit futurus, veritas assertionis non modò respicit dispositionem; sed eventum in se ipso: ergo in omnibus illis assertionibus de futuro, in quibus ex Scriptura non constet defectus eventus, sive absoluti, sive conditionati, assertio divina respicit non modò dispositionem; verùm eventum in se ipso; ac proinde arguit scientiam infallibilem de obiecto futuro in se ipso.

22 Explico, & vrgeo: in futuris absolutis, vbi non probatur defectus futuri in *esse absoluti*, assertio absoluta probat cognitionem infallibilem Dei, non tantum quoad præparationem & dispositionem causarum; verùm quoad eventum in se ipso: ergo in futuris conditionatis, vbi non probetur defectus futuri conditionati, assertio conditionata probat cognitionem infallibilem Dei non tantum quoad præparationē causarum, & præsentem dispositionem; verùm quoad eventum conditionatum in se ipso: at de nullo eventu conditionatè affirmato in Scriptura constat oppositum, vel ostendant: ergo omnis affirmatio conditionata in Scriptura contenta convincit cognitionem infallibilē Dei, tàm quoad dispositionem, & præparationem causarum, quando hæc detur, ac quoad eventum conditionatum in se ipso. Vel aliter sub hac forma; affirmatio divina absoluta quoad futura absoluta, vt ex Scriptura constat potest coniungi, tum cum futuro absoluto, tum cum defectu illius: ergo affirmatio conditionata, & divina quoad futura conditionata, provt ex Scriptura constat, poterit coniungi ex se, tàm cum futuro conditionato, quàm cum defectu illius: At quia affirmatio absoluta potest coniungi cum futuro absoluto, Deus potest cognoscere futurum absolutum: ergo quia assertio potest coniungi cum futuro conditionato, Deus potest cognoscere futurum conditionatum: sed omne quod Deus potest cognoscere, semper ac tale est, cognoscit: ergo futurum conditionatum semper ac tale est, à Deo cognoscitur, & quidem infallibiliter, vt contingit in absolutis: ergo ex prædictionibus conditionatis de obiecto nobis libero, quæ in Scriptura continentur, su-

ſumitur argumentum irrefragabile pro ſcientia divina infallibili talium futurorum.

23 Non magis proficiunt per duas illas revelationes obiectas, vel quia abſolutè propoſita fuit mors Ezechiæ, & deſtructio Ninivitarum; vnde nihil pro revelationibus conditionatis argui poteſt, ad infirmandam certam cognitionem conditionatorum: & ratio mihi eſt manifeſta: Nam ſi quamvis cum ſint abſolutæ, & veritas ipſarum ſumenda ſit ex præſenti diſpoſitione cauſarum, non impediunt dari fundamentum firmum ex Scriptura ad probandam ſcientiam infallibilem Dei erga futura abſoluta ex prædictionibus abſolutis; vnde accipient vires ad enervandum fundamentum ex eadem Scriptura pro ſcientia infallibili conditionatorum? Sed ad ſummum efficient, quod ſicut inter abſolutas aliæ ſiſtunt quoad ſui veritatem in præparatione cauſarum; aliæ verò futura abſoluta in ſe ipſis enuntiant; ſic etiam in conditionatis aliæ erunt, quæ ſiſtant in diſpoſitione cauſarum pro ſui veritate, & aliæ, quæ enuntient futura conditionata in ſe ipſis, pro quibus diſtinguendis, eadem regula erit obſervanda, quæ deſerviat pro abſolutis; vel quia ex prædictis revelationibus nullus paravit effugium ad arguendum defectum notitiæ infallibilis futurorùm in Deo, quaſi inde moveri poſſet ſcrupulus contra ipſam; ſed potius ad infirmandam divinam veritatem *in dicendo*, in quo ſupponunt Deum conformiter ſcire; ſed diſconformiter loqui, quare ſtudium omnium eſt ſalvare veritatem loquutionis immemores argumenti, quod deſumi poſſet quoad certitudinem ſcientiç; ideo ſupponentes omnes ſcientiam infallibilem de defectu futuro eventus: alij recurrunt ad ſenſum conditionatum, licèt quoad ſpeciem verba eſſent abſoluta; alij ad præparationem, & diſpoſitionem cauſarum, vt ſic ſervetur ſenſus abſolutus, quem innuere videntur verba prolata.

24 Vel demùm: quia non eſt adeo firmum aſſertiones illas nō habuiſſe ſenſum abſolutum quoad eventum in ſe ipſo, & independenter à diſpoſitione cauſarum, qualiter explicat magnus Parens Auguſtinus, de Civitate, libro 21. capit. 24. apud Gaſparem Sanctium in caput 3. Lonæ, verba ſunt: *Ninivitæ in hac vita egerunt pœnitentiam, & ideo fructuoſam, velut in hoc agro ſeminantes, in quo Deus voluit cum lachrymis ſeminare, quod poſtea cum lætitia meteretur. Et tamen quis negabit, quod Dominus prædixit in eis fuiſſe completum, niſi parum advertat; quemadmodum peccatores Deus non ſolum iratus; verum etiam miſeratus evertat. Evertuntur enim peccatores duobus modis, aut ſicut Sodomitæ, vt pro peccatis ſuis ipſi homines puniantur, aut ſicut Ninivitæ, vt ipſa hominum peccata pœnitendo deſtruantur. Factum eſt ergo quod prædixit Deus; everſa eſt enim Nineve, quæ mala erat, & bona ædificata eſt, quæ non erat ſtantibus mœnibus, atque domibus everſa eſt Civitas in perditis moribus; ac ſic quamvis Propheta fuerit contriſtatus: quia non eſt factum, quod illi homines timuerunt illo prophetante venturum; factum eſt tamen quod fuerat Deo præſciente prædictum, quoniam noverat, qui prædixit, quomodo in melius eſſet implendum.* Ad cuius mentem *iudicarunt alij, Ionam in ſua intimatione vſum fuiſſe verbo quodam amphibologico quod in vtramque partem flecti poſſet. Etenim verbo ſubverto Hebraice correſpondet Haphac quod propriè vertere, aut convertere ſignificat, ſive in melius, ſive in deterius contingat.* Ita Author citatus. Ad cuius interpretationis normam explicari poteſt, Auguſtino Magiſtro, prophetia alia de morte Ezechiæ, taliter vt ipſi correſpondeat veritas quoad eventum in ſe ipſo, in quantum Ezechias, vel vt peccator, vel vt imperfectus fuerit extinctus, dum per pœnitentiam, & lachrymas ad meliorem vitam ſe contulit. Quod præcipuè locum tenet, ſi morbus immiſſus fuit Ezechiæ ad comprimendam elationem, quæ ex deletis Aſyrijs, aut ſuborta fuit, aut ſuboriri potuit.

25 Tertia ſolutio, quæ in præcedentem recidit, & magis explicat, ea eſt, quæ aſſerit in prædictis locis non contineri revelationem eventus contingentis conditionati ſecundum ſe conſiderati; ſed provt conjecturaliter, probabiliter, aut certò moraliter ex præſenti diſpoſitione cauſarū poteſt deduci. Quam expoſitionem confirmare tentant primò: quia ſæpè ponitur in huiuſmodi prædictionibus, vt conſtare poteſt percurrenti eas, quas propoſuimus particula *fortè*, vel *forſitan*, quæ non adhiberetur ſi eventus provt in ſe futurus enuntiaretur, quæque, & ſi non denotet ambiguitatem vllam ex parte Dei dicentis,

vt-

vtpotè benè penetrantis vim fundamentorum, ſine iudicio vllo tendente probabiliter coniecturaliter, aut certò moraliter in ipſum eventum futurum quomodo falſificari poſſet; eam tamen denotat ex parte obiecti quaſi hoc non ſimpliciter fore dicatur; ſed cum reſtrictione coniecturaliter, probabiliter, aut certò moraliter provt omnibus inſpectis circunſtantijs, ferunt cauſæ. Confirmant ſecundò iterùm confugientes ad revelationes de morte Ezechiæ, & de ſubverſione Ninivitarum, quarum veritas aliter ſalvari non poteſt, niſi intelligendo futuros illos eventus non abſolutè; ſed in vi cauſarum, quæ ſi non impedirentur ex ſe effectum illum inducerent.

26 Sed contra eſt primò: quia ſolutio non poteſt convenire omnibus aſſertionibus conditionatis, quæ in Sacro textu continentur; ſæpè enim conditio, aut potius inclinat in oppoſitum illius quod aſſeritur; vndè potius oppoſitum coniecturaliter, aut probabiliter deberet affirmari, aut eſt plenè indifferens: quomodo non eſt fundamentum, vt potius vnum, quàm alterum affirmetur, vt probari poteſt in revelatione illa de *tradendo Davide per inſidias Ceilitarum*; de *futuro lapſu* ſub conditione diuturnioris vitæ, & de *pœnitentia Tyriorum, & Sydoniorum* comparativè ad Iudæos, in quarum prima, & tertia maxima beneficia collata à Davide, & circunſtantiæ Idololatriæ, & vitiorum ex ipſa procedentium potius ſuadebant eventum oppoſitum, & in ſecunda diuturnitas vitæ ſimul cum aſſiſtentia gratiæ ex ſe non potius affert peccatum; quàm perſeverantiam in merito; præcipuè quando id refundi debet in libertatem Dei donandi auxilia ſufficientia præ efficacibus, quæ libertas Dei pleniſsimè indifferens eſt ad concedendum donum perſeverantiæ.

27 Contra ſecundò ſpecialiter in doctrina prædeterminantium, in qua omnis determinatio libera creaturæ eſt ex determinatione divina antecedente; vndè in omni revelatione de actione libera creaturæ intelligitur ex parte creaturæ actio non vtcumque; ſed vt prædeterminata per divinam libertatem, ideòque coniectura, probabilitas, aut neceſsitas moralis ſub conditione pro eventu non penſanda eſt duntaxat ex hypotheſi noſtræ libertatis ad determinationem ipſius; ſed ex hypotheſi libertatis divinæ ad dandam prædeterminationem requiſitam ad talem actionem; nam quid proderit cōiectura, aut probabilitas, aut neceſsitas moralis ſumpta ex parte libertatis creatæ ad eventum, dum ſimilis coniectura, probabilitas, aut neceſsitas non afficiat requiſita ad eventum, quale eſt phiſica prædeterminatio: iam dicant quid coniecturæ probabilitatis, aut neceſsitatis moralis poſſit dari ex parte libertatis divinæ ad conferendam prædeterminationem ad determinatum actum creaturæ potius quam defectum illius? ergo cum coniectura, probabilitas, aut neceſsitas debeat eſſe, omnibus circūſtantijs ad eventum perpenſis, ſi eis attentis, datur pleniſsima indifferentia, cur potius eventus; quàm eius oppoſitum erit ſub conditione manifeſtandum?

28 Tertiò: quia cum probabilitas vnius extremi ſecum componat probabilitatem oppoſiti ex communi, & vera ſententia, & inter gradus ipſos probabilitatis ſit magna diſtantia, ſicut in ipſa probabilitate reſpectivè ad neceſsitatem moralem, & in ipſa neceſsitate morali penes magis, & minus, aut in revelatione divina eſſent diſtinguendi hi gradus, aut obſcuriſsimæ redderentur; imo nec nimis de ipſis eſſet curandum, cùm quiſque poſſet intra ſe cogitare, pro veritate huius prædictionis ſufficit probabilitas eventus, quæ cum æquali probabilitate ad oppoſitum eſt componibilis: manemus ergo poſt prædictionem nō magis ſecuri de eventu ſub conditione; quàm de eius oppoſito, quo quid abſurdius pro authoritate Dei revelantis, qui ſine authoritatis ſuæ diſpendio poſſet adiungere revelationi: *Hoc tibi manifeſto; ſed pari iure poſſem tibi oppoſitum enuntiare*? Egregia ſane revelatio Dei ſumme ſcientis.

29 Quartò: quia ſi prædictiones divinæ conditionatæ non aliam poſſent habere veritatem; quàm coniecturalem, fœliciores eſſent homines quoad prædictionem futurorum conditionatorum, quàm ipſe Deus. Ratio eſt: quia homines ſæpè, cognita natura, & conditione hypotheſis, & circunſtantiarum rogati de illo eventu conditionato in ſe ipſo, & non tantum in coniecturis, & fundamentis poſſent ſecundum prudentiam affirmare eventum in ſe ipſo; quod Deus facere non poſſet nè exponeretur pe-

periculo falsitatis: quare rogatus Deus de illo eventu fileret, qualiter non fileret homo; imo potius silente Deo, homo posset insistere asserendo; quamvis Deus nil sciat de eventu illo in se ipso; ego te securum reddo de illo sub existentia conditionis, vt probabit eventus: Quod si eventus ita existeret purificata conditione, iam homo habuisset notitiam veram, quam Deus, neque in se, neque in equivalenti omni sua scientia potuit habere.

30 Quintò: Nam scientia ista coniecturalis est argumentum irrefragabile scientiæ certissimæ futurorum conditionatorum: ergo per solutionem scientiæ coniecturalis non enervatur notitia certa, & infallibilis conditionatorum. Assumptum probo: Scientia illa coniecturalis repræsentat fundamenta, vt coniungibilia in re cum eo quod suadent; aliàs si vt taliter coniungibilia non proponerentur, neque esset æstimanda eius inclinatio, aut necessitas ad eventum, neque vllius ponderis reputarentur, quare non magis *coniecturæ*, quàm *non coniecturæ*, *probabilitas*; quàm *non probabilitas*, *necessitas*, quàm *non necessitas* iure dicerentur: ergo non repugnat ita conditionatè coniungi cum eventu, vt ad illum inclinant, aut illum inferunt; sed id quod non repugnat, eo modo quo non repugnat, potest existere: ergo illa coniunctio, quæ non repugnat, potest existere; existat ergo vt potest, iam tunc non erit tantum vera inclinatio, aut necessitas fundamentorum ad eventum; sed coniunctio inclinationis, & necessitatis cum eventu: sed omne, quod est verum, debet à Deo cognosci, ne sit ignorans: ergo coniunctio illa, quando sit, debet à Deo cognosci, & pariter, quando non sit, debet à Deo cognosci: cum idem argumentum fieri possit pro negativo, ac pro affirmativo: sed hoc est formalissimè cognoscere futura conditionata in se ipsis, propterea quod non sit tantum cognoscere inclinationem, probabilitatem, aut necessitatem eventus; verùm cuniuctionem inclinationis, probabilitatis, aut necessitatis cum eventu in se ipso: ergo scientia ipsa coniecturalis tradita pro solutione ad evadendam notitiam divinam certam, & infallibilem conditionatorum eam potius confirmat.

31 Sextò ex his, quæ congerit Izquierdo, & contra se proposuit Godoy sub nomine Recentiorum, eá vt benè excogitata laudans. Inquit enim, vt etiam notavit Ribadeneyra, hanc interpretationem, vel eo solum debere viris Theologis Catholice sentientibus esse minus gratam, quo cum nullum pro se habeat ex Patribus Patronum; tamen habuit Calvinum, cui maximè arrisit, vt apta ad enervandum argumentum ex his prædictionibus desumptum pro libertate humana, quomodo testatur Stapletonius in Antidoto ad caput 11. Mathæi addens, hanc interpretationem esse appertissimam verbi divini corruptelam, in quo videtur nō excessisse, si attendatur; tunc quod si prædictiones divinæ conditionatę non ad futuritionem eventus in se, quam expresè enuntiant; sed ad eius *probabilitatem*, aut *moralem necessitatem*, quam secum fert dispositio causarum, & hypothesis, essent referendæ, eodem titulo prædictiones, & revelationes absolutæ non ad eventum absolutum in se; sed ad eius probabilitatem, aut infallibilitatem moralem, considerata dispositione causæ, referri possent. Vnde tota Scripturæ Sacræ, & divinārum loquutionū Authoritas corrueret, cùm nihil ex verbo Dei certum in se ipso possemus credere; siquidem veritas divinæ assertionis cum defectu illius benè componeretur; propterea que de cunctis contingentibus in Scriptura revelatis nihil aliud præter coniecturam, probabilitatem, aut necessitatem moralem possemus firmiter credere, cum ad reliqua deficeret Authoritas summa Dei revelantis, ex qua firmitas nostræ fidei specificatur.

32 Tum: Nam cum diversa veritas sit, quæ correspondet eventui futuro in se ipso, ac quæ correspondet coniecturæ, probabilitati, aut morali necessitati ipsius, vt patet ex separabilitate ipsorum, ex qua contingere potest, quod detur coniectura, probabilitas, aut necessitas moralis alicuius eventus, & non detur eventus in se; sicut à contrario in nobis multa sunt, aut erunt in re, quin nobis detur veritas probabilitatis, aut infallibilitatis moralis, vt sint de præsenti, aut de futuro; nec satis à Deo provisum fuisset in suis loquutionibus, si vtrumque sub eisdem vocibus confunderetur, quin apud nos esset signum aliquod, ex quo cognoscere possemus, quando divina loquutio ferebatur in ipsum eventum; quando verò in solam pro-

probabilitatem, aut infallibilitatem moralem ex dispositione causæ, quo distinctivo secluso; aut loquutiones divinæ non essent attendendæ, aut si attenderentur, maneret Deus expositus, vt apud homines notam mendacis, & decipientis incurreret ex eo, quod res non contingerent, sicut ab ipso apparebant assertæ.

33 Vlterius cuique integrum foret prophetare, provt voluisset absque periculo vllo, vt per oppositum rei assertæ de falsitate prædictionis posset cōveniri: etenim maneret ipsi recursus expeditissimus ex prædictione effectus non absolutè in se; sed restrictè ad probabilitatem, aut infallibilitatem, quam de se ferebant causæ, & circunstantiæ: Propterea deficeret etiam signum; vnde falsus propheta discerni posset à vero, quale constituitur Deutheron. 18. *Hoc habetis signum; quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit; hoc Dominus non est loquutus; sed per tumorem animi sui Propheta confixit*, ex prompta excusatione confirmata ex Deo veracissimo in suis dictis, in cuius assertionibus defectus rei in se non est argumentum falsitatis prædictionis absolutè proponentis aliquid contingenter eventurum; daretur ergo omnibus facultas impunè prophetandi, quam proposuit Augustinus, libro de vnitate Ecclesiæ, capit. 9. inferens: *Hoc modo quisquis voluerit, potest esse Propheta.*

34 Horum non esse adeo magnam vim inquit Godoy, vt eis per contrarios non possit probabiliter satisfieri, dicendo: Ad paritatem assertionum absolutarum esse diversissimam rationem inter absolutas, & conditionatas ex eo, quod *absolutæ* nullum habeant titulum, vnde limitentur ad eum sensum restrictum, cum futura absoluta habeant determinatam veritatem, ex quo propositiones absolutæ, & assertiones absolutæ tendentes in ipsa fine iure limitarentur; non sic in assertionibus conditionatis, in quibus defectus ipse veritatis determinatæ, quem habent in se ipsis, est limitativum assertionis, & prædictionis conditionatæ, vt ad solam probabilitatem, aut infallibilitatem moralē ex parte causæ, quomodo tantùm possunt habere veritatem, restringantur. Ad alterum de signo adhibēdo pro discretione assertionis cadentis duntaxat supra probabilitatem, coniecturam, aut infallibilitatem respectivam ex parte hypothesis, & circunstantiarum posse dici sufficientem discretionem imbibi in ipsis assertionibus ex eo, quod aliæ sint *conditionatæ*; aliæ vero *absolutæ*: vnde colligi potest singulas esse accipiendas pro modo, quo possunt esse verę; assertiones autem conditionales aliam non possunt habere veritatem, quam probabilitatis, aut infallibilitatis moralis. Ad vltimum de vero, & falso propheta, & ad regulam traditam, nè quoad nos confundantur, inquit, posse responderi: Verum prophetam prædicentem futura absoluta, à falso distinctum probari per exequutionem eventus; at prædicentem conditionata non per eventum, posita conditione, quia non prædicit, vt omnino certum futurum, sed per dispositionem causarum, quam respicit, & in qua fundatur coniecturalis cognitio, aut cognitio moraliter certa. Addit vlterius regulam illam non esse vniversalem pro omni prædictione prophetica, vt probat prophetia comminationis, quæ non est cum eventu connexa infallibiliter. Ideo si detur casus, in quo verus, & falsus propheta aliquid comminatorie prædicant, vt contingere valet; tunc rei eventus non poterit vnum ab altero distinguere, cum vterque enuntiet rem non eventuram; distinguerentur ergo ex eo duntaxat, quod verus prædicit iuxta causæ dispositionem, quæ in re est, & benè cognoscit; at alter, vel secundum dispositionem, quæ in re non est, vel, quæ si sit ab ipso perfecte non cognoscitur.

35 Cæterum hæc non sunt tanti momenti, vt virum doctissimum in favorem absolutæ sententiæ movere debuissent. In primo enim clarissimè supponit probandum, & ansam præbet, vt quisque iudicij proprij tenax, non mentem suam Scripturæ subijciat; sed potius Scripturam propriæ sententiæ accommodet, quod vt adversum sinceræ expositioni, & intelligentiæ Sacri textus præcautum esse vult Augustinus, libro 1. de Genesi ad litteram, capit. 18. ibi *Non pro sententia Scripturæ; sed pro nostra ita dimicantes, vt eam velimus Scripturæ esse, quæ nostra est, cum potius eam, quæ Scripturarum esse comperta fuerit, nostram esse velle debeamus*, quæ an congruant præsenti Scripturarum interpretationi, alij viderint; ego tamen id agnosco, quod cum prædictiones Scripturæ proponentes futu-

turum conditionatum, vt tale in ſe ipſo, & ſub generaliſsimo modo affirmandi eventum ſine reſtrictione vlla ad fundamenta, & cauſas, aſſumantur pro medio ad ſtatuendam notitiam infallibilem Dei, ac proinde veritatem determinatam futuri conditionati contingentis in ſe ipſo; ſolutio adhibita eſt, id inde non poſſe probari, quia futura conditionata contingentia nullam habent veritatem determinatam in ſe ipſis: quomodo ſuppoſita aliunde ſententia, Scripturæ ſenſus in favorem ſententiæ prius firmiter conſtitutæ pro arbitrio ſentientis trahitur. Niſi velit Sapientiſsimus Magiſter doctrinam cõtrariam tantum evehere, vt vſque ad evidentiam deducat. Quo ſolum caſu rectus eſſet hic modus intelligendi Sacras litteras ex alia regula Auguſtini, Epiſt. 7. ad Marcellinum, dicentis: *Si ratio contra divinarum Scripturarum authoritatem redditur, quàmlibet accuta ſit, fallitur veriſimilitudine; nam vera eſſe non poteſt; rurſus* (attende) *ſi manifeſtæ, certæque rationi, velut Sanctarum Scripturarum obijcitur authoritas; non intelligit, qui hoc facit, & non Scripturæ ſenſum ad quem penetrare non potuit: ſed ſuum potius obijcit veritati, nec quod in ea; ſed quod in ſe ipſo; velut pro ea invenit, opponit.* Nos igitur doceat Illuſtriſsimus, quæ ſint illa argumenta validiſsima contrariæ ſententiæ, quæ impediant, vt modus ille abſolutiſsimus prædicendi in Sacro textu expreſſus ea temperet, & ad ſe trahat, cogentiaque, vt ſenſus Scripturæ ad ipſorum vim temperetur.

36 Eundem defectum incurrit in ſecundo, vbi niſi ſupponatur ſententia, attenta ſola Scripturæ Sacræ authoritate, nullus erit modus diſcretionis inter aſſertionem eventus in ſe ipſo, & aſſertionem eventus in ratione probabilis, & infallibilis moraliter. Imo inde reviviſcit paritas obiecta prædictionum abſolutarum, in quibus idem tenor intelligentiæ erit obſervandus, & dicendum, quod niſi aliunde cõſtaret veritas determinata futurorum contingentium abſolutorum, inſpectio prædictionis abſolutæ illorum non eſſet fundamentum, vt potius prædictio tenderet in ipſum futurum abſolutum, quàm in probabilitatem, aut infallibilitatem moralem ipſius. Patet illatio: Nam modus ille tendendi prædictionis, qui ſonat affirmationem eventus in ſe ipſo non eſt ſufficiens ad inferendum ſic affirmari, vt conſtat in prædictionibus conditionatis, in quibus hoc fundamentum nullius roboris eſt: ergo aliquid amplius eſt inveſtigandum, vnde colligatur ſenſus prædictionis abſolutæ, vt relinquitur inermis ex ſe probatio ab Scriptura pro prædictionibus abſolutis, & notitia certa, & infallibili divinæ mentis talium eventuum in ſe ipſis: Præterquamquod non video ſuppoſita illa doctrina quoad prædictiones conditionatas quid prohibeat Divinam loquutionem abſolutam contineri intra terminos affirmationis reſtrictæ ad ſolam affirmationem diſpoſitionis cauſæ, & probabilitatis, aut infallibilitatis inde ortæ: Nam quod futurum abſolutum habeat determinatam veritatem præcisè probat loquutionem prædicentem abſolutè poſſe habere ſenſum abſolutum quoad ipſum; id autem ſufficiens fundamentum non eſt, vt divina loquutio ſemper talem ſenſum debeat reſpicere, vt patet in loquutione amphibologica, quæ illum ſenſum, ex quo deluditur audiens poteſt habere, neque ideo illum defacto habet, aliàs mendax probaretur, nec ſufficeret habere alium ſenſum verum.

37 Quod vehementius vrget in revelatione comminatoria, quæ tam in vſu eſt contrarijs; hæc enim tendit abſolute, & eventus, in quem tendit, & provt in ſe ſignificat, poteſt habere determinatam veritatem, vtpotè, qui eſt de linea futuri abſoluti, & tamen per te aliquando ſiſtit in ſola affirmatione eventus abſoluti reſpectivè ad diſpoſitionem cauſæ, & coniecturam, aut infallibilitatem, quæ inde ſumitur ſine periculo vllo mendacij, & falſitatis in loquendo, vt conſtat in illis repetitis prædictionibus abſolutis *morieris enim tu, & non vives: adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*: ergo quod futura abſoluta habeant ex ſe determinatam veritatem in ſe ipſis non impedit, quod ſemel verificata prædictione conditionata per reſpectum ad cauſam, & diſpoſitionem, poſsint etiam prædictiones abſolutæ in eodem ſenſu accipi, tàm ex parte Dei prædicentis, quam ex parte hominum audientium. Vnde conſurget corrupte la illa ponderata divinæ loquutionis.

38 Non minus arbitrariè videtur procedere in tertio, accommodando ſignum illud diſcretivum veri, & falſi prophetæ traditum ab ipſo Deo ſenſui ſententiæ, cui opitulatur, cum generaliſ-

liſsimè ſit prolatum, nec parum mirabile in explicatione eſt, quod cùm illud ſignum directum ſit ad homines pro omni prophetia, & prædictione reſtringatur ad diſpoſitionem cauſarum ſemper, aut fere ſemper ipſis incognitam, & improbabilem; aſt mirabilius adhuc, quod poſita prædictione conditionata, & purificata conditione per coexiſtentiam eventus cum ipſa ſiniſtrè arguerent veritatem prædictionis, ſicut per coexiſtentiam defectus illius eventus cum conditione ſiniſtrè etiam deducerent, & præter intentum ſigni traditi falſitatem prædictionis, qua ratione contemnitur, & conculcatur communis omnium apprehenſio, quæ in omni materia efficaciſsimum argumentum eſt, in obſequium illius amabiliſsimæ ſententiæ: intelligatur ergo ſignum illud vniverſaliter de eventu in ſe ipſo, tàm quoad prædictiones abſolutas, quàm quoad conditionatas, & debeant Sapientiſsimo Magiſtro multi, & doctiſsimi domeſtici, & exteri, quod debuerunt pauci. Verùm fatale eſt proceribus oſtendere potentiam, in minimis ſuſcitando de terra inopes, vt in meliorem erigant fortunam.

39 Fundamenta ad enervandam vniverſalitatem regulæ, & ſigni diſcretivi inter verum, & falſum prophetam neſcio, an intentum ſuadeant. Nam prædictiones commina toriæ, & ſi terminis abſolutis proponantur; ex communi tamen modo ſignificandi reddunt ſenſum conditionatum, tam in divinis, quàm in humanis: quia ex ſe diriguntur ad corrigendos mores ſub imminentia mali implicita conditione, niſi emendentur: ſic videmus intelligi, & accipi comminationes Patrum in Filios, & Superiorum in Subditos, quæ licèt proferantur abſolutè, nihilominus, quia ex ſe ordinantur ad evitationem ſuplicij comminati; quamvis id non eveniat mutatis moribus, & filijs, & ſubditis ad recta mutatis, nullus eſt qui arguat falſitatis; non quidem per reductionem ad diſpoſitionem cauſarum; ſed ex defectu conditionis implicitæ, ſub qua prædictum fuit malum pœnæ: Vnde nihil mirum, quod ex defectu eventus ſub defectu conditionis non poſsit argui falſitas; aſt argueretur benè, ſi purificata conditione ſubintellecta, non exiſteret malum comminatum, ſicque diſcerneretur per ſignum vniverſale verus propheta à falſo.

40 Senſum dictum conditionatum eſſe proprium comminationum probat id, quod vel ipſis Barbaris Ninivitis fuerit compertus; nam provt refert caput 3. Ionæ poſtquam Prophetа prædicare incepit, & divinam comminationem promulgavit vſque ad Regis notitiam credentes omnes in Deum inducti ſunt ad pœnitendum, necnon de Regis mandato indictum fuit ieiunium tam generale, vt bruta etiam comprehenderet addita exhortatione ad Populum, vt à peccatis recederet ſimul cum expreſsione motivi impellentis, ſcilicèt, vt leniretur divinus furor, quomodo explicat Sacer textus, per hæc verba: *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum, & veſtiti ſunt ſaccis à maiori vſque ad minorem, & pervenit verbum vſque ad Regem Ninive, & ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. Et clamavit, & dixit in Ninive ex ore Regis, & Principum eius, & dicens: Homines, & iumenta, & bobes, & pecora non guſtent quicquam, nec paſcantur, & aquam non bibant: & operiantur ſaccis homines, & iumenta, & clament ad dominum in fortitudine, & convertatur vir à via ſua mala, ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum. Quis ſcit ſi convertatur, & ignoſcat Deus, & revertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus*, vide in commination quoad modum abſolutiſsima præconcepram in Ninivitis ſpem evadendi ſuplicium per pœnitentiam, & rurſus intelligentiam comminationis dependentis ad inferendum ſuplicium à defectu clamoris validi, ſeveriſsimæ pœnitentiæ, & efficacis deteſtationis ante actorum.

41 Eandem perſuaſionem in propheta confirmant, quæ referuntur capite 4. de afflictione Ionæ, quia non eſſet perducta ad exitum comminatio, vnde nutare poterat Authoritas Prophetæ apud Ninivitas. Inquit enim Sacer textus, *& afflictus eſt Ionas afflictione magna, & iratus eſt, & oravit ad Dominum, & dixit obſecro Domine, numquid hoc non eſt verbum meum, cum adhuc eſſem in terra mea? Propter hoc præoccupavi, vt fugerem in Tharſis. Scio enim, quod tu Deus clemens, & miſericors es, patiens &*

multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitia. Iudicabat ergo Propheta bene componi cum modo illo abſoluto comminandi ſine labe divinæ Authoritatis in dicendo, defectum mali comminati ſi per pœnitentiam, & preces Dei voluntas flecteretur per ſenſum conditionatum illius, & dependentem in inferenda pœna à purificatione conditionis; ſub qua erat decreta.

41 Exemplum illud adductum de propheta vero, & falſo convenientibus in comminando non magis infringit vniverſalitatem regulæ in diſcernendo per eventum vnum ab altero, ac ſi ego propoſuiſſem ad infirmandam regulam eandem admiſſam à reſpondente pro diſcernendis prophetijs abſolutis, & non comminatorijs ex eventu, quo ſæpè poteſt contingere, vt per accidens conveniat in eadem aſſertione vera, Propheta verus, & falſus: quomodo ſæpè per accidens contingunt, quæ de futuris aliorum libertati ſubiectis enuntiant dœmones, & eorum fautores, quo caſu etiam in aſſertione abſoluta, & non comminatoria non poſſet diſcerni verus propheta à falſo ex eventu, qui ex æquo vtrique prædictioni correſponderet; quare ſicut reſpondebit id eſſe omnino extra ſenſum illius regulæ adhuc vniverſaliter acceptæ quoad prophetias abſolutas, & non comminatorias, nec probari ex hoc capite reſtrictionem illius cuius intelligentia recta debet eſſe, quod ſi aliquando conveniant per accidens in prædicendo verum, propheta verus, & falſus, tandem veritatem vnius, & falſitatem alterius probabit eventus ex providentia Dei ſic diſponentis, vt ſibi non faciat fidem, qui eam non meretur: pariter nos dicemus ad caſum obiectum, eum non minuere generalitatem regulæ etiam pro revelationibus comminatorijs: Nam ſi aliquando conveniat per accidens propheta verus, & falſus in comminando ex defectu purificationis conditionis; quam implicite reſpiciebat eventus aſſertio, tandem in ipſis aſſertionibus comminatorijs probabit eventus veritatem, & falſitatem vnius, & alterius, ex eo quod ſub purificatione conditionis non reſpondeat in vno; reſpondeat vero in altero, vt ad providentiam divinam attinebit, ne ſibi conciliet authoritatem falſus propheta.

43 Ad fundamenta adverſariorum propoſita initio tertiæ ſolutionis; quod attinet ad prædictiones comminatorias, quibus connantur firmare ſuam ſententiam, non eſt amplius immorandum, cum ſatis dixerimus de ſenſu illarum, & quomodo independenter à diſpoſitione cauſarum, & probabilitate, aut infallibilitate eventus inde proveniente habeant veritatem. Reſtat aliud de particulis dubitativis *fortè, forſitan* aliquando adiunctis prædictionibus conditionatis cui prompta, & varia eſt ſolutio non pro arbitrio; verùm ex ſanctis Patribus eruta: ſit prima Sancti Hieronymi dicentis prædictas particulas non ob aliud apponi; quàm ad denotandum eventum illum, & ſi eo modo quo prædicitur infallibiliter ſit extiturus, non ideo contingere neceſſario, & cum præiudicio humanæ libertatis; ſed tam liberè ac ſi prædictum non foret: Ita exponit illud Ieremiæ 26. (*Noli ſubtrahere verbum, ſi forte audiant*) inquiens: *Verbum ambiguum* (forſitan) *maieſtati Domini convenire non poteſt; ſed de noſtro loquitur effectu, vel affectu, vt liberum homini ſervet arbitrium, nè ex præſcientia eius quaſi ex neceſsitate facere aliquid, vel non facere cogatur*: vt repetit ad illud Lucæ 20. (forſitan cum hunc viderint) dicens: *Vt ex ambiguitate ſententiæ, & ſuſpenſione verborum liberum hominis monſtraret arbitrium.* Eandem intelligentiam retinent Theodoretus, Chryſoſtomus, Theophilactus, Euſebius, Hugo Cardinalis, & Abulenſis videndi apud Ruiz, diſput. 41. de Scientia, ſect. 4.

44 Secunda Sancti Auguſtini exponentis prædictas particulas non de ambiguitate vlla; ſed de increpatione, quam dicit ſignificare, conſtat ex tractatu 37. in Ioannem, columna 2. ibi: *Ille qui omnia ſcit quando dicit forſitan, non dubitat; ſed increpat* (attende) *quomodo increpative dicatur ipſum forſitan, quod videtur eſſe verbum dubitationis. Sed dubitationis verbum eſt quando dicitur ab homine ideo dubitante, quia neſciente, cum vero dicitur à Deo verbum dubitationis, cum Deum nihil vtique lateat; illa dubitatione arguitur infidelitas, non oppinatur divinitas.*

45 Tertia S. Ambroſij aſſerentis

par-

particulas *fortè*, & *forsitan* non esse dubitantis; sed affirmantis in Scriptura Sacra, vt probat exprofesso libro 2. de pœnitentia fere toto capite 5. & confirmari potest ex Psalmo 54. in quo iuxta vulgatam translationem dicitur in quodam versu: *Nam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique; & si is, qui oderat me super me magna loquutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo*, cum in græco in vtraque parte particula habeatur, quam latinus interpres, iam *vtique*, iam *forsitan* exponit, æstimans illam, vt maximè affirmativam.

46 Præterea vt liquido constet, quàm parvi momenti sint prædictæ particulæ adiunctæ ad indicandam ambiguitatem intentam à contrarijs notandum est, eandem sententiam in Scriptura iam legi, adhibita ea particula, iam omissa, vt Matthæi 23. & Marci 12. dicitur sine *forsitan*: *verebuntur Filium meum*, cum apud Lucam 10. eidem sententiæ adiungatur. Quem morem observans Divus Augustinus sæpè in expositionibus dictas particulas omittit, nihil de ipsis curans, & reputans affirmationi simpliciter tali nihil detrahere. Ita ad illa verba Geneseos, capite 3. *Ne forte mittat manum suam*; & de Genesi ad litteram, libro 11. capite 4. & Ioannis 4. ad illa verba: *Tu forsitan petijsses ab eo*. Advertendum etiam nonnunquam apponi vbi locus non est ambiguitati, adhuc consideratæ ex parte obiecti; v. g. Ioannis 8. *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis*; & Ieremiæ 5. *Ego autem dixi: forsitan pauperes sunt, & stulti*, quæ cum ad scientiam absolutorum pertineant, neque ex parte obiecti ambiguitatem, vel apud ipsos adversarios possunt habere: considerandum insuper Sacras litteras non recedere in modo se explicandi à loquutionibus vulgaribus inter homines, sicut nec à proverbialibus, & figuratis eisdem frequentibus: constat autem inter homines dictas particulas adhiberi, quando non ambiguè; sed determinatissimè rem significant; v. g. quando homini, quem alij reverentur, aut propter fortitudinem, aut propter Authoritatem refertur, aliquid in eius absentia iniquè gestum, aut aliquem vulneratum, & violenter oppressum; respondetque: *Aliter forsan res contigissent, si ego adfuissem*, & in alijs similibus loquutionibus, quas quisque observare facile poterit ex communi modo loquendi.

47 Ad extremum, vt dicta hucusque magis roborentur, & solutionis additus omnino præcludatur, habenda semper est præsens regula, quam pro recta intelligentia Scripturarum ex Ticonio accepit, & probavit Augustinus, libro 3. de Doctrina Christiana, capite 10. & 18. scilicèt verba Sacra, vt sonant, & cum omni proprietate accipienda esse, nisi absurda clarissima, ex rigoroso sensu emanantia ad impropriam, & translatitiam acceptionem impellant. Vnde cum memoratæ prædictiones, & aliæ similes, quæ in Sacris litteris continentur, provt sonant, & in proprio, & rigoroso sensu acceptæ, eventum re ipsa in se futurum iudicent; neque fundamenta in contrarium adducta talia sint, vt ad Angustias alicuius absurdi inevitabiliter devorandi cogant; imo potius ex terminis ipsis divinam scientiam minuere videantur, taliter vt vel ex hoc solo capite à multis doctissimis viris despiciantur; ab alijs verò duntaxat ad gradum aliquem probabilitatis afferantur, absurdum esset, & contra rectum modum intelligendi Scripturas, eas, relicto sensu proprio, & rigoroso ad translatitium, & improprium deducere, vt faciunt, qui tales prædictiones conditionatas non de eventu conditionato in se ipso; sed in causa, & dispositione *probabiliter*, aut *moraliter* tantum assertum exponunt: stet ergo firmissimè scientiam infallibilem divinam de futuris conditionatis nobis liberis rectè ex prædictionibus conditionatis Scripturæ, & efficacissimè comprobari.

48 Hæc si considerare voluisset perdoctus Magister Palanco, non tam absolutè, & rotundè improbasset efficaciam fundamentorum, quibus Authores nostri conantur eruere ex Scriptura cognitionem divinam, certam, & infallibilem futurorum contingentium conditionatorum; sed mitiùs loquens cum Godoy aliquam ad summum agnovisset probabilitatem in eis solvendis, tandemque adhibita explicatione cum ipso, quæ etiam est apud nostros, reiectæ efficaciæ cessisset: At vt propria non amet, despiciens aliena, vocemus ad trutinam motiva efficaciss-

ma huius doctissimi Magistri, quibus impellitur ad asserendam cognitionem infallibilem quoad eventum talium futurorum ex Sacris litteris.

49 Probat primò: quia de facto dantur in Deo, & in Scriptura plures promissiones conditionatæ: sed promissio divina conditionata stare nequit sine futuritione omnino infallibili evētus sub ea conditione, sub qua promittitur: ergo aliqui eventus sunt futuri conditionatè futuritione omnino infallibili, & consequenter, vt taliter futuri cognoscuntur à Deo. Maior de Fide est: docet enim Gatholica Fides, Deum hominibus promisisse gloriam sub conditione finalis perseverantiæ: gratiam sub conditione contritionis, & attritionis in Sacramento, & innumeræ aliæ promissiones, quibus plena est Sacra pagina, & quibus nititur spes nostra. Minor verò etiam patet, quia si prædictæ promissiones non fundarent futuritionem omninò infallibilem eventus promissi, posset contingere adhuc purificata conditione, quod res promissa non eveniret: Hoc autem est impossibile metaphisicè, quia aliàs Deus infidelis esset, & promissio non staret, quod est maxima imperfectio omnino Deo repugnans: ergo prædictæ promissiones fundant futuritionem omnino infallibilem eventus promissi.

50 At qualis erit efficacia discursus, cui multa, quæ sub lite sunt, vix sufficiunt, vt aliquid probet? Quid si in Deo negetur ratio strictæ promissionis paritate ducta ex iuramento stricto, quod in Deo non reperitur iuxta plures dicentes tantum metaphoricè dici de Deo: confundetur quidem promissio cum assertione conditionata eventus sub hypothesi? Sed per te assertio conditionata eventus in Scriptura nihil probat pro infallibili futuritione, & cognitione ipsius: ergo neque conditionata promissio. Quid si quamvis admittatur promissio stricta in Deo, respondetur hoc esse intelligendum secundum præsentem dispositionem libertatis Divinæ, sicut à te dicitur, assertiones conditionatas exponendas esse secundum præsentem dispositionem causarum, quod præcipuè locum tenere potest in sententia probabili admittente in Deo necessitatem moralem ad extremum suæ libertatis? Quid si dicatur: Promissiones illas, & si sonent esse conditionatas; tamen esse in re absolutas respectu omnium, qui defacto habent perseverantiam finalem, & qui defacto eliciunt contritionem solam, aut attritionem cum Sacramento; sicut in materia de fide dicunt multi illam revelationem vniversalem: *Omnis rite electus est verus Pontifex*, esse absolutam tantum respectu omnium, qui defacto erunt Pontifices, & erunt ritè electi; quin conditionatè comprehendat alios; neque valere à veritate absoluta ad conditionatam, vt tenent aliqui ex sua Schola definientes futurum conditionatum sub his terminis: *Id quod nunquam erit; esset tamen, si ponetur aliqua conditio*? Inde nec Deus deficeret in promissis; neque spes nostra laberetur, sicut in Schola ipsius non debilitatur ex defectu prædeterminationis ad bonum; quam Deus, neque nobis in particulari promisit, neque in nostra manu est acquirere, & sicut apud Doctores non ignobiles eiusdem stat firmitas spei nostræ absque sufficientia in re, & absque potestate eam acquirendi, super quæ videatur Illustrissimus Godoy, disputat 70. in primam part. num. 70. cuius verba sunt iure ad intentum animadvertenda.

51 Probat secundò: Nam licèt plures prædictiones propheticæ conditionales possint intelligi de futuritione tantùm coniecturali præcipuè illæ, quibus prædicuntur à Deo nostri actus liberi, vt à nobis eliciendi; nihilominus ea loca Scripturæ, in quibus Deus prædicit plura, quæ ipse faceret sub aliquibus conditionibus ægrè explicantur de futuritione morali, aut coniecturali, & quidem difficillimum, & incredibile apparet nihil prædixisse sub conditione indifferenti, vt futurum futuritione omninò infallibili in tota Scriptura; cum tamen id supponatur possibile, & absque vllo inconvenienti: ergo id defacto negandum non est, & asserendum inter divinas prædictiones plures respicere futuritionem conditionatam eventus omninò infallibilem ex divino decreto, sicut non omnes revelationes absolutas esse de futuritione naturali, aut ex ordine causæ secundæ; sed aliquas de futuritione infallibili ex divino decreto.

Et

52 Et quidem non magis efficaciter: nam si incredibile apparet, Deum nihil prædixisse ex conditionatis sibi liberis sub conditione indifferenti, vt futurum futuritione omnino infallibili; cur incredibile non apparebit nihil prædixisse ex conditionatis nobis liberis, vt futurum futuritione infallibili in tota Scriptura? Deinde, si ex hac persuasione movetur, vt omnia loca, quæ exprimunt futuritionem conditionati liberi Deo, asserat cõtinere futuritionem omninò infallibilem eventus conditionati, cur similis persuasio non erit fundamentum, vt textus omnes, qui exprimunt futuritionem conditionati nobis liberi, intelligi debeant de futuritione omninò infallibili? Contra insuper: quia sicut moralis necessitas, aut coniectura circa eventum sub hypothesi est explicabilis sine veritatis præiudicio per tendentiam conditionatam; quare æqualis probabilitas, aut contingentia proxima æqualis conditionati sub hypothesi ex æquali motivo allicienti, & retrahenti, non erit explicabilis per tendentiam conditionatam erga eventum? sed hæc æqualis probabilitas, aut æqualis indifferentia, & contingentia proxima eventus sub hypothesi non aufert indifferentiam plenam libertatis divinæ: ergo ea non obstante, Scripturæ testimonia, quæ loquuntur de conditionatis Deo liberis, poterunt intelligi de futuritione non absoluta, & omnino infallibili.

53 Probat tertiò: quia in Scriptura revelatur futurum disparatum omninò infallibile sub conditione: ergo multò melius credendum est revelari plura conditionata conducentia, vt infallibiliter futura. Antecedens patet ex illo Regum 4. capite 13. *Si percussisses quinquies, vel sexies terram, percussisses Syriam vsque ad consummationem*, quod intelligi non potest de futuritione conditionata coniecturali, aut morali, cum conditio nullam connexionem importet, nec coniecturalem, nec moralem cum conditionato; sed potius sit omnino disparata: ergo intelligendum est de futuritione omnino infallibili. Consequentia patet: quia potius decet Deum habere decreta conditionata de eventibus sub conditionibus conducentibus ad conditionatum, quàm de disparatis; ac proinde si defacto habet decretum sufficiens ad veritatem infallibilem conditionati disparati, cur negabitur Deum habere defacto decreta sufficientia ad futura conditionata de conditione conducente, vt nimirùm sint infallibiliter conditionatè futura.

54 Non benè ipsi erit, discursum istum esse efficacem; cum tota eius efficacia refundatur in efficaciã nostræ probationis. Sic suadeo: per te ex revelatione in Scriptura futuritionis conditionatæ disparatæ omninò infallibilis infertur, Deum revelare in Scriptura futuritionem conditionatam pertinentem omninò infallibilem: sed non alijs locis in Scriptura revelavit futuritionem conditionatam pertinentem; quam illis propositis ab Schola Societatis: ergo in illis continetur revelatio futuritionis conditionatæ pertinentis omninò infallibilis; sed per te in illis locis non continetur revelatio futuritionis conditionatæ pertinentis omnino infallibilis: ergo vel falsum est ex revelatione in Scriptura futuritionis infallibilis disparatæ inferri revelationem futuritionis conditionatæ infallibilis pertinentis; vel cogeris approbare efficaciam, quàm reijcis. Probatur prima minor, à qua cætera pendent: nam si in Scriptura continetur revelatio futuritionis conditionatæ pertinentis omnino infallibilis, vbi erit, nisi eis in locis, quibus Deus loquitur conditionatè de eventibus sub conditione pertinente? Iam si ea, quæ adducit Societatis Schola ipsi non placent, quare non profert alia ex quibus nobis innotescat revelatio futuritionis conditionatæ infallibilis pertinentis? Vbi notare non desinam efficacissimum istum Magistrum nimis abstractè in probationibus ex Scriptura procedere non adducentem in particulari textus, sicut nos facimus, forsam ex formidine, nè sygillatim ostensis eædem impugnationes, quibus aliorum efficaciam minuit, applicentur.

55 Contra deinde: quia medium in probatione assumptum valdè sub lite est; cum multi negent veritates strictè conditionales de conditione disparata; tum etiam quod in sua sententia veritas illa conditionalis de futuro dependeat pro formali à decreto *subiectivè* absoluto, & *obiectivè* conditionato Deo libero; ac proinde refunditur in libertatem divinam ex parte cuius potest, & debet considerari ratio inclinans ad de-

cernendum: vnde interpretari poterit, ſicut ab ipſo interpretantur veritates conditionales, quæ ſunt de conditionato libero creaturæ: tum præcipuè quia non incongruè reſponderi poſſet per illos terminos conditionales nil aliud voluiſſe Deum ſignificare præter repetitam victoriam contra Syriam, & vlterius non deletionem abſolutam Syriæ proventuram ex peccatis Regis Ioas, & Populi Iſrael, quæ omnia abſoluta ſunt, & minimè conditionalia: cui intelligentiæ præluxit Abulenſis ad prædictum textum, quæſt. 17. ſic poſt alia concludens: *Hoc enim volebat Deus ſignificare Iſraelitis, vt cognoſcerent ſe perfectè non liberari propter peccata ſua.*

56 His adiungit alia non maioris roboris ſumpto fundamento à decretis abſolutis, quæ negari non poſſunt, ex quibus inferuntur aliqua futura conditionata contingentia, vt certò infallibiliter futura, qualia ſunt decretum abſolutum de Incarnatione; ex quo infertur, *Chriſtum Dominum non venturum, ſi Adamus non peccaſſet*; decretum, quo Deus de facto ſæpè negat auxilium efficax propter aliquod peccatum præcedens, tamquam propter vnicum motivum, quod connectitur metaphiſicè cum hac veritate conditionali de futuro: *Tale auxilium non negaretur, ſi peccatum defuiſſet*: decretum conſervandi aliquem in gratia vſque ad finem vitæ, ex quo deducitur infallibiliter: *Si tentetur hac, vel illa tentatione, eam vincet; ſi ei imponatur præceptum, illud obſervabit*: decretum quo Deus efficaciter decernat actum liberum Petri, quo Petrus velit conditionatè ingreſſum Religionis, ex quo infertur quod *ſi ponatur conditio, erit ingreſſus Religionis.*

57 Quorum primum, & ſecundum, eius venia, minus apte proponuntur; cum ex primo decreto tantum inferatur: *Non venturum Chriſtum ex vi præſentis decreti*; ſecus *abſolutè*, quomodo intelligunt Theologi conditionalem illam, & qua ratione non eſt veritas conditionalis contingens; ſed neceſſaria. Ex ſecundo pariter tantum infertur: *Non negaturum Deum auxilium efficax ex vi talis decreti*, idque ſolum probat vnicitas motivi reddens illam veritatem conditionalē neceſſariam; ſecus *non negaturum abſolutè* provt opus erat ad inferendam conditionalem contingentem. Tertium verò non probat determinatè conditionalem illam memoratam; ſed vage: *Vel non tentandum, aut obligandum præcepto, vel ſi tentetur, & obligetur, ſuperaturum tentationem, & obſervaturum obligationem.* In quarto ſatis implexè, & obſcurè procedit: Aut quia ſtat Deum decernere talem actum, & quod tempore purificationis conditionis ſit retractatus, qua ratione nihil conducit pro conditionali intenta: aut quia ſi detur ſub purificatione conditionis, veritas conditionalis, quæ infertur tunc eſt: *Si exiſtat purificatio conditionis ſub tali actu, exiſtet ingreſſus*, quæ veritas neceſſaria eſt; non contingens. Hæc ſunt fundamenta quibus nimis fidit, ad quorum conſpectum, qualia ſint noſtra, legentium iudicio relinquitur.

CAPVT II.

Eadem propoſitio Authoritate Patrum, & ratione probatur, ſimulque obiectiones ſolvuntur.

58 SCIENTIAM divinam certiſsimā, & infallibilem de futuris conditionatis nobis liberis Patres Eccleſiæ, iam ſuppoſuiſſe, iam expreſsiſſe manifeſtum fit ex eorum ſcriptis, vt vel ſolus, qui ea perſpecta non habeat de hac re poſit ambigere, qualiter dixit Illuſtriſsimus Maſcareñas, Algarbiorum Epiſcopus in ſuo doctiſsimo opere de auxilijs, diſput. 2. part. 4. num. 27. Plurima eorum teſtimonia proponunt Authores, qui præſentem quæſtionem pro dignitate tractant, vt ſunt Eximius Doctor, tomo 2. de gratia prolegomeno de Scientia conditionata, cap. 3. Ruiz, diſputat. 65. de Scientia, Faſolus, quæſtione 14. de Scientia, artic. 13. dùbio 3. & Izquierdo, tom. 2. de Deo, tractatu 9. diſputat. 28. quæſt. 6. propoſitione 1. Nos vero alieno labore vtentes quaſi per compendium, quæ intentum comprobant, dabimus præcipuè, cum hæ Authoritates, iam hic, iam illic occurrant, & vſque ad faſtidium opus ſit repetere.

Ita-

59 Itaque Patrum consensum stare pro ea sententia ostendit primò modus nullatenus restrictus, quo Deo tribuunt omnium scientiam, etiam dum de futuris agunt, vbi vniversalissimè nullum ipsum futurum latere proclamant, quorum vestigijs insistens Div. Thomas, & eorum mente benè instructus 2.2. quæst. 171. art. 6. ad 2. amplissimè, & sine exceptione protulit: *Divina præscientia respicit futura secundum duo, scilicèt secundum quod sunt in se ipsis, in quantum ipsa præsentialiter intuetur, & secundum, quod sunt in suis causis, in quantum scilicèt videt ordinem causarum ad effectus. Et quamvis futura contingentia, provt sunt in se ipsis, sint determinata ad vnum; tamen provt sunt in suis causis, non sunt determinata; quin possint aliter evenire, & quamvis ista duplex cognitio semper in intellectu divino coniungatur, &c.* Idem repetit quæst. 174. artic. 1. corpore, memor absque dubio dicti Fulgentij de fide ad Petrum cap. 33. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites; Deo incommutabili non solum præterita, & præsentia; sed etiam futura omnia incommutabiliter esse notissima, cui dicitur Deus, qui occultorum es cognitor, qui scis omnia antequam fiant, & quod principalius est.* Psalmo 138. *Intellexisti cogitationes meas, de longe omnes vias meas prævidisti*, id est, *absolutas, & conditionatas.*

60 Ostendit secundò expressio formalissima, & attributio prædictæ scientiæ, quæ evidentissimè est apud Augustinum in lib. de correptione, & gratia, vbi probans perseverantiam esse ex gratuito Dei dono, adducit in exemplum eos, qui cum essent iusti, donum perseverantiæ non habent; sed ex bono in malum, deficiente bona voluntate, moriuntur, & subdit: *Respondeant, si possunt, cur illos Deus cum fideliter, & pie viverent, non tunc de vitæ huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum? Vtrùm hoc in potestate non habuit? An eorum mala futura nescivit? Nempe nihil horum nisi perversissimè, & insanissimè dicitur.* In quibus verbis illa: *An eorum mala futura nescivit*, evidenter, vt inquit Suarius de Scientia conditionata intelliguntur, cum loquatur Augustinus de Scientia, qua supposita, posset Deus si velet, rapere hominem priusquam talia committeret, etiam in sensu composito talis Scientiæ, sicut fecit cum illo de quo Sapientiæ 4. dictum est: *Raptus est, nè malitia mutaret intellectum eius*; quæ Scientia, si absoluta foret, non posset servire ad evitandum peccatum per raptum: nec pro sensu composito sui permitteret defectum peccati, & vitæ ad illud necessariæ.

61 Apud Gregorium Magnum lib. 33. Moralium cap. 17. aliàs 23. aientem: *Alta dispensatio iudiciorum Dei, idcirco sæpè benè merentes, vel minis impedit, vel flagelis premit, vel quibusdam super impositis oneribus gravat, vel laboriosis occupationibus implicat: quia mira potentia prævidet, quod si quieti ac liberi in tranquilitate persisterent, tentationes ferre Adversarij non valentes mentis prostrati vulneribus iacerent.* Apud Bernardum Sermone 5. fine in Psalmo 90. *qui habitat*, exponentem: *Deus nos ab aliquibus tentationibus citius liberat, vt posimus in alijs, quas nobis vtiliores fore, prævidet exerceri.* Ecce absque insinuatione vlla eventus, provt erat in causa, aut in dispositione, ex qua probabilis, aut moraliter infallibilis oriretur absolutè, Deo tribuunt Patres Scientiam eventus nobis liberi, & conditionati, qua ratione denotat Scientiam futuri conditionati in se ipso, quomodo non se explicassent in tàm magna distantia eventus absolutè futuri, eventus probabilis tantùm, aut moraliter certi in causa, & dispositione, si loquutionem in proprio, & rigoroso sensu non acciperent.

62 Ostendit tertiò frequens disputatio cum hæreticis, Manichæis, & Marcionitis super excitatas quæstiones: cur Deus creaturas rationales condiderit, quas præscivit peccaturas? Cur Deus pœnitentiam non agat de creatione creaturarum, quæ suis se peccatis perdiderunt? Cur Deus homini libertatem concesserit, qua per peccatum abusurum cognoverat? Cur imposuit præceptum, quod violandum prævidit? Cur permisit tentari quem superandum sciebat? Cur Adamum in Paradyso posuit, aut ab illo non eiecit ante peccatum, siquidem lapsurum in peccato non ignorabat? Cur tribuit ipsi consortium Evæ sub prævisione inductionis ad peccatum proventuræ ex tali consortio? Cur elegit Iudam in Apostolatum sub notitiâ prævaricationis, & perditionis illius? Cur Saulem assumpsit in Regem impium futurum, & Regno indignum præcognoscens? Cur venit ad Iudæos tan-

tantis ſignis patratis apud ipſos benè callens duritiem, & incredulitatem ipſorum? Cur alijs occaſiones ad peccandum non avertat, alijs verò ſubtrahat, quando hos, & illos, paritèr peccaturos ſub eiſdem occaſionibus, & tentationibus prævideat? Quibus omnibus quæſtionibus non reſpondent negata Scientia, quo facillimè præcidebantur controverſiæ ex falſo ſuppoſito; ſed ſuppoſita Scientia certiſsima eventuum, aliter difficultatem ſolvere tentant.

63 Quàm verum id ſit, conſtat ex Hieronymo lib. 3. adverſus Pelagianos columna 5. vbi refert à Marcione propoſitam fuiſſe quæſtionem, vt divinæ providentiæ detraheret, quam ſub his verbis refert: *Cur diabolum eſſe permiſerit? Cur paſſus ſit, & hucuſque patiatur mali aliquod in mundo fieri?* & propoſita addit: *Marcion, & omnes hæreticorum canes, qui vetus laniant teſtamentum huiuſmodi ſyllogiſmum texere conſueverunt: aut ſcivit Deus hominem in Paradyſo poſitum prævaricaturum eſſe mandatum illius, aut neſcivit? Si ſcivit: non eſt in culpa is, qui præſcientiam Dei vitare non potuit; ſed ille, qui talem condidit, vt Dei non poſſet ſcientiam devitare. Si neſcivit: cui præſcientiam tollis, aufers divinitatem*: cui argumento reſpondet S. Doctor: *Deus non condemnat ex præſcientia, quem noverit talem fore, qui ſibi poſtea diſpliceat; ſed tantæ bonitatis eſt, & inefabilis clementiæ, vt eligat eum, quem interim bonum cernit, & ſcit malum futurum.*

64 Ex Auguſtino lib. 2. de Geneſi contra Manichæos, cap. 28. referente Manichæos ſolitos fuiſſe interrogare: *Quare fecit Deus hominem, quem pecaturum ſciebat?* Cui quæſtioni reſpondet: *quia de peccante multa bona facere poterat*: & paulò inferius repetit ſimilem obiectionem eorundem circa diaboli creationem, & ſolutionem præbet: *Imò quare non faceret, cum per ſuam iuſtitiam, & providentiam multos de malitia diaboli corrigat*: ſimiliter lib. ſecundo de nuptijs, & concupiſcentia cap. 16. inquit: *De ipſius diaboli malitia novit Deus quid agat, & quod agat, & quod agit iuſtum eſt, & bonum, quamvis ſit de quo agit iniuſtus, & malus, nec eum propterea creare noluit: quia malum futurum eſſe præſcivit* & lib. 11. de Civit. cap. 17. *Quoniam Deus cum Diabolum conderet futuræ malignitatis eius non erat vtique ignarus, & prævidebat, quæ bona de malo eius eſſet ipſe facturus: propterea Pſalmus ait (Draco hic, quem finxiſti ad illudendum ei)* & initio ſequentis cap. 18. *Nec enim Deus vllum, non dico Angelorum; ſed vel hominum crearet, quem malum futurum eſſe præſciſſet, niſi paritèr noſſet, quibus eos bonorum vſibus commodaret*: & in Enchiridio cap. 104. de Adamo ſic diſſerit: *Quia vero eum male vſurum libero arbitrio, hoc eſt peccaturum eſſe præſciebat, ad hoc potius præparavit voluntatem ſuam, vt benè faceret, etiam de male faciente*: quomodo alia plura teſtimonia eiuſdem Magni Parentis adduci poſſent.

65 Ex Damaſceno in Dialogo adverſus Manichæos propè medium quæſtioni: *Cur Deus cum diabolum malum eſſe prænoſſet eum creavit*, reſpondente: *Eximia quædam, & ſingularis bonitas in cauſa fuit cur eum procrearet. Sic enim ſecum loquutus eſt, quando quidem iſte malus futurus eſt, omniaque quibus eum afficio bona perditurus, ego ne quoque eum bono prorſus ſpoliabo, ac delebo? minimè.* Ex Tertuliano lib. 2. contra Marcionem c. 5. ad eius iam relatam obiectionem, dicente: *Omnium Author præſcientia vniverſa diſponendo præſcijt, & præſciendo, diſpoſuit, certè ipſam tranſgreſsionem, quam niſi præſciſſet, nec cautionem eius delegaſſet ſub metu mortis.* Nec omittendus Anſelmus in Elucidario columna 5. de malis Angelis quærens: *Cum Deus præſciret eos tales futuros, quare creavit eos?* & reſpondens: *Propter ornatum ſui operis, vt enim pictor nigrum colorem ſubſternit, vt albus, vel rubeus præcioſior ſit; ſic collatione malorum iuſti clariores fiunt*, & column. 9. *Cur permiſsit Deus hominem tentari, cum ſciret eum ſuperari? Quia præſcivit quanta bona de eius peccato eſſet facturus.*

66 Pariter reſpondent alijs quæſtionibus ſupra poſitis ſupponentes ſemper, & vniformiter Scientiam certiſsimam de eventu, vtpote ſine qua cæca, & imperfectiſsima foret divina providentia, cui contingerent caſualiter ea, quæ ſi prævideréntur, aptiſsima erant, vt retraherent ab effectu, maximeque eius voluntarietatem augerent, quare ad alias rationes recurrunt ſcientia intacta, tum vt abſurdum læſsionis libertatis ex prænotione vitent, tum vt oſtendant; quàm benè cum divina bonitate cohæreat, prævisis illis incommodis deducendis ex opere faciendo non retrahi ab ipſis, nec ab operando deſiſtere; nec ſuaſibile vllo modo

ſit,

fit, quod si de Scientia divina erga prædictos eventus firmum non habuissent iudicium, id aliquando inter respondendum non manifestassent, & partem illam contentam in argumento, & syllogismo hæreticorum de ablatione divinitatis ex ablatione præscientiæ non distinxissent inter ablationem præscientiæ absolutorum, & ablationem præscientiæ conditionatorum.

67 Si respondeant primò: verum esse Patres in prædictis locis supposuisse in Deo præscientiam eventuum conditionatorum, cæterum eam Scientiam suppositam, & inconcusse admissam fuisse Scientiam coniecturalem, & subiectivè infallibilem, qua Deus cognoscebat futuros probabiliter, aut moraliter infallibiles eventus illos sub conditionibus appositis; quæ sententia sufficiens est ad quæstiones illas movendas, cum semper difficultate non careat, & solutione indigeat; cur Deus prævisis illis incommodis probabiliter, aut infallibiliter moraliter sub existentia effectuum non se ab illis retraxerit, & à producendo suspenderit.

68 Contra est: Nam eam Scientiam supponebant Patres, quam in quæstione obijciebant hæretici: sed Scientia, quam in quæstione obijciebant hæretici, non erat Scientia coniecturalis; verùm eventus in se ipso: ergo Scientia, quam supponebant Patres, erat Scientia eventus in se ipso, & non duntaxat coniecturalis. Maior constat, ex eo, quod aliàs Patres distinxissent inter Scientiam obiectam, & inter Scientiam à se admissam, vt sic clarè procederent, & Scientiam, quæ sine inconvenienti Deo tribui opus erat, cum altero falsò Deo attributa, & inconvenientibus expositam non confunderent. Iam probatur minor: Scientia, quam in quæstione obijciebant hæretici erat Scientia illa, quæ ob suam infallibilitatem inducebat irresistibiliter eventum, vnde inferebant libertatis humanæ læsionem; ideoque mala hominis, & pariter Angelorum mala non esse vertenda culpæ, cum necessario, & inevitabiliter ex Scientiæ diuinæ infallibilitate provenirent ab ipsis: sed Scientia ista non est Scientia coniecturalis, & quæ cum defectu eventus potest consistere; verùm Scientia infallibilis de eventu in se ipso queque propterea ab ipso est metaphisice inseparabilis: ergo Scientia, quam in quæstione obijciebant hæretici non erat Scientia coniecturalis; verùm eventus in se ipso.

69 Confirmatur, & explicatur: aut Scientia, de qua procedebant hæretici, & in vno extremo dilemmatis supra relati designabant, erat Scientia tantùm coniecturalis, & eventus provt probabilis, vel moralitet infallibilis; aut erat Scientia eventus in se ipso, ac proinde nullatenus ab ipso separabilis? Si primum, propterea aque admissa à Patribus, nullam aliam rationem redderent pro vitando absurdo læsæ libertatis creatæ præter declarationem conditionis ipsius Scientiæ, quæ vtpote coniungibilis cum defectu mali prævisi sub hypothesi; nullam valebat inducere necessitatem inevitabilem volũtati creatę hominum, & Angelorum; rursusque arguerent Adversarios tanquam inconsequentes in Scientia, quam vt medium assumebant ad inferendum absurdum, siquidem ex vna parte sentiebant esse coniecturalem tantum, & ex alia in consequenti illato ad Scientiam non coniecturalem, & eventus in se ipso se transferebant. Si secundum: ergo cum Scientia, quam innuebant hæretici, esset eventus conditionati in se ipso, si Patres tantummodo coniecturalem Scientiam admitterent, distinctione præmissa inter vnam, & alteram Scientiam, æquivocationem arguentium detegerent, & inde absurdum illatum vitarent ex fallibilitate Scientiæ quoad eventum in se ipso, qualiter expeditissimè argumentum solverent, & quæstionem deciderent: ergo id non feciſſe eos, qui in extirpandis erroribus, & protegenda veritate erant attentissimi, indicat Scientiam divinam de eventu conditionato in se ipso supposuisse, neque in hoc cum hæreticis fuisse dissidium.

70 Si respondeant secundo: præscientiam suppositam à Patribus non fuisse præscientiam conditionatam; sed absolutam, vnde extra rem proponuntur ad stabiliendam Scientiam infallibilem Dei de conditionatis contingentibus, & nobis liberis; idque suadere conentur ex S. Damasceno in Dialogo contra Manichæos dicente ad quæstionem: *Qua de causa Deus cum præsciret fore, vt Diabolus ex bono in malum verteretur, ac malus fieret, eum condidit? Si eum prænoscebat certè, vt omninò futurum prænoscebat: etenim eius quod non omninò futu-*

turum sit præscientia, non præscientia ; sed ignorantia est. & impostura ; sic inter medium, & finem citati Dialogi, & longè inferius, inquit : *Quonam autem modo præscire queat, quod futurum non est: nam si aliquem peccaturum præscivisset, nec eum condidisset, præscientia hæc non esset; sed impostura : quemadmodum enim cognitio est earum rerum, quæ sunt, sic, & prænotio earum est, quæ certò futura sunt* : quibus ly *vt omninò futurum prænoscebat*, sicut, & ly *nam si aliquem peccaturum præscivisset, nec eum condidisset, præscientia hæc non esset; sed impostura*, aperte demonstratur loqui de Scientia absoluta; non de conditionata, quæ nec proponit obiectum omninò futurum, nec talis est, quæ cum defectu absoluto eventus componi nequeat.

71 Contra ex discursu proposito à Ribadeneyra, vt communi omnibus nostris Doctoribus sub hac forma. Patres loquuntur de Scientia peccati hominum, & Angelorum, quæ potuit retrahere Deum à decreto creandi homines, & Angelos: sed hæc Scientia non est Scientia absoluta peccati; sed conditionata: ergo de hac, non de illa loquebantur. Maior patens est, quia si sermo esset de Scientia impotente retardare Deum à decreto producendi, vanum, imò ridiculum foret investigare, cur per illam Scientiam retardatus non fuerit: vlterius in re tam clara alia ratio non esset expetenda præter *non fuisse retractum à tali scientia, quia ab ipsa retrahi non potuit*: Minor etiam non minus constans est, ex eo quod Scientia impotens coniungi cum defectu decreti non est Scientia potens retrahere à decreto: cognitio enim retrahens ab aliquo extremo inclinat ad oppositum illius pro sensu composito sui: sed Scientia absoluta peccati Angelorum, & hominum est impotens coniungi cum defectu decreti circa existentiam hominum, & Angelorum, quorum absoluta existentia indispensabilis est ad peccatum eorum absolutè futurum, provt per Scientiam repræsentatur: ergo Scientia potens retrahere Deum à decreto condendi homines, & Angelos non est Scientia absoluta peccati; sed conditionata scilicèt, *si creentur, peccabunt*.

72 Confirmatur: nam quid futilius, ideoque indignum, vt à Patribus serio acceptetur, vt in quæstionem veniens, quàm inquirere: cur Deus ex Scientia non suspendit id ; quod ex Scientia suspendere non potuit ? At si Patres in solutione ad quæstiones sibi propositas, eas de Scientia absoluta intelligerent, id, quod in quæstionem veniret, & vt dignum solutione acceptaretur, aliud non esset, nisi quod in illa quæstione ridicula continetur: siquidem inquirere de Scientia connexa, & inseparabili à decreto, cur Deum non movit ad carentiam decreti sibi repugnantem? Idem est formalissimè; ac inquirere : *Cur Deus ex scientia non suspendit id, quod ex scientia suspendere non potuit?* ergo nè dicatur, Patres quæstiones parum serias, & contemptui dandas ad serietatem traxisse, adeo, vt anxios de præbenda solutione iam ex hoc, iam ex illo motivo se ostenderent, fatendum est non de Scientia absoluta ; verùm de conditionata, & aptissima, vt Deum à decreto retraheret, mentionem fecisse.

73 Verba priora S. Damasceni potius impugnant Scientiam coniecturalem; quàm probant ; imò nil favorabilius pro nostra sententia excogitari potuit, cum sensus eorum sit Deum non cognoscere futura *dimidiatè*, vt ita dicam; sed *integrè, & perfectissimè*, provt fuerint, videlicèt absolutè si fuerint absoluta; conditionatè, si fuerint conditionata; quomodo si ea Deus non cognosceret, Scientia ipsius potius esset appellanda ignorātia; quàm prescientia, scientiam autem coniecturalem, quam meditantur isti Authores, quis non videat esse Scientiam quandam dimidiatam, & mancam erga eventus conditionatos; cùm tantùm sit cognitio eorum in ratione probabilium, aut moraliter infallibilium, quod plus est cognoscere naturam causæ dispositæ; quàm effectus, & in re nihil habet de scientia cōtingentium; verùm necessariorū, vt est probabilitas, aut moralis infallibilitas orta ex cōditione, & natura fundamentorum ; ideò rogatus Deus de eventu conditionato in se ipso, vltrà probabilitatem, & certitudinem moralem ipsius non posset respondere, nisi id subterfugere suæ mentis perspicaciam: Accipe ergo Scientiæ Divinæ à te concessæ plenitudinem ; & considera : An ex mente Damasceni dici debeat Scientia futuri conditionati, vel ignorantia?

74 Vltima eiusdem Doctoris verba, etsi procedant de scientia absoluta, nihil aliud

aliud intendunt, nisi differentiam illam aliquando obseruatam apud Patres, & à nobis supra iam expositam inter *Scientiam, & præscientiam Diuinam* dicentes, rationem præscientiæ tantùm conuenire scientiæ absolutorum, quia sola hæc Scientia simplicitèr antecedit existentias rerum; at rationem Scientiæ conuenire notitiæ conditionatorum possibilium, & non entium, qua propter Scientiam simpliciter talem conditionatorum contingentium non recusant, vt si excluderent, tantùm fauere possent Aduersarijs, secus ex denegata præscientia conditionatorum in se ipsis, & concessa absolutorum. Vlterius S. Damascenum in aliquo casu illarum quæstionum, quibus parabatur solutio, procedere de Scientia absoluta, non arguit semper, & in omni casu similium quæstionum procedere de Scientia absoluta, excludendo Scientiam conditionatam, imo in casu presenti iudico vsum tantùm fuisse Scientia absoluta ad confirmandam Scientiam conditionatam, & dandam solutionem plenissimam illis quæstionibus obiectis: Sensus enim illius & arguendi modus sic se habet: Aut in quæstione, quæ inquirit: cur Deus produxerit hominem, vel Angelum, quem præscivit peccaturum? Inquiritur, cur non se retraxerit ex Scientia absoluta peccati; vel ex scientia conditionata? Si *Primum*; vt locus sit quæstioni, opus est admittere, Scientiam illam absolutam, non esse Scientiam perfectam de eventu absoluto; sed componibilem cum defectu illius, aliàs quomodo esset Deus capax se retrahendi ex ipsa: ergo Scientia illa, quæ supponitur in quæstione, vt hæc irrisoria non sit, non debet esse Scientia, sed impostura: & id significant illa verba: *Nam si aliquem peccaturum præsciuisset, nec eum condidisset, præscientia hæc non esset; sed impostura.* Si *Secundum*: rationes sunt multæ, vt etiam si potuerit Deus ex tali Scientia se retrahere, non sic de facto se retraxerit, vt sunt bona alia, quæ ex illo modo occasionalitèr oriunda prævidebat, &c. igitur ex præscientia, qua Deus cognovit peccatum hominum, & Angelorum sub eorum existentia, nullum potest deduci inconueniens ex non retractione à producendis talibus effectibus.

75 Ostendit quartò mentio facta apud ipsos de Scientia conditionata effectus in se ipso dum explicare intendunt vocationem per gratiam efficacem, ex eo quod Deus illum, cuius miseretur per collationem talis doni, sic vocet, quomodo scit ei congruere. Pro quo audiendus Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. circa medium: *Cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat*: quod intelligi non potest de Scientia absoluta visionis; tum quia hæc non est in signo priori libertatis diuinæ ad conferendum illud donum prout scitur recipienti congruere, nè Deus in signo indifferentiæ ad conferendum, & non conferendum esset ex Scientia absoluta dirigente determinatus absolutè ad conferendum donum; vnde eius libertas deficeret; tum quia de illa Scientia loquitur, de qua post dicit non deficere etiam in illo, cui ex misericordia Dei tale donum non confertur; vt ostendit quæstio excitata ab Augustino immediatè post verba proposita, scilicèt: *Cur aliqui sic vocentur à Deo, vt obediant; alij verò non sic?* Cui respondet Magnus Parens: *Quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esaù ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque coniungeret, in qua Iacob iustificatus est?* Vt etiam loquitur post loquens de homine valde obstinato diuinis vocationibus non respondente; dicit enim: *Quis dicat modum quo ei persuaderetur, vt audiret etiam omnipotenti defuisse?* At Scientia respectu eorum, qui vocationem diuinam non audiunt, non potest esse Scientia absoluta de consensu vocationi præstando: ergo Scientia tantum conditionata, nimirùm, qua Deus prævidet, quod si ipsis, qui defacto vocationi non consentiunt, talem aut talem tribueret vocationem, ei consentirent, esseque tunc vocatio respectu illorum, sicut modo est vocatio respectu aliorum, quos Deus vocat eo modo, & sub illis circunstantijs, quibus scit ei congruere, vt vocantem non respuant.

76 Consonat Ambrosius super illa verba ad Romanos 8. *Hi, qui secundum propositum vocati sunt Sancti*; sic habens: *Hi autem secundùm propositum vocantur, quos credentes præscivit Deus futuros esse idoneos, vt antequam crederent, scirentur. Istos quos præscivit futuros sibi devotos, ipsos elegit ad promissa præmia capessenda.* Vbi propositum diuinum vocandi ad fidem, & eligendi ad gloriam ponit post diuinam præscientiam fidei futuræ; quare loquitur de fide futura non absolutè quomodo futura est post pro-

po-

poſitum,& decretum Dei; ſed conditionatè, cùm præter futurum abſolutum nullum aliud genus futuri ſit;quàm conditionatum, & de præſcientia conditionata tali futuro correſpondente.Clarius adhùc Chryſoſtomus Homilia 15. in Matthæum agens de tempore vocationis Pauli ait: *Quando porrò Deus voluit? Quando certè obtemperaturus erat. Nam ipſe à primis etiam incunabulis voluiſſet; ſed quia illum renixurum ſciebat,tunc voluit,cum animum ipſius penetraturam vocationem non ignorabat: ſic,& latronem,cum poſtea vocaſſet, potuit, & ipſum antea vocare; ſed vocatus ille non paruiſſet.* Vbi notanda maximè comparatio inter ly *renixurum*, & ly *obtemperaturum*,quę clarè oſtendunt Scientiam tantum conditionatam de eventu, Ratio eſt clara: nam ſic videbat Deus tunc obtemperaturum, ſicut videbat in alijs occaſionibus renixurum:at Scientia,qua videbat in alijs occaſionibus renixurum erat Scientia conditionata de diſſenſu: ergo Scientia qua videbat obtemperaturum erat Scientia conditionata de conſenſu. Et hæc pro probatione ab authoritate.

77 A ratione probatur propoſitio hoc brevi diſcurſu.Deus certò, & infallibiliter cognoſcit omnem veritatem obiectivam eo modo, quo certò, & infallibiliter cognoſcibilis eſt: ſed veritas conditionata de futuro contingenti nobis libero, certò, & infallibiliter in ſe ipſo cognoſcibilis eſt: ergo certè, & infallibiliter Deus in ſe ipſa cognoſcit: diſcurſus eſt legitimus,& maior certa ex infinita virtute cognoſcitiva intellectus divini, cui convenire non poteſt ignorantia cuiuſvis veritatis obiectivæ eo modo quo talis veritas in ſe ipſa ſcibilis, & cognoſcibilis eſt; aliàs Deus non infinitè ſapiens foret dicendus; ſed expoſitus ignorantiæ, vt ſunt limitate cognoſcentes. Minor probatur: quia in tantum veritas obiectivè conditionata de futuro contingenti nobis libero non eſſet in ſe ipſa cognoſcibilis, in quantum eventus conditionatus nobis liber non haberet determinatam veritatem in ſe ipſo; ſed tantum in cauſa diſpoſita probabiliter, vel ad ſummum moraliter inferente prædictum eventum: at eventus conditionatus nobis liber in ſe ipſo habet determinatam veritatem, quando talis foret, vt ſub hypotheſi exiſteret, quomodo probatum latè ſupra manet in quæſtione de veritate determinata propoſitionum de futuro conditionatò contingenti,& nobis libero: ergo veritas conditionata de futuro conditionato contingenti nobis libero certò, & infallibiliter in ſe ipſa cognoſcibilis eſt.

78 Nonnulla ex his, quibus contrarijs notitiam Dei certam,& infallibilem de prædictis futuris excludere conantur inter probandam noſtram ſententiam ſolvimus,aliqua adhùc manent, quæ ſolvere oportet. Obijciunt ergo primò, ab Authoritate illud Exodi cap. 4. Vbi loquens Dominus ad Moyſem timidum de fide habenda apud Iſraelitas, de ſignis, quibus ſibi fidem apud eoſdem conciliaret, inquit: *Si non crediderint tibi, neque audierint ſermonem ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis. Quod ſi nec duobus his ſignis crediderint, neque audierint vocem tuam, ſume aquam fluminis, &c.* In quo ponderari poteſt ambiguitas, qua Deus ſe explicat dum conditionatè loquitur de conditionato nobis libero,vt exprimit: *Si ſit tale ſignum, credent: ſi ſit alterum ſignum, credent*; quod non faceret, ſi amplius quàm coniecturaliter talis eventus ſub hypotheſi cognoſceret: ſecundò quia illud futurum conditionatum: *Credent verbo ſigni ſequentis*, id eſt, *ſi ſit verbum ſigni ſequentis*, conſtat ex ipſo textu defeciſſe ſub purificatione hypotheſis, cum adhibitum fuerit à Moyſe tertium ſignum, quod non adhibuiſſet, ſi verbo ſecundi ſigni credidiſſent: ergo quia affirmatum duntaxat fuit à Deo iuxta efficaciam, & veritatem talis ſigni, & ſub eadem ratione tantummodo cognitum; quin pro veritate affirmationis, & loquutionis aliud expoſceretur præter efficaciam, & virtutem ſigni componibilem cum defectu eventus in ſe ipſo. Et confirmari amplius poteſt prædicta ambiguitas, & indeciſio, quoad eventum in ſe ipſo ex eo, quod poſtquam dixerit *credent verbo ſigni ſequentis*, poſt addiderit, *quod ſi nec duobus his ſignis crediderint, &c.* ſignificans benè poſſe deficere fidem pro ſenſu compoſito affirmationis conditionatæ de eo *quod crederent, ſi adhiberetur verbum* ſecundi ſigni: conſtat igitur ex Scriptura Deum non aliter; quàm purè coniecturaliter cognoſcere futura conditionata nobis libera.

79 Reſpondetur, vt benè Faſolis: argumentum probare amplius; quàm à contrarijs probari poſsit: nam

cum

cum signa illa oblata per Deum Moysi defacto fuerint exercita, eisque etiam absolutè effectus credendi, aut non credendi correspondent, Deum ambiguo illo modo proponere eventum sub existentia signorum, non magis probat cognitionem tantùm coniecturalem conditionatorum; quàm absolutorum: vnde solutio, quæ sufficiens sit, vt apud arguentem vitetur ex prædicto loco cognitio duntaxat coniecturalis absolutorum, sufficiens pariter nobis erit ad evitandam ex eodem notitiam tantùm coniecturalem conditionatorum. Quare dicendum pro omnibus est, dicta verba non minuere derectum notitiæ eventus in se ipso sub existentia signorum; certissimè enim Deus cognoscebat, cui signo essent crediturí, aut non crediturí; adhibuit tamen illa media sub ambiguitate explicata, vt animum imbecillem Moysis à multitudine signi confirmaret attendens in hoc conditioni hominum, qui à mediorum multiplicatione concipiunt spem firmam de finis assequutione: si ergo Moysi timido vnicum tantùm signum proposuisset, scilicèt illud determinatum, quod cognoscebat Deus profuturum, difficiliùs timorem expelleret, qui adhùc post multa signa experta ab iniuncto munere se excusabat.

80 Audiantur hac super intelligentia Abulensis, & Lippomanus ad præsentem textum; inquit ille: *Sciebat Deus certissimè, quod Seniores, & totus Populus libenter audirent vocem Moysis, à Deo tamen loquebatur conditionaliter tanquam ignorans, & volens omnibus convenientijs remedium adhibere. Et hoc faciebat ad satisfaciendum Moysi*: & paulò post: *Non loquitur Deus sub dubio quasi nesciens an alicui istorum, id est signorum crederent; sed more humano ad valde contentandum Moysem loquitur: quia sciebat Deus, quod cuicumque soli crederetur. Iste humano loquendi modo vbique Scriptura loquitur, & Deus cum hominibus sermonem habet: agit, & ludit veluti Pater cum infantulo, vt nunc vno, nunc altero signo alliciat ad confidentiam, & amorem suum, & vt nuntijs suis fidem adstruat; non quod ei quoquomodo nostra fide indigeat; sed ad nostrum proventum duntaxat.* Hinc videas; quàm longè sit modus ille vagus in verbis à denotando simili modò vago in mente, & cognitione divina: insuper quàm mala sit consequentia illa illata de non fide adhibita secundo signo ex eo, quod patratum fuerit tertium: & demùm quid prosit illa confirmatio desumpta ex verbis *quod si nec duobus his signis crediderint, &c.*

81 Obijciunt secundò, iterum inculcantes verba illa Augustini lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 14. ad illud Sapientiæ 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius*, dicentis: *Dictum est enim secundum pericula vitæ huius, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat; idest, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, vt tentationum subtraheretur incerto; non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.* Vnde arguunt in illa conditionali: *Si diutius viveret, laberetur*, ex mente Magni Parentis nihil aliud cognovit Deus nisi pericula huius vitæ, & quod mortem immaturam fuerat largiturus iusto, vt tentationum subtraheretur incertò; imò adversativè asserit, Deum non cognovisse quòd *peccaturus esset ex eo, quod absolutè mansurus in tentatione non esset*: ergo quia de mente eiusdem est Deum non aliam habere cognitionem futurorum conditionatorum contingentium, quæ de nostra libertate sint, præter eam, quæ respicit talia futura in causa; secus in se ipsis.

82 Quomodo sit exponendus Augustinus tum hic; tum lib. de origine Animæ cap. 11. supra diximus pro veritate conditionata propositionum conditionalium de futuro contingenti sumpta solutione ex distinctione vsurpata à Patribus inter *Scientiam*, & *præscientiam*: in præsens verò, nè purè remissivè se habeat responsio redarguendi sunt contrarij ex ipso Sancto Augustino, qui passim talem Scientiam infallibilem conditionatorum supponit in Deo. Sufficiat vnum, vel alterum proferre locum; nimirùm lib. de dono perseverantiæ cap 9. ad expositionem verborum Matthæi cap. 11. *Si in Tyro, & Sydone, &c.* vbi sic: *Nunquid possumus dicere Tyrios, & Sydonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse,*

aut credituros non fuiſſe; ſi fierent, cum eis ipſe Dominus atteſtetur quod acturi eſſent magnæ humilitatis pœnitentiam, ſi in eis facta eſſent divinarum ſigna virtutum? Vlterius ibidem ad explicandum myſterium prædeſtinationis, & divinæ etiam permiſſionis erga multos, qui cum vno tempore iuſti fuerint, & benè vixerint, tandem damnantur, de quibus prius, inquit; potuiſſe Deum, vel non permittere, vt ita tentarentur, vel per gratiam ita eorum voluntates firmare, & communire, vt tentationes ſuperarent, & poſtea ſubdit: *Vt verò id non dicam, certè poterat illos Deus præſciens eſſe lapſuros antequam id fieret, auferre de hac vita.* Idem tenet in lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 23. ponens inter myſteria prædeſtinationis: *Illum baptizatum parvulum in hac vita relinqui, quem præſcivit Deus impium futurum; alium verò baptizatum rapi ex hac vita, ne malitia mutaret intellectum eius:* In quibus iam expreſſa, iam ſuppoſita continetur ſcientia infallibilis conditionatorum in ſe ipſis.

83 Deinde monendi etiam ſunt, per locum obiectum non minus deturbari Scientiam coniecturalem divinam de prædictis futuris; quàm Scientiam infallibilem eorum in ſe ipſis. Ratio eſt clara: quia, vt ſonant verba Sanct. Doctoris nihil, quod abſolutè non erit, eſt cognitum à Deo: ergo pericula, quæ forent, & non abſolutè futura erant, neque fuerunt, non cognoſcebantur à Deo: ergo nec coniecturaliter cognoſcebatur à Deo lapſus conditionaliter futurus, cum non in periculis, quæ forent, & non futura abſolutè erant propter rationem datam; non ſecundum pericula, quæ fuerunt, cùm ſæpè non fuerint, vt accidit in iuſtis, qui ante annos diſcretionis rapiuntur; vel quia etſi fuerint, ſunt pericula victa, & ſuperata ex gratia; hæc autem, quam coniecturam poſſent facere, vt in poſterum non ſimiliter vincantur, ſicut de præſenti victa ſunt, & cum gratia, & iuſtitia animæ coniuncta? ergo vel abſolutiſſimè omnem Scientiam divinam conditionatorum negavit Auguſtinus, vel nullum præbuit fundamentum ad excludendam notitiam certam, & infallibilem illorum.

84 Præterea vltra iam traditam ſolutionem proponenda eſt alia, quam diligentes perſcrutatores mentis divi Auguſtini non recuſant; ſed veluti congruentiſsimam proponunt, vtpotè in multis locis eiuſdem expreſſam. Itaque dicunt, tàm Auguſtinum; quàm alios Patres, vt Proſperum Epiſtola ad Auguſtinum, quæ habetur initio libri de prædeſtinatione Sanctorum, ibi: *Novo abſurditatis genere, & non agenda præſcita dicuntur, & præſcita actu non eſſe*; & Damaſcenum ſupra citatum, ſi quando videntur negare Scientiam infallibilem conditionatorum in ſe ipſis, non negare cognoſci à Deo opera noſtra libera, vt futura conditionata; ſed duntaxat cognoſci, provt in tali ſtatu, tanquam habentia rationem meriti, aut demeriti, vt volebant Semipelagiani, qui talia opera abſque exiſtentia abſoluta fatebantur digna præmio, aut ſuplicio: vnde alijs infantibus conceſſum baptiſmum dicebant præmium meritorum quæ haberent, ſi vixiſſent; alijs verò denegatum, ſupplicium demeritorum, quæ incurrerent, ſi vixiſſent. Hanc ſolutionem ſequitur poſt alios noſtros, Godoy addens in prioti parte textus procedere Auguſtinum de Scientia coniecturali deſumpta ex periculis huius vitæ; in vltima verò tantum negaſſe Scientiam abſolutam peccati in ratione demeriti in eo, qui ſi viveret, peccaturus eſſet, quod additamentum, eius venia, non apparet neceſſarium; quamvis verum ſit Deum non ignorare vim periculorum huius vitæ; nam non apparet fundamentum, vnde colligatur Auguſtinum voluiſſe ibi hanc Scientiam coniecturalem ſtatuere.

85 Objiciunt tertiò ratione. Nam Scientia conditionalis de eventu in ſe ipſo importat imperfectionem intellectus cognoſcentis: ergo non eſt concedenda intellectui perfectiſsimo, & infinito, vt eſt intellectus divinus. Antecedens probatur ex eo quod Scientia conditionalis dicat ſuſpenſionem quandam tum ab exiſtentia hypotheſis, tum ab exiſtentia conditionati ſub ipſa: quare eſt modus quidam dimidiatus cognoſcendi. Quod præcipuè vrgent in his, quæ abſolutè futura ſunt, in quibus cum vt talia, cognoſcibilia ſint, ac proinde

inde Scientia, vt absolutè coextitura sub existentia hypothesis non videtur relinqui locus, vt per modum conditionatum, & præcisivum ab existentia vtriusque cognoscantur.

86 Sed quid de cognitione tantùm coniecturali? erit nè forsan perfecta, & adæquata, cum tantum cognoscat eventum in ratione probabilis, aut necessarij moraliter; secus in ratione existentis in se? quarè licèt sit cognitio perfecta causæ, & circunstantiarum, non erit perfecta cognitio effectus, cuius existentiam sub illis circunstantijs, sicut nec eius defectum non definit. Quid rursus de Scientia simplicis intelligentiæ, per quam Deus ita cognoscit puram non repugnantiam rerum contingentium, vt ex vi talis modi cognoscendi formaliter, nec existentiam, nec non existentiam ipsarum cognoscat; sed suspensivè se habeat suspensione compatibili, tàm cum re; quàm cum defectu illius, & hoc quidem in his contingentibus etiam, quæ absolutè existunt, aut absolutè non existunt; quin ideo male componantur in divino intellectu, aut sit contra eius divinam perfectionem scire per Scientiam simplicis intelligentiæ id ipsum, quod etiam scit Scientia visionis?

87 Ad argumentum nego antecedens. Ad cuius probationem respondeo: non esse absurdum, neque imperfectionem vllam arguere in intellectu divino suspensionem illam *in cognoscendo*, quæ sit correspondens suspensioni, quam habeat obiectum ipsum *in essendo*; imò, quod in intellectu divino non esset talis modus suspensivus cognoscendi argueret imperfectionem, & defectum maximæ perfectionis, propterea quod infinita vis cognoscitiva divinæ mentis non esset determinata ad cognoscendum obiectum omni eo modo, qui meritis, & dignitati cognoscibilitatis passivæ obiecti correspondet. Id suadent exempla adducta Scientiæ simplicis intelligentiæ, & Scientiæ coniecturalis; quam non modò respectu conditionatorum; verùm etiam absolutorum omnes debent concedere, etsi non solitariam, & divisam à Scientia conditionatorum, & absolutorum in se ipsis, quibus addi potest exemplum Scientiæ disiunctivæ, quam Deus habet ex medio vagè connexo cum determinato extremo; vt est Scientia, qua penetrat naturam, & conditionem libertatis exigentis vnum ex extremis, inter quæ versatur hoc, vel illud, repugnantis exclusioni omnium, & permitentis defectum cuiusvis determinatè accepti: & hæc quidem in omni exemplo appositio, etiam in his quibus defacto correspondeat vltra cognoscibilitatem proportionatam prædictis scientijs *simplicis intelligentiæ, coniecturalis, & disiunctivæ* altera cognoscibilitas proportionata *Scientiæ visionis, Scientiæ effectus in se ipso, & Scientiæ determinatæ*. Igitur nulla est imperfectio in prædicta Scientia conditionata.

88 Obijciunt quartò. Iudicium conditionatum est ex sua natura practicum, & aliunde cum operis exequutione non connexum: sed iudicium practicum ex se, & cum operis exequutione non connexum, est iudicium imperfectum: ergo iudicium conditionatum in Deo est iudicium imperfectum. Maior quoad vtramque partem est certa. & quia proponit rem, vt assequibilem per existentiam hypothesis, & quia non habet connexionem cum existentia hypothesis, sub qua duntaxat proponit effectum extiturum. Minor probatur. Nam iudicium practicum est iudicium applicans ad effectum: sed iudicium separabile ab operis exequutione non est iudicium applicans ad effectum: ergo iudicium ex se practicum, & cum operis exequutione non connexum est iudicium imperfectum.

89 Respondeo: de ratione iudicij practici etiam perfectissimi aliud non esse nisi dirigere perfectissimè Artificem ex modo perfectissimo proponendi opus factibile ea ratione, qua factibile est; applicare vero ad exequutionem operis non est proprium iudicij, & Scientiæ practicæ; sed voluntaris operantis, quæ ex propositione, & directione cognitionis practicæ descendit ad exequendum opus propositum, vt factibile. Ita sentit D. Thomas 1. parte quæst. 19. artic. 4. ad 4. ibi: *Scientia, & voluntas sunt causa eiusdem operis; sed Scientia, vt dirigens, & voluntas, vt operans.* & quæst. 25. articul. 1. ad 4. docet: *Potentiam exequi, quod voluntas imperat, & ad quod Scientia dirigit*: ergo de ratione iu-

iudicij practici etiam perfectissimi non est inseparabilitas ab exequutione operis propositi per applicationem agentis ad vsum, cum potius, vt dixit idem Angelicus Præceptor in hac quæstione 14. articul. 8. tam indifferenter procedat ad opus æquibile, vt necesse sit ad causandum illud in actu secundo, *Quod sua scientia sit causa rerum secundum quod habet voluntatem coniunctam*; aliter Scientia simplicis intelligentiæ ob suam indifferentiam ad opus propositum non esset Scientia practica, cuius oppositum manet supra ptobatum, vt consonum Patribus, & Div. Thomæ disput. de divisionibus Scientiæ ad divisionem illius in practicam & speculativam.

90 Obijciunt quintò. Omnis Scientia divina erga contingentia in se ipsis, quæ non sit Scientia simplicis intelligentiæ, est Scientia repræsentans suum obiectum dependenter à libero decreto Dei: sed omnis Scientia repræsentans suum obiectum dependenter à libero decreto Dei est Scientia absolutorum: ergo omnis Scientia erga contingentia in se ipsis, quæ non sit Scientia simplicis intelligentiæ, est Scientia absolutorum; ac per consequens repugnat Scientia divina conditionatorum in se ipsis. Maior est certa ex eo, quod omnis Scientia erga contingentia quæ non sit simplicis intelligentiæ, est Scientia tendens in contingentia provt existentialiter sunt in se ipsis; nullum autem contingens existentialiter est in se ipso, nisi dependenter à decreto, & exercitio libero Dei, cui debet suam existentiam, vtpote ens ab alio. Minor probatur: omnis Scientia repræsentans suum obiectum dependenter à libero decreto Dei indiget divino decreto vt tendenti in absolutum sui obiecti: sed omnis Scientia indigens divino decreto, vt tendenti in absolutum sui obiecti, Scientia absolutorum est, cum ex vi decreti, quod exigit, exigat etiam absolutum sui obiecti requisitum ad decretum: ergo omnis Scientia repræsentans suum obiectum dependenter à libero decreto Dei est Scientia absolutorum.

91 Pari discursu posset probari repugnantia Scientiæ simplicis intelligentiæ tendentis in possibile contingens provt est in se. Ratio est: quia contingens in se ipso tale est per ordinem ad decretum, & cum dependentia ab illo: etenim quodcumque contingens in tantum non repugnat, in quantum si existat, erit dependens à prima causa, & ente necessariissimo, & quidem per decretum ipsius, pro quo est necessaria possibilitas decreti tendentis in absolutum ipsius possibilis: ergo Scientia tendens in possibile, vt in se tale est, tendit in ipsum, vt dependens à divino decreto: at omnis scientia repræsentans suum obiectū dependēter a divino decreto est per te scientia absolutorum: ergo Scientia simplicis intelligentiæ repugnat in ratione talis, & est Scientia absolutorum: qua propter sicut dicent Scientiam simplicis intelligentiæ repræsentare suum obiectum cum dependentia à decreto possibiliter tantum intellecto, quomodo non trahit secum existere obiectum absolutè, permittitque, vt Scientia proponens obiectum proponat illud cum præcisione ab existentia absoluta, & à defectu illius; ideoque non Scientia absolutorum; sed possibilium debet dici: Ita nos dicimus Scientiam illam conditionatam proponere suum obiectum, vt dependens à decreto conditionatè, ideſt, vt indigens illo pro casu quo purificetur conditio, vel si velis pro nunc dependens à decreto subiectivè absoluto tamen conditionatè tendenti in existentiam absolutam obiecti, quomodo non trahit secum existere absolutè suum obiectum, nec meretur nomen Scientiæ absolutorum; sed duntaxat conditionatorum; nam Scientia absolutorum non præscindit ab existentia absoluta sui obiecti, quomodo præscindit illa Scientia, quæ quia componibilis, tàm cum existentia, & purificatione conditionis; quàm cum defectu illius, etiam componibilis est cum existentia conditionati, & cum defectu illius.

91 Ad formam concessa maiori distinguo minorem: omnis Scientia repræsentans suum obiectum dependenter à libero decreto, *vel conditionatè intellecto, vel saltem conditionatè tendenti in suum obiectum* est Scientia absolutorum, nego minorem: *Dependenter à libero decreto, quod sit, & quod absolute tendit in suum obiectum*, est Scientia absolutorum, concedo minorem, & nego consequentiam. Ad minoris probationem distinguo maiorem. Omnis Scientia repræsentans suum obiectum dependenter à libero de-

decreto Dei indiget divino decreto, vt tendenti in absolutum sui obiecti, *vel subiectivè absolutè, & obiectivè conditionatè, vel subiectivè absolutè, vel subiectivè, & obiectivè absolutè*, concedo maiorem, vt tendenti in absolutum sui obiecti determinatè *subiectivè, & obiectivè absolutè*, nego maiorem, & distinguo minorem: omnis Scientia indigens decreto divino, vt tendenti in absolutum sui obiecti, *tàm subiectivè; quàm obiectivè absolutè* est Scientia absolutorum, concedo minorem: indigens decreto divino tendenti in suum obiectum, seu in absolutum illius, *vel subiectivè conditionatè, vel subiectivè absolutè, & obiectivè conditionatè*, est Scientia absolutorum, nego minorem, & consequentiam: terminorum intelligentia liquet ex dictis. Animadvertendum vero est illam propositionem probativam argumenti: *Omnis Scientia repræsentans suum obiectum dependenter à libero decreto Dei indiget divino decreto, vt tendenti in absolutum sui obiecti* esse nobis falsam ob doctrinam de obiecto decreti indifferentis applicativi Omnipotentiæ ad actus nostros liberos, quod non est ipse actus liber, vt volitus per ipsum decretum; sed applicatio ipsa Omnipotentiæ de quo videri possumus disput. 10. de Prædestinatione cap. 5. vnde fit clarum Scientiam repræsentantem suum obiectum dependenter à libero decreto Dei non indigere illo, vt tendenti in absolutum sui obiecti; cæterum id ad præsentem difficultatem prætermisimus; vt magis independens sit solutio.

CAPVT III.

An Deus certò, & infallibiliter cognoscat futura contingentia conditionata sibi libera?

3 NEGANT quoad hæc futura ijdem, qui certam cognitionem aliorum conditionatorum in se ipsis Deo non concedunt tribuentes duntaxat notitiam obiectivè coniecturalem. Affirmant reliqui omnes, qui conclusionem affirmativam capitis præcedentis propugnant, cum quibus standum, & dicendum: Deum prædicta conditionata sibi liberâ certissimè, & infallibiliter in se ipsis cognoscere. In cuius favorem stat appertissimè Scriptura Sacra proponens multa futura sic conditionata, vt eventura in se ipsis; vnde supponit Scientiam infallibilem eorum sub eadem consideratione; ne aliter infirma, & nutans fides adhibenda sit divinis loquutionibus.

94 Suadetur primo ex illo Regum 4. cap. 13. vbi Eliseus ex Dei revelatione eventum conditionatum Deo liberum prædixit Ioas ita loquens: *Percute iaculo terram, & cum percussisset tribus vicibus, & stetisset, iratus est vir Dei contra eum, & ait si percussisses quinquies, aut sexies, sivè septies, percussisses Syriam vsque ad consumationem*: Nam licet percusio vsque ad consumationem esset exercenda dependenter ab actione libera Ioas invadendi Syriam, erat tamen dependenter ab speciali influxu Dei, quem Deus libere sub illius conditionis existentia præparasset. Ieremiæ cap. 18. *Repente loquar adversus gentem, & adversus Regnum, vt eradicem, & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam, & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, vt facerem ei.* Vide futurum conditionatum Deo liberum, scilicèt desistentiam à malo cogitato sub hypothesi pœnitentiæ eorum, quibus malum disponebatur. Et infra à contrario: *Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono, quod loquutus sum, vt facerem ei.* Eiusdem Ieremiæ cap. 37. *Sed, etsi percusseris omnem exercitum Chaldeorum, qui præliantur adversum vos, & derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati singuli de tentorio suo consurgent, & incendent civitatem hanc igne.* Vbi vltra futurum conditionatum attinens ad libertatem creatam proponitur futurum aliud conditionatum Deo liberum, scilicèt communicationem specialis roboris, & fortitudinis victis, & vulneratis, vt Civitatem incenderent sub hypothesi quod ita victi, & vulnerati remansissent.

95 Suadetur secundo ex omnibus promissionibus conditionatis de bono libere conferendo à Deo sub conditione observantiæ legis, & mandatorum, & ex omnibus comminationibus de malo libere infligendo ab eodem sub hypotesi non observationis legis, & præceptorum, quæ ex mandato Dei intimatæ fuerunt Populo ad ipsum continendum

dum in bono: & avertendum à malo vt conſtat ex toto cap. 28. Deuteronomij, ibi: *Si autem audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque cuſtodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelſiorem cunctis generibus, quæ verſantur in terra, &c. Et quod ſi audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt cuſtodias, & facias omnia mandata eius, & ceremonias, quæ ego præcipio tibi hodie, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, &c.* quibus adiungi poteſt illa ſignificata Sauli per Samuelem 1.Reg. 13. *Stulte egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod ſi non feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus Regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum,* & Pſalmo 88. *Si iuſtitias meas profanaverint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum*: Ad cuius inſtar innumeræ aliæ adduci poſſent, quæ frequentiſsimæ ſunt in veteri teſtamento.

96 Nec minus frequenter proponuntur in novo, vt patens eſt ex multiplici eiuſdem teſtimonio, vt eſt illud Matthæi 6. & Marci 11. *Si dimiſſeritis hominibus peccata eorum, dimittet, & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra.* Matthæi cap. 19. *Si autem vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Ioannis cap. 13. *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Et generaliter ex omni promiſsione de conferenda gratia ſub digna, & rita ſuſceptione Sacramentorum orta ex ipſa inſtitutione eorundem quomodo videtur ex Ioanne 20. in inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ ad illa verba: *Quorum remiſſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* & de baptiſmo conſtat Marci 16. *qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit,* ſicut ab oppoſito Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit èx aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* & de Euchariſtia dicitur Ioannis 6. *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus, qui manducat meam carnem, & vivit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo,* & paulò poſt, *& qui manducat me, & ipſe vivet propter me,* ſicut paulò ante ab oppoſito. *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

97 Sicut ex generali promiſsione eiuſdem gratiæ ſub conditione perfectæ dilectionis ex Ioan. 14. *Qui autē diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligā eum.* Cui conſonat illud Proverbiorum 8. *Ego diligentes me diligo.* Et aſsiſtentiæ per ſufficientiam mediorum ad ſalutem æternam aſſequendam ſub conditione exiſtentiæ creaturæ rationalis. Pauli 1. ad Thimotheum 2. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire,* & ex Apoſtolo cap. 3. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & apperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cenabo cum illo.* & gloriæ ſub conditione perſeverantiæ finalis ex Matthæi cap. 24. *Qui autem perſeveraverit vſque in finem, hic ſalvus erit.* Pauli 2. ad Thimotheum 2. *Nam & qui certat in agone non coronabitur niſi legitimè certaverit.* Apocalipſis cap. 2. *Qui vicerit, & cuſtodierit vſque in finem mandata mea, dabo illi ſtellam matutinam,* quæ immediata verba probabiliter de aſſequutione Beatitudinis intelliguntur, vt tenent interpretes ad eundem locum. His addere plura alia teſtimonia poſſem in eiuſdem aſſumpti comprobationem; verum hæc ſatis ſint, vt colligi poſsit; quàm conſona ſit ſtatuta propoſitio revelatis in Sacris litteris, & aliunde cuivis obvia poſſunt eſſe alia, vnde intentum confirmetur: ab eis ſupersedere volui, vt non neceſſarijs niſi ad inducendam moleſtiam legentibus.

98 Favet etiam Authoritas Patrum; qui obſervari debent tum quatenus nullius futuri ſcibilitatem excludunt, ideoque Scientiam omnium futurorum Deo tribuunt, tum ad diſpoſitionem, & explicationem textuum, quos immediatè propoſuimus, tum in declaratione illius dicti Marthæ ad Ieſum Ioannis capit. 11. *Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.* Vbi vt notavit Ruiz diſput 77 ſect. 1. nullus eſt ex interpretibus, ſivè antiquis, ſivè modernis, qui eam conditionalem aſſertionem divinæ providentiæ circa mortem Lazari non permittendam reprehendant ex eo capite, quod non ſit affirmabilis, & ſcibilis. Tum ad illam quæſtionem: *Vtrùm ſi non peccaret Adamus, veniret Chriſtus,* & carnem Deus aſſumeret non modo ex vi præſentis decreti, quod nobis ex fide conſtat; verùm ex vi alterius decreti, quod potuit eſſe in Deo? In quo ſupponunt, id non eſſe à nobis pro nunc ſcibile; ſed tantum ab illo, qui omnia ſcit. Vnde S. Thomas in 3. diſtinct. 1. quæſt. 1. artic. 3. inquit: *Dicendum huius quæſtionis veritatem ſolus ille ſcire poteſt qui natus, & oblatus eſt, quia voluit. Ea enim, quæ ex ſola voluntate Dei dependent nobis ignota ſunt, niſi in quantum*

RG-

nobis innoteſcunt per Authoritatem Sanctorum, quibus Deus ſuam voluntatem revelavit. Et ſuper Epiſtolam 1. ad Timotheum, caput 1. lect. 4. *Sed ſi nullus fuiſſet peccator, nunquid incarnatus non fuiſſet? Sed hæc quæſtio non eſt magnæ authoritatis, quia Deus ordinavit fienda, ſecundum quod hæc fiendæ erant, & neſcimus, quid ordinaſſet ſi non præſciviſſet peccatum.*

99 Præcipuè tamen conſulendi ſunt ad illud Pſalmi 8. *Si Populus meus audiſſet me, Iſrael ſi in vijs meis ambulaſſet, pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem.* Vbi prædictionem hanc conditionatam de conditionato libero Deo, vt certiſſimam, & infallibilem admittunt Baſilius, & Auguſtinus dum notant particulam illam *forſitan* non eſſe poſitam ad minuendam certitudinem. Et ad illud Matthæi 26. *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & ipſe exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum?* In cuius explicatione inquit Chryſoſtomus citatus à Divo Thoma in catena: *Non ſolum autem mitigavit diſcipulos per comminationem penæ; ſed etiam oſtendendo quod voluntariè hoc ſuſtinebat: vnde ſequitur: An putas, &c.* Et Hieronymus quaſi diceret: *Non indigeo duodecim Apoſtolorum auxilio, etiamſi omnes me defenderent, qui poſſum habere duodecim legiones Angelici exercitus.* Supponentes, vt certiſſimam voluntarietatem, & libertatem Chriſti in acceptanda morte ex poteſtate evadendi illam per poteſtatem contentam in illa conditionali infallibili. *Si rogavero Patrem, exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum.*

100 Probatio hæc ab authoritate accepta confirmari poteſt à pari conditionatorum contingentium, quæ ſunt de noſtra libertate: ſiquidem pariter proponuntur ab Scriptura futura conditionata, quæ ſint de libertate Dei, ac quæ ſunt de libertate noſtra: ſed ex modo quo proponuntur ab Scriptura conditionata, quæ ſunt de libertate noſtra colligitur ſcientia infallibilis divina eorundem in ſe ipſis: ergo ex modo quo proponuntur ab Scriptura futura conditionata, quæ ſunt de libertate Dei colligitur ſcientia infallibilis in intellectu divino, quæ ſit eorum non vtcumque; ſed provt ſunt in ſe ipſis. Inde rurſus: modus quo proponuntur ab Scriptura futura conditionata, quæ ſunt de libertate creaturæ cogit Sanctos Patres ad aſſerendum talia futura cognoſci à Deo non qualicumque cognitione; verum infallibili, & quæ enuntiet illa vt futura in ſe ipſis: ergo modus, quo proponuntur ab Scriptura futura conditionata, quæ ſunt de libertate Dei coget ipſos ad aſſerendum ſimiliter ea futura cognoſci à Deo non vtcumque infallibiliter; ſed cognitione certiſſima provt terminata ad ea in ſe ipſis. Conſtat igitur æquali authoritatis pondere: Deum cognoſcere futura conditionata; quæ ſunt de ſua libertate infallibiliter in ſe ipſis; ac cognoſcere cognitione infallibili futura conditionata, quæ ſunt de noſtra libertate in ſe ipſis.

101 Hinc non capio qua ratione dixerit Pater Ruiz in præſenti diſputatione iam citata: *Eſſe qui putent concluſionem noſtram,* (quam ipſe etiam propugnat) *poſſe probari multis Scripturæ locis; veruntamen ea omnia, aut nihil conferre ad præſentem concluſionem probandam: quoniam agunt de volitionibus, quæ formaliter, aut eminenter continentur in decretis divinis iam actualiter exiſtentibus,* vt conatur oſtendere recenſitis his, quæ ex Scriptura adduximus, & procedens ad rationis fundamenta, concluſionem authoritate deſtitutam relinquit. Ratio difficultatis, vt pro mea tenuitate aſſertum iſtud graviſſimi huius Authoris, quoad eruditionem Sacrarum Scripturarum nulli ex Scholaſticis ſecundi non percipiam, eſt: quia quod dictæ volitiones in Sacris litteris expreſſæ modo conditionali, quem negare non poteſt, includantur, aut non includantur formaliter, aut virtualiter in illis volitionibus Dei abſolutis, non impedit conſtituere veritates quaſdam conditionales contingentes de conditionato Deo libero, & ex ſe præſcindentes à purificatione conditionis, & propterea ab ſtatu abſoluto conditionati, vt conſtat in exemplis appoſitis ab ipſo illius veritatis, Pſalm. 80. *Iſrael ſi in vias meas ambulaſſet pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem.* Et 1. Regum 13. *Quod ſi non feciſſes iam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum;* in quibus ex impeditione conditionis impeditum fuit conditionatum Deo liberum *humiliandi inimicos, & præparandi Regnum in ſempiternum*; præterea non impedit veritates iſtas conditionales per Scripturam proponi vt à Deo aſſertas: ergo quod contineantur, aut non contineantur in volitionibus alijs abſolutis nõ poteſt impedire, quod ex Scriptura

tura conſtet ſcibilitas earum veritatum conditionalium de conditionato Deo libero, & deinde ſcientia divina tali ſcibilitati correſpondens, cum per Scripturam proponantur, vt affirmatæ per Deum ſine reſtrictione, quomodo ſcientiam infallibilem Dei loquentis inferunt.

102 Itaque data, & non conceſſa continentia illa volitionum requiſitarum ad veritatem cõditionalem contingentem de conditionato Deo libero in volitionibus alijs abſolutis, & iam nunc exiſtentibus, locis Scripturæ proponentibus eas prædictiones non poteſt fieri ſatis, niſi detur fundamentum, aut quod de præſenti ſit, aut quod tantum foret, vnde oriatur veritas illa conditionaliter aſſerta, & quæ in ratione talis præſcindit ab abſoluto eventus, quia præſcindit à purificatione conditionis, cum cuius defectu defacto coniungitur: ergo textus illi indicant nobis fundamẽtum dari ad tales veritates conditionales: ergo etiam ſcientiam correſpondentem in Deo, tàm fundamento veritatis conditionalis, quàm ipſi veritati aſſertæ ex tali fundamento. Iam rogo, quid aliud erit probari efficaciter ex Scriptura ſcientiam infallibilem prædictarum veritatum, quæ ſunt de conditionato Deo libero; quàm ex Scriptura probari efficaciter dari fundamentum ad ipſas, & ſimul ſcientiam divinam infallibilem prædicti fundamenti, & ex fundamento ipſius veritatis conditionalis contingentis Deo liberæ, à qua eſt inſeparabile fundamentum? Vnde rurſus videtur mihi non benè confundi probatio ex Scriptura medij obiectivi, in quo Deus cognoſcat prędictas veritates conditionales, cum probatione ex Scriptura ſcientiæ correſpondentis talibus futuris: ſit igitur quod modo diſputare non curo, non probari ex Sacro textu ſcire Deum tales veritates independenter ab aliquo de præſenti connexo cum eventu conditionatè futuro; at quomodo non probabitur ex aſſertione conditionata, quæ ex Scriptura conſtat ſcientia illi correſpondens, ſive hæc ſcientia tendat in aliquid, quod ſit, ſive in aliquid, quod eſſet, provt volueris.

103 Amplius explico. Hæc non eſt bona conſequentia formalis, & immediata *Deus cognoſcit futura conditionata nobis libera in aliquo medio ſubiectivè abſoluto*: ergo *non cognoſcit futura conditionata nobis libera*: ergo cognoſcere futurum conditionatum contingens in aliquo ſubiectivè abſoluto, ex ſe formaliter non eſt impedimentum ſcientiæ, qua Deus cognoſcat futurum conditionatum contingens; conſequentia recta eſt, & antecedens conſtat: alias quia Thomiſtæ dicunt Deum cognoſcere futura conditionata nobis libera non aliter; quam ex vi decreti ſubiectivè abſoluti, & obiectivè conditionati, immediatè, & formaliter eſſent impugnandi tanquam negantes Deo ſcientiam conditionatorum, quæ ſunt noſtræ libertatis. Procedo, ſed ſi medium obiectivum reſpectum à ſcientia conditionatorum non eſt incomponibile cum eo, quod ſciantur à Deo, deficit fundamentum aſſignatum ad probandum non benè deduci ex Scriptura ſcientiam conditionatorum, quæ ſunt de libertate Dei: ergo quod locis Scripturæ ex quibus conſtant veritates conditionales de libertate Dei fiat ſatis per decretum abſolutum in ſe præcontinens, quod Deus eſſet facturus ſub hac, vel illa hypotheſi, non eſt fundamentum ad probandum non rectè colligi ex ipſis, Deum ſcire certo, & infallibiliter futura conditionata, quæ ſunt de libertate Dei.

104 Nec poteſt eſſe ſolutio ſe loqui de ſcientia ita purè conditionata, vt non innitatur alicui decreto, & de hac aſſerere non poſſe probari ex Scriptura quoad futura conditionata, quæ ſunt de libertate Dei, & per eandem Scripturam nobis manifeſtantur. Hoc in primis non congruit cum titulo quæſtionis provt ab ipſo exagitatæ: inquirit enim ſub his terminis: *Vtrum Deus certo cognoſcat quidquid pro ſua libertate foret conditionaliter voliturus, quacumque hypotheſi data?* cum ſub his terminis generalibus plus contineat controverſia, quam reſtrictio illa: *An Deus dicta cognoſcat certo, & infallibiliter per ſcientiam non innitentem decreto ſubiectivè abſoluto?* Et deinde non videtur nimis ad rem: nam quando inquirimus, *An Deus cognoſcat certo, & infallibiliter futura conditionata ſibi libera?* Præſcindimus à ſcientia, qua ea cognoſcit: in quantum non diſputamus modum, & conditionem ſcientiæ, ſub qua præciſione quærimus fundamentum in Scriptura ad inferendum hoc ſolum, & præciſum conſequens, *Deus certo, & infallibiliter cognoſcit futura conditionata ſibi libera*, quod non enervabitur, vt deductum

ctum ex eo antecedenti per id quod ostendatur non benè deduci ex Scriptura ea scire tali determinata scientia. Quomodo non infirmat consequens *gratiæ efficacis*, vt deductum est ex Scriptura, quod huic fieri satis valeat probabiliter, aut per gratiam ab intrinseco efficacem, & prædeterminantem, aut per gratiam ab extrinseco tantum efficacem, & ab intrinseco indifferentem. Hæc dixi præscindendo à doctrina insinuata huius Authoris de præcontinentia volitionum, quæ essen, in volitionibus, quæ absolutæ sint, quæ difficultate non caret, nec quadrat rigori, quo intelligendæ sunt Scripturæ, dum non detur fundamentum vrgentissimum, vt quæ per ipsa proponun ur conditionatè & *tanquam forent*, reducantur ad aliquid absolutum, quod iam de præsenti sit.

105 Ratione probatur hæc conclusio sicut præcedens de conditionatis nobis liberis; nam Deus certissimè, & infallibiter cognoscit quidquid in se habet determinatam veritatē obiectivam: sed futura conditionata Deo libera, qualiacumque illa sint, in se habent determinatam veritatem obiectivam, qua talia in se sunt: ergo Deus infallibiliter, & certo ea cognoscit. Maiorem veram probat attributum divinæ & infinitæ sapientiæ, ex quo nihil scibile potest latere intellectum Dei, cumque omne quod in se habet determinatam veritatem obiectivam, in se verè scibile sit, per consequens Deus certissimè, & infallibiliter debet cognoscere quidquid in se habet determinatam veritatem obiectivam. Iam minor etiam constat ex antecedenter resolutis de veritate determinata cuiuscumque propositionis conditionalis de futuro contingenti, quæ comprehendunt non minus conditionata, quæ sint de libertate Dei, ac quæ sint de libertate creaturæ ob vniversalitatem principij, *quodlibet est, vel non est: impossibile est eandem rem, aut conceptum, neque esse, neque non esse.*

106 Confirmatur: quia in his quorum diversitas deducit ad impossibile datur vniformitas inter Deum, & creaturam: sed diversitas quoad determinatam veritatem, & non determinatam veritatem futurorum conditionatorum deducit ad impossibile: ergo quoad determinatam veritatem futurorum contingentium conditionatorum datur vniformitas inter Deum, & creaturam, itavt non minus habeant determinatam veritatem futura, quæ sunt de libertate Dei, ac futura, quæ sunt de libertate creaturæ: At supposita determinata veritate futurorum conditionatorum, quæ sunt de libertate Dei, debet illa Deus certo, & infallibiliter cognoscere, sicut supposita determinata veritate futurorum contingentium conditionatorum, quæ sunt de libertate creaturæ ea certo, & infallibiliter cognoscit: ergo datur in Deo notitia certa, & infallibilis futurorum cōtingentium conditionatorum, quæ sunt de eiusdem libertate.

107 Contrà propositionem nihil est, quod ab authoritate obijci possit præter ea, quæ tendant ad infirmandam probationem ex Sacris litteris, omnibus illis evasionibus, quibus in conclusione præcedente conantur, qui scientiam tantum coniecturalem de conditionatis nobis liberis tuentur, vim authoritatis intringere; his tamen eadem adhibenda est impugnatio, ac in præcedentibus, sive arguant ex paritate aliarum prædictionum, sive ex particula *forsan*, aut *forsitan* aliquando prædictionibus de conditionatè futuris Deo liberis, adiuncta: quare nihil occurrit dignum speciali animadversione.

108 A ratione tria duntaxat invenio obiecta apud Authores, quæ huc spectent, & in antecedentibus non sint soluta. Obijcit primò Cabrera, apud Fasolum: non sunt certo cognoscibilia à Deo, quæ provt talia inferunt destructionem divini dominij: sed si futura conditionata Deo libera essent certo cognoscibilia à Deo provt talia destruerent divinum dominium: ergo ea futura conditionata non sunt certo cognoscibilia à Deo: propterea que non datur notitia certa, & infallibilis eorum in divino intellectu. Probatur minor. Id quod vt certo scibile infert Deum cognoscere futurum absolutū ante omnem actum absolutum divinæ voluntatis, est id quod vt certo scibile infert destructionem divini dominij, cum perfectio huius postulet, ne sit aliquid absolutè absque decreto vllo absoluto: sed si futura conditionata Deo libera essent certo scibilia à Deo, provt talia inferrent Deum cognoscere futurum absolutum ante omnem actum absolutum divinæ voluntatis: ergo si futura conditionata

Deo

Deo libera essent certo cognoscibilia à Deo, provt talia destruerent divinum dominium. Minor, cuius probatio desideratur apud Cabreram, probari potest, vel quia futurum illud conditionatum id ipsum est quod futurum absolutum, vnde cognoscere futurum conditionatum, quod ex se præscindit à decreto absoluto erga conditionatum, erit cognoscere futurum absolutum ante decretum absolutum; vel quia scientia illa conditionatè repræsentans futurum sub hypothesi simul cum purificatione conditionis est antecedens metaphisicè connexum cum conditionato, quod propterea determinabit divinum intellectum ad cognoscendum conditionatum absolutè, antequam sit absolutè illud conditionatum, & decretum absolutum illius.

109 Indigebat hoc argumentum ipso Cabrera interprete, vt nobis significaret Doctissimus hic Magister quare sistat in propositione falsa; ac si esset aliquod primum principium innegabile. Ideo concessa maiori primi syllogismi. Nego minorem: ad cuius probationem permissa maiori; siquidem non est idem cognoscere ante decretum, & cognoscere independenter à decreto in quo esset absurdum, sicut non est idem *Patrem Æternum cognoscere Filium, antequam sit Filius, & cognoscere Filium independenter à Filio*; Nego minorem, quam manifestè falsam vocat Fasolus: nam cum quævis conditionalis veritas, sive sit libera Deo, sive libera creaturæ ex se præscindat ab statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati non est antecedens vllo modo absolutè inferens futurum absolutum; ac per consequens, nec scientia illius scientiam absolutam obiecti conditionaliter asserti.

110 Ad minoris probationes per commisserationem adiunctas, nè argumentum nimis frigidè sisteret, dicendum ad primam, quod sicut &si scientia possibilium, & simplicis intelligentiæ cognoscant id ipsum, quod quando possibilia existunt, est existens, non ideo scientia simplicis intelligentiæ, & possibilium infert scientiam absolutam existentium, verum ab illa præscindit; ita scientia conditionatorum, sive ad nostram libertatem, sive ad divinam pertinentium, quamvis cognoscat id ipsum quod purificata conditione existit absolutè; non propterea inducet necessario scientiam absolutorum provt absolutè existentium; sed habet signum præcisionis ab statu absoluto correspondens signo obiectivo veritatis conditionatæ, in quo veritas obiectiva conditionata præscindit à veritate obiectiva absoluta. Dicendum ad secundam; vel ex doctrina data in permissione illius maioris non esse idem *cognoscere ante decretum absolutum, & cognoscere independenter à decreto absoluto*, vt probat exemplum ibi propositum: vnde dato, quod scientia conditionata inferret pro casu purificationis conditionis cognoscere absolutè futurum absolutum ante decretum absolutum, cum tamen non illud cognosceret independenter à decreto absoluto, nihil continet absurdi, & pariter constat, quo sensu fuerit negata illa propositio: *Cognosceret ante decretum absolutum*, scilicèt de antecedentia *independentiæ*, secus de antecedentia *dependentiæ*; vel aliter vniversalius quod licèt purificatio conditionis, & veritas conditionata, aut scientia ipsa conditionata sit antecedens connexum infallibiliter cum existentia absoluta conditionati, cum tamen cognitio repræsentans absolutè conditionatum in vi talis coniuncti, sit etiam cognitio repræsentans conditionatum, vt absolutum in se ipso, expectat signum posterius ad existentiam absolutam, vt eam in vi illius coniuncti cognoscat; ideoque nunquam cognoscit absolutum ante decretum absolutum.

111 Obijcit secundò Navarrete apud Izquierdo sub hac forma. Scientia nullatenus vtilis in Deo non est ipsi concedenda: At scientia conditionatorum, quæ ad libertatem divinam attinet nullatenus est Deo vtilis: ergo non est ipsi concedenda. Maior est certa, cum nihil in Deo invtiliter, & ociosè existat. Minor probatur: prædicta scientia conditionata non est vtilis ad ipsa decreta dirigenda, neque ad productionem creaturarum, neque ad aliud quidpiam: ergo scientia conditionatorum, quæ Deo libera sunt, nullatenus est Deo vtilis. Antecedentis partes constare videntur, tum quia non est signum aptum, vt illa scientia collocetur pro directione divinorum decretorum sine præiudicio libertatis ipsorum, tum quia impertinens omninò est ad id quod Deus de facto decernit, scire quid Deus faceret in hac, vel illa hypothesi non verificanda, tum quia aliud distinctum ab his

non

non oſtenditur, ex cuius reſpectu vtilitas talis ſcientiæ deſumi valeat : ergo ex omnibus illis capitibus oſtenditur invtilitas huius ſcientiæ.

112 Reſpondetur cum eodem Izquierdo : in ſcientia non eſſe aliam vtilitatem quærendam, vt conducentiſsimè, & vtiliſsimè in Deo exiſtat præter repræſentationem illius, quod in ſe verè ſcibile, & cognoſcibile eſt; vnde oſtenditur maximè neceſſaria ad excludendam ignorantiam in Deo, & conſtituendam ſcientiam perfectiſsimam : ſicut ſcientia impoſsibilium non conducens ad praxim ſui obiecti, neque ad praxim omnium poſsibilium, pro qua ſufficit ſcientia ea proponens, vt factibilia, vtiliſsimè exiſtit in Deo ex ſolo capite repræſentandi veritates obiectivas, ſibi correſpondentes. Rurſus reſpondetur, vltra dictam vtilitatem alias detegi in eadem ſcientia, tum *mediatam* reſpectu decretorum, quæ ſe habent ex parte conditionati, in quantum maximè dirigit ad purificationem conditionis, eam conſtituendo plenè voluntariam per oſtenſionem rationis, quæ allicere, aut retrahere valet à purificatione conditionis, ſcilicèt quid Deus ſit facturus, vel non ſit facturus ſub tali hypotheſi : tum *immediatam* reſpectu aliorum obiectorum, & decretorum, quæ non ſe habeant ex parte conditionati illius, ea conſtituendo ſimpliciter voluntaria per oſtenſionem rationis obiectivæ, cum qua in exiſtendo complexivè ſe habebunt, & à quo complexo conſtituendo poteſt Deus retrahi; ſicuti & allici ad dandam ei exiſtentiam ſuo modo. Quæ conducentia vlterius poteſt ſuaderi: Nam quis neget ad producendum Adamum ſub ſcientia conditionali peccati ſub exiſtentia illius maximè conduxiſſe ſcientiam alteram conditionalem de conditionato Deo libero, qua certo cognoſceret, quod ſub hypotheſi peccati Adami, & occaſione illius erat decreturus alia maximè vtilia ad oſtenſionem ſuæ omnipotentiæ, miſericordiæ, aliorumque attributorum : ſimiliterque ad permittendum peccatum Iudæ oſtenditur ſatis vtile cognoſcere, quæ bona eſſet ſub tali peccato capturus, vt vidimus ſupra ex Patribus allegantibus hanc rationem, & motivum in ſolutione illius quæſtionis : *Cur Deus produxit hominem, quem certo ſciebat peccaturum ſub tali hypotheſi?* & aliarum ſimilium.

113 Obijcit tertiò. Decretum primum abſolutè exiſtens in Deo eſt primus actus liber: ſed ſi daretur ſcientia conditionata actuum Dei liberorum decretum primum abſolutè exiſtens in Deo non eſſet primus actus liber : ergo talis ſcientia non datur in Deo. Probatur minor : quia ante exiſtentiam abſolutam illius primi decreti eſſet ſcientia conditionata de eodem decreto ſub hypotheſi libertatis, ſub qua defacto exiſtit, quæ vtpotè impedibilis, & determinabilis per divinam voluntatem liberè ſe exercentem eſſet actus liber; ac proinde auferens decreto rationem primi actus liberi : ergo ſi daretur ſcientia conditionata actuum Dei liberorum, decretum primum abſolutè exiſtēs in Deo non eſſet primus actus liber.

114 Reſpondetur: primum decretum actualiter, & abſolutè exiſtens in Deo eſſe primum actum liberum formaliter, & ratione ſui, ſeu libertate immediata; ſcientiam vero eſſe liberam non formaliter, & ratione ſui; verum libertate mediata, & extrinſecè participatam ab obiecto, quod eſt ipſum decretum liberum libertate immediata, quomodo nullam dicit oppoſitionem eſſe liberam ſcientiam antecedenter ad primum decretum actualiter exiſtens, cum ſit primitas libertatis ſecundum diverſam conſiderationem, quarum neutra propterea eſt excluſi a alterius. Vel aliter conceſſa maiori primi ſyllogiſmi negando minorem. Ad cuius probationem diſtinguendum eſt antecedens. Ante exiſtentiam *phyſicam* illius primi decreti eſſet ſcientia conditionata, concedo antecedens. Ante exiſtentiam *obiectivam* illius primi decreti, nego antecedens, & conſequentiam. Ratio, & ſimul terminorum expoſitio eſt : quia vt decretum primum retineat rationem primi in eſſe liberi non eſt neceſſarium, vt ſub omni ratione in eſſe liberi præcedat omnem alium actum libere exiſtentem; ſed ſufficit actum illum præcedentem non poſſe exiſtere, niſi dependenter ab influxu obiectivo ipſius in ratione liberi: non aliter, ac vt finis ſemper retineat primitatem in ordine ad aſſequutionem ſui, dicaturque primum influens, non eſt neceſſarium, quod ſub omni ratione præcedat omne aliud influens in ſui aſſequutionem; ſed ſufficit omne aliud influens debere ſupponere ipſum, vt obiectivè influens, & vt prima ra-

radix omnis influxus: Additur insuper ad salvandam primitatem libertatis in decreto respectu scientiæ, quod omnis influxus scientiæ debet esse ex decreto præcedente sub aliqua ratione libero; at omnis influxus decreti vt liberi non esse ex scientia præcedente; siquidem in illo priori, in quo intelligitur decretum, vt liberum determinans scientiam, non intelligitur præsuppositio aliqua scientiæ ad tale signum.

115 Ex dictis scies per consequentiam rationis, & fundamenti propositionem esse ita vniversaliter intelligendam, vt nullum futurum conditionatum Deo liberum excludat, sive illud esset tantum de his, quæ *tantum essent; nunquam tamen erunt*, quia nunquam purificabitur hypothesis; sive de his, quæ *absolutè sunt*, & defacto absolutè existunt; vnde omne omnino decretum, quod defacto existit cognoscitur à Deo conditionatè existens sub hypothesi libertatis divinæ, sub qua defacto elicitur. Ratio est, quia hæc veritas conditionalis *si sit talis libertas, existet decretum*; v. g. *huius mundi*, ex se est præcisiva ab statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati, vtpotè, quæ eadem absolutè persistere potest, non existente absolutè hoc mundo; nam & si benè valeat *existit hic mundus sub existentia huius determinatæ libertatis*: ergo *si existat hæc determinata libertas, existet hic mundus*. Non vero valet *si existat hæc determinata libertas, existet hic mundus*: ergo *sub tali determinata libertate existet hic mundus*; qualiter non valet in alijs conditionalibus expositis in Scriptura de conditione nunquam purificanda; sed veritati ex se præcisivè ab alia debetur etiam scientia ex se præcisiva à scientia alterius, vt scientia correspondeat in summo scientè cognoscibilitati passivæ obiecti: ergo etiam respectu decretorum absolutè existentium debet esse in Deo scientia conditionalis ea enuntians, vt existentia sub hypothesi.

116 Confirmatur duplici paritate vna scientiæ simplicis intelligentiæ; altera scientiæ conditionalis futurorum pertinentium ad nostram libertatem, & quæ non modo *essent, si poneretur conditio* nunquam ponenda; sed *quæ absolutè erunt*: quia conditio, sub qua videntur, est purificanda, vt contingit in omni actu nostro libero, qui defacto existit sub libertate, qua nunc gaudemus. Siquidem non ob aliam rationem vna, & altera scientia Deo conceditur, tàm respectu existentium absolutè; quàm non existentium, & quæ remanebunt intra statum puræ possibilitatis; nisi quia veritas illa obiectiva correspondens scientiæ simplicis intelligentiæ ex se est præcisiva ab statu existentium, & veritas illa obiectiva conditionatè ex se est præcisiva ab statu absoluto coniunctionis hypothesis, & conditionati: vnde pariter in Deo debet existere scientia ex se præcisiva, & correspondens tali statui, cum præcisione à scientia absoluta, & correspondente absoluto rerum statui: sed veritas illa conditionalis circa decreta, quæ defacto existunt, non minus præcisiva est ab statu absoluto eorum, ac sunt veritates ponderatæ: ergo non minus debet dari in Deo scientia conditionalis correspondens tali obiectivæ præcisioni, ac datur scientia conditionalis de eventu nobis libero, & absolutè extituro; & scientia simplicis intelligentiæ de obiecto non manente intra statum puræ possibilitatis; sed transeunte ad statum existentium.

117 Rursus confirmatur: quia aut debet dari tantum veritas obiectiva cõditionalis erga obiecta nunquam sub hypothesi extitura, aut debet dari in Deo scientia conditionalis eorum, quæ sub hypothesi existunt: patet, nam alias Deus in cognoscendo non adæquaret cognoscibilitatem passivam obiecti, nec iure diceretur comprehendens: sed repugnat dari duntaxat veritatem obiectivam conditionalem erga obiecta nunquam sub hypothesi extitura: quia talis conditionalis connexa cum non existentia absoluta conditionati sub hypothesi ineptissima foret, cum ex vna parte peteret conditionatum sub hypotesi, & ex alia repugnaret existentiæ conditionati sub hypothesi taliter, vt si existeret absolutè cõditionatum sub hypothesi, non fuisset verum conditionaliter, *quod si existeret hypothesis, existeret conditionatum*: ergo debet dari in Deo vniversaliter non modo scientia conditionatorum, quæ nunquam absolutè sunt extitura; verùm eorum, quæ absolutè sub hypothesi existunt, vt sunt omnia decreta divina sub ea libertate, qua defacto existunt.

118 Nec valet respondere primò: Deum cognoscendo absolutè, tum libertatem, quæ defacto datur, tum decretum, quod sub illa existit cognoscere vir-

virtualiter quidquid per illam ſcientiam conditionalem poteſt repræſentari; vnde neceſſaria non eſt reſpectu exiſtentium: quia inde infertur primo pariter debere dici Deum non habere ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eorum, quæ abſolutè exiſtunt, cum vi ſcientiæ abſolutæ repræſentantis exiſtentiam actualiter non repugnantem cognoſcat virtualiter quidquid per ſcientiam illam ſimplicis intelligentiæ erga idem obiectum poteſt repræſentari. Infertur ſecundò: Nec eorum obiectorum, quæ nunquam ſub hypotheſi ſunt extitura, dari in Deo ſcientiam conditionalem, propterea quod Deus debeat cognoſcere obiecta eſſe talia, quæ ſi exiſterent ſub hypotheſi, ſe haberent eodem modo, ac ſe habent obiecta, quæ defacto exiſtunt, & quæ provt talia, ſunt incapacia veritatis obiectivæ conditionalis: ſed ea quę cognoſcuntur, ſi exiſtant ſub hypotheſi, eſſe incapacia verificandi ſtatum conditionalem, non poſſunt cognoſci, vt conditionaliter extitura: ergo Deus nullius obiecti poſſet habere veritatem conditionalem. Infertur tertiò, ſignum obiectivum præciſionis, quale eſt ſignum ſtatus conditionalis obiectivi, debere eſſe ſignum determinationis ad non exiſtendum conditionatum ſub hypotheſi: quo quid magis diſtans à conditione ſtatus conditionalis? Infertur quartò confuſio ſcientiarum in Deo, nam ſemel admiſſo hoc modo cognoſcendi virtualiter ſine correſpondentia formali in repræſentando, cuivis erit liberum ſcientiam divinam minuere per recurſus ad modos virtuales cognoſcendi; vt non ſert perſpicacia divini intellectus.

120 Nec valet reſpondere ſecundo cum citato Navarrete. In cognoſcente perfectiſsimo, vt eſt Deus cognitionem abſolutam debere eſſe priorem cognitione conditionata: vnde quando ſit de exiſtentia conditionati ſub hypotheſi, non relinquet locum cognitioni conditionatæ, vtpotè iam non neceſſariam poſt abſolutam; aliter vero res poſſe conſiderari reſpectu eorum, quæ nunquam ſunt extitura ſub hypotheſi; nam in his poſt cognitionem abſolutam de eo, quod non exiſtunt ſub hypotheſi, poteſt ſtare cognitio conditionata de exiſtentia eorum ſub hypotheſi, cum in cognitione abſoluta de non exiſtentia conditionati ſub hypotheſi, quia non datur hypotheſis, non includatur ſcientia, neque de eo, quod ſi non exiſtat hypotheſis, exiſtet conditionatum: neque de eo quod ſi exiſtat hypotheſis, exiſtet conditionatum cum correſpondentia ad veritatem obiectivam de non exiſtentia conditionati ſub non exiſtentia hypotheſis, quæ ex ſe non includit, nec veritatem vllam determinatam, *ſi exiſtat hypotheſis, erit conditionatum*, nec aliam *ſi exiſtat hypotheſis non exiſtet conditionatum*; ſed ab vtraque præſcindit.

121 Quia in cognoſcente perfectiſsimo aliud non exigitur; quàm per cognitionem adæquare cognoſcibilitatem paſsivam obiecti, ita vt omnes gradus cognoſcendi, qui ſunt in cognoſcente, correſpondeant omnibus gradibus cognoſcibilitatis, qui ſunt in cognito, cum pari ordine anterioritatis, aut præciſionis id notum eſt in ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ licèt ſit in perfectiſsimo cognoſcente, non ideo deficit, aut in caſu ſcientiæ abſolutæ, qua videntur exiſtentia abſolutè plura ex his, quæ cognita ſunt, vt poſsibilia, aut eſt poſterior ipſa, imo potius antecedit pro modo, quo ſtatus obiectivus rei in ratione poſsibilis præcedit in ſubſiſtendi cõſequentia ſtatum abſolutum eiuſdem: pariter ergo iudicandum eſt de ſcientia conditionata comparata cum ſcientia abſoluta, quæ nec deficit, quando reſpicit ea, quæ abſolutè extitura ſunt ſub hypotheſi, neque in vllo caſu exiſtit pro poſteriori ad ſcientiam abſolutam ſequens conditionẽ obiecti, in quo propter prioritatem, quam dicit in ſubſiſtendi conſequentia, ſtatus conditionatus ad ſtatum abſolutum ſemper ille antecedit, & hic ſubſequitur. Neganda igitur eſt illa propoſitio: In cognoſcente perfectiſsimo, *Scientia abſoluta debet eſſe prior ſcientia conditionata* continens medium probativum ex quo reliqua tacta in ſolutione deſcendunt.

122 Ad extremum rogabis: An dicta de cognitione infallibili Dei futurorum conditionatorum in quacumque linea conſiderentur, debeant reſtringi ad ea ſola conditionata, quæ ex revelatione conſtant, taliter, vt circa alia futura non revelata, nihil certo ſtatui poſsit, cum veritas obiectiva eorum ſi revelata non ſit, nullo modo firmiter probari queat? Affirmat Magiſter Palanco, quæſt. 6. citata num. 319. ſub his terminis: *De conditionatis non revelatis nihil certum definiri poteſt: an ſcilicèt alia eo-*

rum ſint determinatè, & infallibiliter futura; nec vlla firma ratione id probari poteſt. Ita in præſenti Ioannes à S. Thoma.

123 Sed reſpondendum negativè, & vltra dicta ſupra diſput. 18. à num. 41. & præcipuè num. 53. Probandum mihi efficaciſsimè: Nam non omnes actus liberi, qui defactò exiſtunt, ſive ſub *libertate* divina, ſive ſub *libertate* creata; necnon omnia, quæ ſub *conditionibus* impertinentibus defacto exiſtunt, ſunt determinatè, & in ſingulari revelata: ſed omnia hæc ſunt determinatè, & in ſingulari futura obiectivè conditionata: ac proinde determinatè, & in ſingulari cognita infallibiliter à Deo: ergo Plura futura cõditionata his quæ defacto ſunt revelata ſunt determinatè in ſe talia, cognitaque à Deo infallibiliter. Diſcurſus eſt legitimus, & maior certa: aliàs quidquid abſolutè quomodocumque exiſtit, eſſet proximè per fidem credibile, quod quis dicet. Probatur minor, in qua ſola poteſt eſſe difficultas; ſiquidem omnia quæ defacto dicto modò exiſtunt fuerunt talia, quæ ſive ſub conditione pertinente *libertatis*, ſive ſub quacumque alia conditione *inconducente*, verificabant hanc conditionalem contingentem, *Si exiſtat talis conditio, exiſtet*; cum ſtatus conditionatus non ſit incomponibilis, cum ſtatu abſoluto; imò ex abſoluto rectè inferatur: ſed ſic verificare conditionalem contingentem, eſt eſſe futura conditionatè, determinatè, & in ſingulari ſub tali hypotheſi, & conditione: ergo omnia hæc, quę ſub prędictis conditionibus defacto exiſtunt, ſunt determinatè, & in ſingulari futura obiectivè conditionata: ac proinde determinatè, & in ſingulari cognita infallibiliter à Deo.

124 Confirmatur: Hæc veritas obiectiva conditionalis, *ſi exiſtat in Petro libertas A, exiſtet conſenſus liber*, eſt veritas de futuro conditionato determinatè, & in ſingulari accepto, & inſuper eſt componibilis cum purificatione cõditionis, & exiſtentia abſoluta conſenſus liberi ſub tali hypotheſi, taliter vt veritas abſoluta conſenſus liberi ſub tali libertate eſſentialiter præſupponat veritatem illam conditionalem per totam libertatem: ſed id quod accidit in illa conditionali compoſita cum veritate abſoluta, pariter contingit in omni alia veritate abſoluta de exercitio libero, ſive increato, ſive creato ſub libertate, qua defacto gaudet: quomodo etiam diſcurrẽdum eſt de omnibus alijs abſolutè exiſtentibus ſub conditione diſparata, & inconducente: ergo vltra ea futura conditionata, quæ revelata exiſtunt, convincit ratio plura alia futura conditionata eſſe admittenda. In huius diſcurſus corroborationem videantur, quæ diximus ſupra diſput. & num. proximè citatis, vbi fundamenta contraria ſunt ſoluta.



DISPV-

JHS.

DISPUTATIO XX.

DE SCIENTIA QVA DEVS cognoscit futura conditionata nobis libera.

VIAS Asperas satis; & difficiles ambulavimus, vt in huius gravissimæ controversiæ termino sisteremus, in quem tanquam in scopum conspexere disputationes quarta, quinta, sexta, & octava, tomo 1. de prædestinatione; necnon omnes illæ, quas in hoc tractatu prævias ad scientiam conditionatam contingentem Deo non liberam insignivimus, in quibus præcipuas difficultates pro nostra tenuitate evincere studuimus, quibus complanatis, amplior pateret additus ad resolutionem præsentis dubij. Nec sine his præludijs facile erat claritati consulere, cum plura essent miscenda in vna disputatione, eamque in immensum ducerent; cæterum eis præmissis omnia, quæ restant, illationes duntaxat sunt ex ante dictis.

CAPVT I.

Referuntur sententiæ, & post historicam digressionem notatum conducens ad quæstionis resolutionem præmittitur.

1 IN hoc puncto duæ sunt celebriores, & quasi capitales sententiæ, quarum prima propugnat Deum prædicta futura conditionata cognoscere per scientiam sibi vnice liberam, in quantum prædicta scientia repræsentativa conditionatorum, quæ nostræ libertatis sunt, innititur decreto subiectivè absoluto, & obiectivè conditionato simpliciter antecedenti operationem liberam creaturæ, vel saltem decreto sic antecedenti subiectivè conditionato, & quod esset sub purificatione hypothesis nostræ libertatis, seu libertatis creatæ, vt sic comprehendatur libertas omnis creaturæ rationalis: vnde constat vnicè existere pro libertate Dei, cuius liberum exercitium est primarium determinativum, aut primarium impedimentum illius. Ita cõmuniter sentiunt Thomistæ, quibus accesserunt nonnulli ex antiquioribus Scotistis, ea tantum differentia adhibita, vt hi non admittant vllam prædeterminationem intrinsecam conditionatè derivandam ex tali decreto; illi verò intrinsecam qualitatem prędeterminativam derivandam concedant. Vbi non est obliviscendus Magister Palanco Scotistis adhærens.

2 Secunda sententia per oppositum docet ea futura conditionata cognosci à Deo per scientiam Deo contingentem; sed non liberam, cum vnicè existat pro libertate creaturæ; cuius determinationis, & electionis vnicè est ponere conditionatum sub existentia hypothesis, ac proinde determinare, aut impedire talem scientiam, quæ ideo appellatur *media* inter Deo *necessariam*, & *liberam*, siquidem de *necessaria* participat non existere pro libera determinatione divina discrepans ab ipsa ratione contingentiæ, & de *libera* participat non necessitatem, seu contingentiam, discrepans ab ipsa, quia non existit pro libera determinatione Dei. Hanc sententiam sequuntur omnes Societatis Authores, quibus adhæserunt plures ex extraneis videndi apud Paulum Leonardum in suo libro responsionum ad expostulationes contra scientiam mediam,

diam, Ripaldam tomo 2. de ente ſupernaturali diſputatione 113. Annatum integro volumine de ſcientia media, & Henaum in ſuo erudito libro de Scientia media hiſtorice propugnata.

3 Inter hæc extrema cenſentes alij medios tutiſsimos ire declinantes viam, tàm Thomiſtarum, quàm Ieſuitarum dixerunt, iam cognoſci futura contingentia conditionata nobis, ſeu creaturæ libera per ſcientiam liberam; verum quæ neque vnice ſit Deo libera, nec vnice creaturæ, ſed ex æquo vtrique per id, quod determinatio divina, & creata in conditionatum ſub hypotheſi concomitanter ſe habeant, ſitque determinatio vnius, & alterius libera determinatio ſcientiæ, ſicut non determinatio vnius, & alterius libera impeditio ſcientiæ. In hac claſſe ponendi ſunt illi, qui reſpuentes decreta divina antecedentia, & prædeterminantia noſtras liberas determinationes, confugiunt ad decretum efficax comitans per quod Deus dicitur liberè condeterminans operationes liberas arbitrij creati. Iam cognoſci per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vt tenet Magiſter Villanova in ſuo Promptuario divinæ providentiæ: Ad cuius ſententiam videntur reducendi omnes alij, qui dicunt ſufficere pro ſcientia prædictorum contingentium notitiam divinam innitentem connexioni morali auxiliorum infallibiliter moraliter inferentium exiſtentiam operationis liberæ, in quam inclinant ſub exiſtentia ſui, quæ ſcientia cum non diſtinguatur à ſcientia proponente quidditatem auxiliorum libertatem creatam conſtituentium, quæ ſcientia neceſſaria eſt, iure ſcientiæ neceſſariæ adſcribuntur. Iam per ſcientiam contingentem liberam creaturæ impeditivè, & determinativè, & Deo liberam tantum impeditivè, vt intelligi poteſt iudicium Illuſtriſsimi Caramuelis in Theologia fundamentali, libr. 1. Theſ. 6. de Scientia Dei aſſerentis: Deum non aliter cognoſcere futura conditionata, quæ ſunt de libertate aliena; quàm per ſcientiam proponentē futurum aliquod abſolutum, quod ſe habeat vt imperium radix, & determinatio illius, quod foret ſub hypotheſi; quin neque pro futuro abſoluto ſit aliqua prædeterminatio abſolutè exiſtens, neque aliquod decretum antecedens, aut comitans.

¶ Sententias iſtas noſtræ Scholæ adverſantes fuſiore calamo propoſitas habes impugnatas ſub titulo prætextuū ad evitandam neceſsitatem ſcientię mediæ ad prædeſtinationem, diſputationibus citatis de prædeſtinatione, & inſuper Thomiſtarum ſententiam provt ſtrictius pertinet ad præſens dubium, tota diſputatione appendice ad alteram de conſtitutivo futuri conditionati, quæ eſt 17. huius tractatus; quare in his non eſt amplius immorandum; ſed ad quæſtionis reſolutionem procedendum, cuius limini non gravabor affigere brevem notitiam compendiosè acceptam ex Apologiſtis citatis pro Societatis doctrina, vnde conſtent omnibus initia, & progreſſus ipſius, necnon adverſitates, quibus nata, enutrita, & adulta eſt, vt his Deo favente, ſuperatis, exiret in publicum, vincens, vt vinceret reliqua certamina, ad quæ in poſterum, & provocata fuit, & provocabitur, vt ex ipſa experientia didicimus. Propter hanc adverſariorum inſiſtentiam, nobis etiam inſiſtere opus eſt, & pro repetitis incurſionibus, quibus iniuſtè, & iniuriosè ſæpè invadimur, ſcutum, & arma non ſemel pro pace depoſita iterum, atque iterum repetere, eoſque quibus obſecratio non ſufficit, arguere, & increpare in omni pacientia, ne vt non ſuſtineant ſanam doctrinam, ad fabulas cōvertantur, quibus veritatem obnubilent, & imperitum vulgus per aniles nugas, & ineptias, ſibi captent; ſicut, & noſtris Authoribus odium concilient.

5 Igitur ſciendum eſt, vt ex citatis Authoribus, qui vindicandis calumnijs contra Ieſuitarum doctrinam incubuerunt, conſtat, dum eam Lobanij publice docerēt doctiſsimus Pater Leonardus Leſius, & alij ex noſtris Anno 1586. concitantibus Michaele Baio, eiuſque diſcipulis, adeo gravem contra ipſam ibidem agitatam fuiſſe tempeſtatem, vt vndarum commotio vſque ad Romanam Sedem defluxerit, à qua diligenter examinata cauſa præſidente tunc in Eccleſia Sixto V. Pontifice imperatum eſt ventis, & mari, & facta tranquilitas, lata ſententia in favorem Leſij, eius doctrina non modo indemnis; verum firmior ex Romano iudicio permanſit. Pro quo legendus ipſe Leſius in Apologetica diſputatione de gratia præfatione ad Lectorem initio capitis primi. Adhuc graviora circa annum 1589. paſſus eſt celeberrimus Pater Doctor Ludo-

do-

dovicus Molina, Academiæ Eborensis Primarius, qui eandem Provinciam suscipiens doctrinam Societatis mirè illustravit, Typisque mandare decrevit. Cæterum cum adhuc sub prælo esset plausibilis liber de concordia ad Sanctæ Inquisitionis Regni Lusitani Tribunal delatus vbi ex commissione Eminentissimi Cardinalis Archiducis Alberti Legati à Latere, & Inquisitoris Generalis traditus fuit severo examini, & censuræ doctissimorum virorum præsertim Dominicanæ familiæ; à quibus, & nominatim à Reverendissimis Patribus Bartholomæo Ferreira, Theologiæ Magistro, ac Sanctæ Inquisitionis deputato, librorumque Censore, & Ioanne de las Cuevas eiusdem Principis à Confessionibus recognitus, non modo approbatus; verum honorificentissimè acceptus fuit, collaudata Authoris doctrina, & concessa amplissima facultate à Principe Archiduce, eiusque Senatu, eam excudendi, & evulgandi.

6 Similis licentia obtenta fuit post gravium Theologorum approbationem à Rege Catholico vt in Regnis Castellæ, & Aragoniæ ad manus omnium perveniret. Quanta hæc fuerint, & quo maturo consilio facta, ipse explicat, qui expertus est, Molina in additione ad concordiam Vlisipone impressa, pagina 34. dicens: *Maximè verò, quia nostra omnia prævio diligenti, ac diuturno examine fuerunt approbata trium, vt vocant, Conciliorum authoritate, nimirum Castellæ, Aragoniæ, & Sancti Officij Regni Lusitaniæ.* Hæc sufficiebant pro doctrinæ puritate; verum vt glorioſior evaderet ex repetita victoria, conveniens fuit adversarios non sistere; sicque quam conabantur evertere ex omnium iudicio, mirabiliter erexerunt, simulque evulgarunt. Ita contigit ex criminatione aliquarum propositionum apud Inquisitores Vallis-Oletanos, qui post diligens causæ examen, eam vt mos est ad Supremum Generalis Inquisitionis Senatum vltimo decidendam remisserunt. Qui Præside Eminentissimo Domino D. Gaspare de Quiroga Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, & Archiepiscopo Toletano post iteratam recognitionem consultis Academijs Salmanticensi, Complutensi, & Seguntina elapso integro anno laurum contulit doctrinæ Molinæ, & Iesuitarum. Quæ tanto plausu inde suscepta, vt cito pervolans in Galliam, Germaniam, Italiam, aliasque Provincias brevi tres meruerit editiones, quo legentium aviditati fieret satis.

7 Sed restat adhuc durius certamen, & difficilior corona macte animo Doctrina Victrix, & velut Herculeis freta viribus novus Triumphus, sit novi laboris initium. Victi; sed non compressi, vt par erat, manserunt Adversariorum animi, itaque totis collectis viribus ab intento non destiterunt. Quare rei gravitate commotus, quæ ad fidem pertinere videbatur Summus Pontifex Clemens VIII. eiusdem iudicium ad se vocavit, & per suum in Hispania Nuncium Illustrissimum Camillum Patriarcham Alexandrinum Provincialibus Sacri Ordinis Sancti Dominici & Societatis indixit, vt conscriptis tractatibus à grauioribus Magistris super materia exortæ litis, eos inquisitioni traderent, vnà cum cæteris omnibus pro ea causa actis ad se mittendos. Ita præstitum est, & à Sacris Quæsitoribus scripta omnia remissa die 13. Octobris, anno 1598. sed ante id tempus censores octo studio partium, & iussu Pontificis electi, convenientesque apud duos Eminentissimos Cardinales ex congregatione Sancti Officij vndecim secretis Congregationibus inceptis die 2. Ianuarij, & finitis die 13. Martij eiusdem anni 1598. censuerunt de libro Molinæ multisque eius propositionibus acriter notatis prohibendum decreverunt. Cæterum hæc censura, nec Molinæ, nec Societatis doctrinæ vllatenus nocuit, ob multas, quas patiebatur exceptiones, vnde se prodens non sinceram, meruit obrui silentio, sicque, qui ante de delatoribus, modò de censoribus triumphum egit.

8 Propterea mutata iudicij forma voluit Summus Pontifex, vt quæ illucusque fuerat privata causa Molinæ deinde communis fieret vtrique Ordini Dominicano, & Iesuitico, quorum quique proferret suum iudicium in materia de auxilijs gratiæ, & futurorum scientia, protegeretque contra alterius impugnationes. Vtque facilius lis ad finem duceretur delectis controversiæ articulis, præscripsit vtriusque familiæ Generalibus, seu Supremis Capitibus, vt cum tribus præstantissimis Magistris ex suo Ordine ad diem decretum in ædes Eminentissimi Cardinalis Ludovici Madrucij convenirent, & ibi in quo con-

formiter sentirent; in quo vero discreparent, exponerent. At cum multis huiusmodi Conventibus ibi habitis, nihil liquidò constaret, aut quod momenti esset concluderetur, tandem non exigua litigantium gloria ad publica certamina in præsentia Summi Pontificis agitanda ventum est. Omnia quadraginta, & septem numerantur cepta mense Martio, anni 1602, sub Clemente VIII. & finita mense Februario, anni 1606. sub Paulo V. qui post tam exactam, & prolixam rei disquisitionem die 28. mẽsis Augusti in Cœtu Cardinalium cum quibus in privatis, & arcanis Congregationibus sæpè controversiæ exitum contulerat, & eis approbantibus declaravit, ordinavitque, vt tota doctrina illius Egregij Theologi Molinæ, necnon Societatis nostræ de auxilijs divinæ gratiæ, scientia, & prædestinatione indemnis omnino consisteret; tamque nostra; quam Patrum Dominicanorum doctrina in Catholicis Academijs, & vbique terrarum tutò, & impunè doceri, defendique posset; donec aliud à Sancta Sede Apostolica decernatur. Ea adiuncta lege in futurorum præcautionem, vt neutra à quovis, censuris, aut iniurijs dicterijs carpatur. Hic finis fuit contentionis non aliunde, quàm ex amore veritatis ortæ, cuius expectatio totam repleverat Europam; glorioſus quidem Societati, & suo præclarissimo Doctori Patri Ludovico Molina, nec minus plausibilis sacro, doctissimo, & semper venerando Ordini Patrum Prædicatorum, qui pro innato ardore, quo semper, & indefessè pro Ecclesia pugnarunt, Doctrinam quoad speciem novam in re gravissima, & temporibus periculosissimis ægrè tulerunt, donec per supremum controversiarum Iudicem omnem suspicionem depulsam agnoverint.

9 Ideò non satis clarè, ne aliter loquar, se explicuit Magister Palanco, qui tomo 2. de Deo, disput. 5. quæst. 6. num. 1. leviter, & summatim attingens controvesias de auxilijs habitas Romæ coram Suprema Sede, sic concludit: *Exindeque SS. Pontifices Clemens VIII. & Paulus V. ad se litem avocaverunt, quæ in Romana Curia coram prædictis Summis Pontificibus per varias sessiones agitata est. Habitus denique permissus à Patribus Societatis eam scientiam mediam propugnandi certis cum modificationibus, vt refert Pater Henao in sua Scientia media historicè propugnata.* Super quæ debuit scire R. P. Primò: Permissum æquè comprehendisse Gravissimos Patres Dominicanos, ac nostros, cum per Summũ P. Paulum V. stabilitum fuerit vtramque sententiam in sua probabilitate relinquere, donec aliter supremo capiti in vna, aut altera parte visum fuerit. Secundò, nec vel in minimo Doctrinam Sapientissimi Doctoris Molinæ passam fuisse exceptionem vllam; ni velit vocare modificationes, & exceptiones præcautiones factas per legem de servanda modestia, & charitate in impugnandò, & defendendo, quæ decet Doctores Catholicos, & Religiosos sine censurâ vlla alterius partis, quo modo modificatio se extẽdit ad vtramque sententiam, & est modus loquendi non dissimulandus. Tertiò, non satis considerate adducere in testem Patrem Henao, cum hic nec verbum habeat vllius modificationis, qualiter videri potest in eiusdem eventilatione 14. num. 364. vbi refert sententiam latam à Paulo V. quæ si scivit, vt iudicandum est de viro instructissimo, orandus est Doctissimus Magister, si rursus se offerat similis occasio, vt clarioribus terminis suum benignum animum in Societatem apperiat.

10 Lata sententia vt vidimus, omnes, quibus bona mens in Societatem nostram, eiusque doctrinam commoverat, placido animo conquieverunt. Aſt alij ex æmulatione, aut invidia semper impulsi siluerunt, & consopiti sunt ad tempus, nè per ea, quæ in conspectu omnium contigerant, falsitatis convincerentur. Cæterum postquam per triginta annos, & amplius somnum suum dormierunt, nostrorum odio experrecti, pares sibi ideſt dormientes testes adhibuerunt, & in publicum evulgatis quibusdam transcriptis, nescio ex queis scrinijs acceptis retroactata toto controversiarum tempore evolventes, censuram latam à triginta Censoribus damnantibus Romæ doctrinam Iesuiticam proposuerunt, non agnoscentes difficile posse probari veritatem resurgentem, quę dum vixit, à nemine est agnita; cæterum non adeo infelix, & despecta fictio ista, vt non meruerit sibi aliquam fidem apud celebrem, & doctissimum Cursum Salmanticensem Patrum Carmelitarum Discalceatorum, tomo 1. in primam partem, tract. 3. disput. 10. Magis-

gistrum Ioannem à Sanct. Thoma tomo 1. in 1. partem disput. 20. & quod plus est apud Franciscum Felicem Franciscanum in suo tractatu de Scientia cap. 6. difficultate 2. In quorum mentem non venit noxiam istam censuram nec in minimo Authoritatem doctrinæ minuere. Damnaverint triginta, sit ita: damnaverint etiam mille, si placet quid inde? Si in litis decisione iudicium damnantium fuit spretum; & approbantium sententiæ iudicium summi capitis accesit. Vt quid ergo in sapientissimis, & cordatissimis perditio hæc eruditionis?

11 Pauca hæc, cum livor in Societatem audatius progressus, nec sententiæ ipsi Pauli V. pepercerit per oppositionem alterius nobis infensæ ab eodem Pontifice confectæ, & certis de causis suppressæ quam evulgavit Libertus Fromondus Ianseniſta in sua Theriaca edita sub ficto nomine Vincentij Lenis anno 1647. vt extractam à quibusdam actis congregationum, quæ habitæ sunt Romæ coram Summis Pontificibus pro controversijs iam memoratis. Quæ omnia, vt supposititia, & falsa haberentur, ipsa delitescentia per triginta annos sufficiebat. Nec falsitas tantæ magnitudinis brevi construi valuit pro cuius detectione in promptu est decretum Innocentij X. datum die 27. Aprilis anni 1652. quod ad verbum sic se habet. *Cæterum cum, tàm Romæ, quàm alibi circumferantur quædam asserta acta M. SS. & forsan Typis excussa congregationum habitarum coram fœlicis recordationis Clemente VIII. & Paulo V. super quæstione de Auxilijs divinæ gratiæ, tam sub nomine Franciſci Pegnæ, olim Rotæ Romanæ Decani, quàm Fr. Thomæ de Lemos, Ordinis Prædicatorum aliorumque Prælatorum, & Theologorum, qui vt asseritur prædictis interfuerunt Congregationibus, nec non quoddam autographum, sivè exemplar cuiusdam assertæ Constitutionis eiusdem Pauli V. super definitione prædictæ quæstionis de Auxilijs, ac damnationis sententiæ, seu sententiarum Ludovici Molinæ Societatis Iesu, eadem sanctitas sua præsenti hoc decreto declarat, ac decernit prædictis assertis actis, tàm pro sententia Fratrum Ordinis Sanct. Dominici; quàm Ludovici Molinæ, aliorumque Societatis Iesu Religiosorum, & autographo, sivè exemplari prædictæ assertæ Constitutionis Pauli V. nullam omninò fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, neque à quocumque alio allegari posse, vel debere; sed super quæstione prædicta observanda esse decreta Pauli V. & Vrbani VIII. suorum prædecessorum.*

12 Vides ex Pontificis dicto plura, & præcipua in Iesuitarum doctrinam evulgata, vt fabulosa, & fide vacua reiecta: vnde deprehendes, quàm caute in alijs, quæ ad dictorum tenorem communiter circunferuntur sit procedendum: nam qui semel in appertissimo mendatio comprehenditur, aut nullam, aut suspectam fidem sibi in reliquis conciliat; præcipuè cum adversantium conatus nulla Authoritate reprimantur. Vt videre est in libello nuper edito sub ficto nomine Augustini Le Blanc, qui non contentus Fabulas omnes iam despectas renovare, summa iussa spernens sæve in Societatem, & doctrinam eius invehitur nulli parcens, & nihil omittens vnde mordendi, & lacerandi occasionem sibi paret; sed pœnas iam dedit proscriptus per Sacrum Tribunal Inquisitionis Hispaniæ. Nec contemnendæ sunt disquisitiones, quæ in novam eiusdem congregationum de auxilijs Historiam nuper prodierunt, vbi radicitus, & fundamentaliter discussa ea omnia, quæ vt non propria nostri instituti summatim diximus inveniet, qui velit: & hæc sufficiat indicasse pro corrigendis Vulgi Fabellis in his, qui diffusiorem notitiam non possunt acquirere, aut pro excitandis alijs, qui ampliorem apud relatos Authores desiderent. Verùm, vt tandem obturentur ora loquentium iniqua contra Societatis doctrinam, & velint, nolint, silentium sibi imponant, libet adiungere elogium insigne, quo Pontifex Maximus Clemens IX. anno 1668. 5. Kalendas Augusti in Bulla confirmante erectionem duarum Cathedrarum pro Societatis doctrina in Academia Complutensi factam à Sereniſsima Hispaniarum Regina D. Mariana Austriaca eandem Societatem, necnon doctrinam, & Doctores ipsius decoravit. Inquit enim ibi post alia: *Attendentes igitur, quod Societas Iesu digito Dei ex eodem Sedis Apostolicæ oraculo efformatum institutum semper egregie sustinuit, munusque disciplinis Christianæ pietatis conciliatis ad ingenij culturam, simul, & animarum excrevit salutem prout publicè testantur perennia religiosæ sapientiæ monumenta, quibus litteraria laureantur theatra, & Catholica coronatur Ecclesia, adeo vt pronuntiatum*

illud

illud propheticum eius professoribus appositè congruat (labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius) & proinde considerantes, &c. Videat ergo, qui vt mordeat, velit suo latratu nostras exiles voces confundere; an possit prævalere contra vocem oraculi: insuperque an sit suspecta doctrina illa, quę ex mente summi capitis litteraria laureantur theatra, & Catholica coronatur Ecclesia.

13 Mihi autem semper præsens erit id quod ex nostro Cornelio à Lapide notavit Henaus in præfatione ad Lectorem: inquit enim magnus iste interpres ad 2. Sancti Petri cap. 3. vers. 15. *Mirare hic, & imitare candorem, humilitatem, integritatem, & charitatem Sanct. Petri, qui divini honoris studiosus sui negligens adeo dilaudat; imò canonizat Epistolas Sancti Pauli de quo ait (sicut, & charissimus Frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis) cum tamen sciret Sanct. Petrus in his se taxari, suumque errorem, & lapsum toti orbi propalari. Nam ad Galatas 2. 11. de eo scripsit Sanct. Paulus (cum autem venisset Cephas Antiochiam in faciem restiti: quia reprehensibilis erat.) Notent hæc Doctores, & Scriptores qui aliorum dicta, & scripta suis contraria vituperant, impugnant, dilacerant.* Sicut, & id, quod apud eundem Cornelium protulit Magnus Augustinus ad illud cap. 6. ad Galatas; *huiusmodi instruite in spiritu lenitatis*, dicens: *Quidquid enim lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non charitas corrigentis: dilige, & dic, quod voles.* Nec propterea oblivioni tradendum decretum Innocentij dist. 83. cap. error monens: *Error cui non resistitur, approbatur, & veritas cum non defenditur, opprimitur, negligere quippè cum possis detur vare pervers os nihil est aliud; quam fovere, nec carer scrupulo Societatis occultæ, qui manifesto facinori, cum potest desinit obviare.*

14 Verùm ad propria rediens noto pro maiore claritate dicendorum differentiam iam supra disputatione X. insinuatam inter Scientiam mediam *strictè talem*, & Scientiam mediam *latè talem*: Scientia media *strictè talis* ea nobis dicitur, quæ verè obtinet medium inter Scientiam divinam naturalem, & liberam, taliter, vt licèt de vtraque aliquid participet, tamen, nec Deo liberam, nec Deo naturalis dici queat. Scientia media *latè talis* ea venit appellanda, quæ cum sit contingens nulli præsenti, & actuali inniti tur divinæ voluntatis decreto, cæterum cum benè componi valeat nulli decreto actuali, & præsenti inniti; & tamen dependere ab aliquo decreto divino subiectivè conditionato, quod se habeat, vt conditionatum eiusdem scientiæ; propterea Scientia media *latè accepta* non excludit rationem liberæ; nec media nominatur quasi quid medium sit inter Scientiam *liberam*, & *naturalem*; sed quia cum Scientia media strictè tali convenit in non exigendo pro existentia sui decreto aliquo actuali, & absolutè exercito: vnde aliquomodo sub Scientia media comprehenditur.

15 Hinc Scientia media *strictè talis* sic apte definitur: *Scientia conditionalis contingens Deo non libera*: per ly, *Scientia conditionalis contingens* convenit cum Scientia media *latè tali*; imò cum Scientia conditionali innitenti decreto subiectivè absoluto, & obiectivè conditionato. Per ly *Deo non libera* differt tum à Scientia media *latè* dicta, tum à Scientia conditionata libera innitenti decreto subiectivè absoluto, & obiectivè conditionato; convenit verò cum Scientia naturali, & necessaria. Scientia media *latè dicta* per hæc prædicata est definienda *Scientia conditionalis contingens nulli decreto divino actualiter, & absolutè existenti innitens, dependens verò à conditionato Deo libero.* Per Prædicata *conditionalis, contingens independens à decreto actualiter, & absolutè exercito*, convenit cum Scientia media *strictè tali*. Per prædicatum *dependens à conditionato libero Deo* differt à Scientia media *strictè tali*, & convenit cum Scientia libera, à qua simpliciter, & communiter dicta discernitur per illud prædicatum *nulli decreto actualiter, & absolutè existenti innitens*. Fluit ex datis definitionibus sicut ex distinctione data inter vnam, & alteram Scientiam eam solam dependentiam ab exercitio, & decreto Deo libero obesse Scientiæ mediæ *strictè tali*, quæ arguat ipsam non modo Deo contingentem; verum, & ipsi liberam. & in Scientia media *latè tali* eam solam dependentiam ab exercitio, & decreto Deo libero esse nocivam, ex qua probetur non tantum Deo libera, verùm requirens aliquod exercitium; aut decretum Deo liberum subiectivè absolutum, & actualiter exercitum.

16 Rursus deducitur: eam solam dependentiam ab exercitio, aut decreto

Deo

Deo libero esse contra rationem Scientiæ mediæ *strictè acceptæ*, in qua Deus sub hypothesi respecta per talem Scientiam sit potens immediatè ad determinandum, aut impediendum conditionatum sub hypothesi: patet id; siquidem ea sola dependentia à divino decreto, & exercitio libero Dei officit Scientiæ mediæ *strictè* tali, ex qua legitimè inferatur prædictam Scientiam existere pro libertate Dei: at ex sola dependentia, ex qua Deus sub hypothesi respecta per talem Scientiam sit potens immediatè ad determinandum, aut impediendum conditionatum sub hypothesi arguitur legitimè prædictam Scientiam existere pro libertate Dei, cum vt sæpè diximus, & evidentissimum per se est, veritas conditionalis tantum liberè impediri queat per liberam potestatem coniungendi defectum conditionati cum existentia hypothesis: ergo ea sola dependentia ab exercitio, aut decreto Deo libero est contra rationem Scientiæ mediæ *strictè acceptæ*, ex qua Deus sub hypothesi respecta per talem Scientiam sit potens immediatè ad determinandum, aut impediendum conditionatum sub hypothesi. Contra rationem autem Scientiæ mediæ *latè talis* ea sola dependentia ab exercitio, aut decreto libero probabitur, ex qua non modo probetur prædicta Scientia Deo libera, & per eius electionem existens; sed vlterius habeat annexum exercitium liberum Dei absolutè existens, independenter à quo ea Scientia nequeat existere.

CAPVT II.

Resolvitur quæstio, & pars electa Authoritate, & ratione firmatur.

17 SIT conclusio: Deus cognoscit futura conditionata nobis libera per Scientiam conditionalem contingentem ipsi non liberam seu per Scientiam *strictè mediam*. Propositionem probat Authoritas tum Scripturæ, tum Patrum semel, & iterum ponderata ad excludendum omne decretum divinum antecedens, sivè comitans pro veritate determinata futuri conditionati contingentis nobis liberi, & ad probandam Scientiam divinam infallibilem, qua Deus cognoscit ea futura in se ipsis: quare omnia illa testimonia sunt ad præsens recognoscenda, & ex ipsis eruendum fundamentum efficacissimum huius asserti. Etenim ex eis constat veritates obiectivas conditionales nobis liberas ita vnicè pro nostra electione & libertate existere, vt omne divinum exercitium pertinens ad Dei voluntatem in eis inclusum, vel ad eas requisitum sit tale, vt per eius liberam substractionem veritas ipsa conditionalis nequeat impediri; nec per eius positionem determinari simpliciter. Ratio est: quia excluso pro veritate conditionali; v. g hac *si existat libertas A, existet consensus*, omni decreto, sivè antecedenti, sivè comitanti sub existentia conditionis, tantum restat, aut exercitium liberum divinum purè consequens, si sit erga conditionatum, vt est prædefinitio consensus sub auxilio regulata, & dependens à Scientia media consensus sub eadem libertate, aut exercitium liberum antecedens quoad existentiam, & non existentiam conditionis: sed neque exercitium liberum purè consequens erga conditionatum sub existentia conditionis, neque antecedens quoad existentiam, & non existentiam conditionis est sufficiens, vt pro libertate Dei impediatur, aut determinetur simpliciter veritas conditionalis de conditionato nobis libero, cum vnum præsupponat essentialiter veritatem conditionalem, quæ ab ipso non dependet; & alterum tantum respiciat purificationem conditionis à qua veritas conditionalis est omnino independens: ergo omne exercitium divinum pertinens ad Dei voluntatem in eis inclusum, vel ad eas requisitum est tale, vt per eius liberam substractionem veritas ipsa conditionalis nequeat impediri, nec per eius positionem simpliciter determinari.

18 Vnde subsumitur; sed quando veritas obiectiva vnicè per nostram libertatem est simpliciter impedibilis, & determinabilis, Scientia similiter ipsi correspondens, vnicè per nostram libertatem est simpliciter impedibilis, & determinabilis, cum non aliter libere impediatur, aut determinetur Scientia; quam per liberam impeditionem, aut determinationem obiecti: ergo Authoritas, tàm Scripturæ, quàm Patrum, quæ pro-

probat veritates obiectivas conditionales de conditionato nobis libero esse vnice pro nostra libertate in ratione talium impedibiles, & determinabiles, probat etiam Scientiam divinam ipsis correspondentem esse vnicè pro nostra libertate impedibilem, & determinabilem: ac per consequens eam Scientiam esse conditionatam, & contingentem Deo non liberam, quomodo insuper in ratione Scientiæ mediæ *strictè* sumptæ constituitur: memorentur ergo omnes reflexiones supra adhibitæ ad prædictiones conditionatas Scripturæ, & ad dicta, & expositiones Sanctorum Patrum, vt quantum nostro intento faveant, eluceat.

19 Explicatur 1: per eam Scientiam ex Scriptura, & Patribus cognoscit Deus futura conditionata nobis libera, quæ ex se permittit determinationem exercitij liberi vnice esse pœnes arbitrium creatum, excluditque esse aliud agens liberum, quod simpliciter determinet, benè componitur cum eo quod Deus sit expectator operationis rectæ; quin sit expeditus pro omni casu, & circunstantia libertatis creatæ eam obtinere à creatura, nec obstat iustæ increpationi dissentientis à consentiente sub æquali potestate, aut collationi plenissimæ, & expeditissimæ ad rectè operandum, dum male agitur: sed Scientia taliter se habens est Scientia Deo contingens, & ipsi non libera: ergo ex Scriptura, & Patribus Scientia qua Deus cognoscit futura contingentia nobis libera est Scientia ei contingens, & non libera. Discursus est legitimus, & maior constat ex testimonijs, tum Scripturæ, tum Sanctorum Patrum locis citatis expensis. Minor autem facilè probatur. Nam Scientia potens Deo deficere, & ita independens ab exercitio libero divino, vt vnicè sit ex determinatione libera creaturæ, est Scientia Deo contingens, & non libera: sed Scientia gaudens talibus prædicatis est Scientia potens Deo deficere, cum sit de veritate obiectiva contingente, & defectibili, & ita independens ab exercitio libero divino, vt vnice sit ex determinatione libera creaturæ: ergo Scientia taliter se habens, vt in Scriptura, & Patribus exprimitur, est Scientia Deo contingens, & ipsi non libera.

20 Confirmatur: Scientia, quæ cum contingenter debeat existere in Deo; si tamen eius liberæ determinationi inniteretur, inferret, aut dari in voluntate necessitatem, cui resistere non potest, aut saltem extra arbitrium creatum esse aliquid, quod ipsum ad operandum determinet, est Scientia contingens chymericè tantum existens in Deo: sed Scientia conditionatorum, quæ ad nostram libertatem spectant, libera Deo, est Scientia, quæ cum contingenter debeat existere in Deo, inniteretur eius liberæ determinationi; ac proinde inferret, aut dari in voluntate necessitatem, cui resistere non potest, aut saltem extra arbitrium creatum esse aliquid, quod ipsum ad operandum determinet: ergo est Scientia contingens chymærica. Maior constat ex Regulis traditis à Clemente Romano, & Augustino pro servando iure libertatis creatæ dicente illo in Epist. 3. *Nihil esse, quod audientes fidem ad credendum determinet*, & rursus. *Si quid esset quod ad credendum, vel non credendum determinaret, meritum, & libertas tolleretur.* Et isto lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. *Quæcumque ista causa est voluntatis; si non potest ei resisti, sine peccato ei cedituv.* Minor Probatur: Scientia conditionatorum, quæ nostræ libertatis sunt, & libera est Deo, aut innititur liberæ determinationi divinæ antecedenti simpliciter operationem creaturæ, & sic dabitur causa, & necessitas cui resisti non potest, vel determinationi divinæ comitanti operationem creaturæ, & sic aliquid esset vltra arbitrium creatum, quod ipsum determinaret: ergo Scientia conditionatorum, quæ ad nostram libertatem spectant; libera Deo, est Scientia, quæ cum contingenter debeat existere in Deo, inniteretur eius liberæ determinationi; ac proinde inferret, aut dari in voluntate necessitatem, cui resistere non potest, aut saltem extra arbitrium creatum esse aliquid, quod ipsum ad operandum determinet.

21 Inde sumo: Scientia divina contingens, quę ex Scriptura, & Patribus si Deo sit libera, est Scientia repugnans; est Scientia inferens tantum possibilem Scientiam contingentem Deo non liberam: at Scientia contingens conditionatorum, quæ nostræ sunt libertatis ex Scriptura, & Patribus si sit Deo libera, est Scientia repugnans: ergo est Scientia inferens tantum possibilem erga talia obiecta Scientiam contingentem, & Deo non liberam. Hinc videas exclu-

sam

iam libertatem huius Scientiæ, sivè proveniat ex decreto divino antecedente, sivè ex decreto comitanti, & quod sit condeterminatio exercitij liberi procedentis à libertate creata.

22 Dices: Scientia absoluta, & visionis de exercitio libero creaturæ hæc omnia benè componit, & tamen est Scientia contingens Deo libera: ergo quod Scientia conditionata secundum Scripturam, & Patres ea omnia debeat illæsa servare, non est antecedens vnde legitimè inferatur non existere pro libertate divina, ac propterea; quod non sit contingens, & Deo libera.

23 Sed contra: quia Scientia visionis, & absoluta de operatione liberâ creaturæ in tantum est Deo libera, in quantum innititur decreto divino libero de conferenda libertate creaturæ, & de præparanda Omnipotentia ad simul concurrendum cum voluntate creata, quibus sublatis, non esset exercitium liberum: quia non esset libertas ad illud; neque vlli in mentem venit esse contra rationem libertatis creatæ, quod sit libere collata à Deo taliter, vt valuerit eam non conferre: quare omnis Scientia, quæ innitatur exercitio libero divino procedente ab hac libertate non infensa erit libertati creatæ, & quamvis sit Deo libera, rectè componibilis erit cum libertate creata. Et ratio est manifesta: quia omnis determinatio libera divina, quæ præcisè sistat in constituendâ libertate creata, est determinatio libera Dei, quæ præcisè sistit in constituenda indifferentia voluntatis creatæ, vnde tanquam ex potestate dominativa oriatur electio vnicè determinata per tale dominium: ergo Scientia illa, quæ ideo sit libera, quia innititur tali determinationi, non officit dominio, & indifferentiæ libertatis creatæ; sicut nec determinatio illa libera Deo vllum nocumentum inducit; sed potius fovet ex tendentia, quæ sistit in illa constituenda; secus in illa ad suum exercitium determinanda.

24 Quæ non quadrant in Scientiam conditionatam de operatione libera creaturæ: nam hæc libera non aliter potest esse Deo, nisi in quantum liberum sit Deo determinare, aut impedire sub hypothesi conditionatum, quod cum libertate, & indifferentia voluntatis creatæ non componitur, cum aut debeat esse determinatio divina antecedens, aut comitans adigens voluntatem creatam ad determinatum exercitium: etenim, vt sæpè diximus, veritas conditionalis, sicut, & scientia illi correspondens non valet impediri, aut determinari per solam impeditionem, aut determinationem hypothesis, qua sublata, adhùc persistere potest, vt constat in omnibus conditionalibus contingentibus de hypothesi non purificanda, & qua existente, nisi aliunde supponatur veritas ipsa conditionalis, datur plenissima indifferentia, tum ad ipsam, tum ad oppositam veritatem. Hinc clarè deducitur; quare Scientia visionis de exercitio libero creato Deo libera nullum inferat dispendium libertatis creatæ, & Scientia conditionata de operatione libera creaturæ, si Deo libera simul foret, non benè componeretur cum libertate creata: inferret enim hæc determinationem liberam divinam erga exercitium ipsum liberum creaturæ; illa vero determinationem liberam divinam erga constitutionem libertatis, & indifferentiam voluntatis, sub qua ad quod voluerit, se determinet: stat ergo clarum signum compositionis in vna, & oppositionis in altera cum indifferentia, & dominio exacto pro libertate creata servanda.

25 Cæterum præter dicta considerandæ sunt ad intentum excludendi divinam determinationem quoad conditionatum nobis liberum Scientiæ huius conditionalis, ex qua duntaxat posset constare Deo libera, omnia ea, quæ ex sacris litteris proponunt Deum, vt indifferentem, & indeterminatum ad operationes liberas creaturæ, vt sunt Deuteronomij cap. 10. *Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & audieris præcepta eius, quæ in lege hac conscripta sunt, vt revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua*, & post: *mandatum hoc quod præcipio tibi, non supra te est, nec procul positum; sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, vt facias illud.* Ecclesiastici cap. 15. *Ante hominem vita, & mors, quod placuerit, ei dabitur illi, quoniam multa sapientia Dei, & fortis in potentia videns omnes sine intermissione*, vbi notandum ly: *quoniam multa sapientia, & fortis in potentia, videns omnes sine intermissione* coniunctum cum ly, *quod placuerit, dabitur ei.* Ad Romanos 10. *Idem est Dominus omnium dives in omnes qui invocant illum.* 1. ad Timotheum 6. *Spera te in Deo vivo, qui præs-*

præstat nobis omnia abundè ad fruendum. Iacobi cap. 1. *Qui dat omnibus affluenter, & nemini improperat.* Matthæi cap. 5. *Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos.* Ioannis 10. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.*

26 Item ea omnia, quę ostendunt Deum ardenter procurantem rectam nostram operationem, & non assequentem, vt ad Romanos cap. 10. *Ad Israel autem dicit: tota die expandi manus meas ad Populum non credentem, & contradicentem mihi.* Quæ explicans S. Leo Serm. 8. de Passione Domini, inquit: *Traxisti enim Domine omnia ad te, & cum expandisses tota die manus tuas ad Populum non credentem, & contradicentem tibi, confitendæ maiestatis tuæ sensum totus mundus accepit. Traxisti Domine ad te, cum in execrationem Iudaici sceleris vnam protulerunt omnia elementa sententiam. Cum obscuratis luminaribus Cœli, & conversо in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis, vniversaque creatura impiorum se vsui denegaret. Traxisti Domine omnia ad te quoniam scisso Templi velo Sancta Sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt, vt figurа in veritatem, Prophetia in manifestationem, & Lex in Evangelium verteretur,* & Matthæi cap. 23. *Quoties volui congregare Filios tuos sicut gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti:* quam specialissimam, & maximè benevolam providentiam exponit Div. Augustinus, dicens: *Mirus est amor omnibus ferè avibus ad conservandos, & protegendos pullos suos; sed præcipuè gallinis, quæ pullos colligunt sub alas, hoc est summo cum desiderio, & solicitudine eos fovent.* In idem respicit illud Ieremiæ cap. 51. *Curavimus Babilonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Ad quæ D. Gregorius in Pastorali tertia parte admonitione 14. *Babilon* (inquit) *curatur, nec tamen ad sanitatem reducitur quando mens in prava actione confusa verba correctionis audit, flagella correptionis percipit, & tamen ad recta salutis itinera redire contemnit.* Sed magis ad rē Origenes: *Accedit aliquis, nempe medicus ad languentem, quantum ars patitur, & industria, medicamina non cessant; sed si ægritudo tanta sit, vt repugnet curationi, aut ipse infirmus per impatientiam doloris contra faciat, quam iubetur, relinquit medicus: desperat huiusmodi hominem, & recedit ne in manus suas spirans, causam interitus eius ad se retorqueat:* quæ omnia cum determinatione divina non componuntur, aliàs aut principale remedium omisisset, aut tepidè nimis salutem procurasset.

27 In Patribus ea, in quibus proponunt modum, quo Deus nos trahit, & allicit ad rectè operandum; quin vnquam desisnent determinationem aliquam, aut aliquod connexum ex parte Dei cum nostro exercitio libero audiatur Augustinus multis in locis, vt tractatu 12. in Ioannem circa finem ad illa verba: *Non enim misit Deus Filium suum, vt iudicet mundum; sed vt salvetur mundus per eum.* Vbi sic: *Ergo quantum in medico est, sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta medici servare non vult: venit salvator ad mundum; quare salvator dictus est, mundi, nisi vt salvet mundum, non vt iudicet mundum? Salvari non vis ab ipso? Ex te ipso iudicaberis.* & in Ps. 102. *Vocat vndique Deus ad pœnitentiam, vocat beneficijs creaturæ: vocat per lectorē, vocat per tractatorem: vocat per intimam cogitationem: vocat per flagellum correptionis: vocat per misericordiam consolationis.* Et lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2 *Præcipitur, vt rectè vivamus; sed quis potest rectè vivere, aut operari, nisi iustificatus ex fide? Præcipitur, vt credamus; sed quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est aliqua rerum testificatione tangatur? Qui habet in potestate tali visu attingi mentem suam, quo eius voluntas moveatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? At quis habet potestatem, vt vel occurrat quod eum delectare possit, vel delectet cum occurrerit? Cum ergo nos ea delectant, quibus proficimus ad Deum, infunditur hoc, & præbetur gratia Dei non nuto nostro, aut industria, aut operum meritis comparatum: quia vt sit nutus voluntatis, vt sit industria studij, vt sint opera charitate ferventia; ille tribuit, ille largitur.* Vnde concludit: *Igitur non volentis, neque currentis; sed miserentis est Dei; quandoquidem, nec velle, nec currere, nisi eo movente, atque excitante poterimus;* sed quo motu, & excitatione? scilicèt inclinatione, delectatione ex parte voluntatis, & illustratione, seu testificatione ex parte intellectus.

28 Conformis est Div. Prosper fidissimus Augustini discipulus lib. 2. de vocatione Gentium cap. 26. proferens: *Gratia Dei in omnibus iustificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, eosque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: quæ opitulatio per innumeros*

mo-

modos ; ſivè occultos , ſivè manifeſtos omnibus adhibetur ; & quod à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ ; quod autem à multis recipitur , & gratiæ eſt divinæ, & voluntatis humanæ. Vide expreſſos omnes modos, quibus Deus inclinat , & movet ad bonum , in quibus nullam eſſe connexionem , aut infallibilitatem intrinſecam, & irreſiſtibilem probant adiuncta illa; *& quod à multis refutatur ipſorum eſt nequitiæ.* Nec non, *quod à multis recipitur, & gratiæ eſt divinæ , & voluntatis humanæ.* Modi igitur omnes illi vocandi , quos refutare , aut recipere penes creatum arbitrium eſt , non ſunt modi ex ſe determinantes, & connexi cum exercitio ad quod inclinant ; alias cum oppoſito id eſt cum refutatione exiſtere nequirent.

29 Tum ea in quibus efficaciam vocationis per gratiam excitantem , & adiutricem refundunt in velle noſtrum, & in coaptationem, ex qua eam in nobis ſine abuſſu recipimus. Inquit enim Auguſtinus in Pſalm. 63. ad finem: *Quod pluit in agrum vberem, dulce eſt , & quod pluit in agrum ſpinoſum, dulce eſt. Nunquid pluviam accuſas, quod ſpinas genuerit ? Nonne erit pluvia illa teſtis in iudicio Dei , & dicet. Ego dulcis ſuper omnia veni. Tu ergo quid proferas vide, vt quid tibi paretur attendas. Profers frumentum? Horreum ſpera. Profers ſpinas? Ignem time. Sed nondum venit, aut tempus horrei aut tempus ignis. Nunquid conſilij corrigẽdi, & mutãdæ vitæ malæ in bonã non eſt tempus? Non eſt locus? Nonne ſivis hodie fit? Nonne ſi vis modo fit? Quid empturus, vt facias; quæ emplaſtra quæſiturus? Ad quos Indos navigaturus? Quam navim paraturus ? Ecce dum loquor, muta cor, & factum eſt.* & rurſus in Pſalmo 101. *Sanabit te Chriſtus ; ſed opus, vt ſanari velis. Sanat omninò ille quidem; ſed non ſanat invitum. Quid enim in te beatius; quàm vt tanquam in manu tua vitam, ſic in voluntate tua habeas ſanitatem.*

30 Sicut de Natura , & gratia cap. 67. *Quieſcant ingrati , & adverſus Deum murmurare deſiſtant; rectè enim fortaſſe quærerentur, ſi erroris , & libidinis hominum nemo victor exiſteret ; cum vero vbique ſit præſens , qui multis modis averſum vocat , docet credentem , conſolatur ſperantem , diligentem adhortatur , conantem adiuvat, exaudit deprecantem; non tibi deputatur ad culpam , quod invitus ignoras; ſed quod negligis quærere quod ignoras. Neque illud quod vulnerata membra non colligis ; ſed quod volentem ſanare contemnis.*

31 Clarè , & eleganter Angelicus Doctor lib. 3. contra Gentes cap. 259. ſic loquitur : *Conſiderandum eſt, quod licet aliquis per motum liberi arbitrij divinam gratiam, nec promerere, nec advocare poſsit , poteſt tamen ſe ipſum impedire, vt illam recipiat. Dicitur enim de quibuſdam Iob. 21. (Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus) & Iob 24. (Ipſi rebelles fuerunt lumini.) Et cum hoc ſit in poteſtate liberi arbitrij impedire receptionem gratiæ, non immerito ei imputatur , qui impedimentum ponit. Deus enim quantum eſt ex ſe paratus eſt omnibus gratiam dare : vult enim omnes ſalvos fieri ; ſed illi ſoli gratia privantur , qui in ſe ipſis impedimentum gratiæ poſſuerunt ; ſicut ſole mundum illuminante in culpam imputaretur ei qui oculos clauderet, licet videre non poſſet niſi lumine ſolis præventus.* & in illa verba Ioannis cap. 6. *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater , qui miſit me, traxerit eum.* Eadem repetit, *ſicut grave per naturam non poteſt ſurſum ferri , niſi trahatur ab alio ; ita cor humanum ex ſe ad inferiora tendens non poteſt ſurſum elevari , niſi tractum per gratiam. Si vero con elevatur, non eſt defectus ex parte trahentis , qui quantum ex ſe eſt non deficit ; ſed eſt propter impedimentum eius, qui non trahitur.* Clarius adhùc in caput 8. ad Romanos Lect. 3. ibi: *Hæc vocatio eſt efficax in prædeſtinatis , quia huiuſmodi vocationi aſſentiunt.*

32 Tum denique ea in quibus diſparitatem conſentientis à diſſentiente non referunt in diſparitatem gratiæ, quæ ſit in vno, & altero ; ſed in diverſitatem ex parte recipientis , inquantum benè , aut malè vtitur eadem vocatione , & pari gratia : ſic Magnus Parens Auguſtinus lib. de Prædeſtinatione , & gratia cap. 15. Vbi comparans inter ſe Nabucodonoſorem, & Pharaonem invenienſque per omnia pares , cauſam inveſtigat : quare vnus pulſatus per Deum reſipuerit ; alter vero durior plus , & plus conſtiterit, proponit , & reſolvit per hæc verba: *Vnde Nabucodonoſor ergo pœnitentiam meruit fructuoſam : nonne poſt innumeras impietates flagellatus pœnituit , & Regnum, quod perdiderat rurſus accepit ? Pharao autem ipſis flagellis eſt durior effectus , & periit. Hic mihi rationem reddat , qui divinum conſilium nimium altum ſapienti corde*

diiudicat. Cur medicamentum vnius medici manu confectum alijs ad interitum, alijs voluerit ad ſalutem? Niſi quia Chriſti bonus odor alijs eſt odor vitæ in vitam; alijs odor mortis in mortem. Quantum ad naturam ambo homines erant: quantum ad dignitatem Reges: quantum ad cauſam ambo captivum Populum poſſidebant; quantum ad pœnam ambo flagellis clementer admoniti: quid ergo fuit ſines eorum eſſe diverſos, niſi, quod vnus manum Dei ſentiens recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero contra Dei miſericordiſsimam veritatem propugnavit arbitrio.

33 Et ad Simplicianum lib. 1. quæſt. 2. *Nathanael credidit ad vnam ſententiam, quam à Chriſto audivit. Miraculo facto in Canâ Galileæ crediderunt in eum diſcipuli eius, multos loquendo invitavit ad fidem multi nec ſuſcitatis mortuis crediderunt. De Cruce, & morte eius contriſtati diſcipuli conturbaverunt, & tamen Latro tunc credidit, cum eum non præſtantiorem videret; ſed conſortio Crucis æqualem multi ex eorum numero à quibus crucifixus erat, qui videntes eum miracula facientem contempſerunt, diſcipulis eius prædicantibus crediderunt.* Vbi pro reddenda ratione diverſitatis, vel ſub æquali, vel ſub maiori gratia numquam recurrit Sanctus Doctor ad determinationem aliquam ex parte Dei per ſpecialem gratiam, vt erat facillimum ad diſolvendam quæſtionem, & nodum; verùm ad ipſum arbitrium creatum malè vtens maiori, aut æquali gratia, quando alter, aut minori, aut æquali benè vtitur. Idem tenet in ſcito illo textu lib. 12. de Civitate Dei cap. 6. in quo proponens duos æqualiter tentatos, & æqualiter adiutos, quorum vnus conſentit; alter vero diſſentit, rationem præbet diſconformitatis, & concludit: *Quid aliud apparet niſi vnum voluiſſe; alterum noluiſſe à caſtitate deficere.*

34 Conſentit Div. Thomas 3. part. quæſt. 69. artic. 8. ad 2. *In baptizatis quod maior, vel minor gratia apparet poteſt dupliciter contingere: vno modo, quia vnus in baptiſmo percipit minorem gratiam; quam alius propter devotionem maiorem; alio modo: quia etſi æqualem gratiam percipiant non æqualiter ea vtuntur; ſed vnus ſtudioſius in ea proficit; alius per negligentiam gratiæ Dei deeſt.* Vbi clarè procedit de gratia actuali, quæ per Sacramentum non minus, quàm habitualis æqualiter, aut inæqualiter confertur, vt ipſe docet quæſt. 62. artic. 2. & verba illa: *Deinde non æqualiter ea vtuntur; ſed alius gratiæ Dei deeſt,* ſatis ſuadent, cum gratia actualis ea ſit, cui propriè non correſpondet bonus vſus, dum quis ei deeſt nolens acquieſcere: ſicut, qui claudit oculos ſoli dicitur deeſſe ſoli, ac luci, quibus ad actualem viſionem excitatur. Quæ conſiderans inſignis ille Diſcipulus Angelici Præceptoris Magiſter Dominicus Soto lib. de Natura, & Gratia cap. 15. dixit: *In adultis reddenda eſt proxima cauſa, cur cum duos æquè ſit Deus paratiſsimus convertere, præſentiſſimaque vtrumque miſericordia adſpiret, hunc trahat, illum non trahat, quæ revera reddi non poteſt, niſi quod alter præbeat aſſenſum, & cooperetur; alter vero minimè.*

35 Hæc vt declinent Adverſarij nonnunquam recurrunt ad retractationem præcipuè in Magno Parente Auguſtino in quo fatentur vim eorum, quæ allegata ſunt. Ita dicunt apud Herrera quæſt. 13. ſect. 4. retractaſſe in libris de correptione, & gratia, de prædeſtinatione Sanctorum, de dono perſeverantiæ, & de peccatorum meritis, & remiſsione, ea, quæ docuerat lib. 12. de Civitate Dei de diſcretione per conſenſum, & diſſenſum in his, qui pariter tentati, affecti, & adiuti inveniuntur. Sed in primis rogo: an illud effatum duntaxat Auguſtini ſit pro nobis allatum, imò plura alia in quibus, aut ſimilem, aut eandem doctrinam, aut repetit, aut tradit? Num ergo omnia illa retractavit? Si retractavit: oſtendant quibus locis. Si non retractavit: mirum erit vnum locum deſſerere, & alia conſentientia intacta relinquere. Præterquam quod illius determinati loci non meminit in libris retractationum: quærendæ igitur erunt retractationes Auguſtini extra illius retractationes, & pro placito reſpondentium aliæ erunt retractationes Auguſtinianæ, aliæ verò retractationes, quæ ex non convenientia ad peculiare placitum huius, aut illius ex ipſo nomen accipient, quomodo nil firmum, nec ipſis, nec nobis in doctrina Magni Parentis conſiſtet. Et ad extremum recogitent illud celebre Auguſtini teſtimonium ex lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. *Quamvis multi vno modo vocati ſint; tamen quia non om-*

omnes vno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui illi capiendæ reperiuntur idonei, & illud non minùs verum sit: igitur nec volentis, nec currentis; sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat his; qui sequuti sunt vocationem, & dicant: an hæc, quæ apertissima sunt pro nostra sententia alicubi retractaverit?

36 Alij vt ex tam claris Augustini sententijs non convincantur ad excludendam determinationem divinam prædecernentem nostras actiones liberas media qualitate intrinseca, & irresistibili in qua ponunt congruitatem illam toties repetitam ab eodem Magno Parente, recurrunt ad quasdam vocationes ab intrinseco efficaces respectivè, tum respectu diversorum, tum respectu eiusdem pro diversitate temporis, & circunstantiarum ita taliter, vt licet verum sit vocationem esse ab intrinseco efficacem, & prædeterminantem; non tamen id habeat pro semper, & pro omni casu, aut subiecto, in quo valeat existere; sed respectivè duntaxat ad tales circunstantias determinatas, & determinatum subiectum, extra quæ gratia illa vocationis, nec efficax, nec congrua congruitate illa in actu secundo, & quam consensus salutaris subsequitur, nequeat reputari. Sic explicant illud: *Deum conferre gratiam consentienti, quomodo scit ei congruere*; & illud *sæpè Deum respexisse ad circunstantias temporis, & loci, quibus cognoscebat suam gratiam profuturam*: quæ frequentissima sunt apud Magnum Parentem Augustinum.

37 Ast efficacias istas respectivas, nec congruas video menti Div. Augustini, nec vtiles ad intentum pro quo excogitatæ sunt, agnosco: igitur si ex mente huius Doctoris fuissent, aliquando earum mentionem fecisset præcipuè in resolutione quæstionum, vbi de discretione consentientis, & dissentientis agit ponderata paritate vtriusque in omnibus præter consensum, & dissensum liberum, ex quibus decisionem accipit: nec credibile vllo modo fit omisisse recursum ad vocationum respectus: quando si eos approbasset, tam facile posset redargui in tam ponderata vniformitate, quæ talis non esset ex discrimine vocationis respectivè efficacis, & inefficacis, sicut ex assignata ratione consensus, & dissensus liberi, quando tota determinatio libera refunderetur in existentiam vocationis determinantis in vno, & non sic determinantis in alio; imò coniunctæ cum determinatione Dei ad materiale oppositi. Deinde quia Sanctus Doctor non tantùm negativè se habet erga assignandam aliam rationem discriminis præter ipsum consensum, & dissensum liberos; verum positivè excludit omnem aliam rationem, vt constat ex illis loquutionibus: quid aliud apparet? Quæ alia causa potest reddi? Nisi *quod alter libere consentiat, alter liberè dissentiat*, quæ in rigidissimo illo genio Scholastico non permittunt aliam causam omittere, neque in veritate dicti aliam agnoscere causam, & eam silentio premere: tum potissimè: quia determinatio respectiva non excludit, nec temperat rationem determinationis, quando existit ex parte Dei pulsantis, & tangentis cor ad obtinendum bonum consensum creaturæ: sed ex mente Augustini omnis determinatio ex parte Dei excluditur, vt consonet Scripturæ Sacræ: ergo penitus extra ipsius sententiam est determinatio ista respectivè se tenens ex parte Dei.

38 Haud minus facile probantur inutiles ad intentum; nam vel istæ determinationes respectivæ tales sunt, vt Deum relinquant expeditissimum pro omni casu ad obtinendum bonum consensum liberum creaturæ vi aliarum determinationum respectivarum, vel non? Si primum: ergo non opus habebit Deus expectare congruitatem vocationis, & gratiæ respectivè efficacis, seque ostendere, vt pulsantem ad ostium, donec apperiatur, vt consonat Scripturæ Sacræ, & ex ipsa Augustino, siquidem semper habet ad nutum vocationem gratiæ congruam respectivè, vt creaturam flectat in bonum, & in illo conservet, qua denegata non stabit in consentiente, & dissentiente paritas illa, & vniformitas ex parte Dei observata à Div. Augustino, dum refundit diversitatem effectus in libertatem arbitrij creati, iam benè, iam prave vtentis gratia, & vocatione per om-

nia ſimili: ſi ſecundum: incident in id, quod maximè fugiunt; nimirum arbitrium creatum aliquando eſſe expeditum ad conſentiendum, vt debet eſſe ſemper, ac in diſſentiendo peccat; quin Deus ſit proxima expeditio ad aſſequendum conſenſum ex defectu gratiæ, & vocationis reſpectivè congruæ, quam nec habet, nec poteſt obtinere. Vlteriuſque defectus congruitatis in gratia, qua diſſentiens liberè inſtruitur, & expeditus redditur, erit ex nutu ſuo convertibilis ex non congrua in congruam, & è converſo, taliter, vt tota ratio diverſitatis ſtet in eo, quod diſſentiens liberè non vult acquieſcere gratiæ cum poſsit, quomodo diſcernitur à conſentiente liberè volente acquieſcere ſimili gratiæ, & vocationi, cum valeat *eidem gratiæ deeſſe*, vt termini ſunt Magni Parentis: igitur inutiliter gratiæ iſtæ efficaces ab intrinſeco reſpectivæ meditantur; vt conſtet Auguſtini ſententia. Concludat igitur Proſper Auguſtini diſcipulus, & altera mens cap. 15. de vocatione Gentium, dicens: *Fruſtrà dicitur, quod ratio operandi non ſit in electis, cum etiam ad hoc operentur, vt electi ſint.* Et quidem congruentiſsimè etiam ad Scripturæ dictum per Apoſtolum Principem Petrum Epiſtola 2. cap. 1. *Fratres ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis*, ſicut, & per Doctorem Gentium Paulum 2. ad Corinthios cap. 6. *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, quæ convenire minimè poſſunt gratiæ, aut vocationi, ſivè abſolutè, ſivè reſpectivè ab intrinſeco congruæ in actu ſecundo, id eſt efficacis, vt intendunt contrarij.

39 Probatur ratione concluſio. Deus cognoſcit futura conditionata creaturæ libera, & non cognoſcit per Scientiam ſibi liberam, nec per Scientiam ſibi neceſſariam: ergo ea cognoſcit per Scientiam, quæ nec ſit ipſi libera, nec ipſi neceſſaria. Conſequentia eſt legitima; nam ſi cognoſcit per aliquam Scientiam, & non cognoſcit per Scientiam ſibi liberam nec per Scientiam ſibi neceſſariam, Scientia ea, per quam cognoſcit, erit extra rationem Scientiæ liberæ ipſi, & Scientiæ ipſi neceſſariæ, vt talium. Antecedens quoad vtramque partem conſtat. Quoad primam de excluſione Scientiæ liberæ ex latè dictis, tum in hoc tractatu quoad conſtitutionem futuri conditionati nobis liberi, tum præcipuè ex dictis tractat. de Prædeſtinatione tom. 1. diſput. 5. 6. & 7. vbi omnem determinationem liberam Dei, ſivè antecedentem, ſivè conſequentem connexam cum exercitio libero creaturæ reiecimus multiplici fundamento Authoritatis, & rationis, vt adverſam libertati creatæ: quare cum Scientia conditionatorum, de quibus modo procedimus non aliter poſſet eſſe libera quàm dependenter à tali determinatione divina; fundamenta, quæ hanc ſuadent incomponibilem cum libertate creata, pariter probant Scientiam, qua cognoſcuntur operationes liberæ creaturæ, vt conditionatè exiſtentes non poſſe convenire Deo liberè libertate, quæ ſit ipſius Dei.

40 Quoad ſecundam de excluſione Scientiæ neceſſariæ conſtat evidentiſsimè ex contingentia ipſa veritatis obiectivæ; quæ per talem Scientiam proponitur, vnde refunditur contingentia in ipſam Scientiam; ne aliter deficiente obiecto eo modo, quo per Scientiam proponitur poſſet, aut deberet perſeverare Scientia illud repræſentans, vt debet perſeverare omne, quod neceſſario, & indefectibiliter convenit Deo, ſivè exiſtat, ſivè non exiſtat quodcumque aliud contingens determinatè acceptum: Vnde falſitas Scientiæ non modo in aptitudine verùm in actu ſecundo comprobaretur, aut vtrumque contradictorium contingens eſſet ſimul verum, cum tam Scientia de conditionato contingenti ſub hypotheſi libero creaturæ; v. g. conſenſu; quàm de oppoſito illius ſub eadem hypotheſi; v. g. diſſenſu ob ſuam neceſsitatem in exiſtendo non poſſet Deo deficere; pro quo videri poſſumus citata diſput. 8. de Prædeſtin. cap. 1. & 3.

41 Iam ſic: Scientia conditionatorum contingentium exiſtens in Deo, quæ nec ſit libera ipſi, nec neceſſaria, eſt ſcientia medium tenens inter Scientiam Deo liberam, & Scientiam Deo neceſſa-

fariam, cum sit in Deo, & non sit ipsi libera, sit in Deo, & non sit ipsi necessaria: sed medium tenens inter liberum, & necessarium est *contingens, & non liberum*, cum vt excludat rationem liberi debeat esse *non liberum*, & vt excludat rationem necessarij, & indefectibilis debeat esse *contingens, & defectibile*: ergo Scientia qua Deus cognoscit conditionata contingentia libera creaturæ, est Scientia ipsi contingens, & ipsi non libera: ac proinde nomen *Scientiæ mediæ* iure sibi arrogat ex medio quod tenet inter Scientiam Deo liberam, & Deo necessariam participans de hac necessitatem oppositam electioni liberæ, & de illa contingentiam oppositam indefectibilitati, & necessitati in existendo. Confirmatur: per illam Scientiam cognoscit Deus futura contingentia conditionata, & veritates obiectivas conditionales de libertate creata, quæ sola componitur cum libertate obiecti, quod repræsentat, & nulli opponitur divinæ perfectioni: sed sola Scientia contingens & Deo non libera, seu media inter liberam, & necessariam ita se habet: ergo per hanc Scientiam Deus cognoscit prædictas veritates. Maior est certa, propterea quod in Scientia vtrumque illud debeat attendi, scilicèt cohærentia cum perfectione, & attributis divinis, & cum libertate actionis, quam vt liberam creaturæ repræsentat; alias obiectum suum destrueret. Minor probatur: quia sola illa Scientia benè componitur cum libertate creata, quæ non infert exercitium aliquod liberum divinum, sivè antecedens, sivè comitans connexum cum exercitio libero voluntatis creatæ, vt ostenditur ex principijs generalibus nostræ Scholæ, & manet probatum disputationibus citatis. Insuper non opponitur vlli perfectioni divinæ id, quod tantum affert necessaria, ne inmutentur conceptus necessarij, & quidditativi, vt est conceptus essentialis *libertatis creatæ*: Patet; nam sicut Dei dominium, aut quodvis aliud attributum non deterioratur per id, quod conformetur conceptibus invariabilibus rerum; ita nullum nocumentum, aut diminutionem potest accipere ab eo, quod legitimè deducitur, vt necessarium ad stabilitatem, & invariabilitatem conceptuum ex se permanentium, & invariabilium qualis est *libertatis creatæ* conceptus: ergo sola Scientia contingens, & ipsi non libera, seu media inter liberam, & necessariam, & consulit divinæ perfectioni, & benè componitur cum libertate creata.

42 Rursus probatur: hæc propositio causalis est libertatis creatæ destructiva: *Creatura operatur liberè determinatam actionem, quia Deus cognoscit eam sic operaturam*: ergo hæc altera causalis erit etiam libertati creatæ opposita: *Creatura libere operatur determinatam actionem, quia Deus vult efficaciter eam sic operari*. Antecedens constat ex latè dictis de causalitate Scientiæ visionis, vbi vidimus esse receptissimam adversativam Patrum: *Res non sunt quia à Deo cognoscuntur; sed potius cognoscuntur quia sunt*. Consequentia autem probatur: quia cũ volũtas efficax Dei non minus connexa sit cum obiecto volito, quam Scientia eiusdem cum obiecto scito; etenim tam infallibile est extiturum, quod Deus efficaciter vult existere, quàm non defecturum id, quod Deus cognoscit aliquando extiturum: ergo si propter infallibilitatem, & connexionem metaphisicam Scientiæ cum obiecto, eo modo, quo per ipsam proponitur, causalis illa: *Creatura operatur liberè determinatam actionem, quia à Deo cognoscitur sic operaturam*, libertati creatæ reputatur adversa, propter eandem rationem, causalis altera *Creatura operatur liberè determinatam actionem, quia Deus vult efficaciter sic operari* iudicabitur non benè composita cum libertate actionis, quam efficaciter decernit.

43 Iam sic: ergo Scientia inferens, & metaphisicè secum annectens hanc secundam causalem erit Scientia repugnans libertati creatæ, & destructiva sui obiecti, scilicèt operationis liberæ creaturæ, quam repræsentat: est evidens: nam quod provt existens connectitur metaphisicè cum opposito alterius per se metaphisicè opponitur cum existentia huius: sed Scientia repræsentans veritates obiectivas conditionales nobis liberas, quæ non sit Deo contingens, & non libera: ac proinde *media* inter Deo necessariam, & liberam est Scientia metaphisicè connexa cum illa causali: *Creatura operatur liberè determinatam actionem quia Deus vult efficaciter eam sic operari*, cum si necessaria non sit, debeat esse libera Deo, & non aliter id assequatur; quam ex libera determinatione Dei tendente in conditionatum liberum creaturæ, ex qua verificatur

creaturam ita liberè operari determinatam actionem, quia Deus vult efficaciter eam sic operaturam: ergo Scientia illa proponens tales veritates obiectivas conditionales contingentes, quæ non sit Deo contingens, & ipsi non libera: ac per consequens *media* inter liberam, & necessariam, est Deo repugnans vtpotè destructiva sui obiecti.

44 Vrgetur, & fundamentum istud simul confirmatur: siquidem per eam Scientiam debet Deus cognoscere, futura conditionata, cuius consequentia ad obiectum expressa in illa causali: *Obiectum tale ita à Deo cognoscitur, quia obiectum in se ita se habet*, sit sufficiens ad extinguendam difficultatem occurrentem de coherentia talis Scientiæ cum libertate creata: sed sola Scientia Deo contingens, & minimè libera est talis, cuius consequentia ad obiectum expressa in illa causali sit sufficiens ad extinguendã difficultatem occurrentẽ de cohærentia illius cũ libertate creata: ergo per eam Scientiã Deus cognoscit dicta futura conditionata, & veritates conditionales, quæ sunt de libertate creata. Probatur minor difficilis: nam si Scientia esset pariter Deo libera, ac contingens, data illa consequentia ad obiectum quod repræsentat, exurgeret nova difficultas ex cohærentia divinæ determinationis liberæ cum libertate creata, quam difficultatem induceret ipsa Scientia, vtpotè innitens liberæ determinationi divinæ, aut prædeterminanti exercitium liberum creaturæ: ergo sola Scientia Deo contingens, & minimè libera est talis, cuius consequentia ad obiectum expressa in illa causali sit sufficiens ad extinguendam illam dificultatem occurrentem de cohærentia illius cum libertate creata.

45 Probatur tertiò paritate. In Deo non repugnat conceptus obiectivus ipsi contingens, & ipsi non liber; nec Scientia correspondens prædicto conceptui gaudens eisdem prædicatis: sed si neque in conceptu obiectivo, neque in Scientia divina ipsi correspondente repugnat se habere contingenter respectu Dei, & non se habere liberè, nulla est aptior Scientia, vt Deus cognoscat veritates obiectivas conditionales nobis liberas; quàm Scientia contingens, & non libera: ergo Scientia, qua Deus cognoscit prædictas veritates, est Scientia Deo contingens, & non libera. Minor videtur certa, ex eo quòd dum salva maneat divina perfectio sub illis prædicatis *contingentis, & non liberi*, tàm in conceptu obiectivo, quàm in Scientia ei correspondente, nulla sit aptior ad servanda illæsa iura libertatis creatæ, ea, quæ sit Deo contingens, & non libera. Probatur maior difficilis; siquidem in Deo non connexo cum possibilitate possibilium, & impossibilitate impossibilium, vt tenet communissima, & probabilissima sententia, quam nos toto animo amplexi sumus supra disputatione 9. non repugnat, imò maximè convenit divinæ excellentiæ, & perfectioni, conceptus obiectivos possibilium, & impossibilium; necnon Scientiam eis correspondentem esse Deo contingentes; quin sint termini electionis, & determinationis liberæ; patet cum aliud non sit formaliter esse Deum inconnexum cum prædictis conceptibus, quam permittere ex se, vt deficiant, sibique contingenter adveniant, cum aliunde nullo modo se exerceat, aut possit exercere liberè quoad possibilia, & impossibilia, vt talia; ac proinde neque quoad Scientiam, qua impossibilia, & impossibilia cognoscit, quamque non magis exigit, ac exigit ipsos conceptus obiectivos possibilium, & impossibilium: vnde tam contingens, & non libera est Deo Scientia possibilium, & impossibilium, ac sunt ipsa possibilia, & impossibilia: ergo in Deo non repugnat conceptus obiectivus ipsi contingens, & ipsi non liber, nec Scientia correspondens prædicto conceptui gaudens eisdem prædicatis.

46 Si dicas: contingentiam hanc probatam ex inconnexione Dei cum possibilibus, & impossibilibus esse duntaxat Deo *respectivam*; secus *absolutam*, cum possibilia, & impossibilia sint absolutè necessaria, & propterea non contingentia absolutè; nec mirum si contingentia purè respectiva, & quæ coniungitur cum necessitate absoluta excludat prædicatum *liberi*. At contingentia scientiæ conditionalis correspondentis veritatibus conditionatis de conditionato nobis libero est contingentia *absoluta*, ex quo absolutè potest deficere ea notitia, quæ de facto datur; ac propterea nõ potest coniungi cum altero prædicato *non liberæ*: fitque clara dispariras inter casum in connexionis, & casum præsentem scientiæ conditionalis de veritatibus contingentibus nobis liberis.

Con-

Contra eſt; manente in ſua vi, & robore adducta paritate. Nam per te in caſu inconnexionis non repugnat abſoluta neceſsitas ex parte poſsibilium, & impoſsibilium, cui non correſpondeat ex parte Dei abſoluta neceſsitas; imò potius correſpondeat contingentia reſpectiva: ergo pariter non repugnabit abſoluta libertas ex parte veritatis obiectivæ conditionalis de conditionato libero creaturæ, & ex parte ſcientiæ attingentis eam veritatem, cui non correſpondeat ex parte Dei abſoluta libertas; imo potius correſpondeat reſpectiva neceſsitas oppoſita libertati reſpectivæ eiuſdem. Vrgetur: Non plus debet conformari libertas *liberi* cuiuſvis cum libertate Dei; quam neceſsitas *neceſſarij* cuiuſvis, cum neceſsitate Dei; ſed neceſsitas *neceſſarii* in ratione poſsibilis, & impoſsibilis abſque repugnatia vlla non debet conformari cum neceſsitate ſui reſpectiva ad Deum: ergo nec libertas *liberi* pertinentis ad dominium libertatis creatæ debet conformari cum libertate ſui reſpectiva ad Deum; atque ideo ſicut non repugnat *neceſſarium abſolutum* Deo non neceſſarium *reſpectivè*; nec repugnabit liberum *abſolutum* Deo non liberum *reſpectivè*.

47 Altera ſit ex vitalitate actus liberi creati; Vnde probatur ſub hac forma. Non repugnat in Deo ſcientia conditionata proponens Deo actum vitalem creaturæ; quin ipſum proponat, aut *prævitaliter*, aut *concomitanter vitaliter* procedentem à Deo: ergo neque repugnat ſcientia repræſentans Deo cõditionatum actum liberum creaturæ; quin ipſum proponat vt libere prædeterminatum, aut condeterminatum, ab ipſo Deo. Antecedens eſt certum: quia ſicut actus vitalis creaturæ in ſtatu abſoluto nullo modo vitaliter procedit à Deo; alias Deus viveret vita creata, eſſetque non minus conſentiens, aut amans, quam ipſa creatura; ſic in ſtatu conditionato nullo modo vitaliter, nec abſolutè, nec conditionatè procedit à Deo. Conſequentia probatur: non minus dependet actus vitalis creaturæ à primo vitali; quam actus liber creaturæ à primo libero, & determinante: ſed illa dependentia non exigit procedere à Deo actum vitalem creaturæ, aut *prævitaliter*, aut *convitaliter*: ergo ſecunda dependentia non exigit actum liberum creaturæ procedere à Deo, aut liberè *prædeterminativè*, aut liberè *condeterminativè*. Confirmatur: in omni linea operandi dependet creatura à Deo ea perfectione, & ſubiectione, quæ congruit primo operanti in tali linea; ſed ſumma perfectio dependentiæ, & ſubiectionis creaturæ ad Deum in linea operandi *vitaliter*, quomodo Deus eſt *primus vitalis* benè componitur abſque eo, quod Deus ſe habeat *prævitaliter*, aut *convitaliter* in actu creaturæ: ergo ſumma perfectio dependentiæ & ſubiectionis creaturæ ad Deum in linea operandi *liberè*, quomodo Deus eſt *primus liber*, & *primus determinans*, benè ſe habebit abſque eo, quod Deus ſe habeat *liberè prædeterminativè*, aut *condeterminativè* in actu creaturæ.

48 Tunc ſic: ſcientia divina, quæ repræſentet conditionatè operationem liberam creaturæ independentem ab omni libera prædeterminatione, aut condeterminatione Dei, eſt ſcientia quę cum ſit Deo contingens ob contingentiam ſui obiecti in modo ſe habendi, ſicut per ſcientiam proponitur; non eſt ipſi libera ob independentiam ab omni libera determinatione divina ad impediendum, ſeu determinandum conditionatum ſub hypotheſi: ſed dum poſſibilis ſit talis ſcientia tantum poteſt habere locum quoad repræſentandas veritates obiectivas conditionales, quæ ſunt de libertate creaturæ, ideſt quarum conditionatum per liberam determinationem creaturæ ſub purificatione conditionis exerceretur: ergo Deus de facto prædictas veritates conditionales per ſcientiam huiuſmodi cognoſcit, quę ſit ipſi contingens, & non libera, ſeu medium tenens inter ſcientiam liberam, & naturalem.

CAPVT III.

Solvuntur contraria fundamenta ab Autoritate deſumpta.

49 OBIICIVNT primò Proponentes ex Scriptura, tum celebrem illum locum Pauli 1. ad Corinthios 4. *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si*

an-

autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis. Tum textus illos, in quibus Deus dicitur indurare homines, excœcare, tradere in desideria, seu in reprobum sensum, vt ad Rom. cap. 9. *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Ioannis 12. *Excœcavit oculos eorum, & induravit cor eorum.* Ad Romanos capit. 1. *Propter quod eos tradidit Deus in desideria cordis eorum in immunditiam.* Et iterum ibidem: *Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Et etiam: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum*; sicut, & omnes illos in quibus prædefinitiones diuinæ de operibus pravis significari videntur, vt Geneſis 45. *Non vestro consilio; sed Dei voluntate huc missus sum*, quæ verba sunt Ioſephi ad fratres suos, à quibus venditus fuit, & missus in Egyptum. Actorum 2. *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemistis.* Et cap. 4. *Convenerunt enim vere in Civitate ista adversus Sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & Populis Israel facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri.* Et 2. Regum cap. 16. *Dimitte eum, vt maledicat, Dominus enim præcepit ei, vt malediceret David.* Verum cum hæc obiectio sit pura repetitio eorum, quæ contra constitutionem futuri cõditionati independentem à decreto obiecta sunt, non expedit immorari; sed pro solutione, omnino standum dictis, tum disput. 17. appendice, tum tract. de prædestinatione, tomo 1. disput. 6. & tomo 2. disput. 12. Non absimiliter alia ex Patribus quatenus intendentia voluntatem aliquam, & determinationem liberam Dei pro constitutione futuri conditionati, etiam sunt soluta dicta disp. 17. appendice. Ibi enim plura sunt, quæ si præmissa non fuissent, hic desiderari possent.

50 Cæterum restant alia præcipuè ex Patribus, vel vt melius dicam ex magno Parente Augustino, quem acerrimum impugnatorem nostræ sententiæ, & scientiæ huius conditionatæ Deo contingentis, & non liberæ proclamant Adversarij ex disputationibus eiusdem Sancti Doctoris cum Semipelagianis, quorum causam nos suscepisse intendunt, renovatis eorum fundamentis, & vim facientes in eisdem difficultatibus, quas Masilienses, seu Pelagianorum cineres proponebant Augustino, cuius impugnationis fulmen nostros Doctores, eorumque doctrinam vrere varijs argumentis acceptis, vt dicunt ab eodem magno Parente contendunt ostendere. Pro quorum solutione, sicut, & pro recta intelligentia Augustinianæ mentis; nechon vt manifestum sit omnibus; quam longum latumque discrimen intervenlat inter Societatis doctrinam, & Semipelagianorum errores notanda sunt ea, quæ circa doctrinam Masilienſium, aut Semipelagianorum impugnatam ab Augustino, censuerunt nostri meritò animadvertenda.

51 Itaque Semipelagiani, quorum Duces, seu præcipui fuerunt Masilienses in duobus consenserunt Pelagio. Vnum erat, opera à sola natura procedentia, ac proinde sine gratia facta esse salutaria, & conducentia ad salutem tanquam merita, quibus in præmium correspondebant dona gratiæ, & prædestinationis: vnde Deus ex præscientia ipsorum movebatur ad supernaturalia concedenda taliter, vt merita solius arbitrij essent ratio discretionis inter prædestinatum, & reprobum, propterea quod esset ratio, vt vnus præalteri eligeretur. Alterum, omnia opera procedentia à gratia libertate carere, cum gratia ob suam efficaciam libertatem creatam destrueret trahendo ad se voluntatem irresistibiliter: quare nullo modo componi posse iudicabant opus procedere ex gratia, & liberè à voluntate provenire, minimè percipientes cohærentiam gratiæ, & libertatis arbitrij. Hucusque sententiam Pelagij tenebant, quam in tota sua latitudine adversam Scripturæ Sacræ, vt ex Augustini, & aliorum Patrum argumentis convincebatur, agnoscentes, eam temperare conati sunt, medium quoddam eligentes ex quo, & difficultatibus Pelagij contra gratiæ necessitatem occurreretur, & Patrum fundamentis, quibus evidentissimè neeessitas gratiæ ad operandum salutariter, & provt oportet comprobatur, fieret satis, vt ipsis videbatur.

52 Inde fatebantur primò: Gratiæ necessitatem ad salutem, & quidem adeo strictam, vt sine ipsa salus assequi non valeret; nolebant tamen hanc gratiæ necessitatem esse vniversalem respectu cuiuscumque operis salutaris, ne ex ea ducerentur, vt firmiter existimabant ad concedendam eversionem libertatis creatæ, si nihil sine assistentia, & influxu gra-

gratiæ esset in nobis ad salutem conducens, & insuper ad tribuendam Deo notam acceptatoris personarum in electione Prædestinatorum ad gloriam, relictis reprobis tam ex solo arbitrio divino, vt nulla stante diversitate ex parte libertatis ipsorum illi adigerentur, & quasi raperentur ad maximum bonum æternæ fœlicitatis, & gloriæ, & isti ad maximum malum æternæ infœlicitatis, & pœnæ. Quæ vt vitarent, asserebant secundò aliquod initium, & aliquod complementum salutis esse tribuendum viribus solius arbitrij præcisa gratia, vt penes merita prædestinati esset collatio donorum gratiæ, sine quibus salus obtineri nequibat, sicut & perseverantia in illis, quæ cum deficerent in reprobis, quia ex libera voluntate noluerunt præbere iustificationis initium, & perservantiæ finalis complementum, expeditè consulebatur libertati prædestinati, & reprobi, & simul ostendebatur, perditionem reproborum ex eis dimanasse, sicut electionem prædestinatorum ex eorum meritis processisse: Deumque non sine causa ex parte ipsorum alios ad gloriam evexisse, alios ad pœnam destinasse.

53 Ast cum statim occurreret contra eorum sententiam difficultas ex pueris decedentibus, iam cum baptismo, iam sine illo; pro quorum discretione nulla intercedebant merita, aut demerita absoluta provenientia ex viribus arbitrij, quo carebant, cum ante vsum rationis, ac proinde ante omnis libertatis vsum decessissent præsi argumenti vi evasionem pararunt per recursum ad merita, & demerita conditionatè prævisa, ex quibus discernerentur, & alij præberent causam collationi baptismi, & medio ipso ad salutem; alij vero privationi illius, & defectui consequuto salutis: Dicebant ergo hos, qui baptismo donantur, prævisos fuisse conditionatè præbituros ex viribus arbitrij initium salutis, necnon eiusdem complementum; si ad annos discretionis pervenissent ex quibus meritis conditionatis sibi merentur computari inter electos; eos vero, qui sine baptismo decedunt, per oppositum fuisse conditionatè prævisos non cooperaturos ex viribus arbitrij sub simili hypothesi, neque ad suæ salutis initium, neque ad complementum eiusdem. Vnde ex talibus demeritis conditionatis denegatione baptismi, & salutis defectu puniebantur; quam doctrinam extendebant etiam ad adultos pro aliquibus casibus, in quibus ex meritis, aut demeritis absolutis non inveniebant sufficientem discretionem, cui tribui posset collatio beneficij; v. g. Prædicationis, & promulgationis Evangelij, quibusdam concessa, & alteris negata.

54 Ex quibus, quales fuerint errores Semipelagianorum, & Massilienſium, quorum extirpationi Magnus Parens Augustinus, Prosper, & Hilarius diligenter incubuerunt, facilè est cognoscere. Errabant primò ex limitatione necessitatis gratiæ ad opera conducentia in salutem, dantes vim, & efficaciam meritoriam aliquibus operibus ex solis viribus arbitrij, vt ex eis iustificatio initium sumeret, sicut per donum finalis perseverantiæ complementum. Vbi incidebant in illud absurdum ponderatum à Patribus facientes gratiam pedisequam naturæ; cum potius hæc ductum gratiæ debeat sequi. Errabant secundò in deneganda gratia omni operi procedenti ex gratia, simul arbitrantes gratiæ efficaciam nullatenus cum libertate ad ea, quæ ex gratia procedebant posse cohærere: ideoque opus esse opera purè naturalia designare, quibus tribueretur collatio donorum supernaturalium necessitantium, vt ita libertas creata locum teneret, eique veluti in causa imputarentur, quæ immediatè in se ob gratiæ influxum nulla libertate gaudebant. Errabant tertiò: quia scientia divina conditionata de operationibus liberis creaturæ abutebantur, vt media ipsa haberent aptitudinem operis purè naturalia ad discernendum prædestinatum à reprobo, in quo alterum errorem miscebant tribuentes vim meritoriam absolutam operibus nunquam extituris, pariter ac vim demeritoriam actionibus conditionatis sub hypothesi nunquam purificandâ.

55 Contra primum errorem pugnavit Augustinus, libro de Prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ statuens ibi, & confirmans necessitatem gratiæ absque vlla exceptione ad omnia opera salutaria, & conducentia ad salutem, quin ibi aliquid de compositione gratiæ efficacis cum libertate creata ageret: quam Augustini sententiam, vt certam ex fide sancivit Concilium Arausicanum 2. Contra er-

ro-

rorem ſecundo loco relatum totus eſt Magnus Parens multis in locis, ſed præcipuè duabus Epiſtolis ad Valentinum, quæ ſunt 66. & 67. ex Epiſtolis eiuſdem Magni Doctoris; necnon libro de gratia, & libero arbitrio, & de correptione, & gratia, cuius veriſimæ doctrinæ acceſſerunt poſt definitiones erga cohærentiam gratiæ efficacis, & humanæ libertatis, Concilij Tridentini, Seſsione 6. cap. 5. & Senonenſis Canone 15. fidei. Tandem contra tertium, lib. 2. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, cap. 7. vocans doctrinam illam de meritis, & demeritis conditionatis, vt poſt à Semipelagianis fuit ſuſcepta: *Abſurdiſsimam, inſulſiſsimam, & dementiſsimam*; tum etiam libro de Prædeſtinatione Sanctorum, cap. 12. vbi de ea ſcientia à ſe renuntiata per Proſperum, & Hilarium talia profert: *Iudicari autem quemquam non ſecundum merita, quæ habuit, quamdiu fuit in corpore; ſed ſecundum merita, quæ fuerat habiturus, ſi diutius fuiſſet in corpore. Vnde opinari potuerint homines, quorum ingenia non eſſe contemptibilia veſtræ iudicant litteræ, mirans, & ſtupens reperire non poſſum, nec credere auderem, niſi vobis non credere non auderem.* Et poſt cap. 13. *Sed quia hominum futura, quæ non ſunt futura, proculdubio nulla ſunt merita, & hoc videre facillimum eſt; ideo nec Pelagiani hoc dicere potuerunt, & multo magis, nec iſti dicere debuerunt. Dici enim non poteſt, quam moleſtè feram, quod viderunt Pelagiani eſſe falſiſsimum, & abſurdiſsimum, hoc non vidiſſe iſtos, qui nobiſcum errorem illorum hæreticorum Catholica authoritate condemnant.*

56 Liquet ex his omnem conventionem cum Semipelagianis, quæ non ſit in erroribus immerito improperari, aut notari, vt inde ſuſpecta arguatur ſententia: quia in omnibus ab his qui à veritate deviarunt, non diſcriminetur; imo hoc niſi ignorantiſsimè deduci non poſſe; aliàs inde probari poſſet nullum eſſe Catholicum: quia eandem admittit Scripturam, quam admittunt hæretici, vt ea abutantur, & in confirmationem ſuorum errorum fœdè detorqueant, & vt à præſenti caſu non dimoveamur, reſque fiat clara apud vulgus litteratorum; nam apud cordatos, & doctos ſupervacanea eſt animadverſio: Pone me vele Catholiciſsimos Thomiſtarum Doctores ſub Pelagianiſmo comprehendere: quia ſcientiam de futuris conditionatis nobis liberis tenent, quam Semipelagiani concedebant, aut quia efficaciam intrinſecam gratiæ propugnant, quam Pelagiani, Semipelagiani, Lutherani, Calviniſtæ, & Ianſeniſtæ profeſsi ſunt; iſtorum omnibus erroribus acquieſcere: nonne ſtolidiſsimus, ineptiſsimus, & inſipientiſsimus comprobarer? cum diverſiſsimum quid ſit errare in aliquibus, & errare in omnibus; propterea errare in eo, quod admittitur, aut in vſu, & applicatione illius quod admittitur; Vnde poteſt ſtare convenientia cum errantibus abſque errore, vel quia convenientia non ſit in his in quibus errant; ſed in his in quibus verè ſentiunt; vel quia & ſi ſit in illo, ex quo deſumitur occaſio ad errandum, ſecluditur pravus vſus, & in id tantum aſſumitur, ad quod aſſumi debet. Aliàs vti armis, aut medicina eſſet omnibus illicitum: quia aliqui, aut eis vtuntur iniuſtè, aut imperitè, & quod plus eſt Sacroſanctum, & venerabile, & Euchariſtiæ Sacramentum non ſine reprehenſione ſuſciperetur: quia mors eſt in alijs.

57 Propterea neſcio: An ſerio ſuſtineri valeat obiectio, ſi aliquando in dedecus noſtræ doctrinæ proponatur conveniētia cum Semipelagianis quoad ſcientiam conditionatam contingentem, & Deo non liberam, ſeu *mediam* inter naturalem, & liberam, quaſi ſit idem convenire in aliquo cum Semipelagianis, & errare cum ipſis; admittere ſine abuſu, id quod cum abuſu, & peſſima applicatione Semipelagiani admittebant, & incurrere abuſum, qui diligentiſsimè præcavetur; neceſſum ergo eſt ad tale inferendum, aut ignorare inſtantias allegatas numero præcedenti, & nimia ignorantia eſt, aut ſcitas, ex mente lapſas fuiſſe, & eſt nimia memoriæ debilitas. Itaque plane, & ſine rubore fatemur ſcientiam conditionatam, quam protegit Societatis Schola tenuiſſe olim Semipelagianos: aſt abuſus prædictæ ſcientiæ, qui erat in Semipelagianis, longe eſt à noſtris Doctoribus, ſicut abuſus gratiæ intrinſecæ efficacis, qui eſt in Lutheranis, Calviniſtis, & Janſeniſtis inferentibus omnia in nobis ex neceſsitate procedere, ideoque nullam eſſe libertatem creatam indifferentiæ diſtantiſsimus eſt à Doctoribus Thomiſtis deducentibus permanentiam, & fomentum libertatis creatæ, vnde illi deducunt everſionem. Vtebantur ergo

Ma-

Masilienses, & Semipelagiani eadem scientia, qua vtuntur nostri, ad adstruenda media purè naturalia conducentia ad salutem, vlteriusque ad dandam vim meritoriam, & demeritoriam actibus manentibus in statu purè conditionali, & numquam extituris; taliter, vt ea quæ nunquam essent in ratione actus, & exercitij liberi absolutè; tamen existerent in ratione meriti, & demeriti. Quo abusu resecato succedit in nostra Schola bonus vsus conciliandi certitudinem præscientiæ, & prædestinationis divinæ cum libertate creata, & cum eadem efficaciam gratiæ necessariæ ad omne opus salutare: sic protegimus Semipelagianorum scientiam; sed quid mirum non respuere convenientiam, quam communem Augustino, & alijs Patribus gravibus, & non contemnendis fundamentis propugnamus. Quod si non ferant adversarij, quid vltra iam soluta restet solvendum, videamus.

58 Objiciunt primò, Intendentes probare, quod si aliquando Sanctus Augustinus pro nostra sententia fuit scientiamque conditionatam, quam defendimus tenuit, post mutavit iudicium, & ante dicta in nostrum favorem retractavit. Id colligunt: quia cum Epistola 49. quæ est de sex quæstionibus sibi propositis à quodam Pagano, quæst. 2. quæ est de tempore, quo facta fuit Incarnatio, dixisset: *Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri. His enim temporibus, & his locis quibus Evangelium eius non est prædicatum, tales omnes in sua prædicatione futuros esse præsciebat, quales non quidem omnes; sed tamen multi in eius corporali præsentia fuerunt, qui in eum, nec suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt, quales etiam nunc multos videmus cum tanta manifestatione de illo compleantur præconia Prophetarum nolle adhuc credere, & male humana astucia resistere quam tam clarè, atque perspicuè, tamque sublimi, & sublimiter diffamatæ divinæ credere Authoritati.* In quibus clarissimè scientia cõditionata contingens, & Deo non libera exprimitur, alias si de scientia innitente divino decreto, & proposito procederet, insoluta manssisset quæstio, vel quia divinæ voluntati omnia tempora, & circunstantiæ omnes essent æqualia, vel quia de ipso proposito, & decreto similis resultaret quæstio, scilicèt cur voluit sub tali tempore, & circunstantijs, secus subalijs?

59 Post tamen libro de prædestinatione Sanctorum, cap. 9. hac relicta solutione post illius mentionem aliam tradidit causam referens præscientiam in electionem per hæc verba: *Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam quando sciebat, & vnde sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem.* Vbi non modo vsum fuisse alia solutione relicta in sua vi priore; verum eam reprobasse constat ex Divo Thoma, 3. part. quæst. 1. articul. 5. ad 2. absolutè proferente hanc sententiæ desertionem, & reprobationem. Ita Angelicus præceptor. Ad secundum dicendum quod Augustinus ad hoc respondet in libro de 6. quæstionibus Paganorum, quæst. 2. *Quod tunc voluit Christus hominibus apparere, & apud eos prædicari suam doctrinam, quando, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri; his enim temporibus, & in his locis, quibus Evangelium eius non est prædicatum tales homines in eius prædicatione futuros esse præsciebat quales non quidem omnes; sed tamen multi in eius corporali præsentia fuerint, qui nec in eum suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt: sed hanc responsionem reprobans idem Augustinus in libro de Perseverantia dicit nunquid possumus dicere Tirios, & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse si fierent, cum ipse Deus atteſtetur eis, quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum? Proinde vt ipse solvens subdit sicut Apostolus ait: non est volentis, neque currentis; sed miserentis Dei. Qui his, quos prævidit si apud eos facta essent suis miraculis credituros quibus voluit, subvenit; alijs autem non subvenit, de quibus in sua prædestinatione occultè quidem; sed iustè aliud iudicavit.* Igitur dato quod aliquando Magnus Augustinus indubitanter nobis fuerit Patronus; demum meliora sapiens nostram cum sua dimisit, & reprobavit sententiam.

60 Ante respondendum accipiamus libenter, quod nobis conceditur, nimirum aliquando sententiam nostram fuisse sententiam Augustini, & quidem non ab Ecclesia separati; sed pugnantis viriliter pro vera religione. Deinde si aliquando resipuit, & sententiam revocavit, eam non revocasse, vt de Pelagianismo suspectam, aut sub prædicto errore comprehensam, aliter id no-

notaſſet quando re melius inſpecta deſtitit ab eo, quod docuerat, vt ſic caveret, ne alius ſuſciperet ſententiam, quam deſſerebat, vt accidit in opinabilibus, vbi pœnitentia aliorum ſolet vehementer impellere, vel ad ſuſtinendum iudicium ab alijs relictum, vel ad fortius adhærendum ei, quod alijs non placet. Vlterius rogare non deſinam: An ſi aliquis acerrimus defenſor gratiæ intrinſecè efficacis dixiſſet; Donum perſeverantiæ finalis taliter intrinſece efficax non conferri à Deo niſi eis, qui ab initio vſus rationis ſe exercuerunt per actus virtutum taliter, vt qui benè cœpit, ſemper benè finiat, & è contra, qui male incœpit ſemper infelicem habeat exitum, ſi poſtea recognoſcens ex revelatis pravum finem Iudæ, & fœlicem Pauli, & boni Latronis, ſententiam, vt debebat, mutaſſet, iudicans per oppoſitum, Iudam benè incepiſſe, & male finiſſe; Paulum verò, & bonum Latronem male incepiſſe; bonum tamen exitum habuiſſe; propterea dicendus foret à cordato aliquo revocaſſe ſententiam de efficacia intrinſeca gratiæ? An duntaxat malam applicationem illius per falſam diſtributionem eiuſdem? Similiter ſi ego Ieſuita in ſentiendo, aut levitate animi, aut ex prudentibus fundamentis ob cõtinuatam obſervantiam præceptorum expertam in Petro, auderem proferre: *Deus modò ſcit per ſcientiam conditionalem ipſi contingentem, & non liberam, ſeu mediam; quod ſi Petrus cras exiſtat, obſervabit præceptum Ieiunij*; poſteaque accedente die craſtino, labenteque Petro in violationem Ieiunij reſipuiſſem ab aſſerto fatens errorem iudicij ex comprobato eventu; poſſem nè ab aliquo ſerio compellari deſſertorem *Scientiæ mediæ*, quaſi iam per illam ingenuam confeſsionem falſitatem mei iudicij depuliſſem ſententiam de eo, quod Deus cognoſcat futura cõditionata nobis libera per *Scientiam mediam*? Vel ſolum, vt deſſertorem illius determinatæ *Scientiæ mediæ*, quæ vtpotè falſa non poteſt in Deo exiſtere.

61 Vnde ad obiectionem reſpondeo ex doctrina Eximij Suarij, tomo 2. de gratia prolegomeno de *Scientia conditionata*, cap. 3. Duo eſſe notanda in tali Scientia; *vnum* ea eſſe, aut non eſſe; *alterum* ex ſuppoſitione, quod ſit, & vt exiſtens admittatur in Deo, ea vti ad reddendas rationes aliquorum effectuum divinæ providentiæ. Nam licèt veriſsimè Deo talis ſcientia tribuatur; errari tamen poteſt quoad vſum eiuſdem, & detecto errore quoad vſum perſiſtere in iudicio de exiſtentia illius tanquam vero, & repellere iudicium quo ad determinatum vſum eiuſdem tanquam falſum; vt contigit Magno Parenti Auguſtino in caſu obiecto; etenim tenens Deum cognoſcere per ſcientiam contingentem ipſi non liberam eventus contingentes, qui ſunt de libertate creata, eruit inde motivum, vt Deus deſtuliſſet incarnationem Verbi per tot ſæcula, quaſi retractus ab eo, quod vſque in illud tempus, quo exequuta fuit nullum credentem agnoſceret. Poſt recognoſcens hanc rationem non poſſe ſubſiſtere ex irrefragabili argumento Tyriorum, & Sydoniorum, qui cum atteſtante æterna veritate cognoſcerentur credituri, ſi miracula, ſigna, virtutes, & prædicationem Chriſti Domini fuiſſent experti; quin propterea tale beneficium accepiſſent, reſipuit à cauſa tradita loco illo de ſex quæſtionibus Paganorum, quæſt. 2. & aliam quæſivit recurrens ad electionem divinam, & incomprehenſibilia iudicia eius, qui cuius vult miſeretur; quin ſit volentis, neque currentis; in quo vſum præſtitum prædictæ ſcientiæ reliquit, & retenta ſcientia, aliam cauſam præbuit.

62 Quod autem ſcientiam retinuerit, optimè ſuadet idem Suarius ex verbis eiuſdem cap. 9. de prædeſtinatione Sanctorum, ibi: *Cernitis nè me ſine præiudicio latentis conſilij Dei, aliarumque cauſarum hoc de præſcientia Chriſti dicere voluiſſe, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc obiecerant quæſtionem ſufficere videretur? Quid enim eſt verius; quàm præſcire Chriſtum, qui & quando, & in quibus locis eum fuerant creditur.* Quid clarius ad oſtendendum perſtitiſſe in eadem ſcientia, quam ſemel admiſſerat, non modo reputans verum eam exiſtere, vt dixerat; ſed addens nihil verius apparere, quamvis à cauſa, & motivo deſignatis ex tali ſcientia cogeretur deſiſtere. Nec aliud voluit Div. Thomas afferens retractaſſe ſententiam, ſcilicèt quoad vſum ſcientiæ in reddenda ratione pro effectu illo divinæ providentiæ, quem ſolum mutavit deſignata alia cauſa eiuſdem effectus; ſecus quoad ſcientiam, & modum cognoſcendi eventus conditionatos nobis liberos.

Nec

63 Nec refert illud quod additur de ſcientia innitente divinæ electioni, vt denotant illa verba: *Et apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & vnde ſciebat eſſe, qui electi fuerant in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Nam ibi planè loquitur de ſcientia abſoluta eorum, qui abſolutè crediturí cognoſcebantur, non de ſcientia conditionata innitente conditionatæ electioni, vt volunt contrarij, aut non innitente, vt nos intendimus: quia ſi de ea procederet in quacumque ſententia, inutilem redderet cauſam denuo aſsignatam pro executione beneficij incarnationis manifeſtatę per ſigna, & prædicationem Chriſti; ſiquidem iterùm vrgeret omni ſua vi argumentum, quod tantum Doctorem impulit ad inveſtigandum novum motivum, ſcilicèt Tyrios, & Sydonios prævideri conditionatè credituros; ac proinde ſi velis conditionatè electos, & decretos ad fidem ſub hypotheſi videndi miracula, & prædicationem Chriſti; quin ideo voluerit eis manifeſtari, & apparere: Vnde non ſubſiſtebat ratio electionis, aut propoſiti conditionati pro manifeſtatione Chriſti: loquutus ergo eſt Auguſtinus de electione abſoluta ad credendum, & de *ſcientia abſoluta* correſpondente prædictæ electioni: Igitur non retractavit Magnus Parens ſcientiam noſtram conditionatam, quam ſemel admiſſerat, quamque vt revocaret, opus erat, provt iudico, ſe totum deſſerere, vtpotè ſibi paſsim familiariſsimam.

64 Obijciunt ſecundò, & inſiſtunt conantes probare, noſtram ſententiam reiectam fuiſſe ab Auguſtino vtpotè propoſitam à Divo Proſpero, & à Magno Parente in quæſtionis reſolutione, vt falſam repulſam: Et in primis, quod noſtra ſententia per Proſperum fuiſſet propoſita Auguſtino, probare nituntur ex Epiſtola eiuſdem Proſperi ad Auguſtinum, quæ ponitur ante librum de prædeſtinatione Sanctorum, vbi ſic ſuum Magiſtrum alloquitur, & interrogat: *Vtrum præſcientia Dei ita ſecundum propoſitum maneat vt ea ipſa, quæ ſunt propoſita ſint accipienda præſcita? An per genera cauſarum, & ſpecies perſonarum iſta varientur, vt quia diverſæ ſunt vocationes in his, qui nihil operaturi ſalvantur, quaſi ſolum Dei propoſitum videatur exiſtere; in his autem, qui aliquid boni acturi ſunt, per præſcientiam poſsit ſtare propoſitum? An vero vniformiter licèt dividi præſcientia à propoſito temporali diſtinctione non poſsit; præſcientia tamen quodam ordine ſit ſubnixa propoſito, & ſicut nihil fit quorumcumque negotiorum, quod non ſcientia divina præverterit, ita nihil ſit boni, quod in noſtram participationem non Deo Authore defluxerit?* En inquiunt, clariſsimè noſtram quæſtionem Auguſtino fuiſſe propoſitam. Nimirùm *vtrùm ſcientia divina innitatur propoſito, vel è contrario propoſitum, ſive decretum Dei innitatur ſcientiæ, ſeu in eâ fundetur?*

65 Confirmant eandem de noſtra ſententia conſultationem propoſitis verbis eiuſdem Proſperi in eadem Epiſtola paulò inferius ad relata, ita conſulentis Auguſtinum: *Illud etiam qualiter diluatur quæſumus patienter noſtram inſipientiam ferendo demonſtres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus pene omnium par invenitur, & vna ſententia, quæ propoſitum, & prædeſtinationem Dei ſecundum præſcientiam receperunt, vt ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuſcuiuſque prævideritſ & ſub ipſo gratiæ adiutorio in qua futurus eſſet, voluntate, & actione præſcierit;* ſuper quæ repetunt abs dubio loqui de ſcientia non innixa decreto; ac proinde de noſtra ſcientia *conditionata, & media.* Vt verò oſtendant Divum Auguſtinum quæſtiones ſibi propoſitas decidiſſe, excluſa *Scientia media* per oppoſitum ſcientiæ innitentis divino propoſito iterùm confugiunt ad verba Auguſtini iam ſoluta ex libro de prædeſtinatione Sanctorum, videlicèt *tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & vnde ſciebat eſſe qui electi fuerant in ipſo ante mundi conſtitutionem*: Nam ly *quando ſciebat, & vnde ſciebat eſſe qui electi fuerant in ipſo*, videtur aperte convincere ſcientiam aliam non admiſiſſe de eo, quod contingeret ſub hypotheſi manifeſtationis, ideſt, ſi apparerent, præter ſcientiam fundatam in divina electione.

66 Cæterùm ſi Sancti Auguſtini reſponſio, & expeditio dubiorum debet iudicari, vt fas eſt non extra rem omnino; ſed maximè congruens Proſperi interrogationi, clarè colligitur quantum diſtaverit propoſitio, & quæſtio conſulta à noſtra ſententia, & ſcien-

tia conditionata ; Patet ex dictis: Nam vt probavimus , & ni fallor vrgentiſsimè , in textu allegato Divo Auguſtini , vbi inquiunt contineri quæſtionum propoſitarum reſolutionem ; procedit de *Scientia abſoluta* ; non de *conditionata* : ergo vel non rogatus eſt Magnus Parens de ſcientia *conditionata* , quomodo non continebitur noſtra ſententia in interrogatione Proſperi ; vel ſi de hac ſcientia conſultus eſt Auguſtinus , non continetur in verbis citatis quæſtionis ſolutio , ne extra caſum procederet dubiorum deciſio ; vnde coguntur obijcientes deficere , vel in eo quod in quæſtionibus propoſitis à Proſpero conineatur noſtra doctrina ; vel in eo quod quæſtionum ſolutio tradita ab Auguſtino ſit nobis adverſa : Eligant ergo provt voluerint , & invenient , vel quæſtiones manſiſſe indeciſas , vel earum reſolutionem evaſiſſe omnino ineptam , quorum neutrum credi poteſt de tanto Magiſtro.

67 Sufficiebant hæc ad oſtendendam infirmam obiectionem , in qua nimis fidunt Magiſter Gonçalez, diſputatione 44. Ioannes à Sancto Thoma , diſputatione 20. articulo tertio. Curſus Carmelitanus , diſputatione 10. dubio ſecundo , & Gonet , diſputatione 6. de Scientia , articulo 4. Verùm placet immorari tantiſper in inveſtigando quæſtionum ſenſu , ſicut in detegenda ſententia , de qua conſulitur Auguſtinus : An ſuſtineri queat ? Et quidem controverſiam , quam modò verſamus , non veniſſe in mentem Patribus , nec pro interrogando , nec pro reſolvendo optimè oſtendunt Authores noſtri manifeſtantes non curaſſe Patres de innitentia *Scientiæ conditionatæ talis* reſpectivè ad decretum , vt ſcientia huiuſmodi per id redderetur *libera Deo* ; ſed duntaxat de controverſia inter Semipelagianos , iam concedentes aliquod initium ſalutis operibus naturalibus ſolius arbitrij , iam abutentes *Scientia conditionata* ad conſtituenda merita , aut demerita abſoluta ea , quæ ex ſolis viribus naturæ prævidebantur conditionatè tantùm extitura : Hic enim erat ſcopus , in quem reſpexerunt , & conſultationes diſcipulorum , & explanatio Magiſtri , vt oſtendunt ipſorum verba , ſi mente ſincera conſiderentur.

68 Rogat enim Proſper primò : *An propoſitum Dei ita generaliter ſit accipiendum in omnibus prædeſtinatis, vt non ſolum locum teneat in his , qui ſalvantur abſque meritis ; verùm in his , qui ſalvi ſunt dependenter à meritis abſque eo, quod innitatur præſcientiæ : An diſtinctione tenendum ſit , & in his , qui ſalvantur ſine meritis aſſerendum propoſitum , & electionem non inniti præſcientiæ ; verùm contrà , præſcientiam propoſito ; in alijs autem , qui ſalvantur ex meritis affirmandum , propoſitum potius inniti præſcientiæ ; quàm præſcientia propoſito.* Ita in primo extremo primæ quæſtionis. Teſtis ſit ipſe Proſper recolendo eius verba : *Vtrum præſcientia Dei ita ſecundùm propoſitum maneat , vt ea ipſa , quæ ſunt propoſita, ſint accipienda præſcita ? An per genera cauſarum , & ſpecies perſonarum iſta varientur , vt quia diverſæ ſunt vocationes in his , qui nihil operaturi ſalvantur , quaſi ſolum Dei propoſitum videatur exiſtere ; in his autem , qui aliquid boni acturi ſunt per præſcientiam poſsit ſtare propoſitum ?* Proſequitur ad ſecundum quæſtionis extremum , & inquirit: *An vniformiter , & ſine diſcrimine vllo tenendum ſit in omnino prædeſtinato* ſcientiam innixam eſſe propoſito , taliter, vt ſicut nihil ſit boni , quod divina præſcientia non præveniat ; ita nihil ſit boni , quod in noſtram participationem à Deo , vt Authore naturæ non defluxerit ? Redeat ipſe Proſper ſub verbis formalibus : *An verò vniformiter licèt dividi præſcientia à propoſito temporali diſtinctione non poſsit, præſcientia tamen quodam ordine ſit ſubnixa propoſito , & ſicut nihil ſit quorumcumque negotiorum , quod non ſcientia divina præ-venerit , ita nihil ſit boni quod in noſtram participationem non Deo Authore defluxerit.*

69 Hæc eſt prima Proſperi quæſtio. In qua ſi primum extremum attendatur , qui cum ſcientia conditionali *media* , & Deo non *libera* , quæ per independentiam , quam habet ab exercitio libero Dei , non habet diverſitatem vllam inter eos, qui ſalvantur abſque propijs meritis,& eos,qui dum vivant,propria merita exerceant, taliter vt reſpectu illorum habeat dependentiam à decre-

creto; reſpectu verò iſtorum nullam habeat dependentiam: ergo ſi in illo quæſtionis extremo ponitur præſcientia, quę pro diverſitate perſonarum iam innitatur propoſito, iam à tali propoſito ſit independens; per conſequens non includitur à Divo Proſpero in eo quæſtionis extremo ſcientia illa, quam tradunt Ieſuitæ, quæque ſine reſtrictione vlla ſemper aſſeritur non innixa decreto taliter, vt per ſubſtractionem illius poſsit impediri, aut per poſitionem eiuſdem valeat determinari. Non difficilius oſtenditur de ſecundo, in quo ea tantùm ſcientia excluditur, cuius independentia à decreto faciat, vt non omnia opera ſalutaria ſint à Deo tanquam ab ſpeciali Authore per adiutorium gratiæ; at id minime verificatur de hac noſtra ſcientia conditionali contingenti, & Deo non libera, quæ vtpotè aſſumens ſemper ex parte hypotheſis adiutorium ipſum gratiæ nihil proponit, vt à gratia independens, neque vt non procedens à Deo tanquam ab ſpeciali Authore: ergo etiam ſecundum extremum; ac proinde tota prima quæſtio Proſperi omnino eſt extra noſtram controverſiam & ſcientiam vbi omitto propoſitum conditionatum, quod pro *ſcientia conditionata* intrudunt contrarij, vt ſic ſcientiam innitentem propoſito conſtituant penitùs eſſe impertinens, & extra quæſtionem in qua agit Proſper de propoſito *ſubiectivè* & *obiectivè abſoluto*, vtpotè quod eſt de his, qui abſolutè ſunt prædeſtinati, & electi, ſive cum independentia à meritis, ſive cum dependentia ab illis, cui propoſito correſpondet *ſcientia abſoluta* meritorum non *conditionata*, quam controvertimus, & ipſi intendunt in dubio propoſito contineri.

70 In ſecunda quæſtione non agit Proſper de *ſcientia conditionata*; ſed de abuſu illius apud Semipelagianos reformatos. Pro quo ſciendum aliquos ex Semipelagianis à prima ſententia defeciſſe, quæ aliquod initium ſalutis tribuebat operibus arbitrij ſine gratia factis, convictique argumentis, quæ neceſsitatem gratiæ vniverſaliter ad omnia opera ſalutaria probabant, iudicium primum correxerunt, vtque non omnino ſuperati apparerent, aliam excogitaverunt ſententiam, qua, & gratiæ neceſsitati, & ſibi conſulerent dicentes, verum eſſe nihil ſalutare poſſe dari in nobis, quod ex gratia non procederet; cæterùm id non obſtare, vt tota prædeſtinatio *adæquatè ſumpta* eſſet ex meritis cuiuſque prædeſtinati, quod componebant dicendo, totam electionem, & prædeſtinationem deberi operi facto ſub determinato auxilio; ſub quo dum Deus prævideret cõſenſum movebatur ad eligendum, & prædeſtinandum; contra verò ſi ſub tali auxilio prævideret diſſenſum, movebatur ad diſſerendum, ſeu reprobandum: vnde error iſtorum iam non conſiſtebat in eo, quod meritum ex gratia non procedens, ſalutare velent, vt intendebant rigidi, & ſtricti Semipelagiani; ſed ex eo, quod operibus procedentibus ex gratia tribuerent meritum prædeſtinationis *adæquatè ſumptæ* volentes hoc modo removere à Deo notam acceptatoris perſonarum in *prædeſtinando, & reprobando*; dummodo hæc prælatio non refunderetur in arbitrium creatum, quamvis gratia adiutum. In quo opponebantur Apoſtolo ad Romanos 3. *Iuſtificari gratis per gratiam ipſius*; quod explicuit, & ſancivit poſt Tridentinum, Seſsione 6. cap. 5. dicens: *Declarat ipſius iuſtificationis exordium in Adultis à Deo per Chriſtum Ieſum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur.* Quo ſpectare etiam videtur illud Apoſtoli ad Romanos 11. *Si autem gratia iam non ex operibus; alioquin gratia non eſt gratia.* Et ad Epheſios 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus Sancti.* Vnde inferunt Patres: ergo *non quia eramus Sancti* excludentes meritum adæquatæ electionis, & prædeſtinationis.

71 Senſum iſtum eſſe proprium quæſtionis ſecundæ à Proſpero propoſitæ conſtat ex ipſo: Nam in primis verbis, *quòd retractatis priorum de hac re opinionibus penè omnium par inveniatur, & vna ſententia*, alludit ad deſſertionem ſententiæ, quæ fit priorum, & Ducum Semipelagianorum tribuentium vim meritoriam, & conducentiam ſalutarem operibus naturalibus, vt ſic præſtarent aliquod initium ſaluti, cui deberetur conſequutio gratiæ, & ad modificationem factam à Recentioribus, iam concedentibus pleniſsimè neceſsitatem gratiæ pro omni actu ſalutari, & proficuo ad ſalutem; in alijs verò oſtendit qualis eſſet ſententia, in quam vltimò convenerant, & ex qua adhuc ſibi redebantur ſuſpecti, quam explicat dicens: *Qua pro-*

positum, & prædestinationem Dei secundùm præscientiam receperunt, vt ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuscuiusque prævidit, & sub ipso gratiæ adiutorio, in quo futurus esset, voluntate, & actione præscierit; Ideſt iam non dividunt præſcientiam à propoſito præparationis gratiæ, vt antè faciebant in operibus purè naturalibus meritorijs; ſed in omni ſcientia præſcientiam, & propoſitum agnoſcunt; cæterùm diſcretionem prædeſtinati à Reprobo adhuc retinent ex meritis arbitrij gratia adiuti, taliter, vt quod vnus præ alio ſit electus, & prędeſtinatus, debeatur alicui merito, quod prævisum conditionatè moveat ad conferendum prædeſtinationis præmium.

72 Igitur in quæſtionibus tactis à Divo Proſpero, quarum ſolutionem expetebat ab Auguſtino, nulla eſt mentio de *ſcientia conditionata* non innitente libero exercitio Dei; verùm de alijs valdè diſtinctis, & inconcernentibus ad exiſtentiã talis ſcientiæ, aut ad ſummum de eius abuſu, aut pro meritis conditionatis purè naturalibus, aut pro meritis conditionatis procedentibus à gratia nimis extenſis, dum exiſterent quoad vim meritoriam totius prædeſtinationis *adæquatè ſumptæ*. Propterea ſi quæſtiones propoſitæ nihil ad noſtram ſcientiam ſpectans continebant; nec quæſtionum ſolutio tradita ab Auguſtino potuit eidem ſcientiæ nocere, vt verba citata ſatis oſtendunt, in quibus aſſerunt ſolutionem quæſitorum contineri, in quibus nec verbum eſt nobis adverſum; imo nec aliquomodo concernens.

73 Demùm, vt penitùs controverſia hæc reflexa de quæſtionibus Proſperi extinguatur, & manifeſtum ſit omnibus intentum Auguſtini, & Proſperi nõ eſſe ſtabilire propoſitum eo ſenſu, quo intenditur à noſtris impugnatoribus; ponant pro nunc Semipelagianos tueri, voluntatem creatam nihil operari, niſi à Deo prædeterminatam; at nihilominus ſufficere prædeterminationem ad opera naturalia, & nullomodo ad ſupernaturalia, vt ex talibus operibus ſumerēt initium ſupernaturalia; deinde operibus conditionatis naturalibus, quamvis prædeterminatis per decretum *ſubiectivè abſolutum*, & *obiectivè conditionatum* correſpondere rationem meriti abſoluti, non vtcumque, verùm *reſpectivè* ad donum ſupernaturale prædeſtinationis ad gloriam: vltimò per opera ſupernaturalia prædeterminata mereri homines prædeſtinatos prædeſtinationem ſuam adæquatè: An nè per admiſsionē huius propoſiti prædeterminativi, in cuius ſtabilitate per Auguſtinum adeò laborant, & inſiſtunt, deſinerent eſſe, qui talia retinerent Semipelagiani, ſeu Pelagianorũ reliquiæ? Minimè profectò, cùm per dictum propoſitũ admiſſum non obviarent ſatis abſurdis, & inconvenientibus Semipelagianiſmi: rarum ergo erit, & admirabile Magnum Parentem Auguſtinum, & ex eius doctrina Proſperum, & Hilarium tanto ardore incubuiſſe in deducendos Semipelagianos ad ſtatum per conceſsionē propoſiti, quo admiſſo, adhùc Semipelagiani perſiſtebant. Aliud ergo erat intentum Patrum in ſtabiliendo propoſito, & valdè diſtans à propoſito prædeterminativo, & ſenſu illius.

74 Non modò cùm Semipelagianis, verùm cum Arianis nos confundere intendit Illuſtriſsimus Alvarez opponens, hac noſtra ſcientia conditionata vſos fuiſſe ad ſuum errorem cõprobandum: Aſſerebant enim Chriſtum D. non per naturam eſſe Filium Dei, verùm per gratiam ad eam dignitatem ductum fuiſſe, quod ſanctè victurus præ cæteris eſſet. Conſtat id ex Epiſtola Alexandri Epiſcopi Alexandrini ad Alexandrum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quæ habetur in Cõcilio Nicæno vbi dicitur: *Aiunt Deum cum præſcientia, & præſenſione prænoviſſe neutiquam ipſum aſpernaturum, idcircò ex omnibus elegiſſe*; & mox: *ſed cùm eſſet natura mutabili, & propter ſingularem in vita, & moribus vite inſtituendis diligentiam ad ſtudium non ad vitia deflecteret, Deum elegiſſe; adeo, vt ſi, vel Petrus, vel Paulus in hæc obnixe incubuiſſet, eodem modo fuiſſent Filij Dei, quo ille fuit.* Vnde colligit citatus Author præſciẽtiam illam, qua vtebantur Ariani; & cuius ſit mentio in dicta Epiſtola eſſe ipſiſsimam, quam Ieſuitæ defendunt.

75 Sed quo iure? non alio quidem, niſi nimiæ inclinationis in proprium iudicium. Vnde quæcũque legebat ſibi in aſſumptum coperari exiſtimabat; aſt impugnandi ardor excęcavit doctiſsimum Magiſtrum, vt non videret nullum eſſe antecedens proportionatum ad conſequẽs deductum; vel quia non habet vnde probet, illam præſcientiã vſurpatam ab Arianis non fuiſſe præſcientiam abſolutam; ibi enim tantum dicitur Arianorum

rum nomine: *Deum cum præscientia, & præsensione prænoviſſe eum, neutiquam ſe aſpernaturum*; quod potius denotat prævisionem abſolutam meriti, cui correſpõdebat in præmiũ dignitas, ad quam fuit aſſumptus, vel ſaltem indifferens quid eſt, vt præſcientiam abſolutam, aut conditionatam ſignificet. Vel quia & ſi determinatè de Scientia proponente futurum conditionatum liberum Chriſti ſit intelligendũ, cùr potius de ſcientia conditionata Ieſuitica; quã Thomiſtica deberet accipi? An ne ita Ariana hæreſis erat determinata ad noſtram ſcientiam conditionam, vt ſi futurum illud conditionatum aſſeruiſſent Deum cognoſcere per ſcientiam innitentẽ decreto *ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato* ſtatim ab Arianiſmo in Catholicam ſentẽtiam deflecteret quamvis *in ſenſu compoſito* contumaciter proferrent, Chriſtum Dominum non eſſe Filium *per naturam*; verum *per gratiam*, ad quam evectus fuit præ reliquis expræſentione & præſciẽtia innitente decreto *ſubiectivè abſoluto*, & *obiectivè conditionato* de illis eximijs operibus, ex quorũ intuitu collata fuit præſtantiſsima illa dignitas? Eſt ergo antecedens illud prænotionis, & præſcientiæ aſſignatæ in Epiſtola indifferens quid, vt Ariani tenuerint ſcientiã cõditionatorũ Thomiſticam, vel Ieſuiticam. Vnde nihil reſtat; quã referre gratias tãto Magiſtro, ſicut & alijs, qui ſemper ac vident apud hæreticos ſcientiam conditionatorum, abſque vlteriori examine, eam Ieſuitarũ non Thomiſtarum eſſe aſſeruerant. Aſt exorandi non ſemper tam præſentes nos habeant, vt aliquando non obliviſcantur noſtri.

76 Ad obiectionem dicendum pro omnibus, quod ſive illa præſcientia, & prænotio, qua vtebantur Ariani ad ſuum errorem confirmandum fuerit Thomiſtarum, vel Ieſuitarum, nullatenus erraſſe ex ſcientia; ſed ex abuſu illius in contractione ad meritum chymæricum, ex quo motus dicebatur Deus ad conferendam Chriſto Domino illam eximiam gratiam, qua eminebat præ cæteris extra lineam Filij naturalis Dei, & in tali gradu, vt cuiquam liberum fuerit ex meritis ad ſimilem ſtatum Filiationis. Hæc eſt genuina expoſitio erroris, quam evidentiſsimè convincit, vt rectè notarunt alij Patres Græcos acerrimos impugnatores Arij nunquam ad impugnandum errorem ſumpſiſſe pro medio impugnationem Scientiæ, nec verbum de illa fuiſſe, quod non omiſiſſent, ſi in Scientia Arianorum ſumpta *quoad ſubſtantiam*, vt ita dicam, aliquem detexiſſent errorem.

77 Obijciunt tertiò: Nam ſi de mente Auguſtini fuiſſet Scientia hæc *conditionata contingens*, & Deo *non libera* non illi obieciſſent Semipelagiani doctrinam ipſius de vniverſali neceſsitate gratiæ ad omnia opera ſalutaria iura libertatis infringere: Aſt conſtat Semipelagianos id ſemel, & iterum Auguſtino oppoſuiſſe inculcantes neceſsitatem, quæ ex eius doctrina inferebatur voluntati creatæ: ergo quia ſcientia, quam fatebatur Auguſtinus non erat ſcientia independens à libertate divina. Cætera conſtant præter maiorem, quæ ſic probatur. Siquidem data ea ſcientia ex ſententia Auguſtini, ſtatim ſe offerebat, tum efficaciam gratiæ non eſſe intrinſecam, tum etiam quodcumque decretum efficax Dei erga operationem liberam voluntatis creatæ eſſe directum, & dependens ab exercitio libero eiuſdem voluntatis; ac proinde conſequens obiective ad ipſum exercitium liberum; quomodo nihil reſtabat opponendum pro libertate creata, vtpotè, quæ indemnis omnino apparebat; ſed contra libertatem, & dominium Dei: ergo ſi de mente Magni Parentis fuiſſet ſcientia, quam protegimus; non ipſi oppoſuiſſent Semipelagiani ſententiam eiuſdem non benè componi cum libertate creata.

78 Inſto Argumentum: Nam ſi de mente Semipelagianorum erat ſcientia *conditionata contingens*, & Deo *non libera*, quæ noſtræ Scholæ eſt, quomodo non componebant cum libertate creata neceſsitatem gratiæ ad omnia opera ſalutaria, ſiquidem pro omnibus efficacia gratiæ eſſet extrinſeca; ſicque iura libertatis non evertens: At ſemper inferebant, quod ſi admitterent neceſsitatem gratiæ ſine exceptione, creata libertas everteretur: ergo vel non defendebant noſtram ſententiam, vel ſi defendebant, nondum eis afluxerat modus cohærentiæ efficaciæ gratiæ, & certitudinis præſcientiæ, & prædeſtinationis divinæ cum noſtra libertate: ex his extremis eligant provt libuerit: ſi enim aliam ſententiam à noſtra Semipelagiani tuebantur, vt quid noſtram cum eorum iudicio confundunt; ſi verò quamvis eandem tenerent nondum percipie-

bant cohærentiam gratiæ efficacis cum libertate creata; quid mirum, si Augustino idem sentienti quoad scientiam, opposuerint inconveniens eversionis creatæ libertatis non benè callentes cohærentiam, quam sub prædicta scientia Augustinus exponebat.

79 Vlteriùs, si tota ratio, vt Semipelagiani Augustino non convenirent, stabat in efficacia intrinseca gratiæ, & vltra in antecedenti efficacia decretorum Dei erga exercitium liberum creatum, quod vtrumque inquiunt in Augustini sententia continebatur; quomodò Semipelagiani ingenio subtili satis, & expedito, nec verbum fecerunt vnquam contra Augustinum de impedibilitate efficaciæ, tum gratiæ efficacis, tum decreti, vt poterant memoratis alijs eiusdem Doctoris dictis, in quibus destructio libertatis per necessitatem causæ, quam voluntas creata excutere à se non valeat, erat expressa vt ipsum reconvenirent, & ad hominem pugnarent? Indicium clarum est, Augustinum consequentiam decretorum efficacium, & extrinsecam gratiæ efficaciam simul protexisse; verum quia, nec impedibilitatem decretorum, nec efficiam gratiæ extrinsecam percipiebant Semipelagiani, insistebant conantes ostendere evasionem illam, vt cum libertate creata benè componerentur esse purè vocalem; quin quoad rem ipsam illam decretorum efficacium consequentia, nec ista efficacia gratiæ extrinseca possent componi delusi antecedentia physica, tàm decretorum, quàm gratiæ, & immemores consequentiæ obiectivæ, in qua stat fœdus admirabile vtriusque cum libertate creata.

80 Insistunt ad hominem, vel quia omnes nostri fatentur Authorem, & inventorem suæ scientiç doctissimum Patrem Molinam: ergo non est Augustino tribuenda: Nam si Magnus Parens eam, vt volumus, protexisset, gloriosius quidem esset nobis Ducem habere Augustinum, quàm Molinam: ideoque potius Augustino; quàm Molinæ tribuere; vel quia ipse Pater Molina in concordia Vlisiponensi, quæst. 23. art. 4. & 5. disputat. 1. Post declarationem suæ sententiæ concludit, quæ si data explanataque semper fuissent fortè, neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani, tàm impudenter arbitrij nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes cum divina gratia, præscientia, & prædestinatione non posse cohærere, neque ex Augustini opinione concertationibusque cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati ad Pelagianosque defecissent, facilèque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quorum in Epistolis Prosperi, & Hilarij fit mentio, fuissent extinctæ. Vel quia ipse Paulus Leonardus strenuus Apologista pro Societatis sententia non recusat asserere, ex Molinæ mente, sententiam nostrę Scholæ non fuisse expresè traditam ab Augustino: vel demùm, quia si apud ipsum inveniretur vsurpata, nec vt nova fuisset promulgata, neque vt nova ab omnibus accepta, neque contra se tot viros doctos concitasset eam ex novitate sua suspectam habentes, qualiter apud litteratos non obtigisset; si Sancti Patres ei præluxissent, aut eorum vestigijs, tam clarè inniteretur: igitur nec Magnum Parentem Augustinum, nec alios Sanctos Patres credendum est eidem sententiæ favisse.

81 Ad quorum primum respondetur: Omnia quæ de Authore, & inventore nostræ Scholæ dici queunt, pariter in prædeterminationem Thomisticam; cuius Author, aut inventor appellari debet Sapientissimus Magister Frater Dominicus Bañez vergere debent; quod si propterea physica prædeterminatio Thomistica nō est destituta Authoritate Sanctorum Patrum; pariter, nec nostra ex simili antecedenti vnice in Authoritatem Patris Molinæ refundetur: itaque celeberrimus iste Doctor in tantum dicitur inventor, & Dux præclarus nostræ sententiæ, in quantum eam diligenti studio apud Augustinum, & alios Sanctos Patres observavit, vt legitimè deductam ex eorum principijs, & his, vel alijs terminis propositam; non verò quia ita sibi vnice debuerit, vt nullius ductu eguerit; imò planè fatetur, & ostendere nititur, scientiam *conditionatam contingentem*, & non *liberam* Deo tribui à Hieronymo, Augustino, & alijs Patribus, vtque acceptam ab ipsis refert.

82 Ad secundum dicant nobis prædeterminantes; vbi contineatur in Patribus ea declaratione, & expressione, qua modo ab ipsis traditur prædeterminatio Thomistica? Vbi distinctio illa *actus primi*, & *signi intermedij* inter *actum primum*, & *secundum*? Vbi sensus

ille

ille *divisus*, aut *præcisivus*, aut *positivus* faciendus à Deo? Vbi distinctio illa formalitatum in gratia efficaci ab intrinseco, quarum vna est resistibilis, & componibilis cum dissensu; secus altera, & mille alia, quæ in dies apud suos Authores augentur; quin defectus expressionis apud Sanctos Patres impediat eis per dicta conformari, vt probabiliter quisque conatur ostendere, ea sæpè persuasione, vt si res controversæ ita expositæ fuissent, multæ difficultates, aut penitùs corruissent, aut non tam molestè vexassent respondentes. Quodnam ergo erit fundamentum ad inferendum nostram sententiam ex cerebro Molinæ tantùm prodisse; quin primas tulerint Sancti Patres, ipsum asseruisse cohærentiam gratiæ præscientiæ, & prædestinationis cum libertate creata non fuisse tam clarè propositam, vt in explicatione eiusdem continetur, quæ si antecessissèt, forsan gravissimæ controversiæ tunc exortæ minore opera essent sedatæ? Et quidem sine vlla Patrum iniuria dici ab omnibus debet rigorem Scholasticum, & methodum controvertendi multum crevisse post antiquiores illos Patres, & Doctores, qui vt in plurimum suadebant magis vt oratores; quàm vt Scholastici, deberique apud Græcos Damasceno, & apud Latinos Anselmo, Magistro sententiarum, & Præceptori Angelico.

83 Nec aliud voluit Paulus Leonardus, nisi hanc maiorem expressionem doctrinæ tribuere Molinæ suppositæ apud Patres substantia illius obscuriori modo tradita. Vnde mirum non erit, si aliqua innotuerint nostro Doctori, quæ tam clarè antiquis Patribus non fuerint proposita, vt contingit præferenti facem, qui sæpè non invenit ea, quæ alius ductu ipsius facilè detegit. Quare rectè monet ipse Leonardus: *Non semper Deum omnia magnis Ecclesiæ Gigantibus revelare; sed cum eis dubiorum præcipuorum Cardines apperiat; relinquere non nihil in quo pollulantibus alijs, atque alijs erroribus sequuturæ posteritatis industria eluceat*, vt confirmat ex Richardo de Sancto Victore, Prologo in visionem Ezechielis rotarum, atque animalium, ibi: *Nos autem à Patribus per tractata cum omni aviditate suspiciamus, & ab his omissa cum omni alacritate perquiramus, & sagaciter inventa, cum omni liberalitate in commune proferamus, & impleatur, quod dictum est (per transibunt plurimi, & multiplex erit scientia.)* Clarius adhùc Doctissimus Magister Ibañez 2.2. quæst.1. artic.7. conclusione 3. *Novissimi Doctores fideles Patrum vestigijs insistentes iuxta illud Ecclesiastici 39. (Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens) in quibusdam expressiorem intelligentiam consequuntur; quam, antiqui Patres assequuti fuerint, excipimus Apostolos semper* addens speciatim id verum esse de progressu in Theologia Scholastica, & monens tandem ibidem: *Neque tamen propterea Novissimi Doctores pluris sunt æstimandi; sunt enim veluti parvuli super humeros Gigantum positi, quos non est mirum si Gigantum proceritate elevati altius attingant*, quę quidem aptissimè, & dissertissimè quidem, sunt prolata, vt præcaveantur, sivè obiectiones, sivè vt melius dicam vani terrores imperitorum nescientium quomodo suscipienda sit Patrum Authoritas, & quantum extendenda: vnde constat ad 3.

84 Cæterùm non est hinc progrediendum absque memoria Mag. Palanco dicentis tom. 2. de Deo, disput. 5. quæst.6. num.1. de Scientia nostra conditionata, & eius Authore celeberrimo P. Molina: *Concertatio, sivè controversia ista satis celebris est inter Theologos, quia in ea potissimè controvertitur Scientia illa media, cuius primus Author, si ipsi credimus Molina fuit Societatis Theologus. Ipse enim in concordia Vlyssipone edita apperte supponit prædictam Scientiam mediam, seu rationem conciliandi libertatem humanam cum præscientia, & prædestinatione, ignotam fuisse Augustino, & alijs Patribus, cæterisque Scholasticis vsque ad sua tempora, (quæ si data explanataque semper fuisset, inquit, forsan neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque ex Augustini opinione, concertationibusque, cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent, facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Galia de quibus in Epistola Prosperi, & Hilarij fit mentio fuissent extinctæ;) cæterum apperte fallitur Molina: nam testantibus iam vtriusque Scholæ Doctoribus Scientia media, licet non sub isto nomine, olim temporibus Augustini à Pelagianis, & Semi-Pelagianis, circumferebatur licet mille admixta erroribus, eaque abutebantur, inquit Suarez pro eis defendendis. Vnde Augustino contra Pelagianos agenti ignota esse non potuit, neque Patribus illius temporis*, sic ille.

85 In quibus animadvertere non desinam primò: non lapsurum calamum è di-

è digitis R. Patris, neque brachium torpore afficiendum, ſi dum nominat Principem noſtræ Scholæ, & virum Doctiſſimum in paucis ſui temporis, cum non ſiccè, & nude ſic *Molina Theologus*; ſed aliqua honoris expreſsione affeciſſet, diſcens in eadem concordia ex Reverendiſsimo, & Sapientiſsimo Patre Magiſtro Fr. Bartholomeo Ferreyra Dominicano, Sanctæ, & Supremæ Inquiſitionis Luſitanæ deputato, & librorum cenſorem, quiquidem in approbationem operis noſtri Doctoris, ita in panegyrim declinavit: *Quæ quidem diſputatio* (de concordia ſcilicèt) *ex ſua natura multis difficultatibus ſcatet, & Delio natatore indiget Authore admodum R. P. Doctore Eruditiſsimo Ludovico de Molina, ex Sacro Ordine Societatis Ieſu, vero in divinis Scripturis Eruditiſsimo, iuxta, & Religioſiſsimo, olim in alma academia Eborenſi Theologiæ Primario profeſſore, doctrinæque Div. Thomæ Expoſitore*: proſequiturque: *In quo opere nihil à me eſt animadverſum, quod noſtræ Religioni adverſetur. Imò ſi quid eſt in Sanctis Conciliis, quod prima fronte videatur obſcurum, & ſcopuloſum, id ipſum dilucidatur, & quam plurimi loci Sacræ Scripturæ, tàm veteris, quàm Novi Teſtamenti diſſertiſsimo ſtylo expenduntur, & explanantur, &c.* Sic, ni fallor primores viri ſaltem quando primò in ſcriptis occurrunt, debent tractari.

86 Rurſus ponderari debet, quantum, & quàm apperte fallatur in fallentia Molinæ, quando ex tam levi fundamento, vt ſunt verba relata iudicat ſe feciſſe Authorem Scientiæ mediæ, quaſi novum detectorem illius. Ibi enim, vt cuivis obvium eſt, tantum ſibi tribuit clariorem expreſsionem Scientiæ mediæ, & vſus eiuſdem; necnon rigidam formalitatem Scholaſticã in ea tradenda: quod idem clarius conſtat, ex eo quod totus ſit intentus in comprobationem talis Scientiæ ex Patribus, & præcipuè ex Auguſtino: quomodo ergo fatebitur habere à ſe initium id quod totis viribus oſtendit alijs antiquioribus debitum: eſt ergo duntaxat noſter Doctor Molina Author Scientiæ mediæ, ſicut apud Thomiſtas Doctiſsimus, & graviſſimus Mag. Bañez eſt Author Prædeterminationis phiſicæ, quam erutam ex Patribus & ex Sacris Litteris toto animo conatur aſſerere: videat ergo Palancus inter ipſum, & Molinam, quis patiatur errorem in iudicando. Haud minus obſervari debet tertiò modus quo proponit Scientiam mediam fuiſſe cognitam antiquis Patribus, nimirum quia agebant cum Pelagianis, & Semi Pelagianis, qui eam propugnabant, pro quo firmando advocat conſenſum vtriuſque Scholæ: amarem quidem in tam præclaro Magiſtro ſinceriorem animum in referendo, propterea ſciat nos fateri Scientia media vſos fuiſſe Pelagianos, & præcipuè Semi-Pelagianos; ſed non ſolos; verum etiam Patres, cum quibus decertabant, ea ſtante differentia, quod Pelagiani, & Semi-Pelagiani vſum Scientiæ mediæ multis erroribus deturpabant; aſt Patres purum ab omni labe tuebantur: inde lis excitabatur; non vt Scientiam mediam Patres reijcerent quam Adverſarij admittebant, ſed vt pravus vſus exularet, & quam facilè ſub ipſa gratiæ neceſsitas, cum creatæ libertatis iure componeretur, oſtenderent. Ne vero id ſit difficile graviſsimo iſti Magiſtro advocet in memoriam pravum vſum ſuæ prædeterminationis, qui eſt apud Hæreticos, & bonum vſum, qui eſt apud Catholiciſsimos Thomiſtas; quin inde inferatur, aut ſolos Hereticos admittere prædeterminationem, aut Thomiſtas impugnantes Hæreticos amplius, quàm pravum vſum illius reijcere.

87 Ad quartum de doctrinæ novitate ſtatim occurrit illud Ciceronis ad Brutum: *Reprehendent, quod inuſitatas vias indagamus, tritas relinquamus; ego autem, & me ſæpè nova dicere video intelligo, cum per vetera dicam; ſed inaudita pleriſque.* Quare ſæpè reputantur nova non quæ in re talia ſint; verùm quorum notitia denuò advenit, aut quia notitia ſemel habita, interrupta fuit, aut quia ex contraria quadam ſuppoſitione impedita fuit inveſtigatio, quæ ſi adfuiſſet, antiquiſsima reputarentur illa, quæ novitatis commovent ſcandalum: ſic meruit nomen novi orbis pars illa antiquiſsima mundi, quam Columbus, Veſputius, & Magallanius ſua inveſtigatione nobis ignorantibus innoteſcere fecerunt; cùm primus tanquam novitatis cuiuſdam inutilis, omnique fundamento carentis, Author ſemel, & iterùm tulerit repulſam, & cordatorum deſpectum; tamen probabit eventus, non quidem nova inducere; ſed vetera noviter. Nec concitatio illa virorum doctiſsimorum noſtram ſententiam authoritate Patrum

deſ-

destituit, cùm donum intelligentiæ Sacrarum litterarum, & Patrum, non ita abunde omnibus communicaverit, vt nihil restet impervium; imò potius vult; vt Docti inter se mutuò erudiantur, nè Scientia inflet, quando experientia ipsa magistra ostenditur; doctissimos etiam aliquando probari ignorantes, & revelari Parvulis, quæ abscondita sunt à sapientibus. Cæterùm, vt penitus concitationi obiectæ fides detrahatur sit in memoria opinio pia de præservatione Beatissimæ Virginis à culpa originali in primo suæ Conceptionis instanti, quæ quantum commoverit sapientissimos, & alioquin pijssimos Doctores; quin propterea, aut Sacrarum litterarum, aut Sanctorum Patrum favore caruerit; quin imò, vt authoritate omni maximè fulcta adeò fœliciter invaluerit.

88 Objciunt quartò. Quia si Deus per talem *Scientiam conditionalem contingentem*, & sibi *non liberam* agnosceret futura conditionata, quæ sunt de nostra libertate, ideò hic videretur sub libertate consensurus; alter verò sub libertate dissensurus; quia vnus velet, & alter nolet: vnde ideò vnus haberet auxilium cui consentiret, quia velet; alter verò ideò haberet auxilium cui dissentiret; quia nolet: Pariterque quæstioni interroganti: *Cur vnus habet gratiam efficacem, qua liberetur*, ideſt, *qua consensurus sit? Et alter gratiam inefficacem; qua non liberetur*, id est, *cui dissensurus sit? Per vele, & nole humanum* seu per *consentire*, *& dissentire* esset respondendum: sed hoc est contra Augustinum, & Prosperum: ergo etiam Scientia ex quâ hæc legitimè inferuntur, reprobata est ab Augustino, & Prospero. Probatur minor primò ex August. Epist. 105. ad Sixtum column. 8. versus medium: *Cur autem, inquit, illum potius; quàm illum liberat aut non liberat, scrutetur qui potest iudiciorum eius, tam magnum profundum; verumtamen caveat præcipitium. Nunquid enim est iniquitas apud Deum? Absit; sed inscrutabilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius*, vt etiam docet de *prædestinatione Sanctorum* cap. 9. & 14. & de *Dono perseverantiæ* cap. 4. in Enchiridio cap. 95. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 20. contra Iulianum lib. 5. cap. 3. lib. de *Gratia, & libero arbitrio* cap. 22. sermone 7. de *Verbis Apostoli*, & lib. de *Spiritu, & littera*, cap. 34. Deinde ex Prospero lib. 1. de *Vocatione Gentium*, cap. 25. ibi: *Profunditas illius quæstionis, quam secundum admirationem Apostoli impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrij vele, vel nole non solvitur*: ergo ex vtriusque sententia quæstio illa, quam nos per *vele, & nole humanum* cogimur resolvere, minimè per talia extrema est resolvenda; ac proinde, nec antecedens, quod in talem resolutionem inducit, est admitendum.

89 Arguerem ego sub simili forma: nec per *Scientiam liberam* Deum posse cognoscere prædicta futura: attende: si Deus per *Scientiam liberam*, & innitentem decreto cognosceret futura conditionata, quæ sunt de nostra libertate; ideò hic videretur sub libertate consensurus; alter verò sub libertate dissensurus, quia de vno, & altero sic decrevisset: vnde ideò vnus haberet auxilium cui consentiret; quia Deus velet consentire sub ipso; alter vero ideò haberet auxilium, cui dissentiret, quia Deus ita decerneret, saltem quoad materiale: pariterque quæstioni interroganti: *Cur vnus habeat gratiam efficacem, qua liberetur*, id est, *qua consensurus sit? Et alter gratiam efficacem, qua non liberetur*, id est, *cui dissensurus sit?* per *vele* & *nole* Dei erga consensum vnius, & dissensum alterius, seu per decretum divinum quoad vnum; & alterum esset respondendum: sed hoc est contra Augustinum, & Prosperum locis citatis: ergo etiam Scientia divina, ex qua hæc legitimè inferuntur, reprobata est ab Augustino, & Prospero. Probatur minor: ex mente vtriusque resolutio illius quæstionis ita est impenetrabilis humano iudicio, vt vnicè in profundum iudiciorum Dei, & investigabiles vias eius sit revocanda: at non sic accideret, si per patentissimum *vele, & nole* Dei, aut per dispar decretum efficax erga vnum, & alium esset respondendum: ergo ex vtriusque sententia quæstio illa, quam contrarij per *vele, & nole* Dei, aut per diversum modum decernendi coguntur resolvere, minimè per talia extrema est resolvenda; ac proinde, nec antecedens, quod in talem resolutionem inducit, est admitendum. Ecce argumentum, quod non sine strepitu ab aliquibus vociferatur, aut nullum esse, aut omnem sententiam comprehendere.

90 Est ergo nullum, & omninò inefficax ex confusione duplicis quæstionis maximè distinguendæ: quarum vna est: *Cur ex duobus hominibus indifferenter*

ter vocatis; imò æqualiter vndequaque pulſatis vnus conſentiat; alter verò diſſentiat? Altera: *Cur Deus videns, aut reſpectu vnius, tum auxilium, tum libertatem ſub qua ſit conſenſurus, tum etiam auxilium, & libertatem, ſub qua ſit diſſenſurus*; potius conferat auxilium, quo prævidet eſſe diſſenſurum; quam auxilium quo prævidet eſſe conſenſurum? Aut reſpectu plurium, quos æquè prævidet ſub diverſis auxilijs conſenſuros, & diſſenſuros, *cur vni tribuat libertatem, & auxilium, quo eſt ſalvandus, omiſsis libertate, & auxilio quibus reprobus fieret; alteri verò tribuat libertatem, & auxilium quibus reprobus fiat, omiſsis libertate, & auxilio, quibus ſalvus redderetur*? Ex his quæſtionibus primæ optimè ſatisfit per *vele humanum* datum à Deo in libertate & auxilio indifferenti ſub prævisione tamen boni eventus, & ex affectu, vt ita contingat, & per *nole humanum* permiſſum à Deo per collationem libertatis, & auxilij ſufficientis ad conſenſum ſub prævisione tamen mali eventus. Ita reſolvit frequentiſsimè Auguſtinus locis citatis de Civitate Dei lib. 12. cap. 6. de prædeſtinatione, & gratia cap. 15. ad Simplicianum lib. 1. quæſt. 2. & Angelicus Doctor 3. part. quæſt. 69. artic. 8. ad 2. vt videri poſſunt ſupra cap. 2. præſentis diſputationis, non oblita expoſitione Magiſtri Soti. Addi etiam poteſt ipſe Auguſtinus tractatu 53. in Ioannem, vbi proponens illam quæſtionem. *Quare Iudæi dicantur non potuiſſe credere*, id eſt, *non creditur*? Reſpondet: *Si à me quæratur, citò reſpondeo: quia nolebant, malam quippè eorum voluntatem prævidit Deus.*

91 Secundæ verò non aliter reſponderi poteſt, ſi non temerè ſit reſolvenda, quàm per recurſum ad inſcrutabilia iudicia Dei, & inveſtigabiles vias eius, vt fecit, & nos docuit Apoſtolus ad Romanos 11. dicens: *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inveſtigabiles viæ eius!* quem ſequens Auguſtinus de *Dono perſeverantiæ* cap. 8. reſolvit: *Cur iſte vocetur, vt vocationem ſequatur; ille autem non vocetur, aut non ita vocetur, vt vocantem ſequatur? inſcrutabilia ſunt iudicia Dei*, & lib. de *Spiritu, & littera*, cap. 34. *Cur ille ita ſuadeatur, aut perſuadeatur, hic autem non ita? O altitudo divitiarum!* Cui quæſtioni alludens, tam ipſe Magnus Parens; quàm eius diſcipulus Proſper, eam eodem modo reſolvunt in locis obiectis, ex quibus nihil contra nos convincitur, qui vnam, & alteram reſolutionem Auguſtino duce, & Magiſtro reſolutione conformi eius doctrinæ, & menti expedimus fatentes profunditatem iudiciorum Dei in ſecunda, & dantes reſolutionem per voluntatis arbitrium in prima; non ſecus ac contrarij pro prima quæſtione rationem reddent ex ſua prædeterminatione, vel *intrinſeca*, vel tantum *extrinſeca*; at pro ſecunda qua rogentur, *cur Deus potens prædeterminare omnes ab bonum, alios ſic prædeterminet; alios vero ad materiale peccati deganc prædeterminationem ad bonum*? Profitebuntur ſe impares omninò ad reſolvendum, & cum Apoſtolo altitudinem divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei, cuius incomprehenſibilia ſunt iudicia humiliter exclamabunt; nam quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?

92 Hùc venit ſolvendum, quod obijciunt quintò. Scilicèt noſtram ſententiam ex nimia facilitate, qua componit arduiſsimam cohærentiam *gratiæ, Prædeſtinationis, & præſcientiæ*, cum libertate creata oſtendi nimis diſtantem à mente Patrum cuius conatus impenſus fuit in ea exponenda ſemel, & iterum tentando eius declarationem; verum accipiendo ſemper, vt myſterium talem cohærentiam, cui ſubijci debet intellectus humanus, illud credendo captivitate quadam in obſequium fidei. Huic obiectioni præbuit fundamentum Magiſter Bañez 1. part. quæſt. 22 artic. 4. & quæſt. 23. artic. 3. dub. 3. vt etiam Alvarez, Ledeſma, & alij volentes huic difficultati pariter eſſe cedendum, ac in his, quæ occurrunt in profundiſsimo Beatiſsimæ Trinitatis Myſterio.

93 Sed omiſſo, quod recurſus iſte ad myſteria ſicut, & captivitas intellectus in obſequium fidei non ſint tam latè vſurpanda, vt quæ tenaci animo amplectuntur, contra quamcumque difficultatem occurrentem protegantur, vt fecerunt Caluinus, & Buccerus: ille lib. de æterna Dei prædeſtinatione contra Pignium pag. 136. vbi, vt aſſertum ſuum execrabile de pari cauſalitate divina erga bona, & mala ab omni impugnatione liberet, ſubdit falſiſsimè, & impiſsimè: *Si quis hoc mentis ſuæ captu ſuperius eſſe excipiat, idem de me fateor; ſed quid mirum ſi modulum noſtrum incomprehenſibilis, & immenſa Dei maieſtas exſuperet;*

ret; atquitantum abest, vt pro carnis ratione explicandum suscipiam sublime istud, reconditumque arcanum, vt quod initio præfatus sum assiduè in memoriam redire velim: desipere qui plus scire appetant, quàm Deus revelaverit. Hoc idem falsum dogma statuens super illud ad Romanos 1. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum*, inquit, *præstare in hac quæstione rationi prorsus valè dicere, & verbis Domini simpliciter inhærere, vbi legimus tradidit illos Deus in desideria, & in reprobum sensum; nam de hoc ait Paulus (tu quis es, ò homo! vt respondeas Deo? Et ò altitudo divitiarum, &c.) quoniam inter homines nemo peccat in eo, quod vitare non potest, ideo horret animus Deo tribuere, vt cogat hominem peccare, sed alia est ratio inter homines, alia inter nos, & Deum*: ita apud Ruiz disput. 59. de Scientia sect. 1. Similia Buccerus in illud Roman. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum.*

94 Inquiro: cur si in cohærentia gratiæ prædestinationis, & præscientiæ, cum libertate creata ad mysterium confugiendum est captivando intellectum in obsequium fidei, sunt de sua prædeterminatione, & decreto tam soliciti? Fateantur ergo, vt omnes Catholici fatemur dari libertatem creatam benè compositam cum gratia necessaria ad operandum salutariter, & cum efficacia eiusdem, & venerantes profunditatem iudiciorum Dei, sicut, & mirabiles vias eius providentiæ à modo compositionis desistant; si autem ibi non contineantur; sed amplius velint, nimirum non solum esse captivandum intellectum quoad cohærentiam dictorum, verum quoad modum cohærentiæ ab ipsis assignatum, id nimis est, dum ex fide non constet talis modus; quare interim rogabo, vt captivent suum intellectum in modo cohærentiæ à nobis tradito, sicut intendunt Iesuitarum mentem captivare in obsequium prædeterminationis. Deinde, aut facilitas nostræ doctrinæ tanta est, vt difficultates oppositas extinguat, & cum evidentia dissolvat, aut expeditio eiusdem duntaxat terminos probabilitatis attingit? *Si primum*: cur ex facilitate contemnenda sententia, quæ vsque ad evidentiam, cohærentiam alioquin difficilem perducit. *Si secundum*: cur etiam ex facilitate non suspecta sententia opposita quæ probabiliter satis quidquid occurrit, elucidat, & tot sapientissimorum dexteritate complanat? Erit igitur, vel vtraque ex facilitate despicienda; vel neutra de facilitate notanda. Nec prætermittenda mira illa facilitas contrariorum, qua omnia censent expeditè componi, quæque intra hos breves terminos comprehenditur: *Sensus compositus, sensus divisus; Deus prædeterminat non modo substantiam actus; verùm modum libertatis illius: Deus prædecernit suavissimè leniendo, & confortando libertatem creatam.* Quid brevius? Quid clarius? Quid expeditius? Vt omnia difficilia in cohærentia sedentur, ac paccato animo accipiantur.

95 Cæterùm non possum sine actione gratiarum ab hac facilitate nostræ sententiæ discedere, eamque gratulabunde ab inimicis accipere, vtque à memoria non decidat, iterum, atque iterum refricare: ergo in nostra sententia nulla est difficultas, nisi ipsa facilitas: ergo argumenta illa proclamata ex depressione divini dominij, aut nulla sunt, aut facillimè exarmantur: ergo consensus ille cum Semi-Pelagianis, qui aliquando tantum negotium facessivit impugnatoribus spectrum quoddam fuit, & larva puerorum: ergo ea, quæ coram Ecclesiæ capite miro ardore facta sunt vtrinque in eo sistebant, vt alij facilitatem ex nostra sentētia convincerent: alij verò, vt facilitatem obiectam depellerent, vel saltem ostenderent non esse vllum peccatum in eo, quod Deo favente, nobis esset pervium, & tritum, quod alijs arduum, & inaccessum: maneat igitur liquidum, & constans ex hac obiectione nullum alium esse defectum in societatis Doctoribus, nisi quod rem difficilem nimis benè componant, necnon sententiam nostram tantùm debere impugnatoribus doctissimis, vt eorum testimonio omni exceptione maiori comprobetur, nihil aliud in ea esse difficile, nisi quod ea retenta, nihil appareat difficile: tale argumentum semper Deus mihi disponat in omnibus, quæ pro mea tenuitate disputavero.

96 Respondendum, sicut in præcedenti: numquam Patres reduxisse in mysterium cohærentiam *gratiæ præscientiæ, & Prædestinationis* cum libertate creata, neque pro expositione eiusdem inscrutabilia iudicia Dei memorasse; imò ostenso hoc cohærentiæ modo, solutisque difficultatibus obiectis conati sunt ostendere, non esse supra naturalem rationem, nec tam arduum, vt volunt con-

contrarij, quibus infensa est expeditio nostræ sententiæ: solum ergo altitudinem iudiciorum Dei ponderarunt in illis quæstionibus, quas sub tali admiratione tetigit Apostolus ad Romanos cap. 9. & præcipuè 11. in quibus nil de cohærentia; sed de inæqualitate illa, qua procedit divina providentia; dum cuius vult miseretur, & quem vult indurat, sæpè abundantiorem gratiam conferendo ei, qui propter graviora scelera indignior est illa; pro quo legendus contextus capitis 9. & præcipuè cap. 11. vbi admiratur D. Paulus Dei consilium, qui prius efficaciter ad se traxerat Populum Israeliticum neglecto gentilico: postea verò ex gentilibus plurimos ad Ecclesiam efficaciter vocaverit maiori parte Israelitici Populi in sua obstinatione relicta: quam doctrinam observantes Patres Ecclesiæ ad alias quæstiones similes transferunt, in quibus agitur sub sufficientia ad salutem de discrimine quoad efficaciam in quantum Deus quibusdam hominibus non conferat illam gratiam opportunam, quam conferre posset, cuius virtute converterentur efficaciter, & in gratia perseverarent, è contra vero alios homines vocatione congruenti, & opportuna gratia eo loco, & tempore excitat, cum posset talem gratiam subtrahere, quando prævidet, & scit illos esse consensuros, & perseverantiam assequuturos, quæ considerantes exclamant: *O homo! tu quis es, qui respondeas Deo? O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei!*

97 Vbi notanda duo, quæ diligenter observavit Ruiz disput. 59. iam citata sect. 2. vnum Sanctum Hieronymum tom 3. Epistola 150. de duodecim quæstionibus ad Hedibiam quæst. 10. tractantem eam partem capitis 9. Epist. ad Romanos, in qua Paulus reprehendit eorum audaciam, qui de divina providentia disputantes conqueruntur, exponere primo cohærentiam textus, vt inde probet libertatem à Deo relinqui indifferentem ad vtramque partem contradictionis, neque per divinam providentiam determinari ad vnam partem. Deinde in fine quæstionis eiusdem refutare eorum expositionem, qui existimant ab Apostolo de huiusmodi quæstionibus silentium æternum indici. Alterum D. Augustinum in lib. 83. quæstionum, quæst. 68. exponentem etiam Div. Paulum ibidem, intelligere cum restrictione verba Apostoli excludentia tanquam audacem resolutionem prædictarum quæstionum ab hominibus, vt tantùm coarctanda sint ad homines carnales, luteos, terreos, & imperfectos, qui duntaxat prohibentur à tali investigatione; secus ad viros perfectos, quibus licitum est proponere solutionem, non vanè, & præsumptuosè; sed humili quodam iudicio, progredique ad exponendam dictam quæstionem, ostendendo Deum omnibus concedere auxilia, quibus si velint, possint liberari; ex malitia verò improborum provenire, vt non convertantur Deo id iustissimè permittente ob eorum demerita: legantur locis citatis vnde relata ita esse constabunt, sicut etiam quando in inscrutabili iudicio Dei sistendum; quando verò cum debita subiectione fine audacia, aut temeritate ad investigationem procedendum, neque fine discretione, & cæco quodam procedendi modo esse ad mysteria in his, quæ mysterium non continent appellandum.

98 Objiciunt sextò Div. Thomam adæquatè dividentem Scientiam Dei in *liberam, & naturalem*, vt non feciſſet ſi de mente ipſius eſſet tertia alia *Scientia*, nec *libera*, nec *naturalis*, & quæ comprehendi non valeat ſub deſignatis extremis: at Scientia, qua Deus iuxta nos cognoſcit futura conditionata nobis libera, non eſt Deo *libera*, nec *naturalis*; verùm tenens medium inter vtrumque extremum: ergo Scientia iſta aliena omninò eſt à mente Angelici Magiſtri. Pro maiori citant Div. Thomam varijs in locis, videlicèt in 1. part. quæſt. 14. artic. 9. 3. parte quæſt 1. artic. 2. ad 2. artic 3. in fine corporis quæſt. 13. artic. 1. ad 2. 1. contra Gentes, cap. 66. & 69. artic 4. ad 1. & multis alijs locis in 1. 3. & 4. ſententiarum.

99 Reſpondet Eximius noſter Doctor tom. 2. de gratia Prolegomeno de *Scientia conditionata*, cap. 6. Negando reperiri in Div. Thoma locis allegatis diviſionem Scientiæ divinæ *in naturalem, & liberam*, ſiquidem in Angelico Doctore talia verba non inveniuntur; ſed ſemper dividit in locis citatis Scientiam Dei in Scientiam *ſimplicis intelligentiæ, & viſionis*, ſub quibus terminis in alijs locis quàm plurimis eandem diviſionem amplectitur, nunquam memoratis terminis, ſub quibus obiectio conficitur: Vnde infert in argumento mu-

mutata fuisse nomina, vt aliqua difficultatis species ei tribueretur per suppositionem æquivalentiæ inter prædictos terminos, cùm in re talis non sit, neque ex doctrina Div. Thomæ probari possit. Quare admissa divisione, quomodo in scriptis Div. Thomæ continetur, nil ex ipso nobis adversum convincitur; sed præcisè scientiam conditionatorum contingentium de libertate creata debere comprehendi, vel sub extremo *Scientiæ simplicis intelligentiæ*, vel sub extremo *scientiæ visionis*, vt libenter fatentur Societatis Authores divisi tantum inter se quoad extremum determinatum, sub quo sit comprehendenda: alij enim dicunt sub Scientia *simplicis intelligentiæ* esse collocandam, cum ita affirmet obiectum suum conditionatum sub hypothesi, vt cum defectu absoluto ipsius pro semper ex defectu purificationis hypothesis sit componibilis: vnde apparet conuenire cum Scientia *simplicis intelligentiæ*, quæ pariter ab existentia absoluta sui obiecti præscindit: alij per oppositum iudicant pertinere ad *Scientiam visionis*; ideoque sub tali determinato extremo divisionis esse ponendam; quia etsi præscindat ab existentia absoluta sui obiecti *absolutè sumpta*; non tamen præscindit ab existentia conditionata sui obiecti *conditionatè sumpta*; neque purè sistit in non repugnantia sui obiecti, aut in conceptu quidditativo, & essentiali illius, vt est proprium *Scientiæ simplicis intelligentiæ*, à qua discriminatur ex tendentia conditionata in suum obiectum sub hypothesi distincta ab existentia illius. His adhæsimus supra tractantes de prædicta divisione divinæ notitiæ in Scientiam *simplicis intelligentiæ*, & *visionis*.

100 Addit tamen, nè obiectio, aut ex impostura, aut ex falsa suppositione æquivalentiæ inter terminos *liberæ*, *& naturalis*, *& simplicis intelligentiæ*, *& visionis* frigida omninò maneat, admitti posse divisionem illam, ac si esset de mente Div. Thomæ, aut in ipso alicubi inueniretur; & tunc dicendum, Angelicum Doctorem vsurpasse membrum illud divisionis *libera* non *præsè*, *& strictè*, verùm *latè*, & minus *propriè* provt contraponitur *Scientiæ necessariæ*, & confunditur cum *Scientia contingente*; ideoque divisionis sensus erit, *Scientiam Dei aliam esse necessariam*, *& indefectibilem in existendo*; *aliam vero contingentem*, *& defectibilem*, qua ratione patens est, Scientiam conditionatorum ad nostram libertatem spectantium comprehendi sub prædicta divisione ex præcontinentia in illo determinato extremo *Scientiæ contingentis*: nam quamvis ea Scientia non sit Deo *libera*, est ipsi *contingens* ob contingentiam derivatam ab extremo libertatis creatæ, quod sub hypothesi repræsentat, quodque sicut per arbitrium creatum liberè determinatur, vt taliter se haberet sub hypothesi, sic potest non determinari, aut impediri per determinationem defectus ipsius sub eadem hypothesi. Quod etiã, vt alibi iam notauimus, dici debet de Scientia *simplicis intelligentiæ*, qua Deus cognoscit possibilia distincta à se; nec non de Scientia impossibilium, quæ ob inconnexionem, quam Deus habet cum possibilibus, & impossibilibus, est etiam Deo contingens, quamvis non libera, ea tantum adhibita disparitate inter Scientiam possibilium, & impossibilium ex vna parte, & Scientiam conditionatorũ, quæ nostræ sunt libertatis ex alia, quod hæc non modò est contingens Deo *respective* verùm *absolutè*; ast altera est Deo contingens *respectivè*; secus *absolutè*.

CAPVT IV.

Soluuntur fundamenta contraria rationis.

101 PRincipaliora desumuntur ex perfectione diuini dominij, ex primatu diuinæ libertatis, vt primò decernentis, & ex discretione Prædestinati à Reprobo, quæ omnia labefactari videntur ex nostra sententia; tum quia ex ea plura sunt nobis proximè possibilia, quę Deo talia non sunt, vt constat ex quouis auxilio, cui creatura dissentit, sub quo est potens proximè consentire, & se convertere, quin Deus sit potens proximè eam convertere, & facere consentientem: tum quia omnis actio libera creata vnicè esset à voluntate creata determinante, quin prævie à Deo determinaretur, vnde, nec Deus esset *primus liber*, nec *primus determinans*, cùm potius id competeret creaturæ: tum quia eo modo, quo creatura libera vnicè se determinat, etiam se discernet

à dissentiente contra illud Apostoli ad Corinthios 4. *Quis est, qui te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Vnde sub inferunt, in nostra doctrina pariter destrui libertatem divinam, ac libertatem creatam, illam quidem quasi primariò, & directè per ablationem eorum, quæ sunt illi propria; hanc verò quasi ex consequenti; propterea quod ablata ex repugnantia *primæ libertate*, non valeat consistere *secunda* dependente essentialiter à *primâ*, & cum illa metaphisicè connexa.

102 His verò quantùm in nobis fuit, iam satisfecimus tractatu de Prædestinatione tom. 1. disput. 3. quæ est *de Scientia dirigente Deum ad prædestinandum*, vbi de cohærentia, & recta compositione *Scientiæ contingentis* Deo *non liberæ*, seu *mediæ* cum divina perfectione, & dominio latè egimus; & disput. 5. quæ tota est contra prædeterminationem intrinsecam, sicut, & 6. quæ tota est contra prædeterminationem extrinsecam, & decreta efficacia antecedentia; necnon disput. 4. cap. 3. vbi de creatura inconvertibili, in quibus qualiter accipiendum sit divinum dominium erga actiones liberas creaturæ, qualiterque sit intelligendum Deum esse *primum liberum*, & *determinantem* conati sumus exponere, & disput. 19. to. n. 2. cap. 3. in quo de discretione prædestinati à reprobo, & de recta intelligentia verborum Div. Pauli: vnde semper manet verum in nostra sententia proferri tantum posse absolutè: *Deum discernere prædestinatum à reprobo; secus ipsum prædestinatum discernere se ipsum à reprobo.* Vltimo disput. 17. huius tractatus Appendice ad constitutionem futuri contingentis conditionati, solvimus alia ingeniosa, & pulchra, quæ immediatissimè ex veritate contingenti conditionali nobis libera non includente decretum divinum *subiectivè absolutum*, & *obiectivè conditionatum antecedens simpliciter*, & *inimpedibile* per voluntatem creatam fatagunt inferre non salvari supremum Dei dominium quoad impeditionem contingentium, ex quibus omnibus fit satis vltimo intento absurdo destructionis libertatis creatæ ex destructione divinæ. Nam si ea suadent adstructionem perfectissimam libertatis divinæ, & provt decet ens summum, & infinitum, impediunt antecedens destructionis libertatis divinæ, ex quo solum in nostra sententia probari valet destructio libertatis creatæ; imò ab oppositio redarguitur contra adversarios ipsos destruere libertatem divinam ex destructione libertatis creatæ, per quam deducunt libertatem divinam vsque ad exercitia libera chymærica, & repugnantia, sicut, & ad conatus efficaces destructivos illius, quod efficaciter intendunt.

103 Quare ab his desistendum, retento semper in promptu dictorum compendio, scilicèt dominium Dei non esse commendandum ex victoria impossibilium, & ex inversione conceptuum essentialium rerum. Vnde semel quod conceptus essentialis rei talis probetur; aut ex terminis ipsis se ostendat, Deum non posse agere contra talem conceptum, non est diminutio potentiæ; verùm dominij excellentia; sicut quod Deus sit impotens *subiectivè*, & *terminativè absolutè* producere chymæram; non minuit, imò perficit eius potentiam; sic similiter Deum non posse immutare iura essentialia libertatis creatæ, exaltat, non deprimit eius potentiam, & dominium, vt debent dicere contrarij in impotentia, quam habet Deus ad permittendum peccatum *coniuncto voluntatis*, & *prædeterminationis intrinsecæ ad actum honestum materialiter*, & *formaliter*, & per oppositum ad obtinendum bonum, & salutarem consensum à *coniuncto voluntatis creatæ*, & *prædeterminationis ad materiale actus peccaminosi*, & *pravi*.

104 Insuper de conceptu divinæ Omnipotentiæ non esse semper, & pro semper habere potestatem proximam ad causandum per se, vel permittendum effectum creatum; sed duntaxat nullam esse potentiam proximam creatam, quæ non sit ab ipsa derivata, & tributa, nullumque effectum in re existere, qui ab eadem immediatè non fluat; neque aliquid creatum posse in re existere; quin pro casu existentiæ coniungatur cum potentia proxima, & expedita in Deo, aut ad ipsum per se causandum, aut ad ipsum permittendum, provt fuerit conditio effectus honesti, aut pravi, capacis, aut in-

ca-

capacis causalitatis per se divinæ ; aſt omnem aliam expeditionem , quam pro omni caſu , & circunſtantia liberratis creatæ ad obtinendum ab ipſa bonum conſenſum , aut ad ipſam deſſerendam per permiſsionem lapſus non eſſe de ratione Omnipotentiæ perfectiſsimæ , vtpotè deſtructivam libertatis creatæ , de cuius conceptu eſt excludere prædictam expeditionem.

105 Dicitur vlterius Deus habere primatum in ratione *liberi* , & in ratione *determinantis* ; non quia omnem actionem creatam immediatè liberè exerceat , aut immediatè liberè determinet ; verùm quia omnis poteſtas libera , & determinativa ab ipſo liberè deſcendat ; non vtcumque ; ſed phiſicè , & per veram efficientiam ; necnon , quia ante omnem libertatem creatam , & determinationem liberam eiuſdem in ſtatu abſoluto præit determinatio libera divina ad dandum phiſicè *eſſe* libertati creatæ , & ad præparandum ſuum concurſum , quem ſi ſubſtraheret , nulla alia libertas exiſteret in re ; vt explicari poteſt exemplo Dei *primi neceſſarij* , & *primi vitalis* , de cuius conceptu non eſt omnia , quæ neceſſariò conveniunt ex rerum eſſentijs , & proprietatibus metaphiſicis , immediatè neceſſitare , cum ſufficiat omne *eſſe* faciens ſibi aliquid neceſſarium ab ipſo immediatè prodire accipiendo virtualiter in *eſſe* , & *eſſentia* actualiter exercita illud extremum , quod ex tali eſſentia neceſſariò derivatur ; ſicut nec omnia , quæ *vitaliter* à nobis proveniunt , vt ſunt actus intellectus , & voluntatis ab ipſo *immediatè vitaliter* procedere ; aliàs intelligeret Deus , & amaret per noſtros actus , cum ſufficiat ad ſatisfaciendum debito excellentiæ *primi vitalis* non habere potentiam vitalem acceptam ab alio , & aliunde omnem aliam potentiam vitalem ab ipſo phiſicè provenire , taliter , vt penes nutum ipſius ſit omnem penitus abolere , aut nunquam produxiſſe.

106 Tandem dicitur Deus *primus diſcernens* conſentientis à diſſentiente , & prædeſtinatum à reprobo ; non quia creatura aliquomodò non ſe diſcernat , dum liberè operatur , & per ſuam electionem amplectitur bonum præ malo , iuxta illud Eccleſiaſtici 31. *Qui potuit tranſgredi , & non eſt tranſgreſſus , facere mala , & non fecit ;* & Apoſtoli 2. ad Corinthios cap. 12. *Nam etſi voluero gloriari , non ero inſipiens* : & poſt : *libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis* ; ſed quia comparatione eorum quæ Deus confert ad diſcretionem , ferè nihil eſt , quod facit creatura , vnde abſolutè , & ſine reſtrictione non poteſt proferri : *Creaturam ſe diſcernere* , vt de Deo poteſt , & debet dici , *qui ſimpliciter diſcernit conſentientem à diſſentiente , & prædeſtinatum à reprobo* ; quæ explicatio maximè congruit verbis Apoſtoli , dum inquit : *Si autem accepiſti , quid gloriaris , quaſi non acceperis* ; per quæ non excludit omnem gloriationem ; ſed eam duntaxat , quæ ſit tanquam de non acceptis , quæque Deo non tribuat primas , & principaliores partes in id , à quo ſumitur in nobis gloriationis materia : ſufficiant hæc , vt ſint memoria , & recapitulatio dictorum incitans ad diligentiorem inveſtigationem eorum , quæ ampliſsimè habentur locis citatis , ex quorum recognitione conſtabit , quam optimè in Societatis doctrina conſulatur excellentiæ , & primatui divinæ libertatis , à cuius indemnitate pendet ſtabilitas libertatis *ſecundæ* , & *creatæ*.

107 Aliter ergo obijciunt primò apud Herreram , vt probent *Scientiam hanc contingentem conditionatam* , & *Deo non liberam* opponi directè cum libertate creata , quod quidem mirum mihi eſt ; arguunt tamen ſic. Illa Scientia tollit libertatem creatam , quæ ſupponit rem futuram neceſſariò , ſivè ex vi cauſæ neceſſariæ , taliter , vt intelligatur res futura in ſigno neceſſariorum : ſed ita ſe habet Scientia dicta : ergo eſt deſtructiva libertatis creatæ : minor probatur. Scientia hæc cognoſcit veritatem determinatam huius extremi , *Petrus conſentiet , ſi vocetur auxilio A.* in ſigno huius veritatis neceſſariæ , *ſi Petrus vocetur auxilio A , vel conſentiet , vel diſſentiet* : ſed hæc veritas , vt potè neceſſaria datur in ſigno neceſſariorum ; ac proinde in ſigno antevertente omnem ſuppoſitionem contingentem , ſivè *abſolutam* , ſivè *conditionatam* : ergo talis Scientia cognoſcit rem futuram conditionate in ſigno neceſſariorum , quod idem eſt ac cognoſcere illam , vt futuram neceſſariò conditionatè , quomodo debet eſſe in ſua linea , quid-

quid in ea pertinet ad ſignum neceſſariorum. Probant maiorem ex eo quod apud nos Deus cognoſcat illam veritatem determinatam ex vi cognoſcendi veritatem illam neceſſariam, *ſi Petrus vocetur auxilio A, vel conſentiet, vel diſſentiet*: ſed quod ex neceſſario ſequitur, neceſſarium eſt, exiſtitque in ſigno neceſſariorum: ergo Scientia hæc cognoſcit veritatem determinatam huius extremi, *Petrus conſentiet ſi vocetur auxilio A.* in ſigno huius veritatis neceſſariæ, *ſi Petrus vocetur auxilio A, conſentiet, vel diſſentiet.*

108 Hæc obiectio, quidquid ſit de doctrina particulari alicuius, contra nos nullius eſt momenti, vt conſtat ex dictis ſupra de veritate determinata propoſitionum abſolutarum de futuro contingenti, vbi examinauimus veritatem illam neceſſariam disiunctiuam verſantem inter duo contradictoria contingentia, & qualiter ſit medium ad probandam veritatem determinatam propoſitionis determinatæ ſub illa conrentæ; vnde non plus vrget contra nos ac contra aduerſarios componentes veritatem illam disiunctiuam: *Si Petrus habeat libertatem A, prædeterminabitur, aut non prædeterminabitur, ad conſenſum* eſſe in ſigno neceſſariorum; quin inde inferatur veritatem illam determinatam de futuro conditionato contingenti, ſcilicèt aut *ſi habeat Petrus libertatem A, prædeterminabitur ad conſenſum*, aut *ſi habeat libertatem A, non prædeterminabitur ad conſenſum* eſſe, aut cognoſci in ſigno neceſſariorum; verùm in ſigno contingentium. Quarè ex latè loco citato ponderatis reſpondendum: verum eſſe veritatem illam disiunctiuam exiſtere in ſigno neceſſariorum; falſum tamen eam veritatem facere debitam pro tali ſigno aliquam veritatem contingentem prout talem; alias implicaret in terminis neceſsitas ob dependentiam à contingenti, vt tali, ex qua redderetur contingens in ſe ipſa, & planè amittens conceptum neceſsitatis; ideò veritas illa determinata conditionata, & contingens de qua fit mētio nullo modo cognoſcitur in ſigno neceſſariorum, neque eius cognitio eſt ex debito eorum, quæ exiſtunt in tali ſigno, ſi debitum ſumatur *abſolutè*: ſecus ſi accipiatur *ex ſuppoſitione contingenti* defectus veritatis oppoſitæ, qua ratione, nec debitum nocet neceſſitati *veritatis disiunctiuæ*, nec contingentiæ *veritatis determinatæ*. Renouentur dicta, quæ non indigent vlteriore ſolutione, aut explicatione, conſtabitque non eſſe ſuſtinendam ſententiam, quam propugnat Herrera, nec ſolutionem, quam in præſenti parat.

109 Obijciunt ſecundò, cum Illuſtriſsimo Godoy de Scientia diſput. 38. §. vltimo num. 55. iuxta doctrinam noſtræ Scholæ principium infallibiliter inferens determinatum voluntatis actū, deſtruit libertatem ipſius; ſi ab ea ſit inimpedibile, & inevitabile: ſed complexum ex Scientia conditionata de conſenſu ſub determinata libertate, & auxilio, & decreto purificandi hypotheſim eiuſdem libertatis, & auxilij, infallibiliter infert conſenſum abſolutum, & aliunde eſt inimpedibile, & inevitabile per voluntatem creatam: ergo Scientia iſta conditionata Deo contingens, & non libera ſecum afferens tale complexum pro caſu conſenſus abſoluti deſtruit libertatem creatam. Cætera conſtant præter minorem quoad ſecundam partē de in impedibilitate, & inevitabilitate illius complexi, quæ ſic probatur. Nam non poteſt voluntas creata conſiderata in *ſtatu conditionato* evitare illud coniunctum evitando, aut impediendo *Scientiam mediam*, cum in illo ſtatu voluntas non ſit, & quod non eſt, nihil poteſt determinare, aut impedire. Deinde neque poteſt *in ſtatu abſoluto*; ſiquidem futuritio *abſoluta* eſt poſterior *Scientia media*: ac proinde non poteſt voluntas in *ſtatu abſoluto* impedire *Scientiam mediam*, quam ſupponit; tum quia evitabilitas, ſicut libertas illius ſumitur ab eiuſdem obiecto; voluntas autem in *ſtatu abſoluto* obiectum talis Scientiæ conditionatæ non eſt, ſicut nec futuritio abſoluta exercitij liberi; alias Scientia conditionata non præſcinderet ab ſtatu abſoluto, tum voluntatis, tum exercitij liberi, quod affirmat duntaxat ſub hypotheſi libertatis, à cuius purificatione præſcindit: ergo voluntas nullo modo poteſt evitare, aut impedire complexum ex Scientia conditionata, & purificatione hypotheſis connexum infallibiliter cum exiſtentia conditionati, quod eſt exercitium voluntatis creatæ.

110 Argumento propoſito, & ſoluto tom. 2. de Prædeſtinatione diſp. 15. cap. 3. conceſsis reliquis, neganda eſt pri-

prima pars minoris. Ad cuius probationem: negandum voluntatem creatam non posse tàm in *statu absoluto*, quàm in *statu conditionato* impedire, & evitare Scientiam conditionatam: potest enim voluntas impedire in *statu conditionato*: quia licèt tunc non sit absolutè; est tamen conditionatè, cui statui, sicut correspondet potentia propria conditionatorum, sic correspondet evitabilitas, & impedibilitas propria eorundem; itaque voluntas licèt non sit in *statu absoluto*, ac proinde non sit tunc potentia propria absolutorum, ast conditionatè intellecta potius est, quàm non est potentia conditionatorum, cui correspondet exercitium proportionatum conditionatis: ad modum quo licèt in omni sententia ipsum futurum conditionatum, *vt quod* nihil sit *absolutè*; est tamen aliquid *conditionatè*, & in ratione *subiecti futuritionis conditionatæ*, à qua denominatur futurum conditionatum, potius est, quàm non est; sic etiam intelligibilitas possibilium, licèt non sit absolutè intelligibilitas propria existentium absolutè; est verò potius quàm non est intelligibilitas propria possibilium; quod etiam cerni potest in defectu obiectivo rerum contingentium, qui non est *positivè*; cæterùm est potius, quàm non est *negativè*, & in ratione *excludentis rem positivam*, ex quo modo essendi proportionato non existentibus, habet sufficientissimam existentiam suo modo ad excludendam formaliter rem positivam.

111 Potest etiam in *statu absoluto*: nam licèt *veritas conditionalis* de conditionato libero voluntati creatæ, & scientia conditionata ipsi correspondens non dependeat absolutè ab statu absoluto exercitij liberi, quod se tenet ex parte conditionati; dependet tamen ab illo conditionatè, & ex suppositione purificationis hypothesis, & quidem à *priori*, vt fert de suo *veritas conditionalis*, fundata in eo, quod faceret virtus, & potentia voluntatis casu, quo existeret absolutè: si ergo loco vnius exercitij liberi, alterum determinaret, impediret Scientiam conditionatã illius exercitij liberi quod omitteret, & determinaret Scientiam alteram correspondentem exercitio, quod eligit. Et ratio est: quia voluntas ex suppositione, quod sit, & libera existat non aliter determinat conditionatam veritatem; quàm determinando absolutam, cum ex tali suppositione sit realiter ipsissimus motus liber voluntatis conditionatus, & absolutus, tamque præscinditur in signo libertatis absolutæ ab statu conditionato exercitij liberi, quam ab statu absoluto eiusdem. Nec obstat primò, si Scientia conditionata præcedat statum absolutum, tum voluntatis, tum exercitij liberi: quia hæc præcedentia est *purè physica*, & non impediens consequentiam obiectivam, ratione cuius existentia Scientiæ tribuitur principaliter obiecto; non aliter, ac quamvis media physicè præcedant finem; quia ipsum consequuntur intentionaliter, non obstat, vt finis sit, cui debeatur tota series eorum, quæ existunt propter finem, & sit id, cuius gratia cætera fiunt. Nec obstat secundò, si Scientia conditionata non respiciat exercitium liberum sub existentia absoluta: quia id tantum probat consensum liberum absolutum non esse obiectum Scientiæ conditionatæ sumptum *absolutè*; secus eundem consensum liberum absolutum non esse obiectum eiusdem Scientiæ sumptum *conditionatè*, quod sufficit, vt voluntas potens in statu absoluto exercere suam libertatem erga idem obiectum sumptum *conditionatè*, possit etiam per ablationem simultaneam *veritatis conditionatæ*, & *absolutæ* impedire scientiam tendentem in idem obiectum per tendentiam conditionatam.

112 Possunt insistere: voluntas creata non est potens in vllo statu, sivè *conditionato*, sivè *absoluto* liberè determinare tale complexum: ergo neque est potens in vllo statu liberè impedire, & evitare tale complexum. Consequentia apparet bona, cùm eadem appareat ratio liberè impeditionis, & evitationis, & liberæ determinationis. Antecedens probatur: quia voluntas, sivè in *statu conditionato*, sivè *in statu absoluto* tantum potest determinare Scientiam conditionatam pro suo signo, quod est signum divinæ libertatis plenè indifferentis, vt sit, vel non sit auxilium, ac proinde non inferentis, neque præsupponentis auxilium: sed potens determinare tantùm partem complexi, neque inferentis neque præsupponentis partem aliam constitutivam complexi non est potens determinare complexum: ergo voluntas creata non est potens in vllo statu, sivè *conditionato*, sivè *absoluto* liberè determinare tale complexum.

113 Huic inſtantiæ etiam occurrimus tom. 1. de prædeſtinatione diſp. 3. cap. 4. conſequenterque tranſmiſſo antecedenti, de quo nolo nunc diſputare, an licèt illud complexum per libertatem creatam non ſit determinabile; ſit tamen acquiribile, iuxta doctrinam datam diſputatione 15. citata de prædeſtinatione de modo acquirendi *influxivè, & determinativè*, neganda eſt conſequentia; nam licèt benè valeat à libera impeditione vnius extremi ad liberam determinationem oppoſiti *formaliter*, ſicut, & à libera determinatione vnius extremi ad liberam impeditionem *oppoſiti formalis*: non ſic à libera impeditione vnius extremi ad liberam determinationem eiuſdem, neque à libera determinatione vnius extremi ad liberam impeditionem eiuſdem; quod ſua proportione intelligendum eſt inter potentias impediendi, & determinandi; quin benè valeat à potentia determinandi liberè extremum ad potentiam liberè impediendi idem extremum, neque à potentia liberè impediendi ad potentiam liberè determinandi idem. Exempla rem convincunt in omnium ſententia: Propterea quod Deus poſsit liberè impedire ſimpliciter exiſtentiam peccati, & non poſsit liberè determinare ſimpliciter exiſtentiam peccati *pro formali*: item qui habet partem pretij ſufficientis ad aliquid emendum ſimul cum alio contribuente, poteſt liberè ſæpè impedire emptionem per ſubſtractionem ſuæ partis, & ſæpè non poteſt determinare liberè emptionem per exhibitionem partis pretij requiſiti: ſimiliter ego libere poſſum impedire coexiſtentiam localem in templo mei ad alium determinatum, & non poſſum liberè determinare eandem coexiſtentiam, quando in mea manu non eſt quod alter exiſtat in templo: ſic etiam nos dicimus poſſe voluntatem creatam liberè impedire prædefinitionem efficacem boni conſenſus dependentem eſſentialiter à Scientia media conſenſus; quin poſsit liberè determinare exiſtentiam eiuſdem prædefinitionis.

114 Pari vniverſalitate demonſtratur quoad liberam determinationem, à qua non neceſſariò valet ad liberam impeditionem. Etenim quando tres ſimul ingrediuntur gimnaſium, quilibet per ſuum liberum ingreſſum determinat exiſtentiam binarij intra gimnaſium, cum non ſit potior ratio, vt per exiſtentiam vnius; quàm per exiſtentiam alterius conſtituatur binarium; nec ideò quivis eſt potens liberè impedire exiſtentiam binarij intra gimnaſium per liberam ſubſtractionem ſui ingreſſus: quia remanent alij duo ſufficientes ad conſtituendum binarium. Clarius adhùc in ſententia prædeterminantium, in qua voluntas eſt potens liberè determinare formaliter complexum prædeterminationis ad conſenſum liberum, & eiuſdem conſenſus liberi, cum poſita prædeterminatione, quæ eſt vna pars complexi, liberè determinet aliam formaliter, ſcilicèt ipſum conſenſum liberum; nec ideò poteſt liberè impedire prædictum complexum per liberam ſubſtractionem conſenſus, cum ſignum excluſionis conſenſus ſit ſignum poſterius ad ſignum ablationis, & impeditionis prædeterminationis ad conſenſum, in quo iam intelligitur impeditum complexum prædeterminationis, & conſenſus liberi per liberam impeditionem prædeterminationis præcedentis ad liberam determinationem creatam, & vnicè procedentis à libertate divina. Etiam in plurium noſtrorum ſententia: hæc Scientia divina: *Si prævidero auxilium efficax, illud conferam*, ſicut, & *veritas obiectiva* ipſi correſpondens eſt determinabilis aliquomodo per libertatem creatam, & non eſt aliquomodo per ipſam impedibilis. Falſum ergo eſt benè valere à libera impeditione alicuius extremi ad liberam eiuſdem determinationem, & è contra; oſtenditurque mala illa conſequentia, in qua fundabatur inſtantia.

115 Obijciunt tertiò. Aut Scientia hæc conditionata non eſt impedibilis à voluntate creata, aut eſt impedibilis per voluntatem divinam: ſed per nos non eſt impedibilis per voluntatem divinam: ergo neque eſt impedibilis per voluntatem creatam. Probatur maior. Eadem ratio datur, vt ſit impedibilis per voluntatem divinam; ac vt ſit impedibilis per voluntatem creatam: ergo aut Scientia hæc conditionata non eſt impedibilis per voluntatem creatam, aut eſt impedibilis per voluntatem divinam. Probatur antecedens. Ratio ob quam talis Scientia eſt impedibilis per voluntatem creatam, alia non eſt, niſi quia voluntas creata poteſt impedire complexum purificationis hy

hypothesis, & conditionati; v. g. *consensus*, & *auxilij*: sed Deus potest similiter impedire idem complexum purificationis hypothesis, & conditionati: quia potest libere non conferre auxilium, & purificationem hypothesis per liberam non collationem libertatis, sub qua prævidetur consensus, qua existente, non erit complexum libertatis, & consensus: ergo eadem ratio datur, vt sit impedibilis per voluntatem divinam, ac vt sit impedibilis per voluntatem creatam.

116 Ad argumentum, nego maiorem: ad cuius probationem, nego antecedens, & ad huius probationem, distinguo maiorem. Ratio ob quam talis scientia est impedibilis per voluntatem creatam alia non est, nisi quia voluntas creata potest impedire complexum purificationis hypothesis, & conditionati *sub existentia hypothesis*, concedo maiorem: quia *vtcumque potest impedire tale complexum*, nego maiorem, & distinguo minorem. Deus potest similiter impedire idem complexum, quia potest libere non conferre auxilium, *similitudine consistere in impeditione complexi*, concedo minorem, *similitudine consistente in modo impediendi complexum*, nego minorem, & consequentiam.

117 Itaque modus impediendi veritatem conditionalem cõtingentem, & scientiam ei correspondentem, non est vtcumque posse impedire complexum hypothesis, & conditionati; quia in veritate conditionali, quæ sit de conditione non purificanda, vt est veritas conditionalis de consensu in Iuda, si Deus conuulisset ei plura auxilia, sub quibus prævidebatur consensurus, aut pœnitentiam acturus, datur impeditio cõplexi, libertatis, & consensus, aut pœnitentiæ, & non datur impeditio talis veritatis conditionalis, nec scientiæ, quæ sibi correspondet: quare aliquid amplius desideratur pro eius impeditione; id autem est talis modus impeditionis nempè impeditionem absolutam, aut conditionatam talis complexi sub existentia hypothesis, seu illius, quod dicitur hypothesis: Et ratio est, quia veritas conditionalis de consensu; v. g. dunta-xat potest impediri per existentiam veritatis conditionatæ oppositæ, quæ non dabitur, nisi verificetur impeditũ complexum *consensus*, & *auxilii*, vel absolutè, vel conditionatè sub existentia auxilij, quod dicitur hypothesis, quomodo erit verum quod *si sit tale auxilium, erit dissensus*; id autem tantum competit voluntati creatæ, cuius libertas vnice ponitur ex parte hypothesis; non verò voluntati divinæ, cuius libertatis non est se exercere sub hypothesi; sed purificare, aut non purificare hypothesim, quod nullatenus sufficit pro impedienda veritate conditionali de consensu sub auxilio, vt constat in exemplo appositio veritatis conditionalis de consensu Iudæ, in qua Deus liberrimè impedit purificationem hypothesis, persistente in *suo esse* tali veritate conditionali: ergo non vtcumque accipienda est impeditio complexi hypothesis, & conditionati, aut potestas ad illam, vt inde inferatur, aut impeditio, aut impedibilitas veritatis conditionalis, & scientiæ correspondentis, verùm modo exposito per impeditionem complexi, aut *absolutè*, aut *conditionatè* sub existentia hypothesis, & per liberam potestatem ad ipsam.

118 Replicabis: Implicat voluntatem creatam posse impedire complexum, neque absolutè, neque conditionatè sub hypothesis existentia: ergo impedibilitas veritatis conditionalis, & scientiæ, quæ eidem veritati correspondet à voluntate creata, non rectè explicatur per talem modum. Probatur antecedens: quia hypothesis in ratione talis constituitur semiextrinsecè per cõditionatum, à quo accipit denominationem hypothesis in *actu secundo*: sed implicat impeditio, & impedibilitas complexi sub hypothesi per impeditionem, aut impedibilitatem illius, per quod hypothesis in ratione talis constituitur: ergo implicat voluntatem creatam posse impedire complexum, neque absolutè, neque conditionatè sub hypothesis existentia. Explicatur: hypothesis huius conditionalis, *si existat auxilium, existet consensus*, constituitur in ratione talis in *actu secundo* per ipsum consensum: ergo impeditio, aut impedibilitas talis complexi, sive absoluta, sive conditionata sub existentia hypothesis, est impeditio, aut impedibilitas constitutivi sub existentia constituti: sed impeditio, aut impedibilitas constitutivi sub existentia constituti implicat in terminis, cùm sit, aut simultas destructionis constituti, & existentiæ illius, aut potentia ad talem simultatem: ergo impli-

plicatorius est iste modus impediendi veritatem conditionalem, & scientiam per impeditionem complexi sub existentia hypothesis.

119 Replica laborat æquivocatione ex acceptione hypothesis, quæ si non detegatur, nulla erit veritas conditionalis, aut scientia impedibilis, sive sit de conditionato libero creaturæ, sive de conditionato Deo libero, vt constabit in hac veritate conditionali: *si existat libertas A, existet consensus prædeterminatus à Deo*; quæ simili forma arguendi probabitur inimpedibilis à Deo; propterea quod hypothesis libertatis creatæ semiextrinsecè constituatur in ratione talis in *actu secundo* per consensum prædeterminatum: quomodo ergo poterit Deus impedire complexum talis hypothesis, & consensus prædeterminati sub existentia hypothesis, si hæc constituitur in ratione talis per consensum ipsum prædeterminatum?

120 Respondendum: Hypothesim posse sumi dupliciter, vno modo *specificativè*; altero *reduplicativè*. Hypothesis primo modo, & *specificativè* accepta est illud, quod suscipit denominationem hypothesis, nimirum libertas ipsa, sub qua affirmatur conditionatum *consensus*. Hypothesis secundo modo, & *reduplicativè* accepta est non solum illud, quod dicitur hypothesis; verùm ipsum provt involvens denominationem talis in ordine ad tale determinatum conditionatum, qua ratione includit quidquid est necessarium ad talem denominationem. Quando autem dicimus impeditionem veritatis conditionalis provenire ab impeditione complexi hypothesis, & conditionati sub existentia hypothesis, loquimur de hypothesi sumpta *specificativè*, & provt dicit præcisè libertatem, sub qua verificatur consensus, quæ si impediretur, manente tunc eadem hypothesi *specificativè*, impediretur etiam hypothesis *reduplicativè*, & quæ nunc est hypothesis in actu secundo *consensus*, esset tunc hypothesis *dissensus*; non verò loquimur de hypothesi *reduplicativè*, nam cùm hoc modo accepta dicat essentialiter ipsum consensum, vt benè probat argumentum, impediretur simul, & existeret, vnde impeditio esset chymæra, & impertinens omninò, vt *practicè*, & *possibiliter*, tàm veritas, quàm scientia esset impedibilis per voluntatem creatam: ex his ad formam, nego antecedens. Ad cuius probationem, distinguo maiorem. Hypothesis in ratione talis *specificativè* constituitur semiextrinsecè per conditionatum à quo suscipit denominationem hypothesis in actu secundo, nego maiorem. *Reduplicativè*, concedo maiorem, & concessa minori; nego consequentiam.

121 Addimus vt clarius constet solutionis ratio, hypothesim eo modo esse accipiendam pro impeditione, & impedibilitate veritatis, & scientiæ quo accipitur, vt constituat veritatem conditionalem contingentem: sed hypothesis provt constituit veritatem conditionalem contingentem, est hypothesis *specificativè*, secus *reduplicativè* considerata: ergo hypothesis pro impeditione, & impedibilitate veritatis, & scientiæ debet etiam *specificativè* considerari. Minor constat, ex eo quod hypothesis *reduplicativè* accepta, si taliter constitueret veritatem conditionalem, constitueret quidem veritatem conditionalem *necessariam*; non *contingentem*: affirmaretur enim existentia conditionati sub existentia hypothesis, & conditionati, quomodo necessarium omnino est existere conditionatum sub hypothesi, vt suadet hic sensus, quem faceret talis veritas conditionalis sub his terminis proposita, *si existat libertas determinata A, & consensus, existet consensus*, qui planè necessarius est, & nullo modo contingens.

122 Obijciunt quartò, intendentes probare scientiam hanc conditionalem *contingentem*, & Deo *non liberam* esse repugnantem ex suo modo tendendi, & obiecto, in quantum nullum est proportionatum obiectum, quod sub tali modo tendendi intellectui divino proponatur. Arguunt sic, supponentes scientiam illam conditionalem, qualiscumque illa fuerit, debere constituere libertatem divinam, & providentiam conferendi libertatem, & auxilium; & claritatis gratia fit sermo de hac scientia determinata: *Si existat libertas A, existet consensus*, in qua, quidquid sit difficultatis, ad alias scientias conditionales contingentes de conditionato nobis libero erit extendendum, & argumentum procedit sub hac forma. Aut enim Deus cognoscit per talem scientiam, *quod si conferat libertatem A, sub nulla scientia conditionata libertatis divinæ*

cons-

constitutiva; aut cognoscit, *quod si conferat sub aliqua scientia conditionata libertatis divinæ constitutiva*; aut cognoscit *quod si conferat sub tali determinata scientia conditionata de consensu libertatis divinæ constitutiva, erit consensus sub libertate A*? Si primum: cognoscit impossibile, quale est quod existat consensus liber creaturæ sub libertate collata à Deo sine scientia libertatis divinæ constitutiva: etenim constitutiva est libertatis divinæ ad conferendam libertatem *A*, vna vel altera scientia conditionata, vel de consensu, vel de dissensu. Si secundum, aut tertium: cognoscet Deus per prædictam scientiam non veritatem contingentem, vt dicimus; sed veritatem conditionalem necessariam qualis est, *quod si existat libertas A collata sub aliqua scientia conditionata*; nempè, *consensus*, vel *dissensus* aut *quod si existat libertas A, collata sub scientia determinata consensus sub ipsa, existat consensus sub tali libertate*: ergo scientia ista conditionata ex suo modo tendendi, & obiecto est repugnans; cùm vel debeat habere modũ tendendi proportionatum veritati obiectivæ cõditionatæ impossibili, vel veritati obiectivæ conditionatæ necessariæ, quomodo erit contingens vt supponitur, & ex altera parte, aut impossibilis, aut necessaria.

123 Confirmatur primò: Deus non scit per talem scientiam conditionatam, *quod si conferat libertatem sine vlla scientia conditionata contingenti, erit consensus liber sub tali libertate*: ergo scit *quod si conferat libertatem sub scientia conditionata, erit consensus liber sub tali libertate*: sed non: *quod si conferat sub alia scientia conditionali distincta à scientia de consensu*, cum hæc determinatè requisita sit vt existat consensus sub auxilio, & libertate *A*: ergo tantum scit, *quod si conferat libertatem A, sub tali scientia determinata de consensu, erit consensus sub libertate*; quod necessarium quid est, non contingens ac proinde repugnans, vt per scientiam conditionalem contingentem intellectui divino proponatur. Confirmatur secundò: quia quidquid requiritur ad aliquid in statu absoluto *absolutè*, requiritur in statu conditionato illius *conditionatè*: sed scientia hæc conditionalis contingens, & Deo non libera in statu absoluto *consensus* sub auxilio requiritur *absolutè*: ergo in statu canditionato *consensus sub auxilio* requiritur *conditionatè*: sed id quod requiritur conditionatè ad consensum sub auxilio, & libertate *A*, debet se tenere ex parte hypothesis: ergo talis determinata scientia conditionalis de consensu sub auxilio debet se attingere ex parte hypothesis, quomodo & veritas obiectiva conditionalis, & ipsa scientia erunt necessariæ.

124 Habes propositam hanc obiectionem, & illius solutionem tomo 1. de prædestinatione, disputat. 3. cap. 1. in quo de necessitate scientiæ *conditionalis contingentis* & Deo non *liberæ*, seu *mediæ* ad providentiam prædestinativam; probat verò directiùs repugnantiam talis scientiæ, quàm non requisitionem illius ad providentiam, & prædestinationem; ideo hic renovanda, sicut ante eiusdem solutionem præmittenda instantia etiam ibi facta contra Thomistarum sententiam ex qua fit manifestum, eandem difficultatem, si quæ sit, vrgere contra scientiam conditionatam Deo liberam, quam ipsi propugnant, & ideo, aut omnem scientiam de conditionatis nobis liberis convinci repugnantem in Deo, aut nostram ab hoc inconvenienti esse liberam. Pro quo suadendo ponamus cum ipsis: Deum cognoscere futura conditionata nobis libera in decreto *subiectivè* absoluto, & *obiectivè* conditionato; v. g. *Decerno, quod si Petro conferatur talis determinata libertas A ad consensum consentiat*. Iam arguo sic. Vel hoc decretum decernit: *Quod si sit libera potestas ad consensum sine prædeterminatione ad consensum, consentiat*; vel *quod si sit potestas libera ad consensum cum prædeterminatione ad consensum, consentiat*? Si primum: impossibile est in eorum principijs; si secundum: est necessarium ac per consequens inattingibile per decretum contingens: ergo decretum Thomistarum, vel decernit impossibile, vel necessarium. Indè transfertur absurdum ad ipsam scientiam innixam decreto, quæ vel attingit veritatem impossibilem, vel necessariam destruendo scientiam contingentem conditionatorum. Restat ergo, vt ab ipsis dicatur decretum tale *subiectivè* absolutum, & *obiectivè* conditionatum præscindere ex parte suæ hypothesis obiectivæ, tum à prædeterminatione, tum à carentia prædeterminationis, tum à se ipso, tum à carentia sui ipsius; quàvis prædeterminatio, & decretum sint per se requisita ad consensum sub tali determinata libertate. Propterea que contra se habebunt omnẽ instantiam

tiam, quæ contra noſtram ſententiam formari poteſt.

125 Nec reſpondeant primò: prædeterminationem poni ex parte cõditionati in illo decreto, cum non aliter decernat conſenſum liberum ſub hypotheſi libertatis ad ipſum, quàm vt prædeterminatum: vnde nihil mirum, ſi præſcindat ex parte hypotheſis, tum à prædeterminatione, tum à defectu illius; ſicut præſcindit ex parte eiuſdem, tum à conditionato, tum à defectu illius; At ſcientiam noſtram conditionatam non ſe habere ex parte conditionati; quare cum aliunde ſit neceſſaria ad conſenſum ſub libertate determinata; nequit præſcindi, tàm ab ipſa, quàm à defectu illius ex parte hypotheſis. Nam contrà eſt, aut quia hæc doctrina tantùm verum tenet loquendo de prædeterminatione intrinſeca, quæ ſe tenet ex parte conditionati; ſecus de prædeterminatione extrinſeca, & conſiſtente in ipſo decreto, quã non eſt neceſſarium affirmari ex parte conditionati: vnde in decreto ipſo inſtauratur argumentum, quod eſt neceſſarium ad conſenſum ſub tali determinata libertate, & ideo non poterit præſcindere, tàm à ſe ipſo, quàm à defectu ipſius ex parte hypotheſis, reddetque obiectum quod decernit, aut impoſsibile, aut neceſſarium: vel quia, &ſi loquamur tantùm de prædeterminatione intrinſeca, ſi hæc cùm ſit præcedens immediatè ad conſenſum liberum, & requiſita determinatè ad eundem, eximitur ab hypotheſi, & ponitur duntaxat ex parte conditionati, cur ſcientia noſtra conditionalis quæ non immediatè; ſed remotè præcedit ad conſenſum liberum non erit exempta ab ingreſſu hypotheſis, & ſe habens, ſi velis ex parte conditionati, in quo nullum eſt incõveniens pro contingentia ſcientiæ, & eius obiecti, ſiquidem complexum ſcientiæ conditionalis de conſenſu, & conſenſus liberi ſub exiſtentia libertatis determinatæ, neque eſt obiectum impoſsibile, neque eſt neceſſarium.

126 Nec reſpondeant ſecundò: Decretum prædeterminativum, ſicut & prædeterminationem ab ipſo derivatam non ſe habere ex parte poteſtatis liberæ ad exercitium voluntatis creatæ; quare nihil mirum ſi ab vtroque præſcindatur ex parte hypotheſis; at ſcientiam noſtram conditionalem conſtituere poteſtatem liberam ad exercitium voluntatis creatæ, vnde debet conſtituere hypotheſim, cum apud nos conſtituatur hypotheſis talis ſcientiæ per omne illud, quod ingreditur conſtitutivè poteſtatem liberam creaturæ ad conſenſum. Quia ſi id dicant, fallentur nimis craſsè confundentes poteſtatem liberam Dei in ordine ad obtinendum conſenſum à creatura media collatione auxilij, & libertatis ad conſenſum ſub prævisione coniunctionis cum illo, & poteſtatem liberam creaturæ ad conſentiendum; huius enim conſtitutivum non eſt ſcientia conditionalis; imo deſtrueretur ſi per talem ſcientiam integraretur; illius verò eſt conſtitutivum, vt quid *formaliter* ingrediens proximam poteſtatem liberam divinam ad prædam largitionem libertatis, & auxilij; ac proinde conſtituit hypotheſim ad liberum exercitium divinum donandi libertatem, & auxilium; ſecus hypotheſim exercitij liberi voluntatis creatæ.

127 Demùm, ſi ad requiſitionem *Scientiæ mediæ* recurrant, parem invenient cum requiſitione ſuæ prædeterminationis intrinſecæ, & extrinſecæ: etenim ſicut libertas creata ad conſenſum requirit eſſentialiter aliquam ſcientiam conditionalem in Deo, ſive *de conſenſu*, ſive *de diſſenſu*; ità libertas creata requirit eſſentialiter apud ipſos aliquam prædeterminationem, ſive *de conſenſu*, ſive *de materiali diſſenſus*: Deinde, ſicut libertas creata in noſtra ſententia non requirit determinatè ſcientiam conditionalem de conſenſu, aut ſcientiam conditionalem de diſſenſu; pariter in eorum ſententia libertas creata non requirit determinatè, aut prædeterminationem conſenſus, aut prædeterminationem materialis diſſenſus. Vltimò ſicut apud nos pro exercitio libero determinato *conſenſus* eſt requiſita determinatè ſcientia conditionalis de conſenſu, & pro exercitio libero determinato *diſſenſus* eſt requiſita determinatè ſcientia conditionalis de diſſenſu; etiam in contraria ſententia pro exercitio libero determinato *conſenſus* eſt neceſſaria metaphiſicè determinatè prædeterminatio illius, & pro determinato exercitio libero *diſſenſus* eſt eſſentialiter requiſita determinata prædeterminatio ad materiale diſſenſus: ſunt ergo omnia æqualia vt vis redargutionis conſtet, & non minus ſcientia noſtra conditionalis; quàm decre-

tum

cum prædeterminativum, & prædeterminatio ab ipso prodiens sit à ratione hypothesis in veritate conditionali excludenda.

128 Ad argumentum dicendum: Deum per scientiam cõditionalem *contingentem*, & ipsi non *liberam*, seu *mediam* non cognoscere amplius ex parte hypothesis ad consensum, loquendo de illa scientia determinata de consensu, quàm *libertatem determinatam A*, sub qua affirmat extiturum consensum; reliqua verò quæ ad libertatem constitutivè non pertineant, aut non cognoscere per talem scientiam, aut cognoscere non ex parte hypothesis, verùm ex parte conditionati, vel aliunde: Inde modus tendendi prædictæ scientiæ non est: *Si existat auxilium, aut libertas sine aliqua scientia conditionata, erit consensus*; nec *si existat auxilium, aut libertas sub aliqua scientia conditionata, erit consensus*; nec *si existat auxilium, aut libertas sub scientia determinata de consensu, erit consensus*; sed præcisè *si existat auxilium, aut libertas hæc determinata, erit consensus*: quæ veritas objectiva conditionalis contingens est, & scientia, quæ talem veritatem repræsentat. Ratio potissima horum omnium est: quia id solum attingitur ex parte hypothesis à prædicta scientia, quod est indifferens ad vtrumvis, ideſt ad conditionatum, & carentiam illius, quomodo necessarium est attingere, quod nullam connexionem habet cum consensu, aut nullam repugnantiam dicit ad illum: & hoc quidem ex natura ipsius veritatis conditionalis contingentis, & scientiæ eidem veritati proportionatæ, quæ aliter existere non possunt in ratione conditionalium contingentium. Vnde vel dicendum est: Deum non cognoscere futura cõditionalia contingentia, vel ex parte conditionis, & hypothesis præscindendum omnino ab illo, quod cum existentia conditionati, scilicet *consensus* dicat connexionem, vel repugnantiam: id quod dictum est de hac scientia particulari, & determinata de consensu accõmodandum est cuivis alij scientiæ conditionali contingenti.

129 Ad primam confirmationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Nam per scientiam illam cõditionalem, neque scit Deus, *quod si conferat libertatem sub nulla scientia conditionali, erit consensus*; neque, *quod si conferat sub determinata scientia consensus, erit consensus*; sed ab vtroque præscindit, vt diximus, & vnice scit per illam, *si existat hæc determinata libertas, erit consensus*; nec obstat, si ea scientia sit repræsentatio sui, ex quo à repræsentatione libertatis sub se videtur non posse præscindere: quia aliud est repræsentare se ipsam, & auxilium, seu libertatem; aliud repræsentare se ipsam ex parte hypothesis provt correspondet his terminis, *si existat libertas, & scientia de consensu, existet consensus*: sicut aliud est decretum mundi se ipsum decernere, & mundum; aliud se ipsum decernere, vt hypothesim ad existentiam mundi sub his terminis *si existat decretum mundi, existat mundus*: non ergo negatur illam scientiam repræsentare se ipsam; sed duntaxat repræsentare se ipsam constituendo hypothesim cum libertate. Nec rursus obstat eam scientiam præscindere in repræsentando ex parte hypothesis à duplici contradictorio, scilicet ab existentia, & defectu sui: quia nulla repugnantia est in hac præcisione in repræsentando, non modò *respectivè*; verùm *absolutè*, vt comprobat scientia simplicis intelligentiæ præscindens ab vtroque contradictorio *existentiæ*, & *non existentiæ* creaturarum, quoad affirmationem absolutam de eo, quod existant, aut non existant.

130 Ad secundam confirmationem conceditur, quòd quidquid requiritur in statu absoluto *absolutè* requiritur in statu cõditionato *conditionatè*; sed cum hac distinctione, quòd non omne quod requiritur in statu absoluto *absolutè*, cõstituit statum conditionatum contingentem, sed necessariũ: quod non semel observavimus. Sic in statu absoluto Petri requiritur, quod existat absolutè actio, & quod absolutè excludat suum cõtradictoriũ, & tamẽ non correspõdet illi status contingens conditionatus; cum necessarium sit, *quod si existat actio, & si excludat suum contradictorium, existat*: similiter scientia conditionalis de consensu, licèt requiratur in statu absoluto *consensus absolutè* non constituit statum cõditionatum contingentem, si ponatur ex parte hypothesis; verùm necessarium, cuius repræsentatio spectat ad aliam scientiam necessariam, & attingentem conceptus quidditativos, & essentiales rerum.

131 Insistunt: Deus debet attingere per scientiam conditionatam hypothesim perfectissimè, & cõprehensivè: ergo debet attingere hypothesim cum

cum omni denominatione, quam defacto habet: ſed vna ex denominationibus, quas de facto habet, eſt coexiſtentis conditionatè ad ſcientiam conditionatam, quæ defacto datur erga conditionatum ſub ipſa; ergo ſcientia conditionalis, quæ defacto datur, debet attingere hypotheſim, vt ſibi coexiſtentem ſub hoc modo tendendi, *ſi exiſtat libertas A ſub Scientia media de conſenſu, erit conſenſus*, qui eſt neceſſarius, & non contingens. Iterùm redarguo: Deus attingit exiſtentias rerum contingentium comprehenſivè: ergo debet attingere eas cum omni denominatione, quam defacto habent: ſed vna ex denominationibus eſt eſſe *neceſſario poſsibiles*: ergo per *ſcientiam viſionis*, per quam cognoſcit res vt exiſtentes, cognoſcit eaſdem, vt *neceſſario poſsibiles*; ac proinde *ſcientia ſimplicis intelligentiæ* confundetur cum ſcientia *viſionis*. Secundò: Deus per te decernit per decretum *obiectivè conditionatum* conſenſum ſub libertate determinata: ergo decernit conditionatè tale obiectum perfectiſsimè, atque ideo cum omni denominatione, quàm defacto habet: ſed vna ex denominationibus hypotheſis illius decreti, quam defacto habet, eſt *coexiſtentis conditionatè* ad idem decretum: ergo decretum illud decernit hypotheſim *libertatis determinatæ*, vt ſibi coexiſtentem conditionatè ſub hoc modo tendendi, *ſi ſit libertas determinata cum decreto de conſenſu ſub ipſa, ſit conſenſus ſub ipſa*, qui vtpotè reſpiciens obiectum neceſſariũ eſt modus decernendi repugnans. Tertiò, confunditur ab arguente *attingi per ſcientiam conditionatam hypotheſim, vt ſibi coexiſtentem conditionatè*, & *attingi ab eadem ſcientia hypotheſim, vt ſibi coexiſtentem ad affirmandum conditionatum ſub ipſa*. Quod diſcerni maximè deberet: Nam id, quod ponitur ex parte hypotheſis conſtituendo illam, non attingitur conditionatè, ſed merè ſuſpenſivè; id verò, quod affirmatur ſub hypotheſi, eſt quod attingitur conditionatè; quare vt hypotheſis attingatur per ſcientiam conditionatam, vt ſibi coexiſtens, neceſsè eſt attingi ſub aliqua cõditione, & hypotheſi, cuius conditionatũ ſit coexiſtentia ad ſcientiam conditionatam.

132 Ad inſtantiam, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: Scientia conditionata debet attingere hypotheſim cũ omni denominatione *attacta vt conſtitutiva hypotheſis*, nego conſequentiam: *Poſita extra hypotheſim, vel ex parte conditionati, vel ex parte ipſius ſcientiæ reflexè cognitæ*: permitto conſequentiam. Explicatio terminorum eſt non omne, quod attingitur per ſcientiam conditionalem, aut attingitur ex parte hypotheſis, aut licet attingatur ex parte hypotheſis, attingitur, vt conſtitutivum illius: patet primum in conditionato, quod attingitur per ſcientiam conditionatam, & non ideo attingitur ex parte hypotheſis: patet ſecundum in termino connexionis hypotheſis, qui iuxta plures poteſt attingi per ſcientiam conditionatam, & non ideò attingitur, vt conſtitutivum hypotheſis, vt apparet in hoc modo tendendi conditionali: *Si exiſtat libertas determinata, quæ connectitur, vel cum ſcientia conditionali conſenſus, vel cum ſcientia conditionali diſſenſus, exiſtet conſenſus*, in quo proponitur ſcientia conditionalis, vt terminus connexionis libertatis vagè reſpectus; quin propterea ſcientia conditionalis *vagè accepta* conſtituat hypotheſim: ergo mala conſequentia eſt: *Per ſcientiam conditionalem attingitur hypotheſis cum denominatione, quam defacto habet*: ergo *denominatio attingenda eſt, aut ex parte hypotheſis, aut ſi ex parte hypotheſis, vt conſtitutivum illius.*

133 Aliter reſponderi poteſt diſtinguendo antecedens: Deus debet attingere per ſcientiam conditionatam hypotheſim *perfectiſsimè*, & *comprehenſivè*, *identicè*, *& conſtitutivè*; concedo antecedens: *formaliter inadæquatè*, nego antecedens, & diſtinguo conſequens: debet attingere hypotheſim cum omni denominatione, quam defacto habet *identicè*, & *conſtitutivè*, concedo conſequentiam: *formaliter inadæquatè*, nego conſequentiam; eſt dicere: Quivis modus tendendi erga obiectum exiſtens in intellectu divino debet eſſe realiter *identicè* ob divinam ſimplicitatem ſcientiam adæquantem cognoſcibilitatem paſsivam obiecti, ac proinde comprehenſivam illius: debet inſuper formaliter conſtituere ſimul cum alijs tendentijs, quæ exiſtũt in intellectu divino erga idem obiectum, & integrare vnam ſciẽtiam perfectiſsimam, & comprehenſivam obiecti; at non eſt, nec poteſt eſſe neceſſarium ſine ſcientiæ divinæ confuſione, quod quivis modus tendendi exiſtens in intellectu divino erga obiectum formaliter ſumptus habeat perfectionem adæquatam ſcientiæ completiſ-

ſimæ

simæ illius, nec denominationem scientiæ comprehensivæ eiusdem, vt manifestum debet esse omnibus, retenta divisione scientiarum iuxta varias classes, & modos sciendi, & penetrandi obiectum; quare in *sensu formali* scientia cognoscens obiectum contingens, vt possibile non proponit, vt *existens*, aut *non existens absolutè*; & scientia proponens, vt *existens*, aut *non existens absolutè*, non proponit obiectum vt possibile: pariterque scientiæ conditionatæ non est proprium *attingere absolutè*, nec scientiæ absolutæ *attingere conditionatè*; resultat verò ex omnibus his gradibus scientiæ divinæ scientia adæquatè perfectissima, & plenissimè comprehensiva sine munerum confusione, & sine attributione communi illius, quod specialiter cuique convenit.

134 Id ostenditur clarissimè in ipsa constitutione Dei, qui vt sit ens infinitè perfectum, non requirit, vt cuique attributo formaliter considerato correspondeat plusquam *identice*, & *realiter* tota illa perfectio, quæ residet in complexo omnium prædicatorum. Nec est absurdum aliquod, quod Deus sic inadæquatè formaliter consideratus non appareat perfectus formaliter in omni linea, nec plenissimè, & simpliciter infinitus; etenim si duntaxat haberet illud attributum, mutila esset eius perfectio, & ex consortio aliorum aliud perfectius esset excogitabile: ergo Deus sic inadæquatè formaliter consideratus aliquid habet secundum alias lineas desirabile, vt sit vndequaque simpliciter infinitus, & inexcedibilis, ex quorum aggregatione, & complexo integratur formaliter esse illud summum, & perfectissimum sine attributorum confusione, & sine mixtione formali *immensitatis* cum *æternitate*: *æternitatis* cum *omnipotentia*: *omnipotentiæ* cum *iustitia*, & sic de reliquis. Ad quem modum consideranda est completio scientiæ perfectissimæ divinæ cum retentione muneris proprij cuiusvis attributi eiusdem scientiæ, quod si separatum existeret, non haberet rationem comprehensionis, & quod simul cum alijs existens integrat formaliter scientiam perfectissimam, & comprehensivam.

135 Adhuc vrgent: scientia conditionata debet attingere hypothesim constitutivè, vt possibilem; sed hypothesis tantùm est possibilis absolutè sub aliqua scientia conditionata hac, vel illa, & ex suppositione, quod sit hypothesis ad consensum, sub scientia determinata *consensus*, & ex suppositione, quod sit hypothesis ad *dissensum* sub determinata scientia dissensus: ergo debet attingi constitutivè adæquatè, vt existens sub aliqua scientia conditionata, & respectivè, seu ex suppositione sub determinata scientia consensus, aut sub determinata scientia dissensus. Respondeo: Scientiam conditionatam debere attingere hypothesim constitutivè, vt possibilem *intrinsecè*; secus vt possibilem *extrinsecè*, sub quibus terminis concessa, & negata maiori; distinguenda est minor: Hypothesis tantùm est possibilis absolutè sub aliqua scientia, & ex suppositione sub determinata sumpta *intrinsecè*, nego minorem: Sumpta *intrinsecè*, & *extrinsecè*, concedo minorem, & nego consequentiam. Nec quamvis dicimus hypothesim debere attingi constitutivè, vt possibilem *intrinsecè* volumus significare, in scientia conditionata debere exprimi ex parte hypothesis possibilitatem intrinsecam illius, cùm id sit proprium alterius *scientiæ necessariæ*, scilicèt *simplicis intelligentiæ*; sed duntaxat, quod debet assumere ex parte hypothesis intrinsecam possibilitatem per terminationem ad rem intrinsecè possibilem affirmando præcisè existentiam conditionati sub existentia ipsius. Placuit hæc repetere; quamvis alibi tractata: tum quia sunt proprijssima præsentis instituti, tum vt sint in promptu ad evitanda plura argumenta fallacia, quæ obscurare possunt præcipuè apud Tyrones, & incautos assertionem nostram.

136 Obijciunt quintò: Ex his, quæ ingeniosè proposuit Ribadeneyra, disputat. 19. de Scientia, capite 6. Hæc veritas conditionalis: *Si Petro conferatur libertas A, converteretur*, æquivalet, & simul non æquivalet huic veritati disiunctivæ: *vel Petrus non habebit libertatem A, vel convertetur*, quæ eadem est omnino, ac ista: *Non dabitur in Petro libertas A sine conversione*: ergo dicta veritas conditionalis est repugnans, & implicatoria. Antecedens quoad partem æquivalentiæ probatur. Siquidem eo, quod sit verum *convertendum Petrum si*

habeat libertatem A, eſt etiam verum *quod non dabitur prædicta libertas ſine converſione*, & contra: eò, quod verum ſit *non dandam libertatem A ſine converſione*; verum etiam eſt *quod convertetur ſi haberet libertatem A*. Deinde quoad alteram partem non æquivalentiæ etiam probatur: nam de quavis libertate numquam extitura verificatur *non eſſe extituram ſine converſione*, aut quod idem eſt, *non eſſe extituram cum defectu converſionis Petri*: ſed non verificatur de quacumque libertate nunquam extitura *Petrum convertendum ſi eam habiturus eſſet*; alioquin omnis libertas non extitura, eſſet efficax, & nulla inefficax: ergo non ſunt æquivalentes propoſitiones illæ *ſi ſit in Petro libertas A, convertetur*: *Non exiſteret in Petro libertas A ſine converſione*.

137 Hoc argumentum non eſt ſpeciale contra noſtram ſententiam, verùm generaliter impugnat quamcumque veritatem conditionalem, & quemcumque modum cognoſcendi prædictam veritatem; quare ab omnibus eſt ſolvendum, ne excludant veritates conditionales contingentes, & eorum ſcientiam; ſemper enim formari poterit contra illam veritatem conditionalem contingentem *ſi ſit in Petro libertas A convertetur*, ſive hæc veritas conſtituatur dependenter, ſive independenter à quovis de præſenti connexo cum eventu illo conditionato. Reſpondetur, ex doctrina eiuſdem Authoris, negato antecedenti. Ad cuius probationem pro æquivalentia, negandum eſt valere mutuò conſequentiam inter conditionalem illam: *Si exiſtat libertas A in Petro, convertetur*, & diſiunctivam illam: *vel non exiſtet libertas A in Petro, vel convertetur* cum ei æquivalenti *non dabitur libertas A in Petro ſine converſione*: quia licèt dum ſit verum, *quod ſi exiſtat libertas A in Petro, erit converſio*; ſit etiam verum, *vel non extituram libertatem A, vel dandam cum converſione in Petro*, & aliud *non eſſe dandam libertatem A in Petro ſine converſione*; non tamen eo, quod ſit vera diſiunctiva illa, & altera ei æquivalens, eſt vera *conditionalis*; quia pro veritate *diſiunctivæ*, & alterius æquivalentis ſufficit nunquam extituram libertatem, quomodo verificabitur, *vel non extituram, vel extituram cum converſione*, & inſuper *non extituram ſine converſione*; quia quod extiturum non eſt, nec cum converſione, nec ſine converſione exiſtet; at pro veritate conditionali non ſufficit non extituram libertatem; ſed vlterius requiritur eſſe veram conditionatè coniunctionem converſionis, & libertatis ſub exiſtentia libertatis, ſeu caſu quo exiſteret libertas, quæ ſeparabilia ſunt, vt conſtat in exemplo adducto libertatis inefficacis nunquam extituræ; de qua verificantur propoſitiones illæ *diſiunctiva*, & *æquivalens*, quin verificetur conditionalis, *ſi exiſteret libertas talis determinata, eſſet converſio*; imo potius oppoſita: *Si exiſteret libertas talis determinata, non eſſet converſio*, vnde falſitas æquivalentiæ, pro qua requiritur mutua conſequentia inter ea, quæ cenſentur æquipollentia.

138 Obijciunt ſextò ex eodem. Hæc ſcientia conditionata: *Si Petrus habeat libertatem A indifferentem ad converſionem, & non converſionem erit converſio*, coincidit cum hac: *Caſu quo Petrus habeat libertatem A indifferentem ad converſionem, & non converſionem, convertetur*; vel ergo ſenſus huius eſt omninò vniverſalis, id eſt: *Caſus omnis poſsibilis habendi libertatem A eſt in Petro caſus converſionis*, vel eſt particularis, ſcilicèt: *Aliquis caſus poſsibilis habendi libertatem A eſt caſus converſionis in Petro*? Si primum: veritas eſt impoſsibilis; ſi ſecundum, veritas eſt neceſſaria: ergo prædicta ſcientia conditionata, vel eſt impoſsibilis, vel neceſſaria. Minor quoad primam partem de ſenſu vniverſali probatur: quia vnus caſus poſsibilis habendi libertatem *A*, eſt caſus coniunctionis in Petro eiuſdem libertatis cum non converſione: ſed impoſsibile eſt hunc caſum eſſe talem, qui ſi detur, Petrus convertatur: ergo ſenſus ille vniverſalis, in quo continetur *caſum omnem poſsibilem habendi libertatem A in Petro eſſe caſum converſionis illius*, eſt ſenſus veritatis impoſsibilis. Deinde quoad ſecundam de ſenſu particulari etiam conſtat: quia neceſſe eſt aliquem caſum poſsibilem habendi libertatem *A* eſſe in Petro caſum converſionis, ſicut neceſſariò poſsibilis eſt, & non repugnans in ipſo caſus coniunctionis illius libertatis, & converſionis; aliàs ea libertas non eſſet indifferens ad converſionem, & non converſionem, cum nihil eo modo, quo repugnat ad aliquid, ſit indifferens ad illud: ergo ſenſus ille particularis eſt de veritate neceſſaria.

139 Etiam hoc argumentum gene-

nerale eſt omni ſententiæ, & quod inſtrui poteſt contra quamcumque veritatem, & ſcientiam conditionalem, quomodocumque conſtituatur, quod vt videas, applica formam arguendi decreto *ſubiectivè abſoluto*, & *obiectivè conditionato*, quo Deus decernat ſub exiſtentia libertatis *A* in Petro conſenſum, ſeu converſionem illius, & arguo ſic. Taliter decernere, eſt decernere, *quod caſu, quo Petrus habeat libertatem A conſentiat*: vel ergo decernit, *quod in omni caſu poſsibili habendi libertatem A Petrus conſentiat*, vel *quod in aliquo caſu poſsibili habendi libertatem A Petrus conſentiat*? Si primum: ergo illud decretum decernit impoſsibile, ſcilicèt eſſe converſionem in caſu libertatis, & non converſionis, qui eſt aliquis caſus poſsibilis libertatis *A* in Petro. Si ſecundum: ergo decernit id, quod eſt neceſſarium videlicèt, quod ſi ſit caſus poſsibilis libertatis *A*, & converſionis in Petro, Petrus conſentiat, qui eſt caſus libertatis in Petro neceſſariò poſsibilis: ergo decretum illud fundans veritatem conditionalem, vel decernit impoſsibile, vel decernit neceſſarium, quomodo ſub vna, & altera ratione eſt repugnans; non aliter ac ſcientia eidem decreto innixa; neque ſolum probat contra ſcientiam, & veritatem conditionatam contingentem, verùm contra omnem ſcientiam, & veritatem abſolutam, quæ ſit de prædicato contingenter convenienti ſubiecto. Sit exemplum in hac ſcientia, & veritate abſoluta *Petrus eſt albus* coincidens cum hac: *caſus exiſtentiæ Petri eſt caſus exiſtentiæ albedinis, & vnionis inter Petrum, & albedinem*, cuius ſenſus, vel eſt vniverſalis; nempè *omnis caſus poſsibilis exiſtentiæ Petri eſt caſus exiſtentiæ albedinis, & vnionis inter Petrum, & albedinem*, aut eſt particularis, ideſt: *Aliquis caſus poſsibilis exiſtentiæ Petri eſt caſus poſsibilis exiſtentiæ albedinis, & vnionis inter Petrum, & albedinem*? Si primum: eſt ſenſus veritatis impoſsibilis, cum caſus exiſtentiæ Petri ſine albedine ſit caſus aliquis poſsibilis exiſtentiæ Petri. Si ſecundum: eſt veritatis neceſſariæ, cum neceſſarium ſit caſum poſsibilem exiſtentiæ Petri, & coniunctionis exiſtentiæ albedinis, & vnionis ad ipſam eſſe caſum exiſtentiæ Petri, vnionis, & albedinis.

140 Reſpondetur: Senſum illius aſſertionis, neque eſſe ſenſum vniverſalem, neque particularem propter inconveniens benè probatum in argumento; ſed eſſe ſenſum ſingularem omnino, vt fert libertas ipſa ſingularis *A*, quæ ponitur ex parte hypotheſis: quare de caſu omnino identico cum ipſa libertate ſingulari, ac proinde etiam omnino ſingulari affirmatur: *Eſſe eventum, ſub cuius exiſtentia erit converſio Petri*, quod quidem, nec eſt impoſsibilis, nec neceſſariæ veritatis; ſed prorſus contingentis; non aliter ac caſus ſingularis exiſtentiæ Petri, quando coniungitur cum effectu formali *albi* in ſe, aut cum exiſtentia alterius eſt caſus etiam ſingularis huius, quod eſt Petrum *eſſe album*, aut *coexiſtentem alteri*; v. g. Paulo; quia inde poſsit convinci affirmationem cõiunctionis Petri, & albi, aut Petri, & Pauli ſub exiſtentia Petri, & caſus ſingularis illius reddere ſenſum aut impoſsibilis, aut neceſſariæ veritatis; aſt ſolius contingentis vt eſt, *quod exiſtente Petro, exiſtat in ipſo albedo*; *aut quod exiſtente Petro, exiſtat Paulus*, & detur coexiſtentia vnius ad alterum.

141 Contra hanc veriſsimam ſolutionem duæ ſunt inſtantiæ fallaces; ſed non parvipendendæ. Prima: veritas conditionata, purificata conditione tranſit in abſolutam: ergo ſi conditio, & hypotheſis illius veritatis conditionalis, *ſi exiſtat in Petro libertas A, erit converſio* eſt caſus ſingularis, & identicus cum ea libertate ſingulari, purificata ea hypotheſi, & caſu ſingulari libertatis *A*, veritas illa conditionata tranſibit in abſolutam, & dabitur abſolutè converſio Petri: At ſi detur caſus ſingularis eiuſdem libertatis, vt poteſt cum *defectu converſionis*, dabitur caſus ſingularis eiuſdem libertatis: ergo & dabitur etiam converſio coniuncta cum non converſione ſub tali caſu ſingulari libertatis *A*, quod eſt repugnans.

142 Redargutio obvia eſt, tum in ſcientia conditionata innitente decreto *ſubiectivè abſoluto*, & *obiectivè conditionato*, tum in caſu ſingulari exiſtentiæ Petri, qui ſit caſus ſingularis *Petri albi*, aut *Petri coexiſtentis Paulo*. Etenim in *primo* caſus ille ſingularis libertatis ſingularis, ſub qua decernitur à Deo efficaciter converſio, eſt caſus ſingularis, qui ſi exiſteret cum *non converſione*, & oppoſito decreto, idem exiſteret; aliàs libertas illa non eſſet coniungibilis cum vtroque extremo: ergo caſus libertatis

cum non conversione absolutè esset casus libertatis cum conversione absolutè : Et in *secundo* casus ille singularis existentiæ singularis Petri, sub quo affirmatur coniunctio cum *ratione albi*, aut *coexistentis ad Paulum* est casus ; qui si existeret cum defectu *denominationis albi*, aut *coexistentis ad Paulum* idem existeret ; aliàs existentia Petri non esset indifferens ad cõiunctionem cum illis denominationibus ; ac proinde casus singularis existentiæ Petri cum defectu illius *in esse albi*, & *coexistentis ad Paulum* esset casus *coniunctionis Petri cum ratione albi, & coexistentis ad Paulum*.

143 Respondeo: Quòd & si quando casus singularis per se adæquatè, aut saltem essentialiter determinativè est hypothesis, & conditio, sub qua erit aliud extremum benè semper valeat ab existentia sui ad existentiam hypothesis, & conditionati ; necnon ad existentiam veritatis conditionalis correspondentis tali conditioni, & conditionato ; secus quando casus singularis, neque per se adæquatè, neque essentialiter determinativè est hypothesis, & conditio ad tale extremum ; sed purè contingenter, & accidentaliter ; tunc enim poterit contingere existere casum singularem eundem, & non existere in ratione conditionis, & hypothesis, nec existere veritatem conditionalem de existentia illius extremi sub ipso. Ratio primi est: quia quando casus singularis sit taliter hypothesis, & conditio, ideſt adæquatè per se, aut saltem essentialiter determinativè, est inseparabilis metaphysicè ab altero extremo: Vnde semper ac detur, dabitur aliud extremum, retinebitque necessariò rationem hypothesis ad ipsum ; sicut & inseparabilitatem à veritate conditionali, quæ correspondeat affirmationi conditionatæ de altero sub existentia ipsius, vtpotè quæ erit veritas necessaria. Ratio secundi: quia cum ratio hypothesis proveniat semiextrinsecè, & accidentaliter casui singulari ab altero extremo cum quo coniungitur, poterit similiter existere casus singularis sine illo ; ac proinde sine denominatione conditionis, & hypothesis, sicut sine veritate conditionali de existentia illius extremi sub existentia casus singularis, quæ per defectum extremi coniunctum cum existentia casus singularis impeditur.

144 Ad formam concessa maiori primi syllogismi, distinguo minorem. Conditio prædictæ veritatis est libertas singularis *A semiextrinsecè*, & *accidentaliter*, concedo minorem : *adæquatè intrinsecè*, aut *essentialiter determinativè*, nego minorem, & consequentiam. Ad minorem subsumptam, concessa ea propositione, quæ subsumitur, nego consequentiam. Et ratio est ea iam explicata : quia quando datur casus singularis libertatis *A* sine conversione, impeditur casus singularis prædictus à ratione hypothesis, & conditionis in actu secundo ad conversionem, & tantùm datur aptitudo, vt per conversionem constituatur hypothesis, & conditio in actu secundo in ordine ad ipsam, vt etiam impeditur veritas illa conditionalis, *si existat casus singularis libertatis A, erit conversio*. Doctrina data potest confirmari paritate propositionis disiunctivæ, quæ licèt talis sit, vt sub negatione vnius extremi inferat aliud ; id tamen tenet, quando negatio vnius extremi non affert secum impeditionem veritatis ipsius disiunctivæ ; secus quando ipsa negatio cum veritate disiunctiva non componitur. Exemplum sit in hac propositione disiunctiva ad cuius modum possunt excogitari aliæ, *vel non existit Deus, vel existit Petrus* : in qua benè valet *non non existit Deus* : ergo *existit Petrus* ; quia adhuc sub negatione illius extremi permanet veritas disiunctiva ; non sic è contra *non existit Petrus* : ergo *Deus non existit* ; quia per non existentiam Petri impeditur veritas talis propositionis disiunctivæ : similiter veritas conditionalis sub existentia casus singularis assumpti transit in absolutam, quando existentia casus singularis assumpti retinet sub alio extremo rationem conditionis, & hypothesis, quin impediatur in ratione talis ; ac proinde, nec veritas conditionalis ; aliter verò quando per existentiam casus singularis libertatis impeditur, & ratio conditionis, & hypothesis, & insuper veritas conditionalis, vt accidit in casu non conversionis sub libertate *A* singulari, in quo nec remanet casus singularis in ratione hypothesis ad consensum, & conversionem, nec veritas illa conditionalis : *Si existat libertas singularis A, existet conversio*.

Sed

145 Sed replicabunt: ergo caſus ſingularis libertatis *A* non aliter eſt hypotheſis, & conditio in actu ſecundo ad converſionem provt requiritur ad hanc veritatem conditionalem: *Si exiſtat libertas A exiſtet converſio*, niſi in quantum ſit coniungendus cum converſione pro caſu exiſtentiæ ſui: ſed non aliter affirmatur conditionatum converſionis ſub caſu ſingulari libertatis *A*, niſi in quantum eſt hypotheſis in actu ſecundo: ergo non aliter affirmatur conditionatum converſionis ſub exiſtentia caſus ſingularis libertatis *A*, niſi in quantum talis caſus ſit coniungendus cum converſione; at talis caſus in quantum coniungendus cum converſione, eſt inſeparabilis à converſione, & conſtituit veritatem neceſſariam: ergo caſus ſingularis libertatis *A*, nunquam eſt hypotheſis veritatis conditionatæ contingentis.

146 Redarguo, ni fallor manifeſte: Petrus albus non aliter eſt ſubiectum albedinis in actu ſecundo, niſi in quantum coniungitur cum albedine ſibi vnita: ſed in tantum dicitur albus, in quantum coniungitur cum albedine in actu ſecundo: ergo non aliter dicitur albus niſi in quantum eſt coniunctus cum albedine ſibi vnita; at in quantum coniunctus cum albedine ſibi vnita neceſſariò eſt albus: ergo Petrus non aliter dicitur albus, niſi in quantum neceſſario eſt albus: ac proinde Petrus nunquam erit ſubiectum in actu ſecundo albedinis ſibi contingentis, neque conſtituet, vt ſubiectum albedinis hanc veritatem contingentem *Petrus eſt albus*.

147 Reſpondeo: aliud eſſe caſum ſingularem libertatis *A* non aliter eſſe hypotheſim in actu ſecundo ad cõverſionem, provt requiritur ad hanc veritatem conditionalem *ſi exiſtat libertas A, exiſtet converſio*, niſi provt coniungendus cum converſione; aliud quidquid dicit provt cõiungendus cum converſione habere rationem, & denominationem hypotheſis & eſſe id, ſub quo affirmatur conditionatum per propoſitionem conditionatam: ex his primum eſt verum, & ſecundum falſum, vt conſtat in exemplo appoſito *Petri albi*, vbi licèt verum ſit, non aliter Petrum eſſe ſubiectum albedinis in actu ſecundo, niſi provt coniunctus cum albedine, & vnione illius; falſum tamen eſt: quidquid Petrus dicit provt ſic coniunctus ſuſcipere denominationem ſubiecti, aut eſſe id, de quo affirmatur *eſſe album*. Inde conſtat nullam reſultare veritatem neceſſariam ex affirmatione conditionati ſub exiſtentia hypotheſis in actu ſecundo: quia id quod ſuſcipit denominationem hypotheſis in actu ſecundo ſemper remanet indifferens ad conditionatum; ſicut id quod ſuſcipit denominationem ſubiecti in hac veritate, & affirmatione. *Petrus eſt albus* ſemper remanet indifferens ad albedinem, & ad denominationem *albi*. Et ratio eſt: quia id, quod ſuſcipit denominationem hypotheſis, & dicitur ſimpliciter talis, eſt id quod ſe habet vt *quod* in tali denominatione; ſecus quod ſe habet vt *quo*, & per modum *formæ*.

148 Si rurſus vrgeant: Id debere eſſe hypotheſim, quod eſt eſſe hypotheſis, & conſtitutivum hypotheſis: at non ſolus caſus ſingularis libertatis *A*, eſt eſſe hypotheſis in actu ſecundo, & conſtitutivum illius: ergo non ſolus caſus ſingularis libertatis *A* eſt hypotheſis in actu ſecundo. Dicendum: non ſolùm caſum ſingularem libertatis *A* eſſe hypotheſim, & conſtituti vum illius *conſtitutivè*; at ſolùm caſum ſingularem libertatis *A* eſſe hypotheſim vt *quod*, & *denominativè*, modo quo natura eſt conſtitutivè ſuppoſitum, & ſubſiſtentia eſt conſtitutivè ſuppoſitum, nec ideò, aut natura eſt ſuppoſitum, aut ſubſiſtentia eſt ſuppoſitum: ſic etiam durationes numerabiles, & commenſurabiles ſunt conſtitutivè æternitas, & non ideò ſunt æternitas, & quodvis contradictorium contingens eſt conſtitutivum complexi impoſsibilis duplicis contradictorij, & non eſt in ſe impoſsibile, verùm contingens, & poſsibile. Hinc illa propoſitio *caſus ſingularis libertatis A non niſi coniungendus; aut provt coniungendus cum converſione eſt hypotheſis in actu ſecundo* ſemper eſt diſtinguenda, & dicendum: Eſt hypotheſis in actu ſecundo *conſtitutivè*, concedo: *denominativè*, & vt *quod*: nego.

149 Secunda inſtantia deſcendens ex prima reducitur ad hunc ſyllogiſmum, qui videtur rectus: *Hic caſus ſingularis libertatis A eſt caſus converſionis; ſed caſus ſingularis libertatis A, & non converſionis eſt caſus ſingularis libertatis A*: ergo *caſus converſionis eſt caſus non converſionis*: ſed ſemper ac verificatur conditionalis illa, *ſi exiſtat libertas A exiſtet converſio* verificantur præmiſſæ huius ſyllogiſmi: ergo ſtat concluſio legitimè de-

ducta ex ipsis: vnde constat non posse designari hypothesim prædictæ scientiæ, nisi chymæricam, & repugnantem, vtpotè aptam coniungere inter se extrema summe repugnantia, vt sunt conversio, & non conversio.

150 Retorquetur facile in altero syllogismo, ad cuius imitationem formari possunt alij plures in omni denominatione contingenti: *casus singularis existentiæ Petri est casus Petri albi*: *sed casus singularis Petri non albi, est casus singularis existentiæ Petri*: ergo *casus Petri albi est casus Petri non albi*: sed semper ac verificatur absoluta ista: *Petrus est albus* verificantur præmissæ huius syllogismi: ergo stat conclusio legitimè deducta ex ipsis: vnde constat non posse designari existentiam Petri nisi chymæricam, & repugnantem, vtpotè aptam coniungere inter se extrema summè repugnantia, vt sunt *esse album*, & *non esse album*. Deinde cognoscitur non esse quid speciale contra nostram sententiam; verùm vniuersaliter impugnans veritatem conditionatam contingentem, & scientiam diuinam congruentem eidem veritati in omnium sententia.

151 Respondeo: syllogismum illum non esse rectum; sed inefficacissimum, & carentem omni discursu, vtpotè in quo non datur progressio ab vno in aliud cum sufficienti motivo. Et ratio est: quia vbi veritates præmissarum non sunt componibiles inter se, nō datur sufficiens motivum, aut antecedens ad conclusionem, quæ ex simultate veritatis præmissarum debet oriri: sed in eo syllogismo vetitates præmissarum sunt inter se incomponibiles: quia quando est vera illa maior: *casus singularis libertatis A, est casus conversionis*, nō est vera illa minor: *casus singularis libertatis A, & non conversionis, est casus singularis libertatis A*, & è contra, cum vna sit impeditio alterius: ergo in eo syllogismo non datur sufficiens motivum, aut antecedens ad conclusionem: inde liquet pro illo consequenti: *casus conversionis est casus non conversionis* nunquam dari nisi veritatem vnius ex illis præmissis, scilicèt, aut *casus singularis libertatis A est casus conversionis*, aut *casus singularis libertatis A, & non conversionis est casus singularis libertatis A* quarū vnaqueque diuisim ineptissima est ad tale cōsequens, vt videre est in his consequentijs: *casus singularis libertatis A, est casus conversionis*: ergo *casus conversionis est casus non conversionis*: *casus singularis libertatis A, & non conversionis est casus singularis libertatis A*: ergo *casus conversionis est casus non conversionis*.

152 Dices: minorem illam: *casus singularis libertatis A, & non conversionis, est casus singularis libertatis A*, non sumi *existentialiter*; & *contingenter*; verùm *essentialiter*, & *necessariò*, ita vt sensus sit: *Si existat casus singularis libertatis A cum non conversione, existet casus singularis libertatis A*: sed veritas necessaria non est incomponibilis cum veritate contingenti, aliàs veritas contingens esset impossibilis, cum veritas incomponibilis non possit deficere quia necessaria: ergo non stat defectus syllogismi, qui adhùc permanet in suâ vi, sic propositus: *Casus singularis libertatis A est casus conversionis*: *sed si existat casus singularis libertatis A cum non conversione existet casus singularis libertatis A*: ergo *si existat casus conversionis, existet casus non conversionis*.

153 Sed præterquamquod iste iam est alius syllogismus: instatur etiam immutandò alterum syllogismum retorsionis sub hac forma: *casus singularis existentiæ Petri est casus Petri albi*: *sed si existat casus singularis existentiæ Petri cum defectu albedinis, existet casus singularis existentiæ Petri*: ergo *si existat casus Petri non albi, existet casus Petri albi*: sed veritas necessaria minoris non est incomponibilis cum veritate contingente maioris; aliàs veritas cōtingens esset impossibilis, cùm veritas incomponibilis non possit deficere quia necessaria: ergo neque in isto syllogismo stat defectus incomponibilitatis maioris cum minori, & è contra.

154 Deinde refellitur persistendo in eodem defectu: quia licèt veritas illa minoris in sensu conditionali sit necessaria, & ideo non sit absolutè incomponibilis cum veritate illa contingente: *Casus singularis libertatis A, est casus conversionis*; est tamen incomponibilis *respectivè*, & ex suppositione, quod purificetur conditio illa, *si existat casus singularis libertatis A cum non conversione*, pro quo non potest stare veritas illa: *Casus singularis libertatis A, est casus conversionis*: vnde colligitur, quod nunquam casus non conversionis potest esse casus conversionis, neque *absolutè*, neque *conditionatè*: non *absolutè*: quia casus absolutus non conversionis affert secum purificationem conditionis incomponibilem cum illa veritate: *Casus singularis libertatis*

tis A, est casus conversionis: Non conditionatè: quia prout talis, respicit casum absolutum conditionatè, vnde eandem incomponibilitatem, quam habet in statu absoluto *absolutè*, retinebit in statu conditionato *conditionatè*.

155 Id explicari potest in hac veritate conditionali necessaria: *Si sit vnio, erunt extrema*, aut in illa: *si sit actio, erit terminus*, quæ licèt non sit incomponibilis absolutè cum hac veritate: *non erunt extrema*, aut cum hac: *non erit terminus*; est tamen incomponibilis *respectivè*, & ex suppositione, quod purificetur illa conditio: *existit vnio*, aut illa: *existit actio*; pro quo nullo modo permittit veritatem illam, *non erunt extrema*, aut illam, *non erit terminus*; quin vnquam valeat inferre, aut *absolutè*, aut *conditionatè* casum existentiæ extremorum esse casum defectus eorum, aut casum existentiæ termini esse casum defectus illius. Ad quem modum intelligenda venit in nostro casu incomponibilitas, aut componibilitas illius veritatis necessariæ contentæ in minori, cum veritate illa contingente contenta in maiori, & incomponibilitas essentialis vnius, & alterius casus conversionis, & non conversionis, ex qua nunquam potest verificari, aut *absolutè*, aut *conditionatè* casum vnum esse casum alterum.

156 Aliter potest designari defectus prædicti syllogismi, dicendo: argui in ipso ab identitate *inadæquata* extremorum cum vno tertio ad identitatem *adæquatam* extremorum inter se. Ratio est: quia extremitas illa maioris: *Casus conversionis tantum identificatur inadæquate, cum esse singulari* libertatis posito pro medio, in quantum casus singularis libertatis *A*. vt denominetur casus conversionis, vltra se, indiget ipsa conversione; & extremitas illa minoris, *Casus singularis libertatis A, & non conversionis* tantùm identificatur inadæquatè cum casu singulari libertatis *A*. repetito, vt medio, vt per se patet: quia casus singularis libertatis *A*, & non conversionis non est sola libertas; neque sola non conversio; sed quodvis addens aliud: ast in conclusione ponuntur casus conversionis, & non conversionis, vt adæquatè identificati inter se: quia si tantùm ponerentur, vt identificati inadæquatè nihil conduceret illatio pro repugnantia intenta: ergo in prædicto syllogismo proceditur ab identitate inadæquata extremorum cum vno tertio ad identitatem adæquatam extremorum inter se: vnde tam inefficax debet reputari dictus syllogismus ad suadendam identitatem *absolutam, & adæquatam* vnius, & alterius casus inter se pugnantium; quàm iste: *Esse materiæ est esse hominis: esse formæ est esse hominis: ergo esse materiæ est esse formæ*; est inefficax ad suadendam identitatem absolutam, & adæquatam formæ, & materiæ inter se.

157 Obijciunt septimò, iterùm inculcantes sophisma illud à nobis propositum, & solutum, tom. 2 de Prædestinatione disput. 12. tum etiam supra disput. 15. cap. 4. cuius summa est: quia si Scientia conditionata contingens de conditionato nobis libero esset nobis libera; liberum etiam nobis foret non falsificare prædictam Scientiam, aut quia nobis liberum est impedire eam Scientiam, quomodo vno modo non falsificatur Scientia, vel quia nobis liberum eam determinare quomodo altero modo etiam non falsificatur: sed implicat esse nobis liberum non falsificare Scientiam, cum eam non falsificari, sit antecedenter necessarium, sicut eam falsificari, est antecedenter impossibile: ergo Scientia hæc conditionalis contingens nobis libera chymærica est ex coniunctione prædicatorum, quæ inter se essentialiter pugnant.

158 Probat similiter: nullam Scientiam contingentem conditionatam posse esse liberam Deo, qui sub tali libertate non falsificabit liberè Scientiam, vel eam impediendo, vel eam determinando: vnde tam repugnabit Scientia divina libera Deo, quàm nobis. Solutio summatim dicta, sit: ex libertate Scientiæ non inferri esse nobis liberum *non falsificare scientiam* sumptum *absolutè*; sed non falsificare Scientiam sumptum *restrictè* ad talem determinatum modum *non falsificandi*, scilicet, vel per impeditionem Scientiæ, vel per determinationem illius; quin id obstet necessitati simpliciter antecedenti *non falsificationis*; verùm necessitati in existendo, quam non habet talis Scientia, cum sit contingens. Iam exempla, quibus id suaderi potest; nec non solutionem instantiarum, quæ formari possunt contra doctrinam datam, habes supra loco citato, quæ vane, & prolixè hic repeterentur.

159 Obijciunt octavò. In nostra sen-

ſententia, & contra Scientiam independentem à decreto, quod abſolutè ſit, vrgere ſpecialiter difficultates illas, quæ ſolent obijci contra Scientiam conditionatorum contingentium, ſcilicèt includere in ſe multas imperfectiones, vt *multiplicitatem*, & *compoſitionem*: componit enim conditionatum cum conditione: *diſcurſum*: nam idem eſt: *Si exiſtat libertas exiſtet converſio*: ac *exiſtit libertas: ergo exiſtit converſio*: *apprehenſionem*: cùm talis Scientia, neque affirmet, neque neget conditionem: *abſtractionem*, propterea quod hypotheſim, etiam ſi decernatur exiſtere, tangit abſtrahendo ab eius exiſtentia, aut non exiſtentia: *falſitatem*: quia attingit conditionem, vt coniunctam cum ſubiecto; v.g. libertatem, aut auxilium, vt exiſtens in Iuda, cum tamen in Iuda nunquam fuerit, vt patet de omni libertate, & auxilio, quod ſit hypotheſis ad converſionem ipſius. *Inverſionem in modo cognoſcendi*, id eſt cognoſcere, vt diſtincta, quæ indiſtincta ſunt; ſiquidem hæc notitia, *ſi exiſteret in Petro libertas A, coexiſteret converſioni ipſius*, attingit exiſtentiam libertatis ex parte conditionis, & ſimul attingit eandem exiſtentiam ex parte conditionati, cùm attingat coexiſtentiam vtriuſque: ſed quæ attinguntur ex parte conditionis, & quod attingitur ſub conditione ex parte conditionati attinguntur, vt diſtincta: ergo ea notitia attingit exiſtentiam libertatis, vt diſtinctam a ſe ipſa: ſic apud Ribedeneyra diſputatione 19. citata capite 5.

160 Cæterùm aſſumptum ſpeciale vrgentiæ in noſtra ſententia innane omninò eſt: nam vel auferēda eſt per dependentiam à decreto ſcientia conditionatorum formaliter talis, aut imperfectiones intentæ Scientiam omnem conditionatorum contingentium pariter impugnant. Deſumuntur enim ex eo, quod conditionatum cognoſcatur ſub hypotheſi, quod remanet in omni Scientia, ſivè notitia earum veritatum innitatur, aut non innitatur decreto, quod minimè aufert rationem hypotheſis veritatis contingentis, & ea, quæ ſunt neceſſaria ad talem denominationem, nec rationem conditionati exiſtentis contingenter ſub hypotheſi, & ea quæ neceſſaria ſunt, vt taliter ſe habeat, & denominetur.

161 Vnde pro communi obiectione dicendum: nullam ex illis imperfectionibus reperiri in Scientia divina conditionata, licèt plures ex illis comitentur notitiam noſtram imperfectam conditionalem. Ad primam reſpondetur deficere in Scientia divina omnem compoſitionem, & multiplicitatem: nam ſicut perfectio divini intellectus attingit per Scientiam abſolutam ſine vlla compoſitione, aut multiplicitate ea, quæ ſunt abſolutè; ita attingit per ſimpliciſsimum quendam intuitum; & abſque vlla compoſitione, aut multiplicitate formali ea, quæ ſimul ſunt conditionata. Ad ſecundam nullum intervenire diſcurſum formaliter talem, cum in Deo ob ſuam ſummam ſimplicitatem nullus ſit tranſitus ab vno actu in alium; an verò ſit admittendus, & quomodo diſcurſus virtualis, iam reſolvimus ſupra in proprio loco, & quæſtione, vbi inquiritur: an in intellectu divino inveniatur diſcurſus. Inde conſtat non eſſe idem modus ille tendendi: *ſi exiſtat libertas, exiſtet converſio*; ac iſte: *exiſtit libertas: ergo exiſtit converſio*, ſi vt ſtrictus, & rigoroſus diſcurſus vſurpetur. Ad tertiam nullam eſſe ſimplicem apprehenſionem circa hypotheſim; nam licèt de ea non affirmet exiſtentiam, aut non exiſtentiam, affirmat verò quidquid pro illo ſigno de ipſa affirmabile eſt, nempe coniungendam eſſe cum conditionato caſu quo exiſteret, quod non eſt purè apprehenſivè tendere in ipſam, præcipuè quando ille modus tendendi eſt determinatus, vt quidquid ſit affirmabile de tali hypotheſi, ſivè per ſigna antecedentia, ſivè per ſigna ſubſequentia, affirmetur identicè per ipſum.

162 Ad quartam non dari vllam abſtractionem: quia hæc deficit quando obiectum cognoſcitur tantum, quantum cognoſcibile eſt pro ſigno illius notitiæ, & aliunde notitia eſt determinata, vt obiectum plenè cognoſcatur pro modo, quo habuerit in ſe cognoſcibilitatem; aliàs Scientia neceſſaria *ſimplicis intelligentiæ*, qua cognoſcuntur poſsibilia contingentia, dicenda foret imperfecta, & abſtractiva: quia ex ſe non proponit tale obiectum, vt abſolutè exiſtens, aut non exiſtens in aliqua differentia temporis; inde præciſsio illa, quæ datur in Scientia conditionata ab exiſtentia, & non exiſtentia hypotheſis non eſt dicenda præciſsio *abſtractionis*, aut *inadæquatæ claritatis* in repræſentando obiecto; verùm

rùm puræ *indeterminationis* ad illum ſtatum obiectivum correſpondentis indeterminationi, quam habet obiectum in ſe ad ſimilem ſtatum ſui, quod tantùm diſtat ab imperfectione notitiæ, vt potius oppoſitũ eam induceret; eſſet enim cognoſcere obiectum amplius, quàm eſt cognoſcibile, vt ſine falſitate in *cognoſcendo* nequit ſtare. Ad quintam abeſſe omnem modum cognoſcendi obiectum, aut per ſpecies alienas, aut aliter ac eſt in ſe, & cum falſitate in *repræſentando*; nam hypotheſim cognoſcit Deus per illam notitiam, vt talem, & coniunctionem cum obiecto non vt abſolutè exiſtentem, aut exercitam; ſed tanquam, quæ ſi daretur, aut exerceretur, coniungeretur cum converſione, qui eſt modus proprijſsimus cognoſcendi hypotheſim; ſicut modus cognoſcendi conditionate eſt propriſsimus conditionatorum, & abſolutè abſolutorum, & poſſibiliter poſsibilium. Ad ſextam negatur inverſio in modo cognoſcendi cognoſcendo diſtincta, quæ ſunt identificata, aut è converſo: nam licèt libertas ponatur in hac conditionali: *ſi exiſtat libertas, coexiſtet conſenſui*, tàm ex parte hypotheſis; quàm ex parte conditionati ſemper ponitur, & cognoſcitur tanquã, vt diſtincta inadæquatè ab illa coexiſtentia id eſt tanquã, vt diſtincta realiter à conſenſu, & tanquam identificata inadequatè cum illa coexiſtentia, & tanquam identificata realiter adæquatè ſecum ipſa, quæ eſt pars, & conſtitutivum illius coexiſtentiæ libertatis, & conſenſus.

163 Obijciunt nouo, vt probent *in perfectiſsimè cognoſcente* ſtatum conditionis, & conditionati, ideſt: an extitura, an non extitura ſit conditio: an extiturum, an non extiturum ſit conditionatum abſolutè? vt Deus cognoſcit, non poſſe dari ſcientiam iſtam conditionatam, & præſcindentem, tum ab ſtatu abſoluto hypotheſis, tum ab ſtatu abſoluto conditionati. Nam quis, inquiunt, ita deſipit, vt cernens lucentem Lunam dicat: *Si luna luceret, eam aſpicerem*: ergo cum Deus ab æterno habeat iudicia abſoluta de omnibus rebus, & conditionibus poſsibilibus: ideſt cognoſcat, an abſolutè extituræ ſint, vel non, deduceretur ad gradum quendam inſipientiæ, ſi ſimul coniungeret iudicium conditionatum, & abſolutum: ergo Scientia iſta conditionata excludenda eſt ab intellectu diuino, ſi hic ſummè perfectus, & carens omni imperfectione, vt debet, concipiatur.

164 Argumentum commune, & Scientiam conditionatorum contingentium generaliter impugnans benè inſtat citatus Ribadeneyra. Nam in eodem inſtanti coniungi poſſe notitiam conditionatam, & abſolutam abſque vlla inſipientiæ nota videtur certiſsimum. Poteſt enim quis in inſtanti præſenti habere hanc notitiam, *ſi ego elicio nunc actum contritionis, iuſtificor*, & in eodem inſtanti experiens ſe elicere actum contritionis ſimul aſſerere prudenter; *at elicio actum contritionis*; indeque deducere: *ergo iuſtificor*. Addi etiam poteſt inſtantia ex Scientia *ſimplicis intelligentiæ*, qua Deus ſimul cum iudicio abſoluto de exiſtentia obiecti excludenti ſuum contradictorium habet Scientiam correſpondentem tali obiecto, vt poſsibili, & præſcindenti ab excluſione actuali ſui contradictorij, & genaralius in ipſa veritate obiectiva ſimul coniungens in eodem inſtanti determinationem, vt ſit, & indifferentiam ex ſuis prædicatis, vt in eodem inſtanti ſit, aut non ſit: quomodo ergo probabitur inſipientia in cognoſcendo habere ſimul notitias correſpondentes ſimultaneæ cognoſcibilitati paſſiuæ obiecti.

165 Reſpondetur: eam ſolam compoſitionem notitiæ conditionatæ, & abſolutę obiecti arguere inſipientiam *in cognoſcendo*, quæ fiat per notitiam conditionatam exiſtentem pro ſigno poſteriori ad notitiam abſolutam; ſecus, quæ fiat per notitiam conditionatam præcedentem ad notitiam abſolutam, vt accidit in Deo habente notitiam conditionatam in ſigno proportionato, & præciſsionis ab exiſtentia abſoluta obiecti, in quo pariter ipſum obiectum in ſe habet cognoſcibilitatem paſsiuam omninò præſcindentem à cognoſcibilitate ſui in ſtatu abſoluto. Inde ad exemplum adductum ſimultatis illarum notitiarum de abſoluta exiſtentia, tum lucis, tum aſpectus lunæ, & de conditionato aſpectu eiuſdem ſub hypotheſi ipſius exiſtentis, & lucentis, applicandum eam coniunctionem nullam inſipientiam includere, quando iudicium illud conditionatum intelligatur cum præciſsione, & independentia à iudicio abſoluto. Aduertendum etiam eſt: hæc iudicia conditionata in nobis coniungi ſæpè cum dubietate animi circa exiſten-

ſtentiam conditionis, & defectus illius, quomodo non poſſunt componi cum iudicio abſoluto; cæterùm hoc eſt accidentale iudicio conditionato.

166 Si vrgeant ex paritate iudicij disiunctivi, quod non videtur benè, & abſque imperfectione componi cum iudicio determinato: vnde nullus videns *Petrum currere* dicit *Petrum currere*, vel *Paulum currere*. Eandem tenet ſolutionem Ribadeneyra, monens primo cordatam coniunctionem vtriuſque iudicij apparere innegabilem in eo, qui furans poteſt in eodem inſtanti formare diſcurſum iſtum: *vel ergo nunc pecco furando, vel ignoro malitiam furti; ſed non ignoro malitiam furti: ergo nunc pecco*: in quo conſequens eſt iudicium determinatum de peccato furti, & maior eſt iudicium disiunctivũ de eodem peccato. Et deinde dicens notitiam disiũctivam non eſſe incomponibilem cum notitia determinata, niſi, aut quando non retineat proprium ſignum independentiæ à determinata veritate obiectiva, & notitia ei correſpondente, aut quando coniungatur, vt frequenter coniungitur in nobis cum dubio erga exiſtentiam determinati extremi: quomodo neque exiſtit; neque poteſt exiſtere in Deo; verùm modo depurato ab omni imperfectione.



JHS.

DISPUTATIO XXI.

DE MEDIO OBIECTIVO, IN QVO Deus hæc futura conditionata cognoſcat.

BREBISSIME quidquid ſub hoc titulo comprehenditur, abſolvemus. Oportet enim, vt moleſtæ repetitionis vitium fugiamus, in omnibus, quæ ad præſens ſpectant, remiſsivè nos habere ad dicta diſput. 16. à cap. 3. Vbi de medio obiectivo, in quo Deus futura abſoluta contingentia cognoſcit, latè tractavimus, quæ cum pariter congruant futuris contingentibus conditionatis, & nobis liberis, per ordinem, quo ibi expoſita ſunt, debent his applicari.

CAPVT I.

An in ipſa veritate obiectiva futuri conditionati, Deus illud cognoſcat?

1 RESPONDEO affirmativè, & dico. Deum futura omnia contingentia conditionata, & nobis libera cognoſcere in ſe ipſis, taliter, vt ratio obiectiva ipſorum independenter conſtitutivè à quovis de præſenti connexo cum eiſdem futuris, & quod ſe teneat ex parte Dei, ſit ratio intentionaliter motiva divinæ Scientiæ. Conſtat propoſitio ex dictis circa conſtitutionem futuri conditionati, à qua reiecimus omne de præſenti connexum cum eventu conditionate futuro. Conſtat inſuper authoritate Div. Thomæ. Tum in hac quæſt. 14. artic. 13. Tum 2. 2. quæſt. 171. artic. 6. ad 2. docentis abſque exceptione vlla Deum cognoſcere futura omnia: ac propterea etiam conditionata nobis libera in veritate obiectiva ipſorum, provt talis modus cognoſcendi diſtinguitur à modo cognoſcendi ſivè in cauſa, ſivè in quocumque alio medio connexo cum tali eventu futuro conditionatè, vt non aſſeruiſſet, ſi de mente ipſius foret Deum cognoſcere prædicta futura duntaxat in tali medio connexo obiectivè ſe habente.

2 Conſtat ratione. Tum quia futura omnia contingentia conditionata, & nobis libera, provt diſtincta ab omni alio medio cum ipſis connexo habent in ſe veritatem obiectivam correſpondentem Scientiæ eis proportionatæ, & omne quod, provt diſtinctum ab omni alio medio obiectivo habet in ſe veritatem obiectivam correſpondentem ſcientiæ, ſit aptiſsimum medium, vt in ſe ipſo cognoſcatur, cum habeat in ſe determinativum ſtrictiſsimum, & formaliſsimum ad ſui eſſe, quale illud fuerit, quod pariter debet eſſe determinativum intellectus divini perſpicaciſsimi, vt cognoſcatur, de cuius ratione eſt tantùm expetere ad actualem cognitionem obiecti determinationem obiecti, vt in ſe tale ſit, qualiter per Scientiam divinam affirmatur. Tum quia inter determinativa obiectiva ad eſſe futuri cõtingentis conditionati, & nobis liberi nullum eſt intimius, aut inſeparabilius ab eſſe dicti futuri, quàm ipſum eſſe eiuſdem: nam omne aliud determinans per ſolam alligationem, & connexionem ad eſſe futuri remotiùs ſe habet, & tanquàm purè arguitivum determinativi formalis, in quo conſiſtit ratio ipſa futuri: vnde incredibile, & repugnans redditur Deum de-

determinatissimum ad cognoscendum obiectum omni eo modo, quo cognoscibile est, duntaxat attendere determinativo remotiori, & extrinseco veritati obiectivæ futuri, relicto propinquiori strictiori, & intrinseco per identitatem eidem veritati, cui præstat assensum firmissimum, & infallibilem: ergo veritas ipsa obiectiva futuri contingentis conditionati, & nobis liberi est medium obiectivum, in quo Deus illud cognoscit. Recolantur latiùs dicta loco citato à num. 87. vsque ad 89.

CAPVT II.

An sit aliud medium obiectivum distinctum à veritate obiectiva futuri contingentis conditionati, & nobis liberi, in quo Deus illud cognoscat?

3 DICENDVM primò. In quocumque medio metaphysicè, & infallibiliter connexo cum eventu conditionatè futuro nobis libero, provt tali, Deus cognoscit prædicta futura. Probatur eadem forma, qua loco citato à num. 90. Probatum est de futuris absolutis contingentibus. Quia omne metaphysicè connexum cum futuro conditionato nobis libero cognitum, vt tale, proponitur, vt omninò inseparabile a futuro conditionato, nobis libero, vt tali: sed omne penitùs inseparabile obiectivum à prædicto futuro conditionato, vt tali, propositum, & cognitum, vt tale, est medium, in quo Deus idem futurum cognoscit: ergo omne connexum metaphysicè cum eventu conditionatè futuro nobis libero, provt tali, est medium, in quo Deus illud cognoscit. Cætera constant præter min. quæ sic probatur. Omne inseparabile metaphysicè ab eo futuro conditionato propositum, vt tale, proponitur etiam divino intellectui, vt antecedens metaphysicè, & necessariò secum trahens veritatem obiectivam futuri: sed in eo, quod menti divinæ proponitur, vt antecedens metaphysicè, & necessariò secum trahens veritatem obiectivam futuri, cognoscitur à Deo tale futurum: ergo omne obiectivum inseparabile metaphysicè à prædicto futuro conditionato, vt tali, propositum, & cognitum, vt tale, est medium, in quo Deus idem futurum cognoscit.

4 Confirmatur, & simul explicatur ratio præcedens. Omne quod, vt propositum obiectivè menti divinæ se ostendit, vt fundamentum infallibile ad esse alterius sub aliqua ratione, est id, quod, vt obiectum, inducit divinam mentem ad cognoscendum aliud sub tali ratione: sed id, quod, vt obiectum, inducit divinam mentem ad cognitionem aliùs sub aliqua ratione, est medium obiectivum, in quo Deus cognoscit aliud sub tali ratione: ergo omne, quod, vt propositum obiectivè menti divinæ, se ostendit, vt fundamentum infallibile ad esse alterius sub aliqua ratione, est medium, in quo Deus cognoscit aliud sub tali ratione. At omne connexum metaphysicè cum futuro conditionato, vt tali, vt propositum obiectivè menti divinæ, quomodo proponi necesse est, se ostendit, vt fundamentum infallibile ad esse eiusdem futuri, vt talis: ergo omne connexum metaphysicè cum futuro conditionato, de quo loquimur, est medium, in quo Deus cognoscit tale futurum.

5 Ex hac assertione planè deducitur: tum, Scientiam strictè mediam reflexè cognitam: tum quodvis aliud decretum, sivè decernens operationem nostram liberam, vt est decretum prædefinitivum admissum in nostra Schola: sivè decernens auxilium connexum tamen cum operatione nostra libera sub existentia eiusdem auxilij: nec non coniunctum ex existentia Scientiæ mediæ, & libertatis, quæ sit hypothesis illius, esse media obiectiva, in quibus Deus cognoscit futura conditionata nobis libera: cum omnia hæc sint determinationes obiectivæ habentes connexionem metaphisicam cum *esse* futuri conditionati, provt talis, quæ proinde non possunt non determinare intellectum divinum ad assensum futuri conditionati. Patet in Scientia ipsa, quæ, vtpotè infallibilis in repræsentando, & essentialiter vera, semel existens est metahysicè inseparabilis ab *esse* futuri conditionati, quod repræsentat. Constat in decretis assignatis. Tum propter dependentiam,

quam

quam debent habere à Scientia ſtrictè media, vt benè cum libertate noſtra componantur; ex qua oritur connexio metaphyſica cum veritate obiectiva repræſentata per Scientiam, quæ alia non eſt ab eſſe obiectivo ipſius futuri; quàm propter connexionem abſolutam, quam dicunt cum exiſtentia abſoluta operationis liberæ ſub exiſtentia abſoluta hypotheſis, à qua benè, & metaphiſicè valet ad veritatem conditionalem de exiſtentia eiuſdem operationis liberæ pro caſu hypotheſis. Conſtat etiam de memorato coniuncto Scientiæ ſtrictè mediæ, & exiſtentiæ auxilij, ſeu libertatis, quæ ſit hypotheſis Scientiæ; propterea quod Scientia eſſentialiter vera conditionaliter repræſentans aliquid extiturum ſub conditione, provt coniuncta cum purificatione conditionis, & includit ipſam Scientiam eſſentialiter connexam cum futuro conditionato, & connectitur eſſentialiter, & metaphyſicè cum exiſtentia abſoluta conditionati ſub hypotheſi, à qua rectè valet ad exiſtentiam conditionalem eiuſdem ſub tali hypotheſi, quomodo formaliſsimè dicit eſſe futuri conditionati.

6 Nec doctrina iſta contrahitur ad ſola futura conditionata nobis libera de operatione recta, cum ſua proportione extendenda ſit ad futuritionem peccati. Nam licèt ibi locum non teneat prædefinitio vlla divina erga actionem, & actum peccati; benè tamen componuntur alia decreta Dei reſpicientia id, quod honeſtum eſt; v.g. *Pœnitentiam*, aut *auxilium*, vnde habeant connexionem metaphyſicam cum Scientia ſtrictè media de operatione prava, & ideò cum futuritione conditionata talis actionis, & aliunde, quod attinet ad Scientiam ſtrictè mediam de inefficacia, & ad coniunctum ipſius, & auxilij paria ſint omnia, & abſque inconvenienti vllo quoad connexionem, & determinationem obiectivam futuritionis conditionatæ actionis pravæ, & honeſtæ.

7 Dicendum ſecundò. In nullo medio ex ſe, & abſolutè indifferenti ad futurum conditionatum nobis liberum poteſt Deus abſolutè cognoſcere tale futurum, niſi fiat ſuppoſitio eiuſdem futuri, & veritatis obiectivæ illius. Prima propoſitionis pars conſtans debet eſſe omnibus. Nàm medium obiectivè indifferens ad futurum conditionatum nobis liberum ex ſe eſt obiectivè componibile cum futuro, & cum defectu futuri: ergo eſt obiectivè fallibile quoad eſſe obiectivum futuri: ſiquidem id, quod ſine tali eſſe obiectivo poteſt exiſtere, fallibile obiectivè eſt quoad illud eſſe: ſed in nullo medio obiectivo fallibili, Deus, cuius cognitio eſt ſemper infallibilis, poteſt cognoſcere futurum conditionatum nobis liberum: ergo in nullo medio ex ſe, & abſolutè indifferenti ad futurum conditionatum nobis liberum poteſt Deus abſolutè cognoſcere tale futurum. Confirmatur. Id, quod obiectivè indifferens eſt ad aliud, continet in ſe rationem obiectivam non potius allicientem intellectum divinum ad illud; quàm ad oppoſitum: ſed id, quod obiectivè in ſe non continet rationem potius allicientem ad futurum conditionatum; quàm ad oppoſitum, nō poteſt eſſe ratio obiectiva, in qua Deus determinatè cognoſcat obiectum potiùs eſſe conditionatè futurum; quam non futurum: ergo medium obiectivè ex ſe, & abſolutè indifferens ad futurum conditionatum nobis liberum, non eſt medium, in quo Deus illud cognoſcat.

8 Vnde colligitur: libertatem creatam, quomodocumque conſideretur, dum modo terminos libertatis non tranſiliat quamvis à Deo non tantùm comprehendatur; verùm ſupercomprehendatur, vt aliqui explicant, non eſſe medium aptum, vt in ea Deus cognoſcat futura contingentia conditionata, quæ ſunt propria dominij electivi, & determinativi eiuſdem libertatis. Ratio eſt: quia dum libertas intra terminos libertatis conſideretur, intelligitur duntaxat intra terminos indifferentiæ ad futurum conditionatum determinatè ſumptum: qua ratione non magis dicit determinationem conditionatam de conſenſu; quàm eius oppoſitum: ergo provt propoſita intellectui divino, qui in repræſentando eidem indifferentiæ conformatur, ſolùm proponitur, vt quid obiectivum indifferens, tàm ad futurum conditionatum; quàm ad deffectum illius: ſed in medio obiectivè indifferenti, tàm ad futurum; quàm ad carentiam illius Deus non poteſt cognoſcere obiectum conditionatè determinatè futurum: ergo neque in libertate creata, dum-

modo intra terminos libertatis contineatur, sivè comprehendatur, sivè supercomprehendatur, Deus non valet cognoscere futura conditionata nobis libera determinatè accepta, & provt potius continent futurum conditionatè consensum; quàm futurum conditionatè dissensum sub determinata libertate.

9 In hac parte propositionis notandum est ly *absolutè* positum ex parte modi cognoscendi, sicut alibi fecimus loquentes de futuris absolutis, vbi supra additum ad significandum non excludi à divino intellectu modum alium cognoscendi futura conditionata nobis libera *restrictè* in medio absolutè indifferenti, quando medium talis conditionis sit, vt habeat determinationem physicam, aut moralem ad esse eiusdem futuri conditionati: siquidem tunc cognosceet Deus futurum in dicto medio cognitione attemperata efficacię determinationis ipsius ad futurum, provt fuerit *moralis*, aut *physica*; cæterùm cum omnimoda infallibilitate cognitionis in eo modo repræsentandi *restrictè*: id est, si medium sit tantùm moraliter connexum, & determinatum ad futurum conditionatum, in eo cognosceet Deus futurum non *absolutè*; sed *restrictè* ad modum determinationis, taliter, vt cognitio divina, provt respiciens tale medium, repræsentet eventum sub hypothesi esse futurum moraliter; seu dari determinationem moralem ad ipsum, esseque necessarium moraliter; quod existat, si detur tale medium, & quidem infallibiliter: cùm tam certum metaphysicè sit: *Necessarium moraliter esse tale, & extiturum esse moraliter, ac necessarium metaphysicè esse tale, & extiturum esse metaphysicè*: idem sua proportione accommodandum est medio determinato *physicè* ad esse futuri conditionati, nec non ad medium, quod probabiliter inducat ad esse eiusdem futuri: quæ omnia rectè componuntur absque periculo vllo falsitatis propter modum restrictum affirmandi, quamvis futurum conditionatum in ratione talis; aut moraliter, si medium sit tantùm probabiliter determinatum; aut physicè si sit tantùm moraliter; aut metaphysicè si sit tantùm physicè, posit deficere. Non sic in nobis, qui ex fundamento tantùm probabili, aut certo moraliter, aut certo physicè procedimus ad absolutè affirmandum obiectum, quomodo cognitio manet exposita falsitati.

10 Quoad secundam propositionis partem, in qua continetur exceptio illa: *Nisi fiat suppositio veritatis obiectivæ eiusdem futuri conditionati*, probatur ex dictis supra disp. *de cognitione divina vnius in alio*, & disput. citata *de medio, in quo cognoscit Deus futura absoluta contingentia*. Ibi enim latè discussum est, indifferentiam absolutam medij ad aliquod extremum benè componi cum connexione absoluta eiusdem ad idem extremum restrictè ad aliquam suppositionem, quam secum non afferat: vnde intulimus, omne Deo contingens, sivè contingentia intrinseca, sivè contingentia extrinseca ex suppositione, quod tale sit, cognosci à Deo in prædicatis sibi necessariſsimis, & quæ propterea habent ex se absolutam indifferentiam ad quodcumque aliud contingens, & defectibile. Summa probationis est. Quia quodvis indifferens ad esse futuri conditionati nobis liberi in ratione talis, quomodocumque accipiatur tale indifferens, hoc est, sivè sit ex necessarijs, & indefectibilibus, vt sunt prædicata necessaria Dei; sivè ex contingentibus, & defectibilibus, vt sunt actus qui in Deo suo modo possunt deficere, & conceptus existentiales creaturarum, habent ex se connexionem subiectivè absolutam, & terminativè conditionatam, vt si sit suo modo futurum conditionatum nobis liberum, Deus illud infallibiliter cognoscat: ergo connexio hæc, data suppositione veritatis obiectivæ dicti futuri habet connexionem restrictè subiectivè, & terminativè absolutam cum cognitione infallibili Dei repræsentante futurum: ergo etiam pro tali casu habent connexionem restrictè absolutam, cum ipso futuro: quia quod metaphysicè absolutè connectitur cum cognitione metaphysicè connexa cum esse obiectivo futuri, metaphysicè etiam absolutè connectitur cum esse futuri pro tali casu. Inde subsumo: Obiectivum metaphysicè absolutè connexum cum futuro conditionato nobis libero est medium, in quo Deus infallibiliter cognoscit esse futurum: sed quodvis indifferens ex suppositione eiusdem futuri habet cum illo connexionem metaphysicam, & absolutam: ergo pro tali suppositione est medium obiectivum, in quo Deus infallibiliter illud

cog-

cognoſcit : ergo concluſioni neganti Deum cognoſcere futura contingentia conditionata nobis libera in medio obiectivo ex ſe abſolutè indifferenti iure addita eſt exceptio illa: *Niſi fiat ſuppoſitio veritatis obiectivæ futuri conditionati nobis liberi.*

11 Vnde concluditur. In omni divino, ſivè neceſſario, ſivè contingenti : inſuperque in omni creato, ſivè conceptus obiectivus neceſſarius ſit, vt poſſibilitas, impoſsibilitas, & veritates pertinentes ad quidditates, & eſſentias rerum ; ſivè contingens, vt veritates pertinentes ad ſtatum exiſtentialem rerum contingentium, Deum cognoſcere futura conditionata nobis libera, eò, quod talia futura conditionata nobis libera ſuo modo ſint, & habeant veritatem obiectivam ſibi propriam. Quia ex tali ſuppoſitione omnia dicta habent connexionem metaphyſicam *reſpectivè* abſolutam cum eiſdem futuris procedentem ex connexione metaphyſica abſolutiſsima, quam habent cum divina perfectione, & cum remotione omnis imperfectionis, qualis eſt ignorantia, ab *eſſe* illo perfectiſsimo, & infinito Dei, à quo cætera omnia in ſuo eſſe, ſivè quidditativo, & eſſentiali, ſivè exiſtentiali, & contingenti dependent. Quare ſi metaphyſicè excludunt ignorantiam Dei pro tali ſuppoſitione futuri conditionati metaphyſicè exigere opus eſt medium vnicum, & indiſpenſabile ad repellendam ignorantiam pro tali ſuppoſitione, ac proinde cognitionem infallibilem Dei de eodem futuro : quomodo apparent connexa metaphyſicè cum futuro conditionato nobis libero propter connexionem metaphyſicam, & abſolutam *reſpectivè*, quam habent cum divina cognitione connexa metaphyſicè, & eſſentialiter cum futuro conditionato, quod repræſentat.

12 Hùc revocare etiam oportet id, quod in cognitione de futuris abſolutis etiam notavimus : videlicèt in ſolo ſenſu explicato quoad futura conditionata nobis libera poſſe habere locum doctrinam illam Sapientiſsimi Molinæ, & aliorum dicentium in libertate ipſa creata, & in quovis medio alio indifferenti cognoſcere Deum talia futura titulo aut comprehenſionis, aut ſupercomprehẽſionis quam habet de medio indifferenti, cui non obſtat indifferẽtia medij, vt intellectus perfectiſsimus feratur in vi medij ad terminum indifferẽtiæ, quæ ſi non refundatur in connexionem ſubiectivè abſolutam, & terminativè conditionatam medij, quæ pro caſu termini ſit *reſpectivè* abſoluta terminativè, redditur omninò imperceptibilis, & malè confuſa ſub obſcuris terminis comprehenſionis, & ſupercomprehenſionis : demùm ſecluſis vocibus nos deducit ad aliud diſtinctum à medio obiectivo ex ſe indifferenti, quod ſit intellectui divino ratio obiectiva, & medium in quo cognoſcendi futurum conditionatum. Ob id ſi realitas aliqua ſit quærenda, modum alium præter relatum, & nobis placentem exponendi, & intelligendi prædictos graviſsimos Authores non invenio. Quid verò ſentiendum ſit de diſparitate intenta ab eodem Molina, ex qua propugnat Deum cognoſcere futura conditionata nobis libera in libertate noſtra ; ſecus futura conditionata, quæ ſint de libertate Dei in libertate ſua, iam loco ſemel, & iterum citato advertimus.

CAPVT III.

Quale ſit medium obiectivum, in quo Deus primariò cognoſcat futura conditionata nobis libera?

13 IN hac difficultate idem, quod de futuris abſolutis dictum eſt, proportione ſervata futuris conditionatis eſt applicandum, & ideò dicendum, veritatem ipſam obiectivam futuri conditionati nobis liberi eſſe medium obiectivum, in quo divinus intellectus primariò ea cognoſcit. Aſſertio probatur ex fundamentis traditis pro abſolutis, & ſic breviter renovatis. In eo primariò attingitur quævis obiectiva veritas à divino intellectu, quod in ſe eſt immediatiſsima, & formaliſsima ratio præſtandi aſſenſum firmiſsimum, & infallibilem eidem veritati : ſed veritas ipſa obiectiva futuri conditionati nobis liberi ſecundùm id, quod in ſe formaliſsimè obiectivè eſt, continet immediatiſ-

tissimam, & formalissimam rationem, vt sibi præstetur ab intellectu divino assensus firmissimus, & infallibilis: ergo veritas ipsa obiectiva futuri conditionati nobis liberi est medium obiectivum, in quo Deus primariò ipsam cognoscit. Discursus rectus est, & mai. certa: ex eo, quod illud debeat esse primaria ratio attingendi veritatem obiectivam per actum intellectus perfectissimi, qualis est divinus, quod est formalis ratio conformitatis veritatis attactæ ad modum intentionalem, quo exprimitur: sed tantùm immediatissima, & formalissima ratio præstandi assensum infallibilem id habet: ergo sola illa est id, in quo primario attingitur quævis obiectiva veritas à divino intellectu.

14 Probatur min. superioris syllogismi, quæ sola potest indigere probatione. Quævis veritas obiectiva, ac proinde veritas obiectiva ipsius futuri conditionati nobis liberi secundùm, quod formalissimè in se subiectivè est, continet conformitatem formalem immediatissimam ad modum, quo per intellectum divinum, & Scientiam affirmatur: sed quævis veritas obiectiva secundùm quod continet conformitatem formalem immediatissimam, & formalissimam rationem, vt sibi præstetur assensus firmissimus, & infallibilis continet immediatissimam, & formalissimam rationem, vt sibi præstetur ab intellectu divino assensus firmissimus, & infallibilis cum nulla sit ratio immediatior, & validior ad iudicandum conceptum aliquem obiectivum ita esse; quam ita in se formaliter esse sicuti afirmatur: ergo quævis veritas, ac per consequens ipsa veritas obiectiva futuri cõditionati nobis liberi secundum, quod formalissimè est, continet immediatissimam, & formalissimam rationem, vt sibi præstetur assensus firmissimus, & infallibilis.

15 Confirmatur primò. Omne formale veritatis obiectivæ attactæ per actum est primaria conformitas actus cum obiecto respectivè ad omne arguitivum eiusdem veritatis obiectivæ: sed omnis veritas obiectiva attacta per actum in se ipsa est formale veritatis obiectivæ attactæ per actum: ergo in se ipsa est primaria conformitas actus cum obiecto: At id, quod ex parte obiecti est primaria conformitas actus cum obiecto, est id, in quo primariò cognoscitur obiectum: nam id, quod primariò, & principaliùs movet intellectum ad actum, & assensum, est id, quod in obiecto continet se habere formaliter sicut per actum repræsentatur: ergo omnis veritas obiectiva, ac per consequens talis determinata veritas futuri conditionati, de quo loquimur, est id, in quo primario attingitur talis veritas à divino intellectu. Confirmari potest secundò. Veritas obiectiva quæcumque, provt ex proprijs terminis evidentissimè proponitur, est veritas obiectiva primariò evidentissima: sed veritas, provt est primariò evidentissima, primariò cognoscitur: ergo veritas obiectiva, provt est in se, & ex proprijs terminis evidentissima, primario cognoscitur. Discursus rectus est, & min. apparet certa: quia veritas obiectiva, provt primariò rapit intellectum ad assensum sui, primariò cognoscitur. Maior autem non minus firma proponitur: cum negari nequeat evidentiam ex terminis esse principaliorem, & primariam evidentiam obiecti: vnde ab ipsa evidentia veritas obiectiva supra quam appellet, debet susscipere rationem, & conceptum primariò *evidentissimæ*. Iam sic. Veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi, sicut, & quævis alia veritas obiectiva, quæcumque illa sit, Deo evidentissimè proponitur ex terminis ipsius: ergo provt sic proposita primariò movet divinam Scientiam, & primariò cognoscitur ab intellectu divino.

16 Vrgeri adhuc potest. Siquidem eo modo, quo ratio movendi est intimior, & principalior moventi intellectum in assensum sui; ita intellectus est motus à tali movente: sed ratio movendi immediatè propter se ad assensum sui intimior, & principalior est moventi, quàm ratio movendi propter aliud, vt ex ipsis terminis proponitur manifestum: ergo respectu intellectus moti ad assensum eiusdem obiecti est etiam principalior, & primaria quoad assensum præstandum tali obiecto. Nam sicut intellectus divinus, quia infinitus, & perfectissimus ita se accommodat cognoscibilitati passivæ obiecti, vt plenè ei satisfaciat exhauriendo totam cognoscibilitatem passivam per modum illam repræsentandi, ita se accõmodat modo

cog-

cognoſcibilitatis paſsivæ ſatisfaciendo primariò rationi obiectivæ primariò afficienti ad aſſenſum obiecti, vt eſt formale eiuſdem veritatis obiectivæ; quàm ſecundariæ, & minus principaliter inclinanti ad aſſenſum obiecti, vt eſt omne illud, quod purè illativè, & arguitivè ſe habet in ordine ad formale obiecti repræſentati.

17 Vltra probationem iſtam generalem omnem veritatem obiectivam comprehendentem, accedit alia iam tacta pro futuris abſolutis nobis liberis, & quæ ex eodem libertatis titulo ad futura conditionata nobis libera ſe debet extendere: ſic ſpecialiter procedit. Id eſt primaria ratio cognoſcendi dicta futura conditionata, quæ, & eſt aptiſsima, & præ reliquis ſufficientiſsima, vt in futurum adhæſivè firmiſsimè tendat intellectus divinus, & vlterius eſt ratio, à qua à priori obiectivè dependet omnis alia ratio obiectiva in ratione inferentis futurum, & moventis ad eiuſdem aſſenſum: ſed veritas obiectiva ipſius futuri conditionati nobis liberi in ſe eſt aptiſsima, & præ reliquis ſufficientiſsima, vt in idem futurum adhæſivè firmiſsimè tendat intellectus divinus, cum & ſit ratio identica formaliter inſeparabilis à futuro, intima, & conſtitutiva illius, taliter, vt habeat ab ipſa formaliter futurum eſſe in ſe ſicut per Scientiam infallibiliter repræſentatur, & vlterius eſt id, à quo omnis alia ratio obiectiva in ratione inferentis futurum conditionatum, & moventis ad eiuſdem aſſenſum, à priori obiectivè dependet, vt ſic omnis alia determinatio, & connexio cum futuro, provt tali, ſit conſequens, & libertatem ipſius non evertat, vt per noſtræ Scholæ principia quoad iura libertatis ſervanda ſtabilitur: ergo ratio ipſa formalis, & obiectiva, à qua futurum conditionatum nobis liberum habet eſſe identicè, & conſtitutivè tale, eſt id, in quo primariò Deus prædictum futurum cognoſcit.

18 Confirmatur, & amplius explicatur hæc ratio. Determinatio illa obiectiva movens intellectum divinum ad aſſenſum firmiſsimum futuri conditionati nobis liberi faciens in vero ſenſu determinationem quamcumque aliam obiectivam moventem intellectum divinum ad eundem aſſenſum iurè eſt primaria ratio, & determinatio obiectiva movens intellectum divinum ad cognoſcendum futurum: ſed veritas obiectiva ipſius futuri, à qua conſtitutivè, & identicè habet eſſe tale, eſt determinatio obiectiva movens intellectum divinum ad aſſenſum firmiſsimum futuri conditionati nobis liberi faciens in vero ſenſu quamcumque aliam determinationem obiectivam moventem intellectum divinum ad eundem aſſenſum: ergo eſt primaria ratio, & determinatio obiectiva movens intellectum divinum ad cognoſcendum futura. Mai. mihi evidens eſt: cum merito tribuatur ratio primaria obiectivè movendi, & determinandi intellectum divinum ad cognitionem futuri, illi determinationi obiectivæ, quæ ſe habet, vt radix cuiuſcumque aliùs determinationis obiectivæ. Min. autem probatur. Ex vulgariſsima doctrina Div. Anſelmi docentis omnem determinationem ad actum liberum, quam poteſtas libera per ipſum exercitium liberum non facit, eſſe determinationem ſimpliciter antecedentem, ac proinde cum libertate eiuſdem exercitij non benè compoſitam: vnde ab oppoſito: omnis alia determinatio ad actum liberum, quæ inter conſequentes, & benè compoſitas cum libertate eiuſdem numeretur, debet eſſe quodammodò verè procedens à tali exercitio libero, & ab ipſo in exiſtendo ortum ducens: Sed determinatio omnis illa diſtincta ab exercitio libero & obiectivè movens intellectum divinum ad Scientiam metaphyſicè connexam cum futuro conditionato nobis libero eſt determinatio ad exercitium liberum: ergo vt ipſius libertatem non evertat, debet eſſe determinatio facta ab exercitio libero, in quo conſiſtit futurum, id eſt, ab ipſo verè procedens, & in ipſo verè obiectivè radicata: per conſequenſque determinatio obiectiva identica futuro conditionato nobis libero eſt radix omnis cuiuſcumque alterius obiectivæ determinationis.

19 In idem conſpirat cauſalis illa adverſativa Patrum ſemper præſens habenda: nimirùm, *futura nobis libera in tota ſua latitudine non ſunt talia, quia cognoſcuntur; ſed potius à Deo cognoſcuntur, quia talia ſunt.* In qua ad cohærentiam Scientiæ divinæ infallibilis cum noſtra libertate tribuunt aliquam prioritatem obiectis futuris nobis liberis reſpectu determinationis Scientiæ, quaſi hæc aliter nequeat libertati noſtræ conſulere, niſi

per ſubſequentiam, quam habeat ad veritatem obiectivam futurorum. Quod fundamentum pariter vrget pro quacumque alia determinatione, & connexione obiectiva cum *eſſe* obiectivo futuri, cum eadem vrgeat difficultas, ac in Scientia infallibili: quare eadem regula menſuranda, & vt commoda ſit libertati noſtræ fatenda aliquomodo à priori dependens ab *eſſe* obiectivo exercitij illius, in quo ſuo modo radicetur: vnde fit clara propoſitio noſtra de primatu, quem exercet futurum conditionatum nobis liberum, in quamcumque aliam determinationem obiectivam ad ipſum.

20 Contra aſſertiones propoſitas replicæ nonnullæ, ſicut obiectiones aliquæ occurrunt, quæ ſolutæ ſunt dicta diſp. 16. a cap. 3. nec aliquid ſpeciale addunt pro futuris his conditionatis nobis liberis, quod ex ſolutione pro abſolutis ſolvi nequeat. Ideo ſufficiat in præſenti manere recurſum ad ea, quæ ibi continentur. Quibus adiungenda eſt diſputatio 8. à cap. 3. Vbi de cognitione divina creaturarum in Deo: ex quibus omnibus, cum hic aſſerta ſint conſequentia eorum pariter ab eiſdem lucem, & robur accipient.



JHS.

DISPUTATIO XXII.

DE DETERMINATIVO SCIENtiæ Mediæ ſtrictè talis.

CAPVT I.

Oſtenſa difficultatis, & dubitandi ratione, ſententiæ referuntur.

1 COntroverſia nunc dirimenda affinis valdè eſt præcedenti, cuius difficultati nonnulli valdè exagerant, & volunt eſſe nimis diſitam ab ea, quam immediatè expedivimus de obiecto primario, ſeu medio, in quo Deus primariò cognoſcit futura conditionata nobis libera: quia dicunt, adhuc ſuppoſito, talia futura eſſe in ſe ipſis rationem obiectivam primariam, in qua Deus ea cognoſcat, reſtare non levem operam in oſtendendo determinativo, à quo Deus habeat cognoſcere futura hæc determinata; potiùs quàm illa: videlicèt poſitiva præ negativis, vel è contra, aut conſenſum noſtrum liberum conditionatum, ſub libertatis determinatæ hypotheſi, potiùs quàm oppoſitum exercitium liberum conditionatum diſſenſus. Quare vltra obiectum conditionatum in ratione futuri, vtpotè in ſe contingens, opus eſt inquirere aliud, quod ſive per modum conditionati, ſive alio quopiam modo, aut in recto, aut in obliquo, aut vel vt *quod*, aut vel vt *quo*, intellectum divinum ex ſe indifferentem hanc, & oppoſitam ſcientiam determinatè acceptam, nimirum, conſenſus, & diſſenſus ad vnam loco alterius adigat, & compellat. Ita ſentit Herrera, quæſt. 14. de Scientia, ſect. 1.

2 Cæterùm quidquid ſit. An medium obiectivum, in quo Deus primario cognoſcit veritates obiectivas ex ſe, & quaſi ex genere ſuo ſeparabile ſit à medio determinante divinum intellectum ad ſcientiam determinatam illius; in præſenti tamen diſsidio, & loquendo de ſcientia contingenti conditionatorum, quæ libertati creatæ ſubduntur, non tam independens, & inconnexa debet reputari vna, & altera quæſtio, vt vna in altera ferè totaliter non includatur duntaxat exigens, quæ modo excitatur, maiorem aliquam explicationem ſupra nuper reſolutam: Etenim cum in noſtra ſententia futurum cōditionatum nobis liberum, nec includat conſtitutivè aliquid liberum divinum, imo nec illud requirat, ex quo ſubdatur divinæ electioni, & determinationi liberæ voluntatis divinæ taliter, vt per Dei arbitrium ſit determinabile, aut impedibile, videtur inde conſtitutio veritatis obiectivæ futuri conditionati nobis liberi in ratione medij obiectivi, in quo Deus primario cognoſcit tale futurum, ſecum ferre aliquam determinationem obiectivam, vnde proveniat Deum ſic determinatè cognoſcere potiùs, quàm modo oppoſito, ſicut ipſum obiectum in ſe habet potiùs ſic conditionatè ſe habere, quàm oppoſito modo, quod præcipuè vrget, quando aliunde intellectus divinus ex ſe eſt ita indifferens ad ſcientiam determinatè acceptam, quam de facto habet, vt æquè cum oppoſita ſit benè componibilis. Et forſan propter hanc rationem apud antiquiores noſtros Doctores tranſmiſſa fuit hæc quæſtio de determinativo, aut ſaltem non tam longè, & ex propoſito diſcuſſa, vt non renuunt fateri Recentiores, qui maiore ſolicitudine examen ponderatę diſficultatis ſuſceperunt.

Pa-

3 Pariter iudicamus (quidquid alij ſentiant) hanc difficultatem eſſe maximè pendentem à conſtitutione futuri conditionati contingentis, & nobis liberi; adeò, vt quidquid in contrarium pro excluſione exercitij liberi Dei, ibi fuerit, provt potuimus, deiectum, planam ſtatuerit viam ad id, quod in præſenti dubio ſit reſolvendum, nec non valdè conſonam, & ferè vnivocam eandem præſentem difficultatem alteri iam diſcuſſæ de cauſalitate ſcientiæ viſionis in effectus contingentes, & creaturæ liberos, vbi cum à nobis ſit conſtituta, vt maximè genuina Patribus tanquàm ipſis frequentiſsima, & obſervatiſsima cauſalis illa adverſativa: *Res non ſunt, quia à Deo videntur; ſed potius videntur ab ipſo, quia ſunt*, quæque ex vniverſalitate, qua ſine exceptione proponitur ad omne contingens eſt extendenda, ac proinde ad futura conditionata nobis libera, colligitur, ni fallor, & difficultatem nunc occurrentem non eſſe ſpecialem, & vlterius ſuppoſitis antecedentibus, quaſi illationem per ſe ex eiſdem legitimè fluentem eſſe facili negotio ſuperandam. Si ergo ſtandum eſt in noſtra ſententia huic aſſerto ſatis in præcedentibus fulcito: *Res potius ſciuntur, quia ſuo modo contingenter ſunt; quàm è converſo*, etiam inferendum venit tum ex parte obiectorum cõtingentium eſſe aliquam determinationem obiectivam, vt ſit ſcientia divina, quæ defacto datur, & non ſit oppoſita, tum etiam inveſtigationem huius determinationis quoad ſcientiam, & modum illius eſſe communem futuris abſolutis, & conditionatis nobis liberis. Vnde quare in præſens reſerventur ponderationes, non video, videbunt alij, qui res altiùs meditantur.

4 Quibus morem gerens, pro determinativo ſcientiæ *ſtrictè mediæ*, qua Deus cognoſcit futura conditionata nobis libera, & quam defacto habet, ratio dubitandi, & difficultatis vrgentia ſic proponitur. Ex parte Dei datur plena, & totalis indifferentia ad hanc determinatam ſcientiam; v. g. Conſenſus, & ad oppoſitam; v. g. Diſſenſus: cum intellectus divinus ſit æquè cum vna, & altera componibilis, & cum neutra determinatè accepta connexus; & inſuper ex parte divinæ voluntatis nulla intercedat determinatio, vt vna præ altera in Deo exiſtat, cum non immediata, propterea quod ſcientia ſit actus intellectus, & non voluntatis, ac proinde non ſit immediatè liber: neque mediata; cum in noſtra ſententia nulli determinationi liberæ Dei innitatur, imo nec poſsit inniti ſalva conditione ſcientiæ attemperatæ iuri libertatis creatæ ſervando: ergo ex parte Dei nulla excogitabilis eſt determinatio, cui tribui valeat prælatio ſcientiæ affirmativæ; v. g. quæ defacto exiſtat in Deo, comparativè ad ſcientiam negativam de non conſenſu; v. g. quæ in divino intellectu poteſt exiſtere. Deinde nulla eſt determinatio, aut connexio extrinſeca, cui attribui valeat exiſtentia determinatæ ſcientiæ, quæ in Deo circa determinatam veritatem cõditionatam contingentem de conditionato nobis libero inveniatur: ergo abſolutè inexplicabile eſt determinativum divinæ ſcientiæ contingentis erga prædictas veritates, ſicut & medium obiectivum, in quo primariò eas cognoſcat.

5 Antecedens quoad primam partem conſtat, tum ex ipſa propoſitione difficultatis, tum ex antecedentibus diſputationibus, in quibus noſter præcipuus labor fuit reijcere omnem determinationem liberam Dei pro conditionatis nobis liberis talem, vt per eius dependentiam reddantur determinabilia, aut impedibilia à libertate divina. Quoad ſecundam, ad quam tota convertitur difficultas, varie probatur, & detegitur gravis inſiſtendi ratio: primò. Quia omne extrinſecum Deo, & ab ipſo diſtinctum, vtpotè creatum, non exiſtit ab æterno: ſed omne non exiſtens ab æterno ineptum eſt, vt determinet ſcientiam divinam ab æterno: ergo nihil extrinſecum Deo, & ab ipſo diſtinctum poteſt ſortiri rationem determinandi ſcientiam, & obiecti, in quo primariò Deus veritates cõditionales contingentes, & nobis liberas cognoſcat. Explicatur: Scientia hæc divina, provt ab æterno fuerit, debet eſſe ab æterno determinata: ergo huic paſsivæ: *Scientia Dei eſt ab æterno determinata* debet correſpondere hæc activa: *Aliquid eſt ab æterno ſcientiam determinans*; at nihil diſtinctum, & extrinſecum Deo eſt ab æterno: ergo nihil diſtinctum, & extrinſecum Deo eſt ab æterno determinativum ſcientiæ, provt erat neceſſarium ad verificandum ſcientiam divinam eſſe ab æterno determinatam: quid ergo eſt determinativum ipſi proportionatum?

Se-

6 Secundò : Nam dato aliquid existens absolutè in tempore sufficere pro determinanda scientia ab æterno existente, id locum non teneret in omni, & pro omni scientia contingenti de conditionato nobis libero ; cùm plures tendentiæ conditionales divini intellectus sint erga veritates obiectivas conditionatas de conditionato nobis libero, cuius conditiones nunquam purificabuntur, vt est illa de conversione Tyriorum sub hypothesi prædicationis, & miraculorum Christi Domini, & aliæ plures de conversione, & pœnitentia finali reproborum sub his, aut illis libertatibus, & vocationibus, quarum tam certum est dari in Deo scientiam, ac est certum non deficere ipsi media, quibus posset convertere, & salvare hos, qui defacto non salvantur nec convertuntur, in quibus manifestum est nihil dari in tempore absolutè existens, vnde scientia valeat haurire suum determinativum : etenim veritates istæ reducuntur ad conditionem, & conditionatum, quorum neutrum in tempore absolutè existit ; ac proinde semper, & pro semper nihil sunt : quomodo prædicatum positivum determinandi id, quod cum vero *esse* ab æterno est, vt accidit in scientia divina, à se excludunt. Inde extenditur difficultas ad omnem scientiam conditionalem contingentem de conditionato nobis libero : etenim licèt plures veritates conditionales huius generis defacto coniungantur cum existentia absoluta in tempore, tum conditionis, tum conditionati ; tamen omnes prædictæ veritates, sicut & scientiæ ipsis correspondentes ex se præscindunt à purificatione conditionis, & ab existentia absoluta conditionati sub hypothesi ; aliàs strictè conditionales non forent, vt supra manet stabilitum dum naturam, & essentiam veritatum conditionalium strictè talium expendimus : ergo quod existat conditio, sicut, & conditionatum sub ipsa, impertinens quid esse debet, tàm pro determinatione veritatis obiectivæ conditionalis, quàm scientiæ ipsi correspondentis, cum nihil respiciat pro determinativo necessario sui in *essendo* id cum cuius defectu tale *esse* componitur, & à cuius existentia, vt sit, præscindit. Propterea aliunde investigandum est determinativum scientiæ, vt facile non apparet.

7 Tertiò : Omne, quod extra Deum meditetur, contingens in se est : ergo ineptum, vt determinet scientiam ipsius. Antecedens constat, ex eo, quod prædicatum *necessarij simpliciter* in existendo vnicè competat Deo tanquam attributum proprium solius *entis infiniti*. Præterquamquod etiam si extra Deum esset aliquid necessarium, istud minimè conduceret pro determinativo scientiæ contingentis, non secus, ac ipse Deus : siquidem omne necessarium ex se præscindit ab omni contingenti determinatè accepto, & ideò per se ostenditur incongruum ad determinandam existentiam contingentis. Consequentia probatur. Omne contingens in se nullam habet determinationem intrinsecam, vt potius sit, quàm non sit : aliàs non contingens ; sed necessarium foret : ergo pro tali contingenti desideratur aliud contingens, cui debeat determinationem, vt potius sit ; quàm non sit, vel è contra. Iam de illo contingenti reflexo idem conficitur argumentum, & par vrget difficultas in quærenda ratione determinante, quæ si assignetur, semper deficiet in ratione talis propter contingentiam, quam debet involvere. Nec valet respondere : esse sistendum in determinatione libertatis creatæ : Quia cum veritas conditionalis ex se præscindat ab existentia libertatis, & voluntatis creatæ, etiam debet præscindere ab omni determinatione, quæ ab ipsa existat. Vnde quomodo determinabitur scientia per illud, cuius defectus in ratione determinantis non nocet?

8 Confirmatur ex argumento, quo vsus est Div. Thomas, ad probandum ex contingentibus necessariò fatendum, esse aliquod ens necessarium, in cuius libertatem, & liberam determinationem revocandum esset, hæc determinata contingentia, quæ existunt, existere : siquidem contingentia non habent in se determinationem, vt potius sint, quàm non sint ; aliter, aut existerent per essentiam, aut per essentiam non existerent ; quomodo, aut necessarijs, aut impossibilibus essent adscribenda : neque determinatio, vt sint, reduci potest in determinationem liberam alicuius contingentis ; cùm in existentia huius contingentis idem restauretur argumentum : vnde deveniendum est ad aliquam causam liberam necessariò, & per essentiam existentem, penes cuius determinationem sit, aut contingentia in-

intra posibilitatis terminos relinquere, aut ad *esse actuale* reducere; quodque suo modo accommodari potest difficultati, quam versamus, in qua omne illud obiectivum, quod extra Deum consideretur, est in se ipso contingens: vnde non habet à se determinationem, vt sic potius, quàm oppositò modo se habeat; vel è contra: aliter, aut designandum esset necessarium in tali *esse*; aut impossibile. Vlterius: non est aliud assignabile extra Deum, cui proximè debeatur determinatio ad tale *esse*: nam si aliquid, maximè libertas creata, quæ cum sæpè non existat, & insuper non exigatur, vt existat pro veritate conditionalium etiam quæ de nostra libertate sunt; nullam per consequens potest exercere determinationem proportionatam in *esse obiectivum* conditionatum, & in scientiam divinam eidem *esse obiectivo* correspondentem.

9 Quartò: Nihil absolutum extra Deum valet esse determinativum prædictæ scientiæ: ergo neque aliquid conditionatum. Antecedens constat, tum ex independentia, quam habent scientia conditionata, & veritas obiectiva correspondens ab omni decreto Dei *subiectivè* absoluto, quomodo non independerent, si ab aliquo absoluto contingenti extra Deum determinarentur. Tum etiam: quia in casu, quo nihil positivum extra Deum existeret, adhùc darentur, & cognoscerentur à Deo plures veritates obiectivæ conditionatæ de conditionato positivo; non secus ac modo sunt, & cognoscuntur, quando mundus existit. Consequentia probatur: ab identitate inter *esse obiectivum* conditionatum, & absolutum, ex qua id ipsum, quod est obiectivè *absolutè*, est id, quod præcessit obiectivè *conditionatè*; & id, quod præcessit obiectivè *conditionatè*, est id, quod purificata conditione est *obiectivè* absolutum: ergo vel neutrum, vel vtrumque debet esse determinativum scientiæ: At constat vtrumque non esse determinativum scientiæ; aliàs hæc dependeret ab absoluto: ergo nec absolutum, nec conditionatum extra Deum potest esse determinativum scientiæ. Quale igitur erit: aut quomodo explicabitur determinativum istud extra Deum, quod nec sub contingenti conditionato, nec sub contingenti absoluto comprehenditur?

10 Confirmatur his syllogismis, qui nullatenus apparent defectuosi: *Hoc obiectivum absolutum*; v. g. *Petrus consentit sub libertate A, est hoc obiectivum conditionatum: Si Petrus habeat libertatem A, consentiet: hoc obiectivum absolutum: Petrus consentiet sub libertate A, non determinat scientiam conditionatam contingentem, & Deo non liberam: ergo hoc obiectivum conditionatum: Si Petrus habeat libertatem A, consentiet, non determinat eandem scientiam.* Vel aliter: hoc absolutum: *consensus sub libertate A*: est hoc conditionatum: *consensus sub hypothesi eiusdem libertatis*: *sed scientia divina repræsentans hoc obiectivum: si existat libertas A, existet consensus, non dependet ab hoc absoluto: consensus sub libertate A*: ergo *neque dependet ab hoc conditionato: consensus sub hypothesi eiusdem libertatis*: At ab eo, à quo scientia non dependet, non determinatur: ergo neque per absolutum, neque per conditionatum extra Deum contingens habet determinationem.

11 Quintò. Futurum conditionatum; v. g. conversio, quæ sub libertate determinata existeret, tam purum nihil est, ac eius oppositum, quod conditionatè non est futurum: sed id, quod tam nihil est, ac aliud, quod non determinat scientiam, tam incapax est determinandi, ac aliud, quod non determinat: ergo ex parte futuri conditionati nullum apparet determinativum scientiæ. Maior certa videtur; propterea quod carens existentia absoluta non minus, quàm aliud, tam purum nihil est, ac illud: ergo cum tam futura conditionatè conversio, quàm non futura conditionatè conversio existentia absoluta, & vera careant, tam purum nihil erit vnū, ac aliud. Minor probatur: Id, quod tam nihil est ac aliud, quod non determinat, tam nihil est in determinando ac aliud, quod non determinat: sed id, quod tam nihil est in determinādo ac aliud, quod non determinat, tam incapax est determinandi, ac aliud, quod non determinat: ergo id, quod tam nihil est ac aliud, quod non determinat scientiam, tam incapax est determinandi, ac aliud, quod non determinat. Inde ad extremum reddit inculcata adversariorū obiectio; videlicèt scientiam istam, quam dicimus Deo *non liberam, & contingentem*, qua cognoscit futura contingentia conditionata nobis libera, non aliter quàm fortuitò, & casualiter posse existere in Deo; qua ratione divinæ perfectioni re-

repugnat, cum talis debeat esse ex necessitate scientia illa, cui vt determinatè existat in divino intellectu, nulla invenitur ratio determinativa, neque intrinseca, & ex parte Dei, neque extrinseca, & ex parte obiecti, aut alterius extra Deum, cui congruè committi valeat determinatio.

12 Motiva ista tanti fecerunt aliqui ex nostris præcipuè Recentiores, vt non quiescentes in solutionibus antiquis, & communibus nostræ Scholæ in varios opinandi modos se diviserint, qui si benè inspiciantur, aut non deviant à sententia communi, in qua demùm incidunt; aut si deviant, etiam feruntur in partem non nimis ipsis congruentem, & à qua velint, nolint, vt propria principia non deserant, debent revocari. Sententias refert Herrera vbi supra quarum prima est Antonij Perez, de Scientia, disputat. 3. cap. 4. §. 8. asserentis dari in Deo quosdam nexus ab æterno cum existentia obiecti pro sua temporis differentia attemperatos conditioni illius, id est, vel absolutè vel conditionatè, provt fuerit obiectum futurum, vel absolutè, vel conditionatè. Dumque progreditur ad explicandam naturam huius nexus per se satis obscuri, inquit, non distingui ab ipso statu obiectivo obiecti, iam absoluti, iam conditionati, quomodo salvare intendit, *Deum cognoscere obiectum futurum, quia est futurum*, secus *istud esse futurum, quia à Deo cognoscitur*. Nam cum *Scientia media* strictè talis iuxta ipsum, resultet ex scientia divina necessaria, & tali nexu obiectivo, colligit inde nexum præcedere *Scientiam mediam* strictè talem, præcedentia constitutivi inadæquati ad constitutum adæquatè sumptum; ideoque etiam liquidò constare scientiam existere, quia existit nexus indistinctus ab statu obiecti conditionatè futuri; ac proinde, quia obiectum est conditionatè futurum; secus nexum dari, & obiectum esse conditionatè futurum, quia existit in Deo scientia: cum nulla sit ratio ostendens præcedentiam scientiæ ad nexum, & statum obiectivum futuri conditionati in esse talis.

13 Secunda sententia est aliorum Recentiorum, quibus semper operosum fuit intelligere futuritionem contingentium, & veritatem propositionum de futuro absque aliquo de præsenti connexo cum eventu futuro: cumque illis non suppeteret medium decreti divini antecedentis, vtpotè ipsis infensum, & nō benè cōpositum cum libertate creata, recursum pararunt in ipsa scientia divina *strictè media*, quam non distinxerunt à futuritione conditionata obiecti conditionatè futuri: vnde affirmant ipsam scientiam *strictè mediam* determinari à se ipsa, neque propterea egere aliquo à se distincto, ex quo determinationem accipiat: insuperque optimè verificari: *Deum cognoscere Petrum consensurum, quia ipse consensurus est*. Nam cum iuxta ipsos hoc, quod est *Petrum consensurum esse*, non distinguatur ab ipsa scientia, dum verificatur: *Scientiam existere, quia ipsa existit*, pariter, & planissimè debet verificari ipsam existere, quia Petrus consensurus est, & Deum cognoscere futura conditionata, quia hæc in se ipsis talia sunt. His satisfacere putant difficultatibus obiectis; sed nescio; an immemores illius adversativę: *Res non est futura, quia à Deo taliter cognoscitur*, sicut & distinguendi inter rationem formaliter determinativam, & rationem determinativam influxivè, & cum præcedentia, quod non faciunt, vt oportebat facere, si sibi consulerent.

14 Tertia sententia, quæ quoad substantiam non apparet distincta à sententia relata Antonij Perez, statuit quasdam actiones divinas conditionatas æternas ponentes terminum in tempore pro casu purificationis conditionis, quæ in se quid creatum sunt, taliter attemperatum conditioni futuri, quod erit, si ponatur hypothesis, vt pro tali casu sint per libertatem creatam impedibiles. Ortum ducit hæc cogitatio ex eo, quod actus divinos contingentes, tàm intellectus, quàm voluntatis non constituant adæquatè Deo intrinsecos; verùm indigentes, vt sint, aliquo æterno extrinseco, quod se habeat vel vt constitutivum, vel saltem, vt connotatum vnde compleantur in ratione talium. Complementum autem istud nullum aptius inveniunt, quàm actiones conditionatas, ex quibus, & ex scientia necessaria resultet scientia *strictè media*, nullam addens expressionē supra scientiam necessariam; verùm solam connexionem provenientem ab actione conditionata. Pro hac sententia refertur Quirós, 1. part. disput. 50. de Scientia, sect. 3. & 4.

15 Censent alij quartò: Scientiam

tiam hanc *contingentem*, & Deo *non liberam* duntaxat habere determinativum pro casu, quo purificetur hypothesis, & sub ipsa existat absolutè conditionatum; si verò id non contingat ex defectu purificationis hypothesis, aut si præcisivè ab existentia conditionis considereretur, non fore dicendam habere determinativum, aut determinari, vel saltem à determinativo esse præscindendum, & propterea loquendum de determinatione ipsius tantùm conditionata, id est, quod determinabitur, si existat absolutè conditio, & conditionatum sub ipsa, quod sub hypothesi prævidetur absolutè extiturum. Vnde non reputant inconveniens vllum dari absolutè contingens, quale est *scientia* de conditionatis nobis liberis, quin absolutè sit determinativum eiusdem, aut per electionem alicuius agentis liberi, aut quavis alia ratione, dummodo tale determinativum intelligatur conditionatè extiturum, & contingens ei correspondens determinandum, si existat casus, pro quo obiectum conditionatum proponitur, & repræsentatur extiturum. Sic media via incedentes volunt vtrique parti lenocinari, &, vt temperent difficultates, quæ hinc inde occurrunt, non renuunt omnes difficultates in se suscipere. Huic iudicio subscribit R. P. N. Generalis Tyrsus Gonçalez, tom. 1. select.

16 Quinta sententia communissima inter nostros tenet: *Scientiam contingentem* Deo, & ipsi *non liberam*, quam vocamus *strictè mediam*, absolutè determinari ab *esse conditionato* obiecti, seu à veritate cõditionata nobis libera, quam repræsentat; quin obstet non habere *esse* absolutorum, nam ad determinandam scientiam absolutè existentem de conditionatis sufficit *esse obiectivum* conditionatum; sicuti idem *esse* debet apud omnes sufficere ad terminandum, nec plus *esse absolutum* videtur requiri ad determinandum absolutè; quàm ad absolutè terminandum, vt apparet in *Scientia simplicis intelligentiæ*, quæ terminatur à possibilibus, & in sententia communissima inconnexionis non modò terminatur; verùm determinatur, cum Deus sit æquè indifferens ad habendam scientiam possibilium, aut impossibilium, ac est ad habendam scientiam *strictè mediam* determinatam de conditionatis nobis liberis, & vlterius minus participet de *esse absoluto* possibile; quàm conditionatè extiturum. Hæc sententiæ huius summa, in cuius explicatione datur aliqua variatio quoad modum, & in eodem sensu aliqua disconvenientia inter sectatores eiusdem pro exponenda determinatione obiectiva, in qua sunt conformes: etenim aliqui componunt determinationem *obiectivam*, in quantum Deus ex se est determinatus *subiectivè absolutè*, & *obiectivè conditionatè* ad cognoscendam veritatem omnem *obiectivam* eo modo, quo cognoscibilis est: vnde hæc determinatio conditionata ex parte Dei constituitur in ratione absolutæ per ipsam veritatem *obiectivam*, & in hoc sensu veritas *obiectiva* determinat Deum ad hanc determinatam scientiam; v. g. *consensus*, in quantum complet determinationem Dei in ratione absolutæ, & sic Deum ex se indifferentem ad hanc scientiam præ alia constituit determinatum per purificationem conditionis, sub qua Deus erat conditionatè determinatus ad habendam hanc scientiam simul cum præcisione ab existentia hypothesis, cum cuius defectu Deus ex se benè componitur, vt accideret casu, quo loco huius scientiæ; v. g. *affirmativæ* daretur scientia alia opposita, videlicèt *negativa*. Alij per oppositum renuunt concedere determinationem istam tantùm conditionatam ex parte Dei, quæ per purificationem conditionis transeat in absolutam; & ideò asserunt, dicendum Deum ex se absolutè determinatum ad cognoscendam hanc veritatem determinatam, quam defacto cognoscit; attamen hanc determinationem non esse considerandam absolutam *absolutè*, & pro omni casu; sed *respectivè*, & pro determinato casu, huius veritatis obiectivæ præ alia, quæ propterea dicitur determinare Deum ad hanc scientiam, quia est casus per ordinem, ad quem intelligitur determinatio absoluta Dei, quamvis Deus ex se præscindat à positione talis casus. Distinguunt alij inter determinationem *positivam*, & *negativam* scientiæ, & dicunt obiectum determinare scientiam divinam *negativè*, in quantum per suum *esse obiectivum* impedit scientiam oppositam, qua impeditione data, Deus ex se est determinatus ad habendam scientiam, & expressionem proportionatam eidem *esse obiectivo*; secus *positivè* cum Deus ex se sit tali-

liter *positivè* determinatus, nempè *vagè*, & sub *disiunctione* ad hanc, vel illam scientiam. Alij demùm non nimis hærentes in hac distinctione determinationem positivam admittunt.

17 Pro hac communi sententia stant vltra plures alios Aldrete disputat. 26. de Scientia, sect. 8. Izquierdo, tract. 9. disput. 28. quæst. 6. proposit. 5. Junius de Providentia, sect. 4. cap. 4. Herrera, quæst. 14. sect. 3. & Aranda libro 5. de Deo, disputat. 26. sect. 4. §. 3. qui semper remanet difficilis in explicanda hac determinatione obiectiva, quam meritò iudicat consentaneam doctrinæ Societatis, cum aliunde defendat futuritionem, tàm *absolutam*, quàm *conditionatam* contingentium consistere in diuina scientia, vt etiam tenet citat. Reuerend. Pater Tyrsus, quorum authoritas, si me, vt par est, non cohiberet, auderem dicere irrito labore destruere id ipsum, quod magnis ingenij sumptibus constituunt. Libet etiam in hac, & pro hac sententia referre verba Eximij Suarij, libro 2. de Scientia futurorum, capite 6. ad 1. Vbi difficultati contentæ in præsenti dubio respondet his terminis. *Ad primum ergo respondetur: Si in eo quæratur ratio ex parte Dei, cur agnoscat ex duobus contradictorijs vnum esse futurum potius, quàm aliud? Respondetur: Ex parte Dei non esse quærendam rationem, quia eius virtus, seu lumen de se indifferens est ad iudicandum, & sciendum quidquid in re sit futurum, sive hoc, sive illud; indifferentia (inquam) eminenti, seu virtuali, & ad omnia sufficiente iuxta exigentiam obiectorum. Si verò ex parte obiecti quæratur ratio ob quam hoc; potius quàm illud sit scibile? Hæc non est alia, nisi quia in re hoc potius futurum est; quàm illud, quod si vlterius huius ratio inquiratur: cur scilicèt hoc potius; quàm illud futurum dicatur, cum causa sit æquè indifferens? Respondetur; imò, quia est indifferens pro libertate sua esse ad alterutram partem in ea occasione determinandam, & hæc pars vna, & determinata futura est, quam ipsa velit, seu volitura sit: Sola ergo libertas, & vsus eius est ratio talis futuritionis ex parte obiecti. Quod si tandem vrgeatur, vnde constare possit, quæ sit illa pars, ad quam esset talis voluntas determinanda? Nunc ergo breviter dico: Nobis non constare; Deo autem per se notum esse, suo infinito lumine, quo intuens omnes rerum complexiones, & compositiones possibiles; simul intuetur, quæ sint, vel essent futuræ, & quæ non. Denique (quod tam in hoc, quàm in cæteris argumentis notandum est) omnes ferè interrogationes hæ fieri possunt de futuris contingentibus absolutis, priusquam in re existant, & ideò dixi ferè nullam maiorem difficultatem esse in his, de quibus agimus, quàm in illis.* Ita Doctor Eximius, cuius explicatio est maximè notanda pro ponderationibus aliquorum in præsenti sine memoria, aut cum minore appretiatione earundem in simili discrimine.

CAPVT II.

Aliquibus præsuppositis, resolvitur determinativum Scientiæ Mediæ strictè talis.

18 SVPPONI debet primò: Veritates obiectivas conditionales de conditionato nobis libero, seu quod idem est futura conditionata contingentia nobis libera esse obiectum terminativum immediatum scientiæ *diuinæ contingentis*, & Deo *non liberæ*, quam vocamus *strictè mediam*. Constat id ex generali doctrina supra data circa obiectum *materiale* diuinæ scientiæ; necnon circa cognitionem Dei creaturarum in se ipsis: etenim quidquid à Deo cognoscitur, est obiectum immediatè terminativum scientiæ sibi proportionatæ: quomodo possibilia sunt obiectum immediatè terminativum *Scientiæ simplicis intelligentiæ*, & existentia *scientiæ visionis*, & liberæ: At scientia *contingens*, & Deo *non libera*, seu *strictè media*, est scientia diuina proportionata futuris conditionatis contingentibus, & nobis liberis: ergo talia futura secundum suam veritatem obiectiuam sunt obiectum immediatè terminativum eiusdem scientiæ. Explicatur: Deus non cognoscit ea futura tantùm secundùm aliquod *esse eminentiale*, quod habeant in Deo; verùm secundum *esse formale*, & proprium, quod in se ipsis habent, aliàs secundum aliquem mo-

dum, quo sunt proprijssimè cognoscibilia laterent divinum intellectum, vt non componitur cum eius perfectione, & infinita vi intellectiva: sed eo modo, quo obiectum secundum *esse proprium*, & *formale*, quod in se habet, cognoscitur à Deo, etiam est obiectum immediatè terminativum scientiæ, qua sic cognoscitur: ergo futura conditionata nobis libera sunt obiectum immediatè terminativum scientiæ *contingentis*, & Deo *non liberæ*, seu *strictè mediæ*.

19 Supponi debet secundò. Quod si sermo sit de determinativo intellectus divini *in actu secundo* cognoscentis ad hanc scientiam determinatam: *Si existat auxilium A, existet consensus*, vt de reliquis sua proportione venit intelligendum; determinativum formalissimum, & immediatum esse ipsam scientiam *contingentem*, & Deo *non liberam*, seu *strictè mediam*, quæ defacto datur, præ opposita. Ratio est clara: Siquidem illud est determinativum formale, & immediatum intellectus divini *in actu secundo* cognoscentis ad habendam hanc scientiam præ altera, cui formaliter, & immediatè debetur intellectum divinum sic cognoscere *in actu secundo*; potius quàm altero modo: sed scientia divina *contingens*, & *non libera*, seu *strictè media*, quam Deus defacto habet, est id, quod immediatè, & formaliter determinat intellectum divinum, vt sic cognoscat *in actu secundo*; potius quàm alio modo: ergo scientia illa *contingens*, & *non libera*, seu *strictè media*, quam Deus defacto habet, est determinativum *formale*, & *immediatum* intellectus divini *in actu secundo* cognoscentis, vt potius sic cognoscat, quàm modo opposito. Minor in qua sola posset esse difficultas, sic facilè probatur, Scientia, quæ defacto præ altera exiitit in divino intellectu, est quasi forma denominans immediatè intellectum divinum sic cognoscentem *in actu secundo*; potius, quàm altero modo: sed id, quod quasi forma denominat intellectum divinum sic cognoscentem *in actu secundo*, potius quàm altero modo, eundem determinat, vt sic *in actu secundo* cognoscat, potius quàm altero modo: ergo scientia dicta *contingens*, & Deo *non libera*, seu *strictè media*, quam Deus defacto habet, est id, quod immediatè determinat intellectum divinum, vt sic cognoscat *in actu secundo* potius, quàm altero modo.

20 Confirmatur primò: Id, in cuius comparatione quodcumque aliud consideretur, si determinet intellectum divinum ad sic cognoscendum *mediatè* tantùm; & *remotè* se habet in ordine ad constituendum intellectum divinum sic cognoscentem, est id, quod immediatè determinat intellectum divinum *in actu secundo*: sed sola scientia *contingens*, & *strictè media*, quæ defacto datur in intellectu divino est id, in cuius comparatione quodcumque aliud consideretur, si determinet intellectum divinum ad sic cognoscendum *mediatè* tantum, & *remotè* se habet in ordine ad constituendum intellectum divinum sic cognoscentem: ergo scientia illa *contingens*, & *strictè media*, quæ defacto datur, est determinativum intellectus divini *in actu secundo*. Cætera constant, & minor tantùm potest indigere explicatione, videlicèt, quia in denominationibus actualibus, & *in actu secundo* consideratis omne aliud, quod non sit forma, aut quasi forma denominationis in actu secundo, si determinat subiectum, aut quasi subiectum, vt sic denominetur in actu secundo tantùm se habet *remotè*, *mediatè*, & purè *arguitivè* in ordine ad talem actum secundum: ergo sola scientia *contingens*, & *strictè media*, quæ defacto datur in intellectu divino, vtpotè forma, aut quasi forma sic cognoscendi in actu secundo est id, in cuius comparatione quodcumque aliud consideretur, si determinet intellectum divinum ad sic cognoscendum *mediatè* tantùm, & *remotè* se habet in ordine ad constituendum intellectum divinum sic cognoscentem.

21 Confirmatur secundò: Scientia *contingens*, & *strictè media*, quæ defacto exiitit in Deo, se habet suo modo quoad denominandum intellectum divinum actualiter cognoscentem, sicut *albedo* quoad denominandum subiectum album: *frigus* frigidum, & *calor* calidum: sed *albedo*, *frigus*, & *calor* sunt determinativum *formale*, & *immediatum* subiecti in actu secundo *Albi*, *frigidi*, & *calidi*: ergo scientia *contingens*, & *strictè media*, quæ defacto exiitit in intellectu divino, est determinativum for-

formale, & immediatum intellectus divini cognoscentis eo modo, quo defacto cognoscit. Roboratur: Omne aliud, quod extra *albedinem*, *frigus*, & *calorem* determinet subiectum ad rationem *albi*, *frigidi*, & *calidi in actu secundo*, remotè tantùm, mediatè, & arguitivè consideratur determinativum obiecti ad has denominationes suscipiendas, quæ vnicè formaliter, & immediatè refunduntur in *albedinem*, *frigus*, & *calorem* tanquàm in determinativum ipsarum: ergo omne aliud, quod extra scientiam *contingentem*, & *strictè mediam* determinet intellectum divinum ad rationem sic cognoscentis in actu secundo, *remotè* duntaxat *mediatè*, & *arguitivè* consideratur determinativum intellectus divini ad suscipiendam denominationem sic cognoscentis in actu secundo, quæ vnicè formaliter; & immediatè refunditur in ipsam scientiam *contingentem*, & *strictè mediam* tanquam in determinativum ipsius.

22 Supponi debet tertiò: Loquendo de intellectu divino *subiectivè*, & *in actu primo* considerato habere in se determinativum *subiectivè* absolutum, & *terminativè* conditionatum ad hanc scientiam contingentem, & strictè mediam; v. g. *consensus*, quæ defacto datur. Constat id ex generali doctrina supra tradita disput. 5. capite 2. vbi probavimus intellectui divino competere conceptum speciei intelligibilis omnium obiectorum, & quidem depuratum ab omni imperfectione, quæ sit in creaturis, quomodo etiam asseruimus pertinere ad rationem formalem intellectus *infiniti*, & *perfectissimi*: vnde liquet intellectum Dei ex se esse determinatum ad substantiam, & modum omnis cognitionis debitæ cognoscibilitati passivè cuiusvis obiecti: sed hoc est formalissimè esse ex se determinatum, vt pro quavis suppositione veritatis obiectivæ cõtingentis sit scientia, & repræsentatio perfectissima ei correspondens, ac proinde esse ex se determinatum, vt si sit *obiectivè* suo modo veritas futuri conditionati pertinentis ad nostram libertatem, sit scientia ei proportionata, qualis est scientia *strictè media*, quod formalissimè est habere determinationem ex se ad hanc scientiam *strictè mediam*, quæ defacto datur, si defacto suo modo detur veritas obiectiva proportionata tali scientiæ, quam suppositionem Deus ex se, & ex determinatione sui intellectus non affert; ideoque tantum habet intellectus divinus determinationẽ ex se ad hanc scientiam *strictè mediam*, quæ defacto datur pro suppositione sibi contingenti, quod sit veritas obiectiva ei proportionata, in quo consistit ratio formalis determinationis *subiectivè* absolutæ, & *terminativè* conditionatæ ad Scientiam mediam *strictè talem*, quæ defacto datur: ergo intellectus divinus *subiectivè*, & *in actu primo* consideratus habet in se determinativum *subiectivè* absolutum, & *terminativè* conditionatum ad hanc scientiam *contingentem*, & *strictè mediam*; v. g. *consensus*, quæ defacto datur.

23 Explicatur. Intellectus divinus, quia ex se *infinitus*, & *perfectissimus* in propria linea est metaphysicè repugnans omni ignorantiæ: ergo est metaphysicè connexus cum medio necessario ad excludendam ignorantiam: At ex suppositione veritatis *obiectivæ* conditionalis de conditionato nobis libero, est medium necessariſsimum ad excludendam ignorantiam scientia contingens strictè media ei veritati correspondens: ergo pro tali suppositione veritatis obiectivæ contingentis, quam Deus, & intellectus divinus ex se non afferunt, exigit metaphysicè intellectus divinus dari scientiam contingentem strictè mediam ei veritati obiectivæ contingenti correspondentem, habetque determinationem indistinctam adhùc formaliter ab exigentia metaphysica ad eandem scientiam. Vnde rursus: determinatio metaphysica intellectus divini ad scientiam strictè mediam, quæ defacto datur dependenter à suppositione contingenti veritatis obiectivæ, quam idem intellectus ex se non affert, est determinatio metaphysica ad scientiam strictè mediam, quæ defacto datur subiectivè absoluta, & terminativè conditionata: ergo intellectus divinus subiectivè, & in actu primo consideratus habet in se determinativum subiectivè absolutum, & terminativè cõditionatum ad scientiam contingentem, & strictè mediam, quæ defacto datur.

24 Inde supponi debet quartò: Hanc determinationem intellectus divini subiectivè absolutam, & terminativè conditionatam ad scientiam stric-

tè mediam; v. g. *Conſenſus* pro caſu veritatis obiectivæ conditionalis de conſenſu, purificato caſu prædictæ veritatis obiectivæ eſſe per ſe, & provt diſtinctam ab omni non ipſa determinationem terminativè abſolutam ad ſcientiam contingentem ſtrictè mediam expreſsivam eiuſdem veritatis obiectivæ conditionalis; Vnde intellectus divinus ex ſe, & ab intrinſeco, tàm realiter, quàm virtualiter eſt determinativum abſolutum ad ſcientiam ſtrictè mediam, quæ defacto datur pro caſu veritatis obiectivæ exigentis talem ſcientiam. Ita conſequenter ad latè dicta ſupra diſputat. 8. præcipuè capite 6. à numero 119. vbi examinavimus conceptum connexionis conditionatæ cum aliquo termino, & aſſeruimus, vel nullam, & irriſoriam eſſe omninò prædictam connexionem conditionatam, aut dicendam per ſe eſſentialiter afferre terminum abſolutè pro caſu purificationis conditionis, quæ doctrina in præſens revocata perviam reddit ſuppoſitionem factam, & ſic ſummatim, & compendiosè proponitur: omnis connexio eo modo, quo eſt vera connexio cum aliquo extremo, eſt vera inſeparabilitas à tali extremo: ſed connexio ſubiectivè abſoluta, & terminativè conditionata cum aliquo extremo eſt vera connexio: ergo eſt vera inſeparabilitas à tali extremo: ſed non eſt vera inſeparabilitas ab extremo pro caſu non purificationis conditionis: ergo ſaltem eſt vera inſeparabilitas ab eodem pro caſu purificationis conditionis. Iam ſic: Eo modo, quo eſt vera inſeparabilitas ab extremo, eſt connexio abſoluta cum tali extremo: ſed connexio conditionata per ſe eſt vera inſeparabilitas ab extremo pro caſu purificationis conditionis: ergo per ſe etiam eſt vera connexio abſoluta pro caſu purificationis conditionis.

25 Confirmatur mihi evidentiſſimè. A defectu termini ſub exiſtentia conditionis rectè, & legitimè arguitur abſolutus defectus connexionis conditionatæ exigentis terminum ſub exiſtentia conditionis: ergo connexio conditionata exigit abſolutè terminum ſub exiſtentia conditionis. Probatur conſequentia. Nihil abſolutè deficit per defectum illius, quod abſolutè non exigit: cum eo modo, quo abſolutè aliquid non exigit, ſit ab eo abſolutè ſeparabile: ac propterea ſit coniungibile cum eius defectu: ergo ſi à defectu termini ſub exiſtentia conditionis rectè, & legitimè arguitur abſolutus defectus connexionis conditionatæ exigentis terminum ſub exiſtentia conditionis, connexio conditionata exigit abſolutè terminum ſub exiſtentia conditionis: propterea quod id ipſum, quod à ſe, & per ſe eſt connexio conditionata cum aliquo extremo, etiam à ſe, & per ſe eſt connexio abſoluta cum eodem pro caſu purificationis conditionis.

26 Iam pro caſu præſenti intellectus divinus, quia perfectiſsimus, & ſpecies intelligibilis omnium intelligibilium à ſe, & per ſe eſt determinatus vt pro caſu veritatis obiectivæ conditionalis de conſenſu nobis libero habeat ſcientiam contingentem, & ſtrictè mediam correſpondentem tali obiectivæ veritati, quod eſt formaliſsimè habere connexionem ſubiectivè abſolutam, & terminativè conditionatam cum ea ſcientia: ergo purificata conditione veritatis obiectivæ de conſenſu, à ſe, & per ſe exigit abſolutè ſcientiam contingentem, & ſtrictè mediam expreſsivam eiuſdem veritatis: ſiquidem à defectu ſcientiæ ſub purificatione caſus veritatis illius obiectivæ convinceretur defectus abſolutus intellectus divini. Quodnam ergo vrgentius fundamentum connexionis abſolutæ cum termino, quàm defectus abſolutus fundamenti connexionis ſub defectu termini?

27 Amplius firmatur. Eo modo eſt determinatus intellectus divinus ad ſcientiam contingentem, & ſtrictè mediam de conſenſu pro caſu veritatis obiectivæ conditionalis de conſenſu nobis libero, quo ſcientia contingens, & ſtrictè media de conſenſu ſub auxilio eſt determinata ad conſenſum pro caſu auxilij: ſed ſcientia contingens, & ſtrictè media de conſenſu ſub auxilio eſt abſolutè determinata ad conſenſum liberum ſub auxilio pro caſu auxilij: ergo intellectus divinus eſt abſolutè determinatus ad ſcientiam contingentem, & ſtrictè mediam ſub veritate obiectiva conditionali de conſenſu nobis libero pro caſu eiuſdem veritatis obiectivæ. Conſequentia recta eſt, & maior certa: Nam ſicut ſcientia contingens, & ſtrictè media de conſenſu trahit ſecum eſſentialiter, & metaphyſicè hanc veritatem conditionalem: *Si exiſtat auxilium, exiſtet con-*

consensus liber, ita intellectus divinus trahit secum essentialiter, & metaphysicè hanc veritatem conditionalem: *Si sit veritas obiectiva conditionalis de consensu libero creaturæ sub auxilio, sit scientia contingens, & strictè media de existentia consensus liberi creaturæ sub auxilio.* Minor probatur, ex conceptu ipso scientiæ strictè mediæ de consensu libero creaturæ sub auxilio, quæ, vtpotè essentialiter infalsificabilis, exigit etiam essentialiter existentiam consensus in casu auxilij, qua deficiente pro tali casu ipsa scientia deficeret, ne aliter falsificetur: igitur verum reputari debet, intellectum divinum ex se, & essentialiter determinatum subiectivè absolutè, & terminativè conditionatè ad scientiam cõtingentem, & strictè mediam de consensu, pro casu veritatis obiectivę conditionalis de consensu nobis libero esse terminativè absolutè determinatum ad eandem scientiam.

28 Supponi debet quintò: Quod licet in intellectu divino detur determinatio ad scientiam determinatam strictè mediam explicata sub terminis *subiectivè absolutæ*, & *terminativè conditionatæ*, nec non *subiectivè*, & *terminativè absolutæ* pro casu veritatis obiectivæ conditionalis determinatæ de conditionato nobis libero, tamen tota hæc determinatio, ac proinde actus primus intellectus divini secundùm se considerati est componibilis, tum cum determinata scientia strictè media de consensu, tum cum oppositio illius, & determinata scientia strictè media de dissensu. Ratio est clara: quia cum tota hæc determinatio intellectus divini fit per ordinem ad casum sibi contingentem veritatis obiectivæ conditionalis determinatæ, proindeque per ordinem ad casum, cum cuius defectu, & esse est comparibilis, pariter cum defectu, & existentia scientiæ strictè mediæ, & determinatæ est coniungibilis: etenim, vt ex terminis ipsis patet, quod componibile est cum existentia, & defectu casus, sub quo exigit aliquid essentialiter, per consequens componibile debet esse cum defectu, & existentia termini exacti sub tali casu, quando non aliter exigit terminum, quàm pro casus suppositione. Ex quo rursus fluit hanc propositionem: *Existit intellectus divinus, & existit defectus scientiæ determinatè strictæ mediæ de consensu* posse esse veram, & de facto est, quoties verificatur scientia strictè media, & determinata ei oppositi, scilicèt de dissensu, & sic è converso. Deinde hanc consequentiam: *Existit intellectus divinus*: ergo *existit scientia strictè media determinata de consensu*, non esse bonam, dum intellectus divinus solitariè consideretur, & sine coexistentia suo modo ad casum veritatis obiectivæ determinatæ, & conditionalis de consensu. Nam consequentia non est bona, quando antecedens non est determinatum ad consequens: sed antecedens illud intellectus divini tantùm est determinatum ad consequens Scientiæ mediæ strictè talis, & determinatæ de consensu quando coexistit veritati obiectivæ determinatæ, & conditionali de consensu: ergo secluſa ea coexistentia, consequentia illa non tenet.

29 Fluit vlterius: illum penès cuius liberam potestatem sit impedire, aut determinare veritatem obiectivam cõditionalem determinatam; v.g. de consensu, esse eum, penes cuius liberam potestatem etiam sit impedire, aut determinare intellectum divinum in ratione inferentis in actu secundo scientiam mediam strictè talem, & determinatam de consensu; necnon consequentiam illam memoratam: *Existit intellectus divinus*: ergo *existit scientia media strictè talis, & determinata de consensu.* Id clarum, & manifestum est: nam ille penes cuius liberam potestatem est determinare, aut impedire id, quo posito datur inferens in actu secundo aliquod consequens, & quo sublato, etiam removetur, aut impeditur inferens in actu secundo tale consequens, non distinguitur ab eo penes cuius liberam potestatem est impedire, aut determinare antecedens in ratione inferentis illud consequens, nec non consequentiam deductam ab existentia antecedentis ad existentiam consequentis: sed ille penes cuius liberam potestatem sit impedire veritatem obiectivam conditionalem determinatam de consensu est, penes cuius potestatem liberam etiam est determinare, aut impedire id, quo posito datur intellectus divinus in ratione inferentis in actu secundo Scientiam mediam strictè talem, & determinatam de consensu, & quo sublato removetur, aut impeditur idem intellectus divinus in ratione inferentis in actu secundo Scientiam mediam strictè talem, & determinatam de consen-

ſu, nec non conſequentiam deductam ab intellectu divino ad talem ſcientiam: ergo qui per ſuam liberam poteſtatem valet impedire, aut determinare veritatem illam obiectivam determinatam, poteſt etiam determinare, aut impedire intellectum divinum in ratione inferentis in actu ſecundo Scientiam mediam ſtrictè talem, & determinatam de conſenſu, ſicut & conſequentiam illam: *Exiſtit intellectus divinus*: ergo *exiſtit Scientia media ſtrictè talis, & determinata de conſenſu.*

30 Pro doctrina in hac duplici ſuppoſitione conſtituta, quam difficilem plus iuſto reputat aliqui Recentiores confugientes ad deficiliora, vt ſuas ponderationes fulciant, habenda præ oculis eſt vltra ſcientiam quamcumque ſtrictè mediam determinatam in qua, vt iam monuimus, omnia dicta notiſsimè inveniuntur, tendentia quævis divinæ voluntatis ſubiectivè abſoluta, & obiectivè conditionata, quæ iuxta omnium placitum, debet habere ſecum identificatam determinationem ſubiectivè abſolutam, & terminativè conditionatam ad conditionatum: deinde determinationem pariter ſecum identificatam ſubiectivè, & terminativè abſolutam pro caſu purificationis conditionis cum conditionato: quæ omnia benè componuntur cum eo, quod decretum tale conditionatum ſecundum ſe, & ſolitariè conſideratum, ſit componibile, tum cum exiſtentia conditionati, tum cum defectu illius: non aliter ac eſt componibile, tum cum exiſtentia conditionis, tum cum defectu illius. Vnde infertur, eum penes quem ſit poteſtas ad impediendam, aut determinandam exiſtentiam conditionis habere inſuper poteſtatem ad impediendum, aut determinandum tale decretum in ratione antecedentis in actu ſecundo ad conſequens: exiſtentiæ abſolutæ conditionati, non aliter ac ad impediendam, aut determinandam hanc conſequentiam: *Exiſtit hoc decretum*: ergo *abſolutè exiſtit hoc conditionatum, quod ſub hypotheſi reſpicit.*

31 Id videre licèt in hoc decreto conditionato: *Decerno conferre, Petro perſeverantiam finalem, ſi Paulus oret pro ipſo, vbi invenies determinationem* ſubiectivè abſolutam, & terminativè conditionatam ad perſeverantiam finalem Petri, quæ indiſtincta eſt ab eſſe tendentiæ eiuſdem decreti ex qua exigit eſſentialiter perſeverantiam Petri, ſi intercedant preces Pauli: invenies etiam determinationem ſubiectivè, & terminativè abſolutam ad perſeverantiam finalem Petri indiſtinctam ab eius infruſtrabilitate in decernendo, aliàs non benè valeret à defectu perſeverantiæ finalis ad defectum decreti ex ſtabilito principio: *Nihil deficit per defectum alterius, dum non exigit abſolutè exiſtentiam illius.* Invenies rurſus: Paulum penes cuius poteſtatem eſt fundere, & applicare preces pro perſeverantia finali Petri habere etiam ſub ſua poteſtate impedire, aut determinare decretum in ratione antecedentis in actu ſecundo ad conſequens, *Perſeverantiæ finalis Petri*, non ſecus ac conſequentiam iſtam: *Exiſtit decretum*: ergo *Petrus perſeverat finaliter.* Ad quem modum conſiderari poſſunt reliqua decreta conditionata, ſive de conditione libera creaturæ, ſive de conditione libera Deo, & in ipſis idem experimentum facere pro aſſertionibus, quas qui ægrè ferunt, nolunt conſiderare, vt ſic nolentes, ardenter ſaltem impugnent.

32 Ex his ſuppoſitionibus nota fiunt aliqua. Primum: quæſtionē noneſſe de determinativo formali intellectus divini ſic præ altero modo cognoſcentis conditionatè futurum; ſed de determinativo arguitivo per quod intellectus divinus in actu primo conſideratus, & provt potentia intellectiva eſt, determinatur ad actum ſecundum, & formalem huius Scientiæ ſtrictè mediæ; v.g. *conſenſus* præ altera *diſſenſus.* Secundum: de hoc determinativo arguitivè ſumpto, & quod ſit intellectus divini in actu primo conſiderati, vnum non eſſe quærendum extra divinum intellectum; alterum verò extra eundem eſſe deſiderandum: *vnum extra intellectum divinum non eſt quærendum*: ſcilicèt determinationem illam, quam ſubiectivè, & in ſe habet ad cognoſcendum quidquid cognoſcibile ſit eo modo, quo cognoſcibile ſit, quæ quidem determinatio, poſito caſu cognoſcibilitatis paſsivæ, & veritatis obiecti eſt ſubiectivè, & terminativè abſoluta ad Scientiam tali obiecto proportionatam. Quærendum verò alterum extra divinum intellectum ſcilicèt, illud, per ordinem ad quod tanquam ſibi contingens intellectus divinus reddatur ſubiectivè, & terminativè abſolutè determi-

na-

natus ad hanc Scientiam mediam strictè talem, & determinatam, quæ defacto datur, & de hoc resolvendum, quale illud sit, & quomodo comparetur tum ad divinum intellectum, tum ad Scientiam, quæ in ipso defacto existit, pro cuius enodatione.

33 Sit prima conclusio. Veritas ipsa obiectiva futuri conditionati nobis liberi in consideratione determinationis physicæ est determinativum *quo* Scientiæ mediæ strictè sumptæ, quæ defacto datur. Tres partes continet assertio, quæ seorsim veniunt probandæ. Prima est: *esse determinativum*: secunda: *habere rationem determinativi quo*: Tertia: *id contingere in consideratione determinationis physicæ*. Probatur prima pars. Illud est determinativum Scientiæ strictè mediæ, quæ defacto existit, quod, cum sit inseparabile metaphysicè à Scientia, provt taliter inseparabile, intelligitur aliquo modo propriori ad Scientiam: sed veritas ipsa obiectiva futuri conditionati nobis liberi, & est inseparabilis metaphysicè à Scientia strictè media, quæ defacto datur, & aliquomodo pro priori ad eandem Scientiam, provt sic inseparabile intelligitur: ergo veritas ipsa obiectiva futuri conditionati nobis liberi est determinativum Scientiæ strictè mediæ, quæ defacto datur. In discursu recto, sola minor videtur indigere probatione, quæ sic probatur. In primis veritas ipsa obiectiva futuri conditionati nobis liberi est metaphysicè inseparabilis à Scientia sibi correspondente: cum sit metaphysicè connexa cum perfectione divini intellectus exigentis metaphisicè cognitionem proportionatam cognoscibilitati passivæ cuiusvis obiecti. Deinde intelligitur aliquomodo pro priori ad eam Scientiam, quæ defacto datur, nimirùm expediendo actum primum intellectus divini, vt prodeat in actum secundum Scientiæ proportionatæ obiecto, est enim casus obiectivus pro quo intellectus divinus exigit metaphysicè habere talem Scientiam: ergo veritas ipsa obiectiva futuri conditionati nobis liberi, & est metaphysicè inseparabilis à Scientia strictè media, quæ defacto datur, & aliquo modo pro priori ad ipsam intelligitur.

34 Confirmatur. Potentia intellectiva divina, provt suo modo distincta à divina voluntate ex conceptu formali sui non aliter procedit ad actum secundum, sibi correspondentem, nisi provt determinata in actu primo ad eundem actum secundum & Scientiam, qua defacto cognoscit: ergo prius intelligi debet intellectus divinus determinatus ad Scientiam, quam defacto habet, quàm intelligatur cognoscens in actu secundo per eandem Scientiam: ergo id sine quo intellectus divinus non intelligitur determinatus ad Scientiam mediam strictè talem, quam defacto habet, prius etiam debet intelligi, quàm intelligatur actus secundus eiusdem Scientiæ: Sed id sine quo non intelligitur intellectus divinus determinatus ad Scientiam mediam, quæ defacto existit, est ipsum obiectum, quod per talem Scientiam repræsentatur: ergo obiectum ipsum per Scientiam mediam repræsentatum, cum aliunde sit determinatum metaphysicè ad talem Scientiam, debet aliquomodo intelligi pro priori ad ipsam scientiam tanquàm quid pertinens ad actum primum divini intellectus, quod formalissimè est habere rationem determinativi respectu Scientiæ.

35 Rursus confirmari, & explicari potest. Scientia media strictè talis, quæ defacto in Deo existit, non intelligitur ex parte actus primi intellectus divini, vel vt quid determinans ipsum ad actum secundum sui ipsius, alias actus primus confunderetur cum actu secundo: insuper intellectus divinus, nisi aliud intelligatur, non invenitur in actu primo determinatus ad Scientiam mediam strictè talem, quæ defacto existit; ergo aliquid aliud vltra Scientiam necessarium est ad hanc determinationem: sed hoc aliud non est, nisi ipsum esse obiectivum futuri conditionati nobis liberi: ergo istud habet ex vna parte rationem determinationis ad Scientiam propter inseparabilitatem metaphysicam ab illa, & ex alia habet præcedentiam ad eandem: cum sit id sine quo actus primus intellectus divini non intelligitur determinatus ad cognoscendum eo modo, quo defacto cognoscit: ac per consequens tale obiectum habet rationem determinativi respectu Scientiæ strictè mediæ, quæ defacto in Deo existit.

36 Probatur secunda pars de determinativo *quo*. Id quod secundum suum esse obiectivum se habet, vt purè expeditivum alterius determinationis

ad

ad Scientiam mediam ſtrictè talem, quæ defacto datur, quamque exiſtentem indepẽdenter à ſe præſupponit, eſt tantùm determinativum *quo* ſcientiæ ſtrictè mediæ, quæ defacto datur: ſed veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi eſt id, quod ſecundum ſuum eſſe obiectivum ſe habet, vt purè expeditivum alterius determinationis ad Scientiam mediam ſtrictè talem, quæ defacto datur, quamque exiſtentem independenter à ſe præſupponit: ergo veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi eſt determinativum tantùm *quo* Scientiæ mediæ ſtrictè ſumptæ, quæ defacto datur. Mai. ſi alicui ſit difficilis, facilè oſtenditur, ex eo, quod expeditivum alterius determinationis prę ſuppoſitæ, vt in actu ſecundo ſit inſeparabilis à Scientia, quæ defacto exiſtit, debet reputari tanquam exercitium illius determinationis, & ideò non ſuſcipere rationem determinativi; verum purè, & præcisè illius quo aliud eſt determinativum, non ſecus ac exercitium actuale producentis non dicitur producens, *vt quod*; ſed producens, vt *quo*, & vnio, qua expeditur albedo ad communicandum ſuum effectum formalem ſubiecto non dicitur *dealbativum*, vt *quod*, vt competit albedini; ſed *dealbativum, vt quo, & per modum exercitij* formæ dealbantis.

37 Probatur min. Veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi eſt caſus obiectivus, quem reſpicit determinatio ſubiectiva intellectus divini, vt in actu ſecundo ſit inſeparabilis à Scientia media ſtrictè tali, quæ defacto datur, ita taliter, vt tota determinatio abſoluta, & inſeparabilitas actualis à Scientia, quæ defacto exiſtit, ſit identica eidem intellectui divino, vt manet expoſitum in notabilibus, nec aliud expoſcat dicta determinatio, niſi ipſum obiectum, vt caſum ſibi contingentem, pro quo ſemper habuit determinationem, vt convincunt exempla ibi etiam adducta: inſuper hæc determinatio intellectus divini præcedit eſſe obiectivum futuri conditionati nobis liberi eo genere præcedẽtię, quo neceſſaria, vt eſt intellectus divinus, præcedunt contingentia, vt eſt futurum conditionatum nobis liberum, hoc eſt in ſubſiſtendi conſequentia: nam benè valet: *Eſt futurum tale conditionatum nobis liberum: ergo eſt intellectus divinus*: ſecus: *eſt intellectus divinus: ergo eſt ſuo modo tale futurum conditionatum nobis liberum determinatè ſumptum*: ſed id, quod ſe habet, vt purus caſus obiectivus reſpectus à determinatione aliundè adæquatè conſtituta, & præſuppoſita, vt in actu ſecundo reddatur inſeparabilis à termino Scientiæ ſtrictè mediæ defacto exiſtentis, ſe habet etiam ſecundum ſuum eſſe, vt purè expeditivum alterius determinationis ad Scientiam mediam ſtrictè talem, quæ defacto datur, quamque exiſtentem independenter à ſe ſupponit: ergo veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi eſt id, quod ſecundum ſuum eſſe obiectivum ſe habet, vt purè expeditivum alterius determinationis ad Scientiam mediam ſtrictè talem, quæ defacto datur, quamque exiſtentem indepenſenter à ſe ſupponit.

38 Confirmatur. Veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi ſe habet comparativè ad intellectum divinum in ordine ad Scientiam ſibi correſpondentem, ſicut purificatio hypotheſis in ordine ad decretum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum, reſpectivè ad conditionatum ſub hypotheſi: ſed purificatio conditionis in ordine ad decretum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum comparatum cum conditionato ſub hypotheſi ſe habet purè, *vt quo* in determinando ad conditionatum: ergo veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi ſe habet determinativè purè, *vt quo* reſpectu intellectus divini comparati ad Scientiam eidem futuro correſpondentem. Conſequentia recta eſt, ſi præmiſſæ conſtent, quarum mai. probatur. Ex eo, quod veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi ſe habeat etiam, vt hypotheſis, & caſus obiectivus, ſub quo determinatio intellectus divini ad cognoſcendum quidquid cognoſcibile eſt, exigit abſolutè Scientiam proportionatam veritati illi obiectivæ: ergo eodem modo ſe habet veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi comparativè ad divinum intellectum in ordine ad Scientiam ſibi correſpondentem, ſicut purificatio conditionis, & hypotheſis in ordine ad decretum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum reſpectivè ad conditionatum ſub hypotheſi. Deinde minor. Purificatio hypotheſis in ordine ad decretum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum comparatum cum conditionato ſub hypotheſi, nihil præbet determinatio-

tionis decreto ad conditionatum: cum ipsum decretum identicè per se habeat determinationem ad conditionatum sub purificatione conditionis, cuius exsistentiam, quia ex se ab illa præscindit, taliter, vt cum defectu illius sit componibile, exigit, vt determinationem propriam expediat, & constituatur in exercitio determinandi absolutè conditionatum, & habendi inseparationem metaphysicam ab ipso: sed id est se habere purè, *vt quo* in ordine ad decretum subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum comparatum cum conditionato sub hypothesi quoad determinationem ad conditionatum: ergo purificatio conditionis in ordine ad decretum subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum comparatum cum conditionato sub hypothesi se habet determinativè purè, *vt quo* in determinando ad conditionatum.

39 Probatur tertia pars *de determinatione physica*: quia determinationem *physicam* in præsenti accipimus provt contraponitur determinationi *liberæ*, id est, in quantum determinatio ad Scientiam non est exercitium liberum per cuius liberam positionem liberè determinatur Scientia strictè media, quæ defacto existit; & per cuius liberam impeditionem liberè impediatur Scientia strictè media, quæ defacto existit: sed veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi consideratur, & est determinativum purè, *vt quo* Scientiæ strictè mediæ, quæ defacto existit per ordinem ad determinationem intellectus divini, quæ, vtpote ipsi necessaria nulli subest libertati, sivè divinæ, sivè creatæ, quoad suam determinationem, & impeditionem: ac proinde de linea purè physica iurè debet reputari: ergo ratio determinativi, *vt quo* competens veritati obiectivæ futuri conditionati nobis liberi respectu Scientiæ mediæ strictè talis est ratio determinativi in consideratione *determinationis physicæ*. Explicatur. Ratio determinativi induit conditionem determinationis per ordinem ad quam dicitur determinativum: sed veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi dicitur determinativum *quo* per ordinem ad determinationem intellectus divini, quæ cum libera, nec Deo, nec creaturæ vllo modo sit, duntaxat meretur considerationem physicam: ergo ratio determinativi, *vt quo* propria veritatis obiectivæ futuri conditionati nobis liberi sub eadem consideratione physica debet contineri.

40 Inferes: ex hac assertione in consideratione, & linea determinationis *physicæ* vnicum determinativum *quod*, ac proinde principalissimum quoad Scientiam strictè mediam, quæ defacto existit, esse intellectum divinum. Ratio est: quia in prædicta consideratione solus intellectus divinus est, qui determinat per determinationem independentem à libertate, sivè divina, sivè creata in existendo, cum aliunde, quidquid, vt exercitè determinet, debeat intelligi, videlicèt, veritas ipsa obiectiva futuri conditionati nobis liberi ex vna parte sit in se quid liberum voluntati creatæ, cuius exercitium dicitur, & ex altera sit purus casus respectus à determinatione physica, vt inferat absolutè Scientiam strictè mediam, quæ defacto datur: vnde solum sibi arrogat rationem determinativi *quo*, & *expeditivi* determinationis non liberæ, quæ residet in intellectu divino, qui propterea dicendus venit vnicum determinativum *quod* in consideratione physica: necnon principalissimum in eadem linea. Accipe brebius illationis fundamentum. Id, quod in consideratione physica taliter est determinativum ad Scientiam, vt quidquid extra ipsum ad determinandum intelligitur, vel pertinet ad aliam lineam, vel quamvis ad eandem pertineret, non constituit determinationem, cum sit purus casus, sub quo determinatio respicit absolutè terminum Scientiæ, est vnicum determinativum *quod* in consideratione *physica*, & est principalissimum determinativum in eadem linea: sed intellectus divinus in consideratione physica taliter est determinatus ad Scientiam mediam, strictè talem, quæ defacto datur, vt quidquid extra ipsum ad determinandum intelligitur, vel pertinet ad aliam lineam, vt pertinet veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi, quod de linea libertatis est, vel quamvis ad eandem pertineret, non constituit determinationem: cum sit purus casus, sub quo determinatio propria intellectus divini respicit absolutè terminum Scientiæ: ergo, & est vnicum determinativum *quod* in consideratione *physica*, & est principalissimum determinativum in eadem linea.

41 Favent exempla adducta de-

no-

nominationum *producentis*, & *dealbantis*, quæ repetere non eſt otioſum: ibi enim cauſa, aut *producens* requirit actionem ad ponendum terminum: & *albedo* requirit vnionem ad tribuendum effectum formalem *albi*: nec propterea cauſa, aut *producens* deſinunt eſſe vnicum cauſans, aut producens, *vt quod*, ſicut, & albedo vnicum dealbans, *vt quod*, & vtrumque principaliſsimum quoad munus producendi, & dealbandi. Cuius ratio eſt: quia licèt cauſans, & producens per ſe non ſufficiant ad cauſandum, & producendum, ſicut nec albedo per ſe ſufficiat ad dealbandum, etenim indigent actione, & vnione, vt terminus ſit in actu productus, aut cauſatus, & vt ſubiectum in actu ſit dealbatum, tamen quia id, quod vltra requiritur, nec confert virtutem cauſæ, aut principio, nec conſtituit formam dantem effectum formalem; ideo nec impediunt, quod cauſa, & principium ſint vnicum cauſans, & producens, *vt quod*, & quod forma dealbans ſit vnicum *dealbans*, *vt quod*, id eſt, vnicũ, quod præſtat effectum formalem albi, ſicut, & principaliſsima in linea cauſandi, & producendi, & dealbandi, quamvis actio iure dicatur producens, aut cauſans *quo*, & vnio non immeritò etiam aſſeratur dealbans, & tribuens effectum formalem albi, *vt quo*, in quantum ſunt exercitia, vi quorum expediuntur, & reducuntur ad actum ſecundum cauſandi, & producendi cauſa, & principium, & actum ſecundum dealbandi, & exercendi ſuam formalem cauſalitatem forma dealbatiba. Idem videre licet in diſpoſitionibus comparatis cum virtute productiva, & in approximatione ad paſſum, quam requirit agens, vt in paſſo producat.

42 Secunda concluſio. Veritas obiectiva futuri in conſideratione determinationis *liberæ*, & in hoc ſenſu *moralis* eſt vnicum determinativum *quod*, & in eadem linea principaliſsimum. Probatur. Id quod vnicè determinat, vt exercitium liberum ad Scientiam ſtrictè mediam quæ defacto datur, & vt determinet, non indiget alio, vt libero, vlteriuſque id ipſum, quo indiget, ſe habet, vt pura applicatio ad determinandum actualiter, & in actu ſecundo, & eſt determinativum in conſideratione determinationis liberæ, & in eodem ſenſu *moralis*, & in eadem linea, & conſideratione eſt vnicum determinativum *quod*, & principaliſsimum: ſed veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi vnicè determinat ad Scientiam ſtrictè mediam, quæ defacto datur, tanquam exercitium liberum, quod, vt determinet, non indiget alio, vt libero: vlteriuſque id ipſum, quo indiget, ſe habet, vt pura applicatio ad determinandum actualiter, & in actu ſecundo: ergo veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi in conſideratione *determinationis liberæ*, & in hoc ſenſu *moralis* eſt vnicum determinativum *quod*, & in eadem linea principaliſsimum. Mai. vndequaque appareret certa. Nam quod vnicè determinat, vt *exercitium liberum* non poteſt non eſſe determinativum in ea conſideratione, & deinde cum non egeat alio, vt libero ad determinandum non poteſt non eſſe rectum in determinando ſub tali conſideratione, ac proinde determinativum *quod vnicum*, cui ſi adiungatur indigentia alterius per modum applicationis ad exercitium actuale, & actum ſecundum determinandi, relinquet ipſum in ratione determinativi *principaliſsimi*.

43 Probatur igitur min. Veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi in primis determinat ad Scientiam ſtrictè mediam, quæ defacto exiſtit in Deo, vt manet probatum in prima concluſione, cum ex vna parte ſit metaphycè connexum cum Scientia ſtrictè media ſibi proportionata, & aliàs præcedat ad eandem, vt quid expediens actum primum intellectus divini in ratione determinati ad Scientiam ſtrictè mediam correſpondentem veritati obiectivæ conditionatæ, quæ defacto ſuo modo datur: inſuper id exercet tanquam quid vnicè liberum: nam præter veritatem obiectivam futuri conditionati nobis liberi nihil aliud liberum intercedit, vnde Scientia media ſtrictè talis ſit, & verè denominetur liberè determinabilis, ſicut per eius oppoſitum libere impedibilis: etenim quidquid vltra veritatem ipſam obiectivam futuri iſtius inveniatur determinatum ad Scientiam, & cum illa connexum, eſt intellectus divinus per ſe in exiſtendo neceſſariſsimus, ac proinde excludens erga ſe omnem liberam determinationem, & impeditionem in exiſtendo: quare in conſideratione determinationis *liberæ*, & *moralis* eſt vnicum quod determinat, & quidem *in recto*, & *vt quod*.

De-

Denique, quamvis veritas obiectiva futuri conditionati requirat ipsum intellectum divinum, vt ex se determinatum ad scientiam, & cognitionem omnis illius, quod in se cognoscibile est, id tamen requirit, vt applicatio, & expeditio quædam propriæ determinationis, quam habet in ratione exercitij liberi: nam sicut comparatur veritas obiectiva futuri conditionati cum determinatione intellectus divini in consideratione determinativi *physici*, ita comparatur intellectus divinus cum veritate in ratione determinativi *liberi*, & *moralis*: sed veritas obiectiva in prima illa consideratione comparatur ad intellectum divinum, vt determinativum *quo*: ergo intellectus divinus in hac consideratione comparatur ad veritatem obiectivam tanquam determinativum *quo*. Vnde deducitur vltima pars probanda in minore: nimirum principalitas in ratione determinativi secundum dictam considerationem. Nam quando duo concurrunt ad determinandum aliquid, vnum in *recto*, & vt *quod*, alterum verò in *obliquo*, & vt *quo*, illud sibi apropriat principalitatem in determinando, quod exercet determinationem in *recto*, & vt *quod*, vt ex ipsis terminis proponitur manifestum: ergo veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi vnicè determinat ad Scientiam strictè mediam, quæ defacto datur tanquam exercitium liberum, quod, vt determinet, non indiget alio, vt libero: insuperque id ipsum, quo indiget, se habet, vt pura applicatio ad determinandum actualiter, & in actu secundo.

44 Præsioribus, & strictioribus terminis proponi potest eiusdem minoris probatio sub hac forma. Veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi, & est connexa metaphysicè cum Scientia strictè media sibi correspondente, & existit aliquomodo pro priori ad ipsam: ergo est determinativum: vlterius in ratione exercitij liberi nihil aliud præter ipsum determinat, & taliter determinat, vt ipsi debeatur libera determinatio Scientiæ: ergo in tali consideratione est vnicum determinativum *quod*. Postremò determinatio intellectus divini requisita ad determinationem Scientiæ in consideratione determinationis *liberæ*, & *moralis* est quædam applicatio determinationis, quæ in eadem consideratione est in veritate obiectiva: ergo est determinativum principalissimum in eadem linea: conveniunt ergo veritates obiectivæ futuri conditionati nobis liberi in consideratione determinationis *liberæ*, & *moralis*, & esse vnicum determinativum *quod*, & esse principalissimum.

45 Probatur secundo: Id, quod vnicè liberè positum est id, quod vnicè liberè determinat existentiam Scientiæ strictè mediæ, & quæ defacto datur, & vt vnicè liberè impeditum, vnicè liberè impedit eandem Scientiam, est id, cui iurè competit ratio determinativi, vt *quod* in ratione determinationis liberæ, etsi quid aliud ad eandem determinationem est requisitum in eius conspectu iure etiam dicitur determinativum *principalissimum*: sed veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi est id, quod vt vnicè liberè positum, vnicè liberè determinat existentiam Scientiæ strictè mediæ, quæ defacto datur, & vt vnicè liberè impeditum, vnicè liberè impedit eandem Scientiam: ergo in tali consideratione, & est determinativum *quod* vnicum, & in comparatione cuiuscumque alterius requisiti est principalissimum. Mai. ex ipsa terminorum acceptione patet. Prob. min. Veritas obiectiva dicta futuri, & est quid vnicè liberè positum, cum in determinatione Scientiæ mediæ strictè talis nullum aliud liberè positum intercedat: deinde, vt vnicè liberè positum est fundamentum connexionis metaphysicæ cum eadem Scientia, & provt tale existit pro priori ad ipsam Scientiam, nec non est terminus connexionis metaphysicæ eiusdem Scientiæ: sed id, quod, vt vnicè liberè positum est fundamentum connexionis metaphysicæ cum Scientia, & provt tale existit pro priori ad Scientiam: insuperque est terminus connexionis metaphysicæ eiusdem Scientiæ, est id, quod, vt vnicè liberè positum, vnicè liberè determinat existentiam Scientiæ strictè mediæ, quæ defacto datur, & vt vnicè liberè impeditum, vnicè liberè impedit eandem Scientiam: ergo veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi, & est id quod, vt vnicè liberè positum, vnicè liberè determinat existentiam Scientiæ strictè mediæ, quæ defacto datur, & vt vnicè liberè impeditum vnicè liberè impedit eandem Scientiam.

46 Probatur hæc vltima minor: siquidem, libera positio fundamenti con-

connexionis metaphyſicæ cum aliquo extremo in ſigno, quo non præſuponitur determinatum tale extremum, eſt libera determinatio eiuſdem extremi; ſicut, & libera impeditio termini connexionis metaphyſicè alicuius extremi in ſigno, quo non præſupponitur impeditum tale extremum, eſt libera impeditio eiuſdem extremi: ergo vnica liberè poſitio fundamenti connexionis metaphyſicæ cum aliquo extremo in ſigno, quo non præſupponitur determinatum tale extremum, eſt vnica libera determinatio eiuſdem extremi, ſicut, & vnica libera impeditio termini connexionis metaphyſicæ alicuius extremi in ſigno, quo non præſupponitur impeditum tale extremum, eſt vnica libera impeditio eiuſdem extremi: ſed id, quod vt vnicè liberè poſitum eſt fundamentum connexionis metaphyſicæ cum Scientia, & provt tale exiſtit pro priori ad Scientiam, inſuperque eſt terminus connexionis metaphyſicæ eiuſdem Scientiæ, eſt id, cuius vnica libera poſitio eſt vnica libera determinatio; & cuius vnica libera impeditio eſt vnica libera impeditio Scientiæ: ergo id, quod vt vnicè liberè poſitum, eſt fundamentum connexionis metaphyſicæ cum Scientia, & provt tale exiſtit pro priori ad Scientiam: inſuperque eſt terminus connexionis metaphyſicæ eiuſdem Scientiæ, eſt id etiam quod, vt vnicè liberè poſitum, vnicè liberè determinat exiſtentiam Scientiæ ſtrictè mediæ, quæ defacto datur; & vt vnicè liberè impeditum, vnicè liberè impedit eandem Scientiam.

47 Confirmatur, & explicatur. Hæc propoſitio eſt vera: *Scientia hæc ſtrictè media, quæ defacto datur*; v.g. *de conſenſu nobis libero ſub auxilio, & libertate determinata, eſt vnicè determinata liberè per exiſtentiam conditionatam conſenſus ſub auxilio*: ergo loquendo de eadem Scientia media rurſus eſt vera hæc propoſitio: *Exiſtentia conditionata conſenſus ſub auxilio, & libertate determinata, eſt id, quod vnicè liberè determinat Scientiam hanc ſtrictè mediam, quæ defacto datur*; v.g. *de conſenſu nobis libero ſub auxilio, & libertate determinata*. Id clarum fit, ex eo, quod veritas illius paſsivæ ſecum afferat neceſſariò veritatem huius activæ: at vnicè conſenſum conditionatum ſub auxilio, & libertate determinata eſſe id, quod liberè determinat Scientiam ſtrictè mediam, quæ defacto datur, formaliſsimè eſt veritatem obiectivam futuri conditionati nobis liberi in conſideratione determinationis *liberæ*, ſeu *moralis* eſſe vnicum determinans *quod* Scientiæ, quæ defacto datur, ſicut, & omne aliud ad ipſam determinationem interveniens minus principaliter ſe habere in determinando: ergo veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi in conſideratione determinationis *liberæ*, & in hoc ſenſu *moralis* eſt vnicum determinativum *quod* Scientiæ ſtrictè mediæ, quæ defacto datur, & in eadem conſideratione principaliſsimum.

48 Hinc videas: Scientiam ſtrictè mediam duntaxat eſſe liberè determinabilem, & impedibilem per libertatem creatam. Ratio illationis eſt clara: quia per illam ſolam libertatem eſt determinabilis & impedibilis libere Scientia ſtrictè media, quæ ſola poteſt liberè determinare exercitium illud liberum per cuius poſitionem immediatè determinatur, aut per cuius ablationem immediatè impeditur: ſed ſola libertas creata valet id facere; cum ſoli libertati creatæ competat determinare liberè veritatem illam conditionalem obiectivam; v.g. conſenſus ſub auxilio, aut liberè impedire eandem, à cuius poſitione immediatè determinatur, & à cuius ablatione immediatè impeditur: Deo enim tantùm liberum eſt determinare, aut impedire hypotheſim illius veritatis obiectivè conditionalis, in qua conſiſtit ratio futuri conditionati nobis liberi: quomodo nec per poſitionem hypotheſis poteſt ponere liberè immediatum determinativum Scientiæ ſtrictè mediæ, cum hæc, vt exiſtat, non indigeat purificatione hypotheſis, & inſuper præſuponatur ad purificationem hypotheſis, vt quid præſcindens ab eius exiſtentia, & defectu: nec per impeditionem hypotheſis poteſt liberè auferre immediatum requiſitum eſſentiale Scientiæ ſtrictè mediæ: cum hæc non exigat eſſentialiter purificationem conditionis, vt firma perſiſtat, qualiter videre eſt in omnibus conditionalibus obiectivis veritatibus de conditione, ſeu hypotheſi non purificanda: ergo ſoli libertati creatæ convenit liberè determinare, & liberè impedire Scientiam ſtrictè mediam, ſcilicèt mediatè, & ratione obiectivæ veritatis futuri conditionati nobis liberi, quæ per ſui poſitionem immediatè obiectivè determi-

minat, & per sui exclusionem immediatè obiectivè impedit.

49 Tertia conclusio. Omnibus pensatis dicendum est; *Deum habere in se principalissimum determinativum cuicumque alij præferendum Scientiæ strictè mediæ, quæ defacto existat, quæcumque illa sit.* Probatur. Deus in se habet determinativum pluribus, & æstimabilioribus titulis concurrens ad determinandum præ omni alio à se distincto in eandem determinationem concurrente: ergo omnibus pensatis dicendum est; Deum habere in se principalissimum determinativum cuicumque alij præferendum Scientiæ strictè mediæ, quæ defacto existat, quæcumque illa sit. Probatur antecedens. Deus habet in se determinativum *quod* in consideratione determinationis *physicæ*, vt manet probatum in prima conclusione: deinde habet in se determinativum formale, cum identicè habeat ipsam determinatam Scientiam mediam strictè talem, quæ defacto existit, vt etiam probavimus in hoc tract. disp. 3. & 4. in quibus non modò realem simpliciter, verùm, aut ex natura rei formalem, aut virtualem intrinsecam distinctionem cum essentia divina ab actibus etiam contingentibus intellectus, & voluntatis, exclusimus. Vnde cum ipsa Scientia sit formalissimum determinativum sui ea ipsissima ratione, qua per se formaliter existit, necesse est, Deum habentem in suo esse Scientiam, habere propterea in suo esse formale determinativum. Rursus in consideratione determinationis *liberæ*, & in hoc sensu *moralis* habet in se determinativum *quo*, vt liquet ex secunda conclusione: nec non in eadem consideratione habet determinationem, vt determinativum *quod* non aliter possit intelligi, quam dependens ab ipso Deo, pro modo, quo habet esse in se tale determinativum, vt patet ex eo, quod omne contingens, quale est veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi, quam diximus determinativum *quod* in tali consideratione, debeat habere tum ex exigentia divinæ perfectionis, tum ex subiectione propria ad primam causam talem dependentiam in suo esse, vt si sit absolutè, *absolutè*; si verò conditionatè, *conditionatè* debeat intelligi exercitium aliquod Dei; sicut, & influxus, aut positivus, aut negativus, aut permissivus pro conditione termini contingentis.

50 Sed hoc est Deum habere in se determinativum pluribus, & æstimabilioribus titulis concurrens ad determinandum præ omni alio à se distincto in eandem determinationem concurrente: ergo Deus habet in se determinativum pluribus, & æstimabilioribus titulis concurrens ad determinandum præ omni alio à se distincto in eandem determinationem concurrente. Probatur hæc minor. Nam quidquid sit: an facta comparatione in vno, aut altero titulo comparato in singulari cum determinatione, quæ extra Deum datur, non appareat excessus ex parte Dei; imò si velis, aliquis sit excessus ex parte veritatis obiectivæ: insuper si comparatio fiat inter determinativum *quod*, & *quo* ex parte Dei, & determinativum *quod*, & *quo* ex parte veritatis obiectivæ appareat æqualitas, concurrente vtraque ratione determinativi, tàm in Deo; quam in obiectiva veritate futuri conditionati nobis liberi, nihilominus, si attendatur complexum rationum, quæ sunt ex parte Dei ad determinandam Scientiam, longè superant complexum rationum, quæ dantur ex parte veritatis obiectivæ futuri dicti conditionati ad eandem determinationem, cum deficiat ex hac parte titulus identitatis cum determinatione formali, & Scientia, & titulus excellentiæ per quam sibi reddit omnia alia secunda, & limitata in existendo subiecta, qui militant ex parte Dei: igitur Deum se habere modo explicato in determinanda Scientia media strictè tali, quæ defacto datur, est habere in se determinativum pluribus, & æstimabilioribus titulis concurrens ad determinandum præ omni alio à se distincto in eandem determinationem concurrente.

51 In hunc modum discurrendi, & explicandi determinativum Scientiæ mediæ strictè talis me induxit paritas discretionis Prædestinati à Reprobo, de qua nos tract. de Prædestinat. tom. 2. disput. 19. cap. 4. 5. & 6. vbi cum communi nostrorum, & à maioribus accepta doctrina exposuimus, quod licèt in discernendo Prædestinatum à Reprobo, tàm in actu primo; quàm in actu secundo non

non sit negandus aliquis influxus proprius, & principalis iam purè effectivus, iam electivus, & liber purè negativus, in quantum possit impedire; licèt non valeat determinare; iam electivus, & liber positivus, in quantum aliquam discretionem non tantùm valet liberè impedire; verùm liberè determinare; tamen quia pensatis omnibus capitibus, vnde discretio provenit, plura sunt pro Deo; quàm pro creatura, dignioraque sunt complexivè sumpta, quidquid sit de comparatione aliquorum in particulari, quæ considerantur ex parte Dei; quàm quæ considerantur ex parte creaturæ: ideò dicitur tenere primas in discernendo, eique deberè tribui principalissimum influxum, ex quo absolutissimè proclamatur discernens, vt fecit Apostolus 1. ad Corinth. 4. ibi: *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis*, quod plus vrget loquendo in particulari de discretione in actu secundo eiusdem prædestinati, de quo dicitur esse vnicam causam liberè immediatè determinantem discretionem in actu secundo, sicut, & actum ipsum supernaturalem & meritorium, à quo discretio ipsa non distinguitur; nec verò, quia in hac determinata linea prædestinatus sibi arroget principalitatem discernendi, tollit, quod Deus omnibus inspectis veniat inter appellandus principalissimus in discernendo adhùc in actu secundo prædestinatum à reprobo.

52 Ad cuius normam præsentia regulantes expositis omnibus titulis hinc, & illinc ad determinandam Scientiam strictè mediam, id est ex parte Dei, & ex parte veritatis obiectivæ ipsius futuri conditionati respecti per eandem Scientiam, resolvimus Deo esse concedendam primariam, & principalissimam determinationem ob complexum motivorum ostendentium, præstantiam in determinando stare pro Deo, quamvis veritati obiectivæ futuri conditionati non sit deneganda principalitas in determinando, sicut, & proprietas etiam omnibus pensatis, & attento aliquo speciali capite in particulari sit concedendus excessus, quomodo in consideratione determinationis *liberæ*, & *moralis* tribuimus veritati obiectivæ rationem determinativi *quod*, & *principalissimi*, Deo se habente in eadem consideratione, velut determinativum *quo*, & minus principale. Quæ omnia benè, & absque repugnantia vlla cohærere in difficultate nunc versata necesse est, si in difficultate simili de discretione benè sint composita, qualiter benè componi ibi pro viribus conati sumus ostendere. Renoventur si placet, vt hæc, quibus accommodantur, maiorem lucem accipiant.

53 Propter eandem consequentiam, & vniformem procedendi modum videtur dicendum, nunquam esse absolutè, & sine restrictione proferendum: *Veritatem obiectivam futuri conditionati nobis liberi esse determinativum Scientiæ mediæ strictè talis*: sicut nec de voluntate creata esse, *Agens determinans eandem Scientiam*; at semper modificandam, & restringendam esse talem assertionem sub expressis modificationibus in conclusionibus præmissis; non autem sic loquendo de Deo, aut intellectu divino, de quo pleno ore dici valet, aut *esse determinativum*, aut *determinare Scientiam mediam strictè talem*, propter excessum illum in determinando, ex quo simpliciter, & absque temperatione vlla tribui ipsis valet determinatio, licèt post in obviando difficultatibus occurrentibus, opus sit pro solutione earum vti aliqua distinctione, ex qua manifestum fiat vniversalissimum illum, & non restrictū modum proferendi non impedire strictam determinationem, tum in veritate obiectiva futuri, tum in voluntate creata, à qua liberè, & electivè procedit idem futurum.

54 Nec novum hoc; verùm vsurpatum ab Apostolo Paulo ad Rom. 9. absolutè proferente: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*; propter excessum illum, quo nostra bona opera, & salutaria sunt à Deo: adeò, vt quidquid nos conferimus ad ipsa, quasi nihilum reputari debeat comparativè ad ea, quæ Deus præstat in nostrum bonum consensum. Nec ideò propositio tam absoluta excludit, dum læsio nostræ libertatis objicitur ex eo, quod si totum est Dei, nihil sit nostri: ac proinde nostrum arbitrium liberum perit, esse tunc adhibendam explicationem, & modificationem aliquam modo illi vniversalissimo, & exclusivo: *Non est volentis, neque currentis*, vnde ostendatur,

non

non esse tam cœco modo, & sine sale accipiendum, vt non permittat proprietatem aliquam influxus in volente, & currente, ex quo sano modo, sibi possit tribuere bonum opus; vt factum ex divina gratia, & vt collatum in virtute illius, simul accedente concursu immediato; & per se Dei ad tale bonum opus, vt nos docet idem Apostolus ad Corinth. 2. *Nam etsi voluero gloriari, non ero insipiens*; & post: *libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis.* Et cap. 15. *Gratia Dei sum id, quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit; sed abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem; sed gratia Dei mecum*, & alibi passim. Quæ explicans, & componens Anselmus super verba citata ad Rom. 9. inquit: *Non est volentis, neque currentis, &c. licèt iustitia servetur per liberum arbitrium, non tamen tantùm est imputandum libero arbitrio, quantum gratiæ, quoniam illam liberum arbitrium non nisi per gratiam præ venientem, & subsequentem habet, & servat.* Pariter Nazianzenus ad eadem verba orat. 31. *Ita quoniam velle quoque ipsum à Deo est, optimo iure totum Deo assignavit.*

55 Sic forsan sedabitur, aut penitus extinguetur controversia olim excitata inter gravissimos Magistros nostros super determinatione, & impeditione Scientiæ mediæ strictè talis. Mordicus intendebat doctissimus, & Eruditissimus Oviedo in manuscriptis Scientiam mediam strictè talem non esse dicendam determinabilem, aut impedibilem per operationem liberam voluntatis creatæ. Cui asserto strenue reluctabatur alius Magister clari nominis antequam ad singularia divertisset, & totis viribus ostendere studebat contrarium esse tenendum, aut principia fundamentalia nostræ Scholæ cum toto illius ædificio labare, & post acrem contentionem, quisque provt mos est suo sensu perstitit. Sed quid mirum, si forsan, vt dixi, in vocibus tantum hærebant, & sibi quisque plaudere facilè poterat. Si enim per illam exclusionem tantùm intendebat Oviedo non esse absque restrictione proferendum, veritatem obiectivam futuri conditionati nobis liberi esse determinativum, sicut, & libertatem creatam, per suum exercitium liberum determinare Scientiam mediam strictè talem, sto pro hoc Magistro iuxta supra dicta, & ab altero recedo, si conatus ipsius ad id excludendum se extendebat. Si verò alius duntaxat procurabat stabilire rationem propriam determinativi in veritate obiectiva futuri conditionati nobis liberi, & in voluntate creata rationem propriam determinantis, quamvis Deo plenissimè, & principalissimè esset arroganda determinatio, huic adhæreo, si in his alter non conveniret; vt non facilè credam; clamante August. lib. 5. de Civitat. cap. 10. *Illa necessitas formidanda est, quæ non est in nostra potestate; non tamen timenda, nec libertatem destruens, quæ est in nostra potestate.* Quod si propterea post longum certamen quisque suam partem obtinebat, qualiter persuasum habeo, conijcitur esse compositos præclaros istos decertatores per medium à nobis electum, & explicatum non negandi Deo primatum in determinando, concedendo etiam tum veritati obiectivæ, tum libertati voluntatis creatæ propriam, quamvis non primariam determinationem.

56 Non sic componi valet doctus, & acutus Mathias Borrull, qui in suo tract. de Scientia media disput. 15. sect. 1. num. 887. adeò clarè suam mentem aperuit, vt nec interprete indigeat, nec interpretationem patiatur: inquit enim Scientiam mediam strictè talem nullo modo esse determinabilem à creatura, si de determinatione stricta, & propriè tali sermo sit; at esse verè comparabilem, & impedibilem per arbitrium creatum. Fundamentum ipsi est: quia omne exercitium liberum creaturæ supponit determinationem in Deo ad Scientiam strictè mediam ex inseparabilitate illa subiectivè, absoluta, & terminativè conditionata residente in intellectu divino fundante hanc veritatem conditionalem necessariam: *Si sit veritas obiectiva suo modo futuri conditionati liberi creaturæ, sit in me Scientia strictè media eidem veritati correspondens*, vt in confesso, debet esse apud omnes, qui rectè sentiant, de divina perfectione incompatibili essentialiter cum ignorantia, ac proinde determinata essentialiter ad sciendum quidquid scibile sit pro casu, quo scibile sit. Vnde sic infert: *non est stricta determinatio* ad aliquam operationem ea, quæ dum est, præsupponit eandem operationem saltem conditionatè determinatam: sed omne creatum, ac per consequens veritas ipsa obiectiva futuri conditionati nobis liberi, semper ac

eſt præſupponit determinatam ſaltem conditionatè Scientiam ſtrictè mediam ſibi correſpondentem ex illa determinatione intrinſeca intellectus divini: *ſi ſit obiectum, ſit in me Scientia eidem obiecto proportionata*: ergo nihil creatum, vt eſt veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi, poteſt eſſe determinativum ſtrictè tale Scientiæ ſibi correſpondentis, nec volunras creata ellicitivè liberè tendens in ipſum futurum, poteſt eſſe verè, & propriè determinans. Maiorem, in qua eſt difficultas, probat. Quia non ob aliam rationem Deus quamvis liberè determinet aliquid metaphiſicè connexum cum noſtra operatione libera, eam ſimpliciter, & propriè non determinat, niſi quia poſitio libera talis connexi; v.g. *prædefinitionis efficacis*, aut *complexi ex Scientia media, & auxilio*, ſemper præſupponit exercitium illud liberum voluntatis creatæ; v.g. *conſenſum* iam determinatum conditionatè ex regulatione Scientiæ mediæ, quam neceſſariò exigunt, & præſupponunt: ergo non eſt ſtricta determinatio ad aliquam operationem ea, quæ dum eſt, præſupponit eandem operationem ſaltem conditionatè determinatam.

57 Verùm omiſſo examine huius fundamenti ad ſolutionem argumentorum, vbi pondus illius inveſtigabimus, tantùm hic hærere aliquantulum placet in conſequentia huius Authoris. Apparet namque ex eodem fundamento ducendus ad negandam Scientiam mediam ſtrictè talem eſſe propriè comparabilem, & impedibilem per libertatem creatam, medio ipſo futuro conditionato libero determinabili, & impedibili. Ratio mihi ſit ad hominem ipſum fundamentum, quo ſuam ſingularem ſententiam protegit ſub hac forma propoſitum. Non minus requiritur ad ſtrictam acquiſitionem, & impeditionem alicuius operationis non præſupponi eandem operationem adhùc tantùm conditionatè acquiſitam, & impeditam; quam ad ſtrictam, & propriam determinationem alicuius operationis non præſupponi adhùc tantùm conditionatè determinatam eandem operationem: ſed quodcunque creatum conſideretur in ordine ad Scientiam mediam ſtrictè talem, præſuponit ſaltem conditionatè acquiſitam, aut conditionatè impeditam talem Scientiam: ergo ſi nihil creatum poteſt ſtrictè determinare Scientiam mediam ſtrictè talem, pariter nihil creatum poterit ſtrictè acquirere, aut impedire eandem Scientiam. Mai. apparet certa ob rationis paritatem, cum non minus debeat nocere acquiſitioni, & impeditioni Scientiæ acquiſitio, & impeditio eiuſdem præſuppoſita; quàm determinationi Scientiæ præſuppoſita illius determinatio.

58 Min. prob. quoad vtramque partem de *acquiſitione*, & *impeditione*. Quoad primam de *acquiſitione*. Nam quodcumque creatum conſideretur in ordine ad Scientiam ſtrictè mediam, præſupponit ipſam conditionatè exiſtentem in intellectu divino ex conditionali illa neceſſaria: *Si ſit obiectum conditionatè futurum, exiſtat Scientia ſtrictè media in intellectu divino*: ſed conditionalis exiſtentia Scientiæ in intellectu divino eſt conditionalis acquiſitio Scientiæ in eodem intellectu, cum eo modo, quo exiſtit Scientia in intellectu, ſit acquiſitio Scientiæ in eodem intellectu: ergo quodcumque creatum conſideretur in ordine ad Scientiam ſtrictè mediam præſupponit ſaltem conditionatè acquiſitam, & comparatam eandem. Quoad ſecundam de *impeditione*, propter ſimile fundamentum. Nam quidquid creatum ſit, præſupponit in intellectu divino determinationem eſſentialem ad oppoſitum Scientiæ ſtrictè mediæ; v.g. de conſenſu, pro caſu, quo non ſit futurus conditionatè conſenſus noſter liber ex illa veritate conditionali neceſſaria: *Si obiectum non ſit proportionatum ad Scientiam determinatam ſtrictè mediam, non ſit in me talis Scientia*: ſed hoc eſt præſupponere impeditam ſaltem conditionatè Scientiam determinatam ſtrictè mediam, cum exiſtentia conditionata contradictorij formalis Scientiæ ſit formalis impeditio conditionata eiuſdem: ergo quodcumque creatum conſideretur in ordine ad Scientiam, præſupponit ſaltem conditionatè impeditam eandem Scientiam: tenet ergo quodcumque creatum conſideretur in ordine ad Scientiam mediam ſtrictè talem præſupponere ſaltem conditionatè acquiſitam, aut conditionatè impeditam eandem Scientiam.

59 Deberet igitur perdoctus iſte Magiſter de noſtra Schola benemeritus, aut rationis conſequentia ductus negare Scientiæ mediæ ſtrictè tali acquiribilitatem, & impedibilitatem per aliquid ob-

obiectivè se habens, & per creatam libertatem, cui competit libera electio, aut libera impeditio illius obiectivi tanquàm exercitij sui liberi, aut non fidere medio assumpto ad probandam indeterminabilitatem exclusivam determinabilitatis propriè, & strictè acceptæ, sicque amplecti cum communi determinabilitatem in proprio, & rigoroso sensu, dareque veritati obiectivæ futuri conditionati nobis liberi propriam, & veram determinationem, sicut & libertati creatæ media ipsa veritate obiectiva, in quam tendit, velut in exercitium proprium liberum, quomodo perceptibilior redditur nostra sententia, & ex principijs generalibus nobis firmissimis melius consulitur creatæ libertatis iuri. Hæc forsan graviora fient ab eversione fundamenti, quo innititur iudicium huius authoris, quam loco promisso dabimus.

CAPVT III.

Argumenta contra conclusiones proposita dissolvit.

60 OBIICIES primò. Fundamenta illa adducta quæstionis initio à num. 4. pro ratione dubitandi, quæ cum generaliter excludant omne determinativum, tàm ex parte Dei, quàm ex parte nostri pro determinata Scientia strictè media, etiam omnes nostras propositiones in oppugnando comprehendunt. Ad ea negatur assumptum in quantum suadere intendunt nullum esse determinativum proportionatum neque ex parte Dei, neque ex parte alicuius Deo extrinseci. Constat enim ex dictis quomodo, tàm ex parte Dei, quàm ex parte veritatis obiectivæ ipsius futuri nobis liberi detur determinatio, & in quo gradu, & linea sit pensanda ex parte cuiusvis: necnon qua ratione sine incommodo sit præferenda determinatio ex parte Dei. Vnde ad probationem assumpti, provt respicit exclusionem determinationis ex parte Dei dicèndum: non dari plenissimam indifferentiam ex parte intellectus divini, vt ibi proponitur: siquidem non est plenissima indifferentia ad Scientiam strictè mediam, quæ defacto existit, illa, quæ includit aliquam maximam determinationem, qualis est determinatio subiectivè absoluta, & terminativè conditionata, quæ pro casu veritatis obiectivæ determinati futuri conditionati nobis liberi est, tàm subiectivè, quàm terminativè absoluta ad Scientiam illam strictè mediam futuro proportionatam, & quę proinde defacto existit.

61 Nec quod in constitutione futuri non intercedat determinatio aliqua libera Deo, ex qua ipsi liberum sit, tum determinare, tum impedire futurum ipsum conditionatum nobis liberum, quod defacto verificatur, amplius probat, quàm quòd ex parte Dei non intercedit determinatio in consideratione determinationis *liberæ* seu moralis, quomodo verificatur dari exclusivum determinationis ex parte Dei in determinata linea: cæterum cum exclusio determinationis ex parte Dei in determinata linea nõ sit exclusio determinationis in omni linea, benè cõponitur; Deum sub illa consideratione non continere ex parte sua determinativum; at continere in alia, quod sufficit, tàm ad excludendam plenissimam indifferentiam intentam ex parte illius, quàm ad detegendum aliquod determinativum ex parte eiusdem: neque enim ad verificandum esse determinativum illius Scientiæ strictè mediæ, quæ defacto existit ex parte Dei est necessarium, vt per se est constans tale determinativum comprehendere omnem lineam, & considerationem: igitur exclusio ista determinativi in consideratione determinationis liberæ nec nostram sententiam impugnat, cum planè fateamur eam deficere ex parte Dei, nec suadet deficere in Deo rationem determinativi, & determinantis propter alium modum restantem determinativi, & determinantis, quæ nulla ratione excluditur ab arguente: imò nec excludi posset salva manente perfectione intellectus divini.

62 Ad alias probationes, quæ eò tendunt, vt excludant determinativum proveniens ab aliquo distincto à Deo sivè illud sit obiectum Scientiæ, sivè quodcumque aliud: Primum, quod adducitur de existentia in tempore cuiusvis distincti à Deo, ac proinde incapacis determinandi Scientiam strictè mediam, non aliter, quam ab æterno determinatum, instatur evidentissimè in

terminativo Scientiæ, quod certum eſt omnibus debere eſſe aliquid diſtinctum à Deo: etenim Scientia terminatur ad ſuum obiectum, quod non eſt præcisè Deus; verùm aliquid ab ipſo diſtinctum: videlicèt ipſum, quod dicitur conditionate futurum. Iam ſic. Non eſt minus Scientia terminata ab æterno; quàm determinata: ſed vt ſit terminata ab æterno, non indiget aliquo terminante exiſtēte ab æterno: ergo neque vt ſit determinata ab æterno, indiget aliquo determinante exiſtente ab æterno. Vel à contrariò. Scientia non eſt minus terminata ab æterno; quàm determinata: cum non minus verificetur de ipſa hæc paſsiva: *Scientia ab æterno exiſtit terminata*; quàm iſta: *Scientia ab æterno exiſtit determinata*: ſed per te ad verificandum ſcientiam exiſtere ab æterno determinatam, opus eſt exiſtere ab æterno id, quod determinat: ergo vt verificetur exiſtere ab æterno terminatam, opus etiam eſt exiſtere ab æterno id, quod terminat: propterea aut obiectum, quod abſdubio terminat, exiſtit ab æterno, quomodo falſo aſſumetur nihil diſtinctum à Deo exiſtere ab æterno; aut ſi ab æterno non exiſtit, & tamen terminat Scientiam ab æterno terminatam; etiam quin exiſtat ab æterno poterit determinare Scientiam ab æterno determinatam.

63 Dicendum igitur eſt. Vel id, cuius exiſtētia abſoluta eſt tantùm in tempore, optimè poſſe determinare id, quod ab æterno exiſtit determinatum: ſicut id, quod exiſtit in tempore decretum; v.g. *Mundus præſens* poteſt ita exiſtere in tempore per aliquid exiſtens ab æterno, quale eſt decretum diuinum, nec minus paſsivè in tempore debeat correſpondere, aut non correſpondere activa vndequaque, & ex omni parte, quàm paſsivæ ab æterno activa vndequaque, & ex omni parte ab æterno. Quare dicēdum pro omnibus: omni paſsivę debere correſpō dere ſuam activam; non verò omnē modum appellantem ſupra patiens debere appellare ſupra agens; ſed aliquando ratione materiæ ſemper debet retineri invariatus in vno extremo, vt comprobat exemplum appoſitum de exiſtentia in tempore huius mundi non aliter, quàm decreta à Deo, vbi modus ille *temporaliter, ſeu in tempore* ſemper retinetur afficiens mundum, qui eſt extremum paſsivum huius, quod eſt *eſſe decretum*; quin transferri valeat ad activum, ſivè *quod*, ſivè *quo*, vt ſunt Deus, & decretum non exiſtentia in tempore; ſed ab æterno. Idem cernere licèt in probabili ſententia admittente creationem Angeli identificatam de poſsibili cum diuino decreto: ſicut in ſententia aliorum Theologorum non admitentium in Deo actionem vllam tranſeuntem erga terminos limitatos, & ad extra poſitos; verùm omnem eſſe immanentem, & ſitam in actu diuinæ voluntatis. In quorum ſententia: huic activæ *Deus creat Angelum ab æterno*: aut *Deus producit ignem ab æterno* non correſpondet hæc paſsiva: *Angelus eſt creatus ab æterno*: aut *ignis eſt productus ab æterno*, aliter quam ſenſu applicante ſemper æternitatem creationi, & productioni; ſecus termino creato, aut producto. Inde ad propoſitionem illam, in qua forſan hærebit aliquis: *Eo modo, quo datur aliquid paſsivè determinatum datur aliquid activè determinans* eſt diſtinguendum ſub his terminis: *per coniunctionem puram vtriuſque modi*, ſcilicèt *determinantis, & determinati*, concedo propoſitionem; *per commenſurationem vtriuſque modi, taliter, vt ſi patiens ſe habeat vno modo agens ſe debeat habere eodem modo* nego propoſitionem.

64 Pro quo ſuadendo non deſunt exempla, iam alibi adducta in hoc tractatu; v.g. eo modo, quo aliquid eſt; eſt cognoſcibile à Deo: ſed futurum, aut poſsibile non eſt; ſed erit, aut eſſet: ergo futurum, aut poſsibile non eſt cognoſcibile à Deo; ſed erit, aut eſſet cognoſcibile. Rurſus: eo modo, quo aliquid producitur à Deo eſt producibile à Deo. ſed id, quod producitur non aliter producitur à Deo, quàm cum exiſtentia abſoluta: ergo producibile non eſt aliter producibile, quàm cum exiſtentia abſoluta: In quibus ly: *eo modo*, in quo ſtat æquivocatio, non aliter accipiendum eſt ſine inconvenienti, quam provt denotat coniunctionem vtriuſque modi, ſcilicèt: *exiſtentiæ, & cognoſcibilitatis: productionis, & producibilitatis*; non ſic provt denotat commenſurabilitatem vnius, & alterius modi, qua ratione concluderetur intentum ſic ſophiſticè arguentis, & probaretur in Deo non eſſe Scientiam futurorum, aut poſsibilium: cum convincatur tantùm poſsibilis, aut futura aut nihil eſſe producibile à Deo, niſi intelligatur cum exiſtentia abſoluta: quomodo Deus ſemper in producendo actum ageret.

Vel

65 Vel aliter, & forsan expeditius consequenterque ad dicta, & explicata in antecedentibus, dum egimus de constitutivo futuri, tàm absoluti, quàm conditionati, permittendo scientiam *strictè mediam* existentem ab æterno determinatam indigere determinativo suo modo etiam existente ab æterno, quod non obstat, vt determinationem accipiat à veritate obiectiva futuri conditionati nobis liberi, quod quidem, licèt in ratione *præsentis* non aliter existat, quàm in tempore; at in ratione *futuri conditionati*, qua ratione determinat, habet suam æternitatem; cum ab æterno semper verum fuerit; non quod erit futurum, sed quod iam est futurum; nimirum *conditionatè*: sicut de absoluto per totam æternitatem verificatur, *esse futurum absolutum*. Proprium enim est futuri, sive absoluti, sive conditionati, aut nunquam esse futurum, aut si semel futurum intelligatur, semper à parte antè participare talem rationem: non secus ac est proprium *præteriti*, aut non esse præteritum; aut si semel ita denominetur semper a parte post eundem conceptum retinere; quin futurum valeat esse futurum in ratione *futuri*; nec præteritum præteritum in ratione *præteritis*; vt explicari etiam potest in possibilibus, quæ &si in ratione *existentiæ* habeant durationem limitatam; tamen in ratione *possibilium* habent suam æternitatem plenissimam, tàm à *parte ante*; quàm à *parte post*. Quomodo autem hic æternitatis modus non sit contra divinam perfectionem, aut supra limitationem rerum creatarum, habeo explicatum loco citato de *constitutione futuri in tota sua latitudine*. Iam si adeò solicitus aliquis sit de *determinativo extra Deum æterno*, vt proportionatum sit scientiæ existenti ab æterno determinatæ, videat illud in *ipso futuro conditionate nobis libero, vt tali*, quod &si non sit æternum, præsentia propria *præsentis*; tamen æternum est, & dicitur præsentia propria *conditionatorum*, seu eorum, quæ futura sunt conditionatè.

66 Ad secundum reddit instantia de obiecto terminativo scientiæ, de quo evidens est, quod, vt terminet scientiam existentem ab æterno, non est necessarium habere existentiam vllam in tempore absolutè, & simpliciter talem, & propriam præsentium: quomodo ostendit scientia simplicis intelligentiæ extensa ad *purè* possibilia nunquàm exitura: & scientia ipsa conditionatorum, quæ pariter extenditur ad conditionata de conditione nunquam purificanda: igitur poterit determinativum sine existentia vlla in tempore determinare scientiam existentem ab æterno: sicut potest terminativum sine existentia vlla in tempore terminare scientiam existentem ab æterno. Vlterius: aliud est concedere, aut permittere existens in tempore posse determinare scientiam existentem ab æterno; aliud est requirere ad sic determinandum existentiam in tempore illius, quod determinat. Illud concessimus, & ab inconvenienti obiecto conati sumus liberare; istud verò minimè concessimus: quia existentia in tempore non est requisita ad determinandum: sicut per te non est requisita ad terminandum.

67 Cuius ratio est: Quia ad determinandum per modum obiecti, vt determinat scientiam strictè mediam veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi, non alia existentia requiritur, nisi ea, quæ sufficiat ad dandam conformitatem cognitioni ad illud, quod affirmat de ipso obiecto. Id autem tantum distat à requirenda existentia absoluta, & simpliciter tali in obiecto, vt eam sæpè numero excludat: qualiter patens est in cognitionibus affirmantibus puram possibilitatem, impossibilitatem, & non existentiam purè possibilium, impossibilium, & non existentium: præcipuè quando cognitio id repræsentans essentialiter vera sit, qualis est cognitio, & scientia divina: si ergo obiectum absque existentia vlla simpliciter tali in tempore, habet esse sufficiens verificativum scientiæ, & conformativum sui ad repræsentationem scientiæ, & repræsentationis scientiæ ad se, cur absque existentia vlla in tempore simpliciter tali, & propria *præsentium* non habet esse sufficiens ad determinandam eandem scientiam: inde verum est tam veritatem obiectivam conditionalem de conditionato nobis libero: sicut, & scientiam ei proportionatam præscindere ex se à purificatione conditionis, sæpèque coniungi cum defectu illius, & cum defectu conditionati in ratione *existentium absolutè*, verè, & propriè: Sed quid inde pro intento? Nam sicut iste defectus non excludit futurum in ratione *conditionati*: ac per consequens in ratione habentis veritatem conformitatis ad cognitionem,

nem, & ſcientiam, quæ taliter illud proponit, & affirmat; ſic talis defectus non excludit ab eodem obiecto rationem *determinativi*.

68 Demum conſtat ex dictis, à qua exiſtentia præſcindat tam ſcientia conditionatorum, quæ noſtræ ſunt libertatis; quàm veritas ipſa obiectiva, in qua ſitum eſt futurum conditionatum correſpondens, quemque defectum exiſtentiæ ſecum permittant. Præſcindunt namque ab exiſtentia abſoluta, & propria *præſentium*, & cum defectu eiuſdem componi poſſunt; cæterùm non permittunt defectum exiſtentiæ propriæ *conditionatorum* in ratione talium, nec cum eius defectu componuntur: quia, vt diximus, ſub hac conſideratione habent exiſtentiam æternam, & quæ ſi ſemel ſit, ab æterno non deficiat: vt quid ergo deſideranda eſt pro determinativo ſcientiæ exiſtentia in tempore propria præſentium, quando adeſt alia ſuo modo æterna, & proportionatiſsima obiecto in ea ratione, ſub qua à ſcientia affirmatur?

69 Ad tertium. Fatemur omne contingens, ſive in exiſtendo ſimpliciter minus propriè, vt exiſtunt conditionata, provt ſolùm verificant ſub propria ratione *conditionatorum* potius eſſe, quàm non eſſe talia, habere in ſe indifferentiam, & indeterminationem antecedentem, vt ſint: verùm cum hac indifferentia, & indeterminatione antecedenti componi determinationem, & neceſsitatem conſequentem vt ſint: etenim quodcumque contingens in quacumque conſideratione accipiatur, licèt antecedenter æquè valeat eſſe, ac non eſſe taliter; at ex ſuppoſitione, quod ſit, neceſſe eſt eſſe: ſicut impoſsibile, quod ex ſuppoſitione, quod ſit, tale non ſit: cum autem veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi non aliter determinet ſcientiam ſtrictè mediã, quam ex ſuppoſitione conſequenti ſui ipſius, ex qua dum eſt, neceſſariò eſt eſſe, habet determinationem ex ſe ſufficientem ad determinandam cognitionem ſui in intellectu ex ſe determinato, vt ex ſuppoſitione, quod obiectum in ſe tale ſit, cognoſcatur. Nec maior poteſt eſſe difficultas in ratione determinativi; quàm in ratione verificativi: etenim obiectum conditionatum contingens ex ſua contingentia antecedenti, tàm indifferens eſt, vt verificet, quam vt determinet; nihilominus ex ſuppoſitione conſequẽti, quod in ſe tale ſit, potius verificat, quam non verificat: ergo ex eadem ſuppoſitione aptum erit, vt potius determinet; quàm non determinet. Vnde argumentum tantùm probat, illud obiectum cui tribuitur ratio determinativi, habere indifferentiam antecedentem ad determinandum, ſicut habet indifferentiam antecedentem, vt tale ſit; non verò, quod ex ſuppoſitione, quod ſit non determinet, ſicut, quod ex ſuppoſitione, quod ſit taliter, ita taliter non ſit.

70 Argumentum memoratum Div. Thomæ probantis, & rectè quidem ex contingentibus eſſe aliquod in exiſtendo neceſſarium, non favet rationi dubitandi; imò potius noſtram concluſionem confirmat, cuius ratio eſt: Nam Doctor Angelicus tametſi ex contingentia contingentium inferat neceſsitatem alicuius, cui *exiſtere* non conveniat contingenter: ac propterea, quod ſit in eſſendo neceſſarium; nunquàm verò infert, nec poteſt inferre aliquid neceſſarium in determinando exiſtentiam contingentium: aliàs ſuo argumento convinceret illud neceſſarium in exiſtendo operaturum ex neceſsitate naturæ, eſſeque cum his contingentibus, quæ de facto exiſtunt, connexum: vnde contingentiam omnem deſtrueret: ergo ex argumento Div. Thomæ ſemper deveniendum eſt ad aliquam determinationem contingentem, nimirum ad determinationem liberam, & quæ ſit antecedenter indifferens, vt ſit, & non ſit: ergo ſentit id, quod antecedenter non eſt determinatum vt ſit, poſſe ex ſuppoſitione, quod ſit, exercere munus determinativi reſpectu alterius contingentis: qua ratione nihil colligi poteſt ex argumento nobis obſtans; imo maximè favens: ſcilicèt, contingens in exiſtendo ſub aliqua ratione, poſſe ſub eadem ratione eſſe determinativum alterius contingentis; atque ideò contingentiam antecedentem, quam habet veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi, benè componi cum ratione determinativi comparativè ad ſcientiam ſtrictè mediam etiam contingentem. Hinc videat quiſquis contra nos ſic proponat, aut debere tollere omnem conceptum contingentiæ, aut cogi vltimò ſiſtere in ſimili ei, quod impugnat.

71 Quare, vt mens Div. Thomæ in argumento conformetur, ſic pro-

procedendum est, & investigandum primo pro determinatione scientiæ strictè mediæ contingentis in existendo, ea contingentia, quam admittere possunt divina, aliquod determinativum. Deinde, cum hoc determinativum etiam contingens sit in exercendo hæc munera ob contingentiam, quam habet in existendo suo modo: inquirendum est aliquod agens liberum, cuius electioni, & determinationi liberę tribuatur, quod potius ita sit, quàm non sit. Tertiò: cum hoc agens liberum sit etiam in existēdo contingens, progrediendum est ad aliud agens liberum, cuius existentia non sit exposita contingentiæ, ne aliter detur progressus interminabilis, cuius liberæ determinationi tribuatur existentia alterius agentis secundi, & libertatis ipsius. Ad cuius instar fit progressus in præsenti casu. Nam pro scientia strictè media contingenti in existendo fit satis inquisitioni determinativi proximi per designationem veritatis obiectivæ futuri conditionati nobis liberi determinatè sumpti, quæ veritas non est indifferens, neque, vt sit cum altera scientia, neque cum defectu huius: vnde liquet eius determinatio, vt sit cum hac determinata scientia: Vlterius cum hæc eadem veritas sit in existendo suo modo contingens, quærenti aliquod agens liberum, cuius determinationi liberæ tribuatur, vt potius ita sit, quàm non sit, designamus libertatem creatam, à cuius electione absoluta dependent absolutè libera, & à cuius electione conditionata dependent, quæ sunt ipsi conditionatè libera. Demum: quia voluntas creata libera est etiam in existendo contingens progredimur ad aliud agens liberum, cuius determinationi liberæ tribuatur, vel absolutè, vel conditionatè, quod existat agens liberum creatum, vel absolutè, vel conditionatè; potius quàm sic non existat: hoc autem agens Deus est, vltra quem non fit progressio, vtpotè in existendo necessarius, & ideò, vt potius sit, quàm nō sit nullius alterius agentis liberi determinatione indigens.

72 Ad quartum, instantia est manifesta: Tum in obiecto terminativo Scientiæ mediæ strictè talis: tum in scientia simplicis intelligentiæ. In obiecto terminativo scientiæ strictè mediæ sub hac forma. Nihil absolutum contingens est obiectū terminativum scientiæ mediæ strictè talis: ergo neque aliquid conditionatè contingens est obiectum terminativum eiusdem scientiæ. Antecedens constat, tum ex independentia, quam habet talis scientia ab omni decreto subiectivè absoluto, quomodo non independeret, si terminaretur per aliquid absolutum: tum quia in casu, quo nihil extra Deum absolutum existeret, adhùc existeret scientia dicta, & quidem non aliter, quàm terminata per suum obiectum, in quod tendit. Consequentia probatur, ex identitate inter esse absolutum, & conditionatum, ex qua quidquid cōvenit vni, debet convenire alteri: ergo si non determinatur per absolutum, neque per conditionatum. In scientia simplicis intelligentiæ, respectu cuius nihil obiectivè contingens est ipsi necessarium: ergo neque possibile cōtingens est ipsi necessarium. Antecedens constat ex necessitate scientiæ simplicis intelligentiæ, quę non componitur cum dependentia à contingenti. Consequentia probatur ab identitate convenienti possibili, & absolutè existenti contingenter: id enim, quod absolutè contingenter existit, est identicè possibile, sicut identicè est id, quod est possibile: ergo ex convenientia prædicatorum exacta ab identitate, si contingens absolutè existens non est, est eidem scientiæ necessarium; nec possibile contingens erit ei pro existentia necessarium. Idem videre licet in sententia cōmunissima connexionis Dei cum possibilibus; quin connectatur cum existentibus: Vnde posset argui, aut æquè connecti cum possibilibus, & existentibus; aut æquè inconnecti cum existentibus, & possibilibus.

73 In quibus confirmatio patitur similes instantias confectis syllogismis ad normam obiecti sub hac forma: *Hoc obiectum absolutum*; v.g. *Petrus consentit sub hoc auxilio, & libertate determinata, quæ ei de facto confertur, est hoc obiectum conditionatum: Si Petro conferatur hoc auxilium, & libertas determinata, erit consensus sub ipso: sed hoc obiectum absolutum: Petrus consentit sub hoc auxilio, & libertate determinata, non est obiectum terminativum scientiæ mediæ determinatæ strictè talis*: ergo *neque hoc obiectum conditionatum: Si Petro conferatur hoc auxilium, & libertas determinata erit consensus sub ipso, est obiectum terminativum Scientiæ mediæ strictè talis.* Similiter: *Hoc obiectum contingens absolutè existens*; v.g. *Paulus, est hoc obiectum possibile;*

le; v. g. *Si Paulus exiſtat, non repugnabit: hoc obiectum contingens abſolutè exiſtens non eſt neceſſarium pro exiſtentia ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ*: ergo *neque illud obiectum poſsibile eſt neceſſarium pro eiuſdem ſcientiæ exiſtentia*; v. g. *pro hac ſcientia, qua Deus cognoſcit neceſſariò Paulum eſſe poſsibilem.* Et in multis alijs ſimili modo, vt in *poſsibilitate*, & *exiſtentia*: in relatione *maioritatis*, & *minoritatis*, ſi ſupponatur identitas relationis prædicamentalis cum *fundamento*, & *termino*: in *actu contritionis*; & in cognitione præſcindente *formaliter* vnum prædicatum ab alio, quæ ſufficit notare, vt in eis formentur ſyllogiſmi cum eadem ponderatione obiecta.

74 Dicendum pro omnibus. Identitatem inter abſolutum, & conditionatum, quæ intercedit in obiecto Scientiæ mediæ ſtrictè talis minimè obſtare, vt duntaxat determinetur ab eſſe obiectivo conditionato futuri conditionati nobis liberi; ſecus ab eſſe abſoluto contingenti eiuſdem. Quia identitas inter aliqua, vt ſalva conſiſtat, nihil amplius petit, quàm convenientiam in prædicationibus eorum, quæ verè identificantur, taliter, vt quidquid convenit vni eodem ipſiſsimo ſenſu, quo convenit vni, conveniat alteri; & quidquid non convenit vni eodem ipſiſsimo ſenſu, quo non convenit vni, non conveniat alteri. Quæ ſi contingant, paria oſtendentur in *eſſe*, ſicut in *non eſſe*, vt eſt argumentum firmiſsimum identitatis. Sic accidit in præſenti, vbi eſſe obiectivo futuri conditionati nobis liberi convenit ratio determinativi. Sed quomodo? *Conditionatè* accepto: quomodo etiam convenit eſſe determinativum eſſe abſoluto futuri conditionati, nimirum: *conditionatè* accepto. Deinde eſſe abſoluto futuri conditionati nobis liberi non convenit ratio *determinativi* reſpectivè ad ſcientiam: ſed quomodo? *Abſolutè* accepto: qua ratione etiam eſſe obiectivo conditionato futuri non convenit munus determinandi, ſeu *eſſe determinativum*, id eſt, *abſolutè* accepto: & ita vnum, & aliud eſſe evadunt maximè convenientia: cum verificetur, totum, quod dicit eſſe abſolutum, & conditionatum futuri determinare ſcientiam in ſtatu conditionato, & totum, quod dicit eſſe abſolutum, & conditionatum futuri non determinare eandem ſcientiam ſumptam abſolutè, ſeu in ſtatu abſoluto. Id ſi alicui appareat difficile debet tamen componere, aut devorare in omnibus exemplis allatis, & in alijs ad inſtar eorum occurrentium, & ſaltem fateri, quod ſi aliquid ſit arduum, non eſt tam ſpeciale pro determinativo Scientiæ mediæ, vt paſsim non ſit vincendum in exiſtentia, & poſsibilitate cuiuſvis rei contingentis, in qua exiſtentia, ſive diſtincta, ſive indiſtincta ab eſſentia, eſt contingens verificativè abſolutè; & eſt neceſſaria verificativè conditionatè: cum tamen eſſe abſolutum verificativum exiſtentiæ ſit identicè ipſum eſſe verificativum conditionatum eiuſdem.

75 Nec meritò quis nimis hærebit in hac difficultate, ſive contracta ad determinatam materiam; quomodo ſit in præſenti, ſive vniverſalius, & provt comprehendit alias accepta, ſi advertat ſæpè occurrere vſum propoſitionum quoad aſpectum abſolutarum ad ſignificandum reſtrictum, ſicut termini ſignificantis communiter ad exprimendum particulare; v. g. in Sanctiſsimæ Trinitatis Myſterio vtimur voce *Spiritus Sanctus* ſignificante ex ſe, quod commune eſt tribus Perſonis ad ſignificandum quod peculiare, & proprium eſt tertiæ Perſonæ. Inde quando propoſitiones iſtæ quoad ſpeciem abſolutæ apud benè callentes ſenſum reſtrictum proferuntur, inoffenſo pede percurrunt; apud alios verò, qui in cortice fiſtunt, donec explicatio accedat, magnam difficultatem commovent, & multum argumentorum pulverem excitant. Huiuſmodi ſunt propoſitiones allatæ: *Eſſe conditionatum futuri conditionati nobis liberi determinat Scientiam mediam ſtrictè talem.* Et hæc: *Eſſe abſolutum eiuſdem futuri non determinat Scientiam mediam ſtrictè talem.* Quæ ſi abſque reſtrictione, & provt ſonant, ſumantur, ſtatim ſe offert diſconvenientia in prædicatis *determinandi*, & *non determinandi*, vt diſtinctio inter vnū, & aliudeſſe convincatur, aut talis convenientia pro ſervanda identitate, vt ratio determinationis de vno abſolutè negata, de vtroque pariter veniat neganda: etenim abſolutè vnum determinare, & alterum abſolutè non determinare cum identitate vtriuſque non poteſt componi: quia id, quod de vno affirmatur, & in eodem ſenſu, quo affirmatur, de altero negatur, vt maior diſconvenientia identitati oppoſita excogitari nequit. At ſi in ſenſu reſtricto, quem

quem in re habent, considerentur, apparebit statim per oppositum convenientia summa; ex eo, quod *determinare* negatum de vno, non negetur absolutè, cum in re tale *determinare* aliquomodo conveniat; verùm restrictè, & in eodem sensu, quo negatur de altero, cui absolutè convenire non potest *non determinare*, cum secundum aliquem verum sensum non determinet: sicque vnum, & alterum conformantur in restricto affirmationis, & in restricto negationis manente propterea identitate illæsa ex conformitate prædicatorum.

76 Ex non observato eodem sensu restricto provenit iudicari rectus syllogismus ille obiectus cum alijs, qui ad instantiam sunt formati, in quibus omnibus si conclusio vsurpetur in sensu absoluto, provt sonat, est mala, continetque defectum arguendi ab identitate *respectiva* extremorum cum medio ad identitatem absolutam extremorum inter se: cum non aliter valeat rectè deduci identitas mutua extremitatū quam sub eadem consideratione, & acceptione identitatis earum cum medio. Id ostendit ipse syllogismus iterum propositus videlicèt: *Hoc obiectum absolutum*; v. g. *Petrus consentit sub libertate A, est hoc obiectum conditionatum: si Petrus habeat libertatem A, consentiet: hoc obiectum absolutum Petrus consentit sub libertate A, non determinat scientiam conditionatam contingentem, & Deo non liberam; seu strictè mediam*: ergo *hoc obiectum conditionatum: si Petrus habeat libertatem A, consentiet, non determinat eandem scientiam*, vel aliter positivè. *Hoc obiectum* conditionatum est hoc obiectum absolutum: hoc obiectum conditionatum determinat scientiam strictè mediam: ergo hoc *obiectum absolutum eandem determinat*. In quorum vno, nimirum, negativo, cum repugnantia extremitatum cum medio sit tantùm respectiva, concluditur repugnantia absoluta extremitatum inter se; & in altero positivo, ex convenientia respectiva extremitatis cum medio deducitur absoluta convenientia extremitatum inter se.

77 Explicatur: in syllogismo illo negativo medium est: *hoc obiectum absolutum: Petrus consentit sub libertate A*, quod proponitur in minori, vt repugnans huic extremitati: *determinat Scientiam mediam strictè talem*; sed quali repugnantia, ne vera sit minor? Non quidem repugnantia absoluta, & quæ omnem convenientiam excludat cum ly *determinat scientiam mediam strictè talem*; verùm restricta ad modum determinandi secundum absolutum in ratione absoluti: vnde, vt rectè inferatur conclusio, non est deducēda in ipsa absoluta repugnantia illius extremitatis *determinat*, cum altera extremitate: *hoc obiectum conditionatum: Si Petrus habeat libertatem A, consentiet*; sed restricta ad modum determinandi in ratione *obiecti absoluti absolutè sumpti*. Pariter in syllogismo affirmativo mediū est: *hoc obiectum conditionatum*, quod proponitur in minori conveniens huic extremitati: *determinat Scientiam mediam strictè talem*, non quidem convenientia absoluta, & sub omni consideratione; at convenientia tantùm restricta ad modum determinandi secundum cōditionatum in ratione conditionat.: sicque, vt rectè inferatur conclusio, non est deducenda in ipsa absoluta convenientia illius extremitatis *determinat*, cum altera extremitate, *hoc obiectum absolutum*; sed restricta eadem restrictione subintellecta in minori, & reduplicante convenientiam, & identitatem in ratione obiecti conditionati, & provt conditionaliter accepti. Si autem inferas defectum ostensum in prædictis syllogismis involvere alium defectum in ipsa correctione ex parte nostri, propterea quod non aliter eos emendemus, & ad rectam formam reducamus; quàm includentes medium in ipsa conclusione, vt non correcti; sed defectuosi persistent, Iam huic difficultati fecimus satis supra disputat. 4. cap. 4. ibi ostendentes reduplicationem medij in conclusione non esse iudicandam generalite: nocivam rectitudini syllogismorum: cum potius in aliquibus ex restrictione materiæ sit proficua ad discursus efficaciam. Legantur ibi dicta, quorum multa ad præsens intentum maximè conducunt.

78 Ad quintum in promptu est instantia, tum obiecti terminativi scientiæ, tum futuri conditionati, vt *quod*, & in ratione subiecti futuritionis, tum in defectu cuiusvis rei in communiore sententia non admittente aliquid positivum, in quo pro formali consistat talis defectus. Vrget in obiecto *terminativo* scientiæ: Nam conversio conditionata Petri; v. g. quæ sub libertate determinata existeret, nunquam tamen existet,

aut

aut quia Petrus non existet, aut quia, & si existat, non existet hypothesis illius futuri conditionati, sine controversia terminat illam scientiam: at quomodo poterit, si rectus sit modus arguendi propositus, & obiectus? Nam ea conversio, tàm purum nihil est, vtpotè nunquam extitura, quàm eius oppositum, cui ratio futuritionis conditionatæ non convenit: ergo tam nihil est ac aliud, quod scientiam non terminat, atque adeò tam incapax terminandi actualiter, ac aliud, quod in re non terminat, cum id, quod tam nihil est in terminando, quàm aliud, quod non terminat, tàm nihil terminationis habet, ac aliud, quod non terminat: sed id, quod tam nihil habet terminationis, ac aliud, quod non terminat, absolutè non terminat: ergo futura conversio conditionatè, nisi defacto existat, neque est obiectum scientiæ, nec ipsam terminat: Simili arguendi methodo conversio conditionatè futura probatur non futura, vt *quod*, neque futuritionis conditionatæ subiectum Nam id, quod tam nihil est in ratione futuræ conditionatè, vt *quod*, & in ratione subiecti futuritionis, ac aliud, quod neque est futurum conditionatum, vt *quod*, neque est subiectum futuritionis, tàm nihil habet rationis *futuri*, vt *quod*, & *subiecti futuritionis*, ac aliud, quod eandem rationem non participat: ergo nisi existat absolutè conversio Petri, non vtcumque; sed toto futuritionis conditionatæ tempore, neque erit futura, vt *quod*, neque rationem *subiecti futuritionis* participabit. Tandem convincitur in *defectu rerum contingentium*, nisi sit aliquid positivum, non valere excludere res ipsas, cum quibus formaliter opponitur, cum in quocumque statu consideretur, tam nihil sit, ac suum oppositum: ergo tam nihil est in ratione excluſi i, ac suum oppositum: sed id, quod tam nihil est in excludendo, ac illud, quod non excludit, nullius est exclusivum: ergo defectus, nisi sit aliquid positivum, & quidem ab æterno existens, vt res ab æterno excluserit, non valet habere rationem exclusivi.

79 Respondetur ly *nihil*, & ly *esse nihil* valdè æquivocè vsurpari. Nam sæpè, & communissimè accipitur pro eo, quod non habet existentiam absolutam, & propriam entium positivorum, aut pro exclusivo formali eiusdem existentiæ: in qua acceptione sæpè, & communissimè dicitur de entibus positivis purè possibilibus *esse nihil*, & semper permansura intra statum nihilcitatis sui: aliter, sæpè, & communissimè etiam accipitur, aut pro eo, quod non habet aliquam rationem, aut conceptum, aut pro eo, quod est exclusivum illius, sive excluſum sit positivum, sive sit negativum; sive excludens, & subiectum, in quo residet exclusio positivè existentialiter, aut negativè se habeat in suo esse Sic de entitate positiva; v. g. *lapide* dicitur nihil habere in se sui contradictorij, & esse nihil sui oppositi formalis; sicut è contrario, de oppositio formali lapidis iure dicitur; & nihil habere in se lapidis, & esse nihil lapidis sibi contradicentis: de possibili dicitur nihil habere impossibilis, & de impossibili nihil habere possibilis. Quod sua proportione observandum etiam venit in termino *aliquid*, & *esse aliquid* eadem latitudine frequenter accepto iam presè, & strictè, provt contrahitur ad significandum ens positivum, & absolutè existens; iam latè provt extenditur ad denotãdum quemcumque conceptum, sive positivus sit, sive negativus; v. g. de exclusivo formali Petri dicitur esse *aliquid exclusivum illius*, aut *excludens ipsum*, & de ipso Petro dum deficit, profertur: *esse aliquid deficiens*, & *aliquid non existens*: nec non de conceptibus possibilibus, & quidditativis rerum asseritur esse *quid necessarium*, provt talia.

80 Hac æquivocatione detecta detegitur etiam argumenti delusio ex varia applicatione termini *nihil*, iam sic, iam aliter assumpti. Itaque verum est, futurum purè conditionatum; v. g. *conversionem Petri sub determinata libertate* nunquam extituram, & etiam non purè conditionatum toto tempore futuritionis conditionatæ, tàm nihil esse, quàm suum contradictorium, sumpto *nihil* pro eo, quod non habet existentiam absolutam, at non est verum, sed falsissimum esse tam nihil, ac suum contradictorium, sumpto *nihil* pro exclusione rationis futuri conditionati: quia in hac consideratione conversio, quæ esset, si talis determinata libertas existeret, habet quidquid pertinet ad hunc conceptum, & excludit *nihil* huius conceptus conditionati, vt non excluditur in opposito sui, scilicèt *non conversione* sub eadem libertate, si existeret, quæ quidem *non conversio*, vltra *nihil non existendi absolutè*, ha-

habet aliud *nihil* non participandi futuritionem conditionatam, & verificationem huius propositionis : *Si daretur talis libertas determinata in Petro, non existeret conversio.* Inde ad illam propositionem, in qua sistit argumentum, id est: *Id quod tam nihil est, ac aliud, quod non determinat, tam nihil est in determinando, ac aliud, quod non determinat, ac proinde tam incapax est determinandi, ac aliud, quod non determinat;* pariter est distinguendum : id quod tam nihil est, ac aliud, quod non determinat, tam nihil est in determinando, ac aliud, quod non determinat, ly *nihil* purè *excludente existentiam absolutam*, nego propositionem, ly *nihil appellante supra rationem determinandi*, & provt significat *exclusionem illius rationis*, concedo propositionem, & nego consequentiam, *non determinationis* in futuro conditionato: quia convenientia illa cum opposito in *nihil non existentiæ absolutæ* non impedit disconvenientiam in *nihil non determinationis*.

81 Sed insistent conantes ostendere, futurum conditionatum, & eius oppositum vnivocanda esse in *nihilo non determinationis*, si vnivocè se habeant in *nihilo non existentiæ absolutæ*, ex vulgari illo axiomate: *Nullius entis nullæ sunt proprietates*: sed futurum conditionatum vnivocè conveniens cum suo opposito in non existendo absolutè comprehenditur sub nullo ente : cum ens propriè, & strictè illud solum veniat intelligendum, quod positivè, & absolutè existit : ergo nullæ debent esse in ipso proprietates: At *determinare scientiam strictè mediam* aliqua proprietas est : ergo si vnivocè convenit futurum conditionatum cum suo opposito in non existendo absolutè, seu in nihilo non existentiæ absolutæ, etiam debet conformari in non determinando Scientiam, seu in *nihilo non determinationis*. Nec valet respondere: futurum conditionatum ; v. g. *Conversionem* esse ens saltem conditionatè, & pro casu purificationis hypothesis. Quomodo adhùc non est ens eius oppositum, scilicèt: *Non conversio*, quæ tàm in statu absoluto, quàm in statu conditionato nunquam participat rationem entis, cum semper sit, sive conditionatè, sive absolutè *non conversio* exclusiva entis positivi *conversionis*. Non inquam valet; tum, quia iuxta hanc solutionem excluderentur à ratione determinandi Scientiam strictè mediam futura conditionata negativa nobis libera, & quæ consistunt in omissione alicuius actus, quod non fert nostra sententia, & esset relinquere plures scientias strictè medias absque determinativo aliquo obiectivo. Tum : quia proprietates consequuntur modum, quo aliquid est ens, & pro modo, quo intelligitur ens, proprietates eiusdem intelliguntur. Prop ereà si ens duntaxat intelligatur conditionatè, pariter proprietates illius intelligentur conditionatè, quod nobis minimè faver : cum inde probetur proprietatem determinandi esse accipiendam conditionatè pro modo, quo ens contentum in futuro conditionato intelligitur conditionatè. Id autem est verificare non quod futurum conditionatum determiner ; sed, quod si esset absolutè, tunc determinaret, consequente tunc proprietate absolutè absolutam rationem entis.

82 Ex principio tam latè accepto statim se prodit instantia in obiecto terminativo Scientiæ, in verificativo eiusdem, in futuro, vt *quod* in cognoscibilitate passiva obiectorum, in ratione termini, & fundamenti connexionis : etenim aut omnia hæc requirunt ens simpliciter tale, & absolutè existens, aut non requirunt? Si hoc secundum : quid plus in ratione *determinativi* ; quàm in ratione *terminativi*: *verificativi*, *cognoscibilis*, *connexi*, *connectentis*, vt hæc sine absoluta, & actuali existentia benè componantur ; secus illud: & aliunde explicent nobis illud principium assumptum *nullius entis nullæ sunt proprietates*? Si illud primum: ergo futurum conditionatum, neque est obiectum vllius Scientiæ, neque verificativum, nec terminus connexionis Scientiæ, neque connexum cum eo, quod à Deo cognoscatur, neque suscipit denominationem futuri, & generaliter omne, quod de præsenti absolutè non existat, sub nulla ratione erit conceptibile, & affirmabile adhùc, vt de præsenti non existens, ac per consequens Deus non cognoscet, quid sibi sit possibile vltra ea, quæ de facto produxit, nec quid sibi, aut suo influxui repugnans. Quæ, vt evitentur, exponere illud axioma in sano sensu omnibus expedit.

83 Et dicendum: Prædictum axioma esse intelligendum de proprietatibus physicis, & strictè talibus, quales reputantur eæ, quæ per simplicem ema-

emanationem procedunt à forma, vel per actionem distinctam, vel per actionem cum forma, & proprietate emanante identificatam, de quo legendus est Eximius Suarius, tom. 1. Metaph. disputat. 18. sectione 3. De his ergo verum tenet: *Nullius entis*, id est, *formæ non existentis nullas esse proprietates*: quia cum hæ aliter existere nequeant, quàm per physicum influxum provenientem à forma, quem forma aliter, quàm existens absolutè præstare non valet, cum id, quod physicè non est, physicè causare non possit: ideò in hoc sensu rectè dicitur de eo, quod absolutè non est, nullam habere proprietatem. Cæterùm nullatenus venit intelligendum de proprietate sumpta laxiùs, & impropriùs pro quovis prædicato, aut denominatione conveniente conceptui obiectivo rei, vt convincunt absurda proposita inde deducenda, quæque comprehenderent futura conditionata, & absoluta, & insuper possibilia, & impossibilia; nec non defectus rerum contingentium, de quibus omnibus nihil esset affirmabile, aut cognoscibile, neque ipsis debitum, aut ab ipsis exclusum dici posset. Non ergo prædictum axioma in recto sensu Philosophorum contra se habet ratio determinativi competens veritati obiectivæ futuri conditionati nobis liberi, quam sine existentia absoluta potest exercere in Scientiam strictè mediam.

84 Rursus insistent ad idem intentum repetentes medium plurium impugnationi accommodabile; videlicèt eo modo, quo futurum conditionatum nobis liberum est in suo esse obiectivo, sic determinat Scientiam sibi correspondentem: sed futurum tale conditionatum in suo esse obiectivo non est; sed esset: ergo in suo esse obiectivo non determinat; sed determinaret: ac per consequens non est determinativum; sed esset. Maiorem ostendunt prius. Quia ratio determinandi fundatur in modo obiectivo essendi, cum secundùm illum modum, quo est obiectivè conditionatè iuxta nos determinet. Deinde minor: quia quid aliud est illud esse obiectivum futuri conditionati, nisi quod cum modo non sit, esset tamen si poneretur conditio? id autem minimè distinguitur ab eo, quod futurum conditionatum nobis liberum in suo esse obiectivo non sit; sed esset: at stantibus præmissis rectè concluditur determinatio, quæ foret, & non quæ modo sit: ergo ab esse obiectivo futuri Scientia strictè media non determinatur, quidquid sit: an ex hypothesi ab obiecto esset determinanda.

85 Argumento sæpè repetito, sæpè etiam repetenda est instantia, non minùs, quàm solutio. Probat in primis modus iste arguendi contra obiectum terminativum, contra futurum *quod*, & contra futurum conditionatum in ratione cognoscibilis non minus, quàm contra idem in ratione determinantis: siquidem pro modo, quo est obiectivè futurum conditionatum, terminat Scientiam: ergo si in suo esse obiectivo non est, sed esset; in suo esse obiectivo per consequens non terminat, sed terminaret, & sic de reliquis animadversis. Probat deinde contra intentum nostram sententiam firmans pari discursu. Nam eo modo, quo obiectivè est futurum conditionatum, sic per te Scientiam determinat: sed in suo esse obiectivo non purè esset futurum conditionatum; sed est futurum conditionatum: ergo in suo esse obiectivo non purè determinaret Scientiam, sed modo ipsam determinat. Et ecce confirmatum id ipsum, quod argumento evertere nituntur.

86 Igitur adhibenda est solutio iam semel, & iterum notata, vel distinguendo primam maiorem sub his terminis. Eo modo, quo futurum conditionatum nobis liberum est in suo esse obiectivo, sic determinat *per coniunctionem vtriusque modi, scilicèt determinandi, & essendi*, concedo maiorem, *per commensurationem vnius modi cum altero modo*, nego mai. & concessa min. Nego consequentiam. Vnde constat, quid dicendum ad probationem præmissarū. Solutionis explicatio est: Quod si ly *eo modo, quo est, determinat*, denotet puram coniunctionem modi, quo est, cum modo, quo determinat, vera est mai. si vero significet commensurari modum, quo obiectivè est, cum modo, quo determinat, ita vt *esset* applicatum modo, quo est, debeat etiam applicari modo, quo determinat, falsa est maior. Vel distinguendo eandem propositionem aliter, & dicendo. Eo modo, quo est futurum conditionatum nobis liberum in suo esse obiectivo *in ratione conditionati* sic determinat, concedo mai. *in ratione absoluti*, nego mai. Vnde distinguenda est min. Futurum ta-

le conditionatum in ſuo eſſe obiectivo non eſt, ſed eſſet *conditionatè*, nego min. Non eſt, ſed eſſet *abſolutè*, concedo min. & nego conſequentiam: id eſt futurum conditionatum, licèt in ratione futuri abſoluti non ſit, ſed eſſet; in ratione tamen futuri conditionati eſt ea proprietate, qua verè dicitur: *eſt futurum conditionatè*, & non tantùm eſſet: quia falsò diceretur: *futurum conditionatum non eſt futurum conditionatum; ſed eſſet futurum conditionatum.* Quare ſi determinat, vt eſt futurum conditionatũ, & vt tale potius eſt, quàm purè eſſet, etiam determinat, potius, quàm purè determinaret.

87 Sed non quieſcent, & dicent. Quod nullo modo abſolutè & verè eſt; nullum prædicatum abſolutè, & verè habet: ſed futurum conditionatum abſolutè, & verè non eſt cum tantùm de ipſo verificetur, quod eſſet abſolutè, & verè, ſi poneretur conditio: ergo nullum prædicatum abſolutè, & verè habet: at ſi determinet Scientiam ſtrictè mediam *hoc determinare* abſolutè, & verè prædicabitur de ipſo, & ideò prædicatum abſolutè, & verè habebit: ergo ne concedatur in ipſo prædicatum illud, quod in re, & verè non poteſt ſuſcipere, dici debet determinationem ſcientiæ ſtrictè mediæ aliunde quàm ab obiecto, & ab eſſe obiectivo futuri conditionati nobis liberi prouenire.

88 Ante ſolutionem rogo: An cum illa incapacitate futuri conditionati ad habendum prædicatum abſolutè, & verè, ex eo, quod abſolutè, & verè non ſit; ſed tantùm eſſet, componant futurũ conditionatũ verè, & abſolutè eſſe futurum conditionatum; potius quàm non conditionatum eſſe id ad quod abſolutè, & verè terminatur Scientia, potius, quàm non terminatur: eſſe verè, & abſolutè cognoſcibile; potius quàm non cognoſcibile: eſſe verè, & abſolutè poſsibile; potius quàm non poſsibile, & ſpecialiter iuxta ipſos verè, & abſolutè incapax terminandi; potius quàm capax: ac proinde verè, & abſolutè determinatum ad non determinandum; potius quàm non determinatum, vel non? Si non componant: Quid conatus ſpecialis contra futurum conditionatum in ratione determinantis, cum & ipſum futurum conditionatum debeant abijcere, & pariter Scientiam divinam propter incognoſcibilitatem paſsivam obiecti: vnde nullius alterius conceptus prætet exiſtentes abſolutè, & poſitivè erit loquendum aut verè aliquid affirmandum. Si componãt omnes illas realitates cum non eſſe abſoluto futuri conditionati, cur tam ſeverè puniunt exilio ab eſſe futuri conditionati prædicatum illud *determinandi*, quod non maiorem veritatem, & realitatem exigit, vt abſolutè, & verè competat futuro conditionato; quàm reliquæ formalitates, & prædicata in eodem futuro conditionato admiſſa? Vnde mirabile mihi ſemper erit huiuſmodi argumenta tam fœliciter ſibi locum feciſſe in mente graviſsimorum Doctorum magna vi ingenij pollentium, vt à communi reliquorum tramite ad inuſitatos compulerint deviare.

89 Obiectioni reſpondent aliqui diſtinguendo illam maiorem primi ſyllogiſmi: *Quod nullo modo abſolutè, & verè eſt, nullum prædicatum abſolutè, & vere habet*, concedentes de prædicatis intrinſecis, & negantes de prædicatis extrinſecis, qualia ſunt: *determinare*, & *eſſe obiectum divinæ ſcientiæ*, quæ propterea tantùm requirunt eſſe abſolutè in aliquo extrinſeco; non verò in intrinſeco illius, quod denominant, & de quo prædicantur. Hanc ſolutionem amplectitur in præſenti Herrera, quę placere nobis non poteſt, vel quia ſunt plura alia prædicata, quæ reduci non poſſunt in extrinſecum, vt *eſſe poſsibile*, *eſſe cognoſcibile*: *eſſe conditionatum*: *eſſe contingens*, & tamen non negabit conuenire his, quæ ſimpliciter, & abſolutè non exiſtunt: ergo falſum debet eſſe id, quod concedit, nimirum: *Illud, quod nullo modo abſolutè, & verè eſt, nullum prædicatum intrinſecum verè, & abſolutè habere.* Vel quia niſi extrinſecum illud reddatur omninò inexplicabile, imò chymæricum ex eo, quod tantum provt ſeipſum reſpicit, dicatur ſibi ipſi extrinſecum, ſemper deveniendum eſt ad aliquid ex ſe aptum, vt afficiatur ab illo extrinſeco: iam aptitudo illa, vel dicitur etiam extrinſeca, vel intrinſeca? Si extrinſeca, aliquid debet reſpicere, quod ex ſe potius ſit aptum, ſeu id quod aptum redditur, quàm aptitudo: aliàs aptitudo nullius eſſet aptitudo, niſi ſui ipſius. Si intrinſeca: ergo aliquod prædicatum intrinſecum, ſcilicèt eſſe aptum ad extrinſecum, verificatur de eo, quod abſolutè, & verè non eſt: ac proinde non modo extrinſeca, verùm intrinſeca poſſunt affirmari. Vel denique, quia & ſi in futuro conditionato determina-

re actualiter Scientiam sit prædicatum extrinsecum; at posse determinare non est prædicatum extrinsecum, non aliter ac, & si cognosci actualiter obiectum sit prædicatum extrinsecum obiecti, non sic esse cognoscibile: ergo semper sistendum est in aliquo prædicato intrinseco illius, quod absolutè, & verè non existit, quomodo non est locus distinctioni adhibitæ de extrinsecis, & intrinsecis, his negatis, & illis concessis.

90 Melius respondetur dicendo: Id, quod absolutè, & verè non est, quia absolutum, & verum esse non habet proprium existentium absolutè, nullum prædicatum absolutè, & verè habere eorum, quæ sunt propria absolutorum, & actualiter simpliciter existentium: cæterum habere plura prædicata absolutè, & verè ex his, quæ propria sunt status conditionatorum. Nam sicut in tali statu eo ipsissimo sensu, quo potius sunt conditionata; quàm non conditionata, potius sunt id, quod sunt, quàm id, quod non sunt; sic etiam potius habent, quàm non habent ea, quæ sunt propria talis status, quæque per veram, & absolutam affirmationem eis conveniunt. Neque negandum est statibus obiectivis rerum, qui non aliquid fictitium sunt; sed aliquid realitatis, & veritatis habent, id per quod in tali statu, provt distinctum ab alio constituuntur, & quidquid aliud huius constitutionis sit proprium; sin minus dicant nobis: an esse possibile non sit aliqua realitas, ex qua id, quod est possibile, verè tale dicitur, vnde secum trahit cognoscibilitatem, vt sic in suo esse cognoscatur, & verè affirmetur: *Possibile esse possibile*, quod tam generale est omni statui obiectivo, vt etiam impossibilia comprehendat, & tam verè, & absolutè dicatur de ipsis: *Esse impossibilia*, ac dicitur de possibilibus, *esse possibilia*: de existentibus, *esse existentia*: & de futuris absolutis, & conditionatis, *esse futura absoluta*, & *conditionata*. Hinc, quod infertur, tantum est, futurum conditionatum nobis liberum, quia non habet esse proprium existentium, aut *absolutè*, aut *actualiter* non determinare determinatione propria *absolutè*, aut *actualiter* existentium; at non infertur nō determinare propria, & absoluta determinatione conditionatorum, quemadmodum ex eo, quod non habeat verificationem propriam absolutorum, aut existentium simpliciter nō infertur non habere verificationem propriam conditionatorum, ex qua verè, & absolutè de ipso dicitur: *Est futurum conditionatum*; quin ad hoc, vt tale sit, aliquid desideret, aut ei deficiat.

91 Ad vltimam illationem, in qua sistunt rationes dubitandi inferendo casualitatem Scientiæ strictè mediæ, nihil addere opus est dictis in antecedentibus, dum existentiam Scientiæ strictè mediæ conati sumus adstruere, dumque decretum subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum, tam à constitutione futuri cōditionati nobis liberi, quàm à requisitione eiusdem excluſimus: ibi enim hanc difficultatem solvimus explicantes; quomodo reiecto tali decreto, nec Scientia strictè media, nec veritas obiectiva, in quam tendit, sint Deo casuales, quamvis vtraque sit ipsi contingens, & non libera, sic repetito, & inculcato inconvenienti fit satis, quando speciale rebus non additur.

92 Obijcies secundò: Intendens probare, nec Deum posse esse determinativum *quo* in consideratione determinationis *liberæ*, & *moralis*; nec obiectum posse esse determinativum *quo* in consideratione determinationis *physicæ*. Nam nihil est in aliqua linea, aut consideratione nihil participans de tali linea, aut consideratione: sed Deus secundum intellectum suum, qua ratione diximus esse determinativum *quo* in consideratione determinationis *liberæ*, & *moralis*, cum intellectus divinus non sit, neque activè, nec passivè quid liberum, nihil participat *de morali*, & *libero*, & deinde obiectū, provt est futurum conditionatum nobis liberum, qua ratione diximus esse determinativum *quo* in consideratione determinationis *physicæ*, nihil participat de *physico*, provt contraponitur *libero*: ergo neque Deus est determinativū *quo* Scientiæ mediæ strictè talis in consideratione determinationis *liberæ*, & *moralis*, neque futurum conditionatum nobis liberum determinativum eiusdem in consideratione determinationis *physicæ*. Mai. quæ sola videtur indigere probatione, sic probatur. Nam nihil participare de aliqua linea, est nullo modo comprehendi sub tali linea: at repugnans est, non comprehendi vllo modo sub aliqua linea, & esse in aliqua consideratione sub tali linea: ergo nihil est in aliqua linea, aut cōsideratione nihil participans de tali linea, aut consideratione.

Ref-

93 Respondeo: Nihil posse se exercere sub aliquo munere in aliqua linea, aut consideratione, si neque *formaliter*, neque *constitutivè* pertineat ad talem lineam; at benè posse exercere aliquod munus in aliqua consideratione, & linea id, quod *formaliter* non pertinet ad eandem lineam. Exempla ad id suadendum plana sunt. Nam substantia, quæ formaliter non attinet ad lineam accidentis, potest, vt *quo* constituere aliquod totum accidentale per vnionem ad aliquod accidens in quantum est id, quo constituitur tale complexum, & aliunde comparata ad aliud constitutivum non prævalet in denominando: etiam Anima rationalis, quæ formaliter impenetrabilis non est, constituit totum impenetrabile, vt est homo completè sumptus, in quo sensu dici potest impenetrabile, vt *quo* propter similem rationem ei quæ intercedit in complexo *substantiæ, & accidentis*. Item materia, & vnio, quæ non sunt ex se formaliter cognoscitiva, & discursiva, vt *quo* talia dici possunt, in quantum constituunt cognoscitivum, & discursivum: & Deus, qui non est formaliter finitus, potest pertinere ad lineam finiti constitutivè in complexo resultante ex ipso, & creatura quod quidem finitum sicut, & contingens, & defectibile est: Durationes ex se mensurabiles formaliter constituunt æternitatem, & sic sunt immensurabiles, vt *quo*, & demum entitas rei permanentis constituit simul cum sua duratione complexum successivum, quomodo iure dicitur successiva, vt *quo*: pariter ergo intellectus divinus, & si sit in se quid necessarium, formaliter potest, vt *quo* pertinere ad determinationem liberam, & obiectum, quamvis in se sit quid liberum formaliter, potest vt *quo* pertinere ad determinationem physicam: quia exclusio alicuius rationis pro formali non excludit participationem eiusdem rationis *constitutivè*. Et ad formam distincta vtraque præmissa sub terminis *formaliter*, & *constitutivè*, neganda est consequentia.

94 Objicies tertiò: Intendens vnicam determinationem strictè talem ad sciendum futurum conditionatum nobis liberum per scientiam strictè mediam stare penes intellectum divinum: ideoque veritatē obiectivam futuri cōditionati in nullo proprio, & rigoroso sensu gaudere determinatione, cui strictè valeat tribui Deum habere scientiam determinatam, quam defacto habet, & quæ strictè media dicitur erga futurum conditionatum nobis liberum ex fundamento illo relato num. 55. Quodque movit citatum Borrull ad excludendam determinationē propriam ex parte obiecti, & medio ipso ex parte voluntatis creatæ, & vnicè collocandam ex parte Dei, quamvis, vt ibi vidimus, non neget scientiam strictè mediam esse comparabilem, & impedibilem per liberum arbitrium creatum media determinatione libera, aut libera impeditione veritatis obiectivæ conditionatæ, inquam tendit eadem scientia. Summa fundamenti ibi latius expositi, & obiectionis vis ad hos terminos reducitur, vt sine recursu ad alia simul, & argumentum, & solutio illius innotescant.

95 Veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi, dum suo modo intelligitur, præsupponit ea præsuppositione, qua de se ferunt necessaria præsupponi ad contingentia determinatum intellectum divinum metaphysicè ad cognoscendum idem obiectum ea scientia strictè media, quæ defacto datur, & correspondet obiecto, quod defacto est conditionatè futurum ex suppositione, quod tale obiectum ita se habeat, & ita in se cognoscibile sit: ergo præsupponit etiam eandem scientiam conditionatè determinatam in vi illius determinationis subiecti è absolutæ, & terminativè conditionatæ, quæ residet in intellectu divino ad talem determinatā scientiam pro casu, quo sit proportionata veritas ei correspondens: ergo veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi non determinat propriè scientiam sibi correspondentem. Probatur hæc vltima consequentia, nam cætera firma sunt. Connexum metaphysicè cum operatione aliqua, quam præsupponit conditionatè determinatam, per sui positionem eam simpliciter, & propriè non determinat, vt patens est in Deo non determinante plusquam logicè nostram operationem liberam, quamvis liberè determinet aliquid metaphysicè connexum cum ipsa ex eo, quod præsupponat eandem operationem conditionatè à nobis determinatam: sed veritas obiectiva futuri cōditionati nobis liberi semper ac suo modo intelligatur, præsupponit scientiam conditionatè aliunde determinatam ex determinatione illa necessaria intellectus divini subiectivè ab-

ſoluta, & obiectivè conditionata: ergo prædicta veritas obiectiva per ſui poſitionem, nec determinat ſtrictè, nec poteſt ſic determinare ſcientiam ſtrictè mediam ſibi correſpondentem.

96 Nec inferri poteſt contra hanc indeterminationē Scientiæ mediæ ſtrictè talis per obiectivam veritatem futuri conditionati, & per libertatem creatam, ad quam idem futurum attinet, eſſe ſimiliter dicendam inacquiribilem, & inimpedibilem per eadem extrema: quia *determinare*: *acquirere*, *& impedire* non ſunt mutuò convertibilia: cum poſſit verificari dari potentiam *liberam* ad *ſimpliciter* acquirendum, aut impediendum aliquod extremum; quin ſit libera poteſtas ad illud determinandum; vt comprobatur in Deo potente liberè acquirere noſtrum conſenſum liberum per collationem libertatis ſub ſcientia conditionata de conſenſu ſub eadem libertate, & potente liberè impedire eundem conſenſum per liberam ablationem libertatis, ſeu per non collationem libertatis ſub ſcientia proponente talem conſenſum liberum ſub libertate non collata; quin ideò poſsit iuxta nos liberè ſimpliciter determinare noſtrum conſenſum liberum: igitur quòd per veritatem obiectivam futuri conditionati nobis liberi, & per libertatem creatam, cuius liberum exercitium eſt eadem veritas, non determinetur ſimpliciter ſcientia ſtrictè media, non probat ex eiſdem capitibus eſſe incomparabilem, & inimpedibilem, quomodo duntaxat ea indeterminatio officeret libertati creatæ.

97 Quàm inconſequenter appareat nobis procedere obijciens in neganda determinatione ſimpliciter tali, tum per veritatem obiectivam futuri conditionati, tum per libertatem creatam, à qua ſuo modo procedit talis veritas, & concedenda acquiſitione, & impeditione relatè ad eadem extrema, iam loco citato oſtendimus. Neque exemplum adductum favere poteſt. Nam licèt impedibilitas, & acquiribilitas libera alicuius extremi ſtare ex ſe valeat cum ſtricta indeterminabilitate eiuſdem, vt benè probat caſus adductus; tamen attento fundamento ex quo movetur ad negandam determinationem ſtrictè talem, pariter negari debuiſſent impeditio, & acquiſitio ſtrictè tales. Etenim, vt ibi eſt ponderatum non minus ſupponitur ad poſitionem veritatis obiectivæ futuri conditionati liberi libertati creatæ, & ad impeditionem eiuſdem, *conditionalis de acquiſitione*, *& poſitione* ſcientiæ ſtrictè mediæ, aut de eius excluſione, & impeditione per poſitionem oppoſitæ; quàm *conditionalis de eiuſdem determinatione*: ſed per vos, quia præſupponitur conditionaliter determinata ab intellectu divino aliunde quoad exiſtentiam abſolutam non valet ſimpliciter determinari: ergo quia præſupponitur conditionaliter acquiſita, aut impedita per intellectum divinum, non valebit aliunde ſimpliciter, & propriè acquiri, aut impediri: ergo ad hominem quidquid ex alijs capitibus in contrarium probetur debent mutuò converti *determinatio ſimpliciter*, *& acquiſitio*, aut *impeditio* ſimpliciter talis, ſicque, aut vtraque conſequenter excludi, aut vtraque conſequenter admitti.

98 Reſpondetur: Propoſitionem illam conditionalem, & ex ea conditionatam determinationem ſcientiæ non obſtare, vt per veritatem obiectivam futuri conditionati nobis liberi, & per libertatem creatam, à qua provenit eadem veritas, ſimpliciter determinetur Scientia media ſtrictè talis defacto illi futuro conditionato correſpondens: idque provenire ex duplici capite. Provenit primò ex eo, quod conditionalis illa præſuppoſita, & determinatio ſcientiæ conſtituunt veritatem neceſſariam, & determinationem explicatam, & contentam in eadem neceſsitate, quæ non impediunt determinationem ſimpliciter talem eiuſdem ſcientiæ, & conſtituentem veritatem contingentem de exiſtentia illius; ſed ad ſummum, quæ ſit in eadem linea, aut neceſsitatis, aut contingentiæ. Et ratio eſt: quia determinatio conditionata operationis ex vi conditionalis neceſſariæ, pertinet ad lineam neceſsitatis, quæ non impedit contingentiam, ſicut contingentia non impedit neceſsitatem, & valdè diverſum eſt præſupponi aliquid determinatum ex vi neceſsitatis; ac præſupponi determinatum ex vi contingentiæ: propterea que neceſsitas illa locum relinquit contingentiæ, & determinationi ei proportionatæ, ſicut contingentia locum permittit neceſsitati, & determinationi illi, quæ ab ipſa emanet.

99 Id tam indubitatum ſe oſtendit, vt vel ipſis adverſarijs debeat eſſe

manifestum: aliàs fateri tenerentur, libertatem creatam, imò nec divinam exercere determinationem aliquam strictam, & propriam erga sua exercitia libera, quod meritò negabunt. Suadeo sic. Non minùs præsupponitur ad quodvis exercitium liberum, sivè nostrum, sivè divinum hæc conditionalis necessaria: *Si existat Scientia conditionalis de exercitio libero, & existat hypothesis talis Scientiæ, existet exercitium liberum*, respectum per eam Scientiam; quàm supponitur ad existentiam Scientiæ strictè mediæ, & determinatæ, conditionalis altera necessaria: *Si sit obiectum tale conditionatum liberum creaturæ, sit Scientia strictè media, & determinata ei correspondens*: sed per te ob hanc præsuppositionem Scientia media strictè talis, non aliter est determinabilis simpliciter; quàm per determinationem necessariam intellectus divini: ergo ob illam præsuppositionem non aliter erunt determinabilia simpliciter exercitia libera divina, & nostra; quàm per determinationem necessariam intellectus divini, qui æquè vnam, ac alteram conditionalem fundat essentialiter, & metaphysicè. Vel aliter ab oppositio. Sed per te non obstante illa præsuppositione in exercitijs liberis simpliciter determinantur per voluntatem divinam, & creatam: ergo non obstante illa præsuppositione ad existentiam Scientiæ strictè mediæ, & determinatæ simpliciter determinabitur per positionem sui obiecti, & per liberam electionem illius à voluntate creata.

100 Quod amplius explicari, & confirmari potest in determinatione conditionata cuiusvis exercitij liberi, vt sit id, quod est si existat, & vt præcisè existat excludens suum contradictorium, si existat, quæ determinatio necessaria est, vtpote radicata in conditionali necessaria. Iam sic: quodcumque exercitium liberum dum existit, præsupponit se ipsum sic conditionaliter determinatum, vt si sit id, quod est, & vt si existat, & sit, potius existat; quàm non existat, & potius sit quam non sit: nec non quicumque conatus voluntatis in tale extremum, præsupponit eandem determinationem conditionatam tàm respectu sui obiecti; quàm respectu sui: vel ergo ea præsuppositio conditionatæ determinationis exercitij liberi impedit à voluntate simpliciter determinari, vel non? Si impedit: ergo nullum exercitium liberum simpliciter determinabile est, à quacumque voluntate proveniat, sivè divina sit, sivè humana. Si non impedit: ergo præsuppositio illa determinationis conditionatæ, & necessariæ ad id, quod contingens est in existendo non excludit aliunde provenire determinationem simpliciter, cui existentia contingens extremi ita conditionaliter determinati tribui queat: & quidem non ob aliam rationem, nisi quia sunt determinationes, quæ etsi in idem tendant, vna tendit modo necessario; altera verò contingenti, & libero.

101 Vnde colligitur clarè disparitas ad casum Dei non simpliciter determinantis nostras actiones liberas; quamvis liberè determinet aliquid cum eis connexum, scilicèt: complexum resultans ex Scientia strictè media, & purificatione hypothesis ex præsuppositione earundem actionum in determinatione conditionata, quæ obstat determinationi propriè acceptæ: quia determinatio illa conditionata præsupposita ad exercitium liberum divinum est in linea contingentiæ: ideoque secum non permittit aliam determinationem propriam, & rigorosam etiam de linea contingentiæ, qualis esset determinatio proveniens ex libero exercitio divino, si huic competere posset determinare propriè, & simpliciter nostra exercitia libera; non sic quando determinatio conditionata præsupposita, est diversi generis propter necessitatem, quam includit, & à qua longè distat determinatio alia proveniens à veritate obiectiva futuri conditionati nobis liberi, tàm contingentis in se, ac est ipsum futurum conditionatum; ac proinde diversæ rationis, & lineæ in essendo, & determinando ab altera determinatione, quam necessario præsupponit. Pro quo iterum vrget instantia de impeditione, & acquisitione Scientiæ strictè mediæ, quam concedunt ex vi veritatis obiectivæ; quamvis per conditionalem necessariam eadem Scientia proponatur, aut conditionaliter acquisita, aut conditionaliter exclusa, & impedita.

102 Provenit secundò ex alio titulo, aut magis efficaci. Is est: quod veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi est quid connexum cum Scientia strictè media, quæ ei defacto correspondens, & vltra pertinens ad actum primum eiusdem Scientiæ, & operationis,

vtpo-

vtpotè quid expediens intellectum divinum, vt ab actu primo potentis habere proximè talem Scientiam, se transferat ad actum secundum cognoscendi,& habendi talem Scientiam: quia, vt iam diximus, intellectus divinus ex se est absolutè indifferens, vt coniungatur cum ea cognitione,& est determinatus duntaxat respectivè pro casu, quo sit obiectum proportionatum: vnde obiectum per sui formalem exhibitionem expedit divinum intellectum, vt evadat determinatus metaphisicè ad cognoscendum tali modo: quando ergo connexum existit pro priori ad aliquod extremum, connexum illud determinat simpliciter formaliter,& illud agens, à quo provenit connexum, determinat simpliciter elicitivè, quidquid sit, an extremum præcesserit, vel non conditionatè aliunde determinatum.

103 Ob rationem oppositam Deus liberè decernens complexum connexum cum operatione libera creaturæ; v. g. consensu sub determinato auxilio, & libertate, non ideò determinat simpliciter eandem liberam actionem consensus: quia nihil connexum ponit in priori proximo ad actionem liberam creaturæ, quod solùm continet libertatis indifferentiam liberè à Deo collatam: connexum autem illud, nimirum complexum ex Scientia media stricta de consensu,& ex purificatione hypothesis eiusdem Scientiæ complectitur duo signa *remotius*,& *proximum*, id est, signum prius ad collationem auxilij constitutum per Scientiam, & libertatem divinam ad conferendam libertatem, quod remotè se habet ad consensum liberum, & signum immediatius, & proximius ad consensum constitutum per auxilium,& libertatem creaturæ; verùm ita collectivè, vt in neutro distributivè accepto verificetur esse aliquid antecedens connexum cum operatione libera creaturæ. Si enim Deus aliquid ita connexum liberè decerneret, & in priori proximo operationis voluntatis creatæ collocaret, parum obesset præcedentia eiusdem operationis in determinatione conditionata voluntatis, vt Deus diceretur simpliciter determinans operationem creaturæ: cum per positionem illius connexi præcedentiam illam conditionatam operationis à voluntate creata liberè conditionatè exercitæ destrueret, & simul ex præsuppositione repugnantem redderet.

104 Hinc videas etiam: quare Deus liberè possit acquirere, & impedire nostras actiones liberas; quamvis servato libertatis creatæ iure, nequeat ipsas liberè determinare simpliciter. Etenim ad liberè acquirendum aliquod extremum etiam ab agente liberè operanti, non est necessarium ponere aliquid connexum, aut simpliciter determinans ad illud extremum; sed sufficit liberè determinare quoad existentiam principium, & causam indifferentem, qua secluſa, non erit extremum, & qua posita, erit infallibiliter tale extremum: sic meritò diceretur esse in mea libera acquisitione positum actum charitatis Petri, si mea adhibita suasione ad ellicientiam illius actus, eum esset Petrus infallibiliter elliciturus, meaque suasione impedita per oppositum esset idem actus defecturus; nec ideò meum consilium, aut suasio efficax haberet aliquam connexionem cum actu charitatis, à qua dici posset simpliciter determinatus. Similiter ad impediendum aliquod exercitium, aut extremum etiam ab agente libero non requiritur libera impeditio alicuius connexi cum extremo; sed sufficit libera impeditio illius, sine quo non esset extremum; quamvis eo posito, indifferenter sub illo existeret; ita mihi liberum est impedire coexistentiam mei ad alterum in templo me substrahendo à templo; quamvis me non substracto daretur indifferentia ad talem coexistentiam ex libertate alterius ad removendam coexistentiam.

105 Ad hunc modum Deus, & si non valeat per liberam determinationem alicuius connexi cum nostra actione libera eam simpliciter determinare; potest tamen liberè decernere libertatem illam determinatam, sub qua videt infallibiliter extituram nostram determinatam actionem liberam; & qua remota, vel absolutè, vel saltem sub tali libertate non esset etiam infallibiliter; sicque meritò sibi tanquam acquisitori tribuere illud exercitium nostræ libertatis; potest insuper impedire liberè libertatem determinatam, sub qua etiam infallibiliter cognoscit extituram operationem nostram liberam taliter, vt ea deficiente, vel absolutè, vel saltem sub illis principijs infallibiliter non existe-

ret,

ret, quod sufficit, vt simpliciter, & propriſsimè dicatur valens impedire talè exercitium liberum, quamvis libertas liberè impedita non sit talis, quæ si existeret, haberet connexionem absolutam, & antecedentem cum nostra actione. Erit igitur benè compositum in Deo posse liberè acquirere, & impedire exercitia illa, quæ sunt nostræ libertatis, tametsi non valeat eadem simpliciter determinare: & ecce simul rationem, in qua stat diversitas liberæ acquitibilitatis, & impedibilitatis ex vna parte, cum defectu determinabilitatis ex alia.

106 Objicies quartò, vt probes vniversalius, nec per positionem veritatis obiectivæ conditionalis de conditionato nobis libero suo modo exercitæ simpliciter determinari, aut acquiri, nec per eiusdem impeditionem, aut remotionem simpliciter impediri Scientiam strictè mediam eidem veritati obiectivæ correspondentem: nam si veritas obiectiva talis futuri conditionati ea munera erga Scientiam strictè mediam exercere posset, maximè, vt exercitium liberum est voluntatis creatæ: sed vt exercitium liberum est voluntatis creatæ, nec simpliciter determinat, aut acquirit talem Scientiam per sui positionem, nec per eius defectum, simpliciter eandem impedit: ergo Scientia strictè media simpliciter non determinatur, acquiritur, aut impeditur per veritatem obiectivam futuri conditionati nobis liberi, aut per eius defectum. Mai. est certa. Quia futurum conditionatum non aliter potest dicta exercere; quàm provt est obiectum Scientiæ strictè mediæ, nec aliter est obiectum huius Scientiæ, quàm vt exercitium liberum voluntatis creatæ. Prob. min. Futurum conditionatum tunc est liberum, quando in voluntate creata datur libertas ad illud determinandum, aut impediendum: sed quando in voluntate creata datur libertas ad illud determinandum, aut impediendum, futurum conditionatum illa munera exercere non potest: ergo, vt exercitium liberum est voluntatis creatæ, nec simpliciter determinat, aut acquirit talem Scientiam per sui positionem, nec per suum defectum eandem impedit simpliciter.

107 Maior non minus constans apparet, ac altera præcedens. Nam si futurum conditionatum est liberum à libertate voluntatis creatæ, tunc erit liberum quando in voluntate creata est, & exercetur libertas ad illud determinandum, aut impediendum. Prob. igitur minor. Quando in voluntate creata datur libertas ad illud determinandum, aut impediendum, est in statu absoluto voluntatis, in quo nihil ponere potest, aut non supponens Scientiam mediam determinatam, aut non supponens eandem impeditam, cum voluntas in statu absoluto tantùm valeat liberè se exercere, aut per absolutum *consensus*; v.g. supponens iam Scientiam determinatam, vtpote quid independens, vt sit ab statu absoluto sui obiecti, aut per omissionem liberam, & absolutam eiusdem consensus supponentem pariter impeditam Scientiam de consensu, vtpotè quid præsupponens Scientiam oppositam cum æquali independentia ab absoluto omissionis: sed id, quod dum se exercet liberè erga futurum conditionatum, aut supponit determinatam Scientiam, aut supponit eandem impeditam, nec per se activè, & mediatè nec per exercitia libera immediatè, & formaliter exercet munera acquirendi, determinandi, aut impediendi simpliciter talem Scientiam: ergo quando in voluntate creata datur libertas ad illud, nempè futurum conditionatum, determinandum, aut impediendum, futurum conditionatum illa munera exercere non valet.

108 Confirmatur. Futurum conditionatum, provt est extremum veræ libertatis, quomodo tantùm simpliciter liberum est, aut dicit esse positum in statu absoluto; aut dicit esse excluſsum in statu absoluto: sed neque secundùm, quod est positum absolutè determinat propriè, aut acquirit Scientiam strictè mediam, quæ ex sua constitutione existit determinata cum præcisione ab statu absoluto sui obiecti, neque secundùm quod est excluſsum in statu absoluto impedit propriè Scientiam strictè mediam, quæ ex suis essentialibus est etiam impedita cum præcisione ab statu absoluto excluſionis sui obiecti: siquidem veritas conditionalis opposita stare potest absque purificatione hypothesis, ac per consequens absque omissione absoluta conditionati sub hypothesi: ergo futurum conditionatum, provt liberum voluntati creatæ, neque est id, quod per sui positionem propriè determinat, aut acquirit Scientiam strictè

ctè mediam, nec per sui exclusionem strictè impedit existentiam eiusdem.

109 Probat obiectio: Nec veritatem ipsam obiectivam conditionalem de conditionato nobis libero esse à nobis simpliciter acquiribilem, determinabilem, aut impedibilem, cum eandèm independentiam quam dicit Scientia stricte media ab statu absoluto sui obiecti, dicat ipsa veritas obiectiva ab statu absoluto sui. Neque enim, vt sit verum futurum conditionatum consensum sub determinata nostra libertate si hæc existeret, est necessarium libertatem, & consensum absolutè existere: sicut, vt hæc veritas impediatur, & opposita de dissensu existat, non requiritur omissionem consensus absolutè sub existentia absoluta hypothesis, & libertatis existere, contenta vtraque est cum suo statu conditionato, qui quando advenit absolutus, iam præsupponetur ob memoratam independentiam, aut aliunde in suo signo præcisivo determinatus, & acquisitus simpliciter, aut in eodem signo simpliciter impeditus: vnde ergo determinatio, acquisitio, & impeditio ista proveniet, si non à libertate divina, cuius nullum intervenit exercitium aptum ad ea munera exercenda in veritatem obiectivam futuri conditionati, nec à libertate creata, quæ dum simpliciter libertas est, vt accidit quando in voluntate nostra absolutè existit, nihil exercere absolutè valet, quod non supponat aliunde determinatum futurum conditionatum nobis liberum in esse talis, aut nihil absolutè auferre, quod non supponat aliunde impeditum, & ablatum idem futurum conditionatum? Comprehensa igitur est sub eadem dificultate Scientia stricte media, & eius obiectum, & negandum veritati obiectivæ quidquid determinationis, acquisitionis, aut impeditionis passivæ simpliciter talium negetur Scientiæ, aut concedendum huic, quod vel soluta, vel remota tali difficultate conceditur.

110 Ideò dicendum, & immobiliter supponendum, tàm Scientiam stricte mediam, & determinatam de consensu; v.g. quàm veritatem obiectivam correspondentem eidem Scientiæ, non indigere statu absoluto libertatis, & voluntatis creatæ potentis liberè consentire. Ratio est: quia in purè possibilibus habet Deus Scientias plures conditionatas de consensu, & de dissensu ipsis liberis sub hypothesi, quod existerent talibus determinatis libertatibus, & comprincipijs ad agendum, & non agendum instructa, respectu quorum Scientia de consensu est ita contingenter determinata, vt potuerit non existere, & Scientia de dissensu respectu eiusdem hypothesis ita contingenter impedita sub eadem hypothesi, vt potuerit existere: sic etiam accidit in omnibus alijs conditionalibus de conditionato libero creaturæ, & quæ sunt de hypothesi non purificanda, vt omnes illæ, quæ sunt de pœnitentia finali, si his, aut alijs circunstantijs instruerentur in reprobis, & de dissensu, seu impœnitentia finali sub simili circunstantiarum varietate in electis: sed in his casibus nec pro determinatione Scientiæ mediæ stricte talis, quæ defacto existit potens non existere, nec pro impeditione Scientiæ, quæ defacto non existit, potens existere, requiritur status absolutus libertatis, & voluntatis consensuræ, aut dissensuræ, vt per se patet: ergo independenter ab statu tali absoluto intelligitur determinata Scientia, que defacto existit, potens impediri, & intelligitur impedita Scientia, quæ defacto non existit potens existere, & determinari.

111 Explicatur, *foret* operationis liberæ tantùm exigit *foret* libertatis, & causæ à quibus sub hypothesi proveniret: quia pro modo, quo intelligitur existens efectus, sufficit, & requiritur existentia principij, & causæ. Vnde pro effectu, tantum conditionatè, & sub hypothesi intellecto sufficit causa tantum conditionatè, & sub hypothesi intellecta: sicut pro effectu absolutè futuro sufficit causa absolutè futura: sed *foret* operationis liberæ intelligitur, taliter absque vlla necessitate, vt ita se haberet: ergo *foret* operationis liberæ taliter contingenter intelligitur, & cum capacitate, vt sic *non foret* absque eo, quod voluntas creata provt libera in statu absoluto existat: Ast dum intelligitur *foret* operationis liberæ, intelligitur determinata talis veritas, & Scientia ei correspondens, sicut impedita veritas opposita, *non foret*, & Scientia ei proportionata: ergo absque existentia absoluta voluntatis creatæ, & libertatis eiusdem intelligitur determinata vna veritas conditionalis de condi-

ditionato libero voluntati creatæ, & impedita veritas oppoſita cum Scientia ſibi proportionata, quæ ſi non impedirentur, illud, quod defacto eſt determinatum, eſſet impeditum.

112 Inde ſe oſtendunt duo maximè obſervanda in præſenti, quorum *vnum* eſt: futurum conditionatum nobis liberum non aliter determinare Scientiam ſtrictè mediam in ſtatu præciſionis ab ſtatu abſoluto ſui; quàm, vt exercitium liberum: tum, quia ipſam determinat, vt quid contingens: omnis autem contingentia reduci debet in alicuius libertatem, ne ſit repugnans: cumque futurum tale conditionatum non referatur mediatè tantùm in alicuius libertatem, quia non eſt aliud, medio quo liberè determinetur, neceſſe eſt in ſuo modo eſſe immediatè formaliter liberum, & provt ſic immediatè formaliter liberum determinare Scientiam ſtrictè mediam, qua à Deo cognoſcitur: tum quia procedit à voluntate creata, vt potente loco illius futuri conditionati determinare oppoſitum, quod eſt propriſſimè procedere, vt liberum, ſcilicèt ab agente potente ſic, vel aliter operari. *Alterum*: libertatem creatam præciſivè ab ſtatu abſoluto habere ſuum modum ſe liberè exercendi proportionatum conditionatis ſibi liberis, ſicut ipſa conditionata libera voluntati creatæ habent ſuum modum exiſtendi conditionatè, ex quo potius ita liberè ſunt, quàm non ſunt. Conſtat id. Nam libertas creata in ſtatu talis præciſionis ita ſe exercet conditionatè ſub hypotheſi, vt poſſit oppoſito modo ſub eadem hypotheſi determinari: ſed hoc eſt formaliſsimè ſe exercere liberè erga conditionata: ergo libertas creata præciſivè ab ſtatu abſoluto, in quo abſolutè exiſtens conſideretur, habet ſuum modum ſe liberè exercendi proportionatum conditionatis ſibi liberis.

113 Cæterùm cum tota hæc exiſtentia, quam ſuo modo habet futurum conditionatum liberum creaturæ, & etiam exiſtentia abſoluta, quam habet Scientia media correſpondens eidem futuro, ſit reſpectiva ad id, quod in ſtatu abſoluto faceret creatura, ſi poneretur in ſtatu abſoluto talis libertatis determinatæ, ſub qua prævidetur abſolutè conſenſura; v. g. opus eſt, quod accedente ſtatu purificationis conditionis, & libertatis, tàm futurum conditionatum; quàm Scientia illi propria, ſint dependentia quoad ſui determinationem, & impeditionem ab eo, quod in ſtatu abſoluto liberè determinet voluntas creata: nam independentia illa abſoluta ab ſtatu abſoluto libertatis, & exercitij benè componitur cum dependentia hac conditionata, & reſpectiva ad caſum ſtatus abſoluti hypotheſis. Sed in hoc ipſo adhùc eſt conſiderandum, quod cum ſtatus abſolutus exercitij liberi ſub libertate abſolutè exiſtente ſemper includat in ſe veritatem illam conditionalem: *Si exiſtat hæc determinata libertas, exiſtet conſenſus* ex ſe præſcindentem ab ſtatu abſoluto: ac propterea exercentem aliquam prioritatem reſpectu ſtatus abſoluti, ideò creata libertas in ſuo ſtatu abſoluto etiam ſemper prius abſolutè determinat veritatem illam conditionalem; quàm abſolutam: & prius per conſequens Scientiam divinam correſpondentem veritati conditionali, quàm correſpõdentem veritati abſolutæ; quin abſolutum operationis liberæ in ratione abſoluti abſolutè ſumpti, pluſquam logicè, & purè arguitivè determinet ſtatum conditionatum, & Scientiam ſtrictè mediam huic ſtatui correſpondentem: modo, quo idem ſtatus abſolutus exercitij liberi non pluſquam logicè, & purè arguitivè determinat ſcientiam ſimplicis intelligentiæ correſpondentem poſsibilitati eiuſdem exercitij.

114 Sic oportuit multa diſcernere, quę in argumento propoſito num. 106. ſunt expoſita confuſioni, ex qua non nullæ aliæ quæſtiones excitantur à Recentioribus, quoad determinativum Scientiæ ſtrictè mediæ. Vnde ad obiectionem reſpondendum, & diſtinguendus ſtatus ille futuri conditionati in ratione exercitij liberi. Nam ſi futurum conditionatum nobis liberum accipiatur ſecundum id, quod independenter à ſuppoſitione de ſe fert, id eſt, provt præſcindit ab ſtatu abſoluto, tunc intelligitur liberum paſsivè, & provt tale liberè determinatum libertate propria, & proportionata conditionatis liberis voluntati creatæ, & libertate activè ſumpta ſecundùm ſtatum libertatis activæ proportionatum exercitijs conditionatis acceptis præciſivè ab ſtatu abſoluto, qui eſt ſtatus verę libertatis propriæ conditionatorum: ſicut ſtatus abſolutus libertatis eſt ſtatus veræ libertatis propriæ

priæ abſolutorum. Si vero accipiatur idem futurum conditionatum nobis liberum ſecundum id, quod habet reſpectivè ad caſum purificationis hypotheſis, & in quo hypotheſis abſolutè exiſtit pro qua ſuppoſitione iam non præſcindit ab ſtatu abſoluto, tunc intelligitur liberum paſivè, & provt tale liberè determinatum libertate propria, & proportionata liberis abſolutis, & libertate activè ſumpta ſecundùm ſtatum libertatis activæ proportionatum exercitijs abſolutis, & ab ſtatu abſoluto non præſcindentibus, qui ſtatus veræ libertatis eſt non vnicè; ſed reſpectivè ad ſtatum proprium abſolutorum, quamvis ex vulgari modo loquendi, per illud, quod eſt commune conditionatis, & abſolutis, id eſt, *propria libertas* explicetur particulare libertatis correſpondentis abſolutis.

115 At dum futurum conditionatum nobis liberum coniungitur cum purificatione conditionis, & ſubditur libertati propriæ abſolutorum, ita ſubditur, vt tantum ſimpliciter tunc determinetur in ratione conditionati, & ſecundum illam prioritatem, quam dicit ad abſolutum abſolutè ſumptum quin vllo modo determinetur ſimpliciter, & propriè per abſolutum abſolutè ſumptum, quod vnicè ſe habet, vt argumentum inferens à poſteriori veritatem conditionati, ſicut, & veritatem poſsibilis: ac proinde non aliter intelligenda venit eius determinatio, quàm in purè logica, & arguitiva. Quomodo fit ſatis independentiæ obiectæ, quam habet conditionatum reſpectu abſoluti, & prioritati, quam ob talem independentiam exercet ſemper conditionatum in abſolutum, quam explicuit Ariſtoteles per *contingentiam vnius ſine alio*; & *non è converſo*: qua ratione accidit in præſenti: cum à conditionato non benè valeat ad abſolutum; ſecus verò ab abſoluto ad conditionatum, cum ſit legitimum antecedens ad hoc conſequens: *Si exiſtat libertas, exiſtet conſenſus*: illud: *exiſtit conſenſus ſub libertate A*. Vnde conſtat quid dicendum ad formam argumenti, & quibus diſtinctionis terminis vtendum.

116 Ex dictis manet reſoluta quæſtio illa, in qua Recentes aliqui multam operam inſumunt: an ſcilicet, Scientia media ſtrictè talis dicenda ſit determinabilis, aut impedibilis per exiſtentiam abſolutam conditionati, & per defectum abſolutum illius ſub abſoluta exiſtentia, & purificatione conditionis? In qua negandum eſt propter immediatè dicta in antecedentibus, talem Scientiam eſſe propriè, & ſimpliciter determinabilem, aut impedibilem per ſtatum abſolutum conditionati, aut per abſolutum defectum illius ſub exiſtentia, & purificatione conditionis, & tantum concedendum eſſe determinabilem, & impedibilem impropriè, & ſecundum quid, ſeu purè logicè, & arguitivè: non aliter ac fundamentum connexionis poteſt dici determinari, aut impediri per exiſtentiam, aut defectum termini connexionis exiſtentis poſteriori, cuius exiſtentia eſt argumentum ad inferendum fundamentum connexionis extitiſſe aliunde pro priori determinatum, & cuius defectus pariter inducit in defectum fundamenti aliunde impediti, vt videre eſt in ſententia prædeterminantium, in qua exiſtentia conſenſus liberi prædeterminati arguit exiſtentiam prædeterminationis, quin ipſam ſimpliciter, & pluſquàm logicè determinet; & defectus eiuſdem conſenſus arguit defectum talis prædeterminationis, quin pluſquam logicè ipſam impediat: quia ſemper prædeterminatio præſupponitur, aut aliunde ſimpliciter determinata; aut aliunde ſimpliciter impedita.

CAPVT IV.

Per illationes aliquas impugnantur aliorum ſententiæ, quoad determinativum Scientiæ mediæ ſtrictè ſumptæ.

117 VT plenè quæ ſpectant ad determinativum Scientiæ mediæ ſtrictè acceptæ, abſolvantur, reſtat excludere iudicia aliorum, vt ex propoſitione noſtræ ſententiæ ſimul cum ſolutione difficultatum adverſantium non erit difficile, cum ea, quæ noſtrum iudicium adſtruunt, alienum impugnent: ideò infertur primò. Non eſſe admittendos nexus illos æternos,

&

& attemperatos futuro conditionato libero creaturæ, quos in difficultatis ſolutionem excogitavit Antonius Perez, tum quia independenter ab ipſis, provt conati ſumus oſtendere, fit ſatis expeditæ determinationi Scientiæ ſtrictè mediæ per determinationem, quæ ſe tenet ex parte intellectus divini, & per ſuperaditam determinationem provenientem à veritate ipſa obiectiva futuri modo explicato. Vnde fruſtra fient per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora. Tum, quia in ipſo nexu non extinguitur; ſed fovetur, & permanet in ſua vi inſolutus nodus ille Gordianus *determinativi*. Quæritur enim: à quo determinetur talis nexus, vt potius ſit; quàm non ſit, aut exiſtat potius, quàm alter nexus correſpondens veritati obiectivæ oppoſitæ de futuro conditionato nobis libero? Nam ſi dicatur determinari per voluntatem creatam, ſtatim ſe offert per quid, aut quomodo determinetur à tali voluntate? Etenim voluntas creata exiſtit in tempore, cum nexus ille exiſtat ab æterno ſubiectivè abſolutè: ſi igitur Scientia, quia ab æterno ſubiectivè exiſtit, requirit per te determinativum ab æterno ſubiectivè exiſtens; etiam determinativum, quia ab æterno ſubiectivè exiſtit requiret determinativum, & determinans ſubiectivè ab æterno exiſtentia: quo manebit excluſa omnis determinatio à voluntate proveniens. Vlterius. Voluntas creata non reſpicit illum nexum (per te divinum) vt immediatum exercitium ſui: cum nihil divinum ſit immediatum exercitium illius, quod creatum eſt: ergo reſpicit, & determinat talem nexum, medio alio diſtincto, quod ſit immediatum exercitium eiuſdem, & abſolutè, & ab æterno non exiſtat. Quare ſi per aliquid ab æterno abſolutè non exiſtens valeat determinare nexum illum ab æterno exiſtentem, cur etiam per aliquid ab æterno abſolutè non exiſtens non poterit determinare ipſam Scientiam, in qua, & pro qua eadē militat ratio, quàm pro determinativo?

118 Iam ſi propterea dicatur nexum illum determinari à voluntate divina, oleum, & operam perdidit prædictus celeberrimus Author, vt non eſt credibile, propterea quod incidat in determinationem illam ſubiectivè abſolutam, & obiectivè conditionatam antecedentem omnem liberam determinationem creaturæ, qualem ſua, & noſtra non fert Schola ob incomponibilitatem cum libertate creata. Ratio eſt. Quia nexus ille, etſi æternus, eſt in exiſtendo contingens; non aliter ac contingens eſt: *me fore conſenſurum, ſi exiſtat in me libertas determinata*: omne autem contingens non poteſt ita contineri in medio, vt nec liberum Deo ſit, nec creaturæ; ſed alicui ex his libertatibus debet adſcribi, aliàs à ſe, & per ſe contingenter exiſteret; quomodo eſſet implicatoriè contingens: cum ſimul eſſet neceſſarium & contingens, vt in ſimili argumētatur D. Thom. ſupra num. 70. relatus, & expoſitus: ergo ſi nexus ille eſt à libertate creata, & eius determinatione omnino independens pro eius determinatione debet recurri ad libertatem divinam, & talem nexum concedere connexum cum exercitio abſoluto voluntatis creatæ pro caſu purificationis hypotheſis, & deinde inimpedibilem ob independentiam, quam ab exercitio libero creaturæ habet, quæ ſunt prædicata iuxta ipſum cum libertate operationis oppoſita. Hinc opus habet, vt libertati creatæ conſulat, facere hunc nexum dependentem à libertatis creatæ determinatione, & impeditione, quod qua ratione evenire valeat, explicet nobis, ne dum vnius determinativi difficultatem conatur extinguere, alteram in eodem gradu determinationis difficilis ſuſcitet.

119 Accedit everſio motivi, quod tantum Magiſtrum duxit in hanc ſingularem cogitationem, ſcilicèt, vt quæreret conſtitutionem futuritionis conditionatæ rerum contingentium in aliquo de præſenti correſpondenti æternitati futuri conditionati in verificando *eſſe taliter futurum*, cuius robur ſatis expendimus ſupra agentes de *futuritione, tàm in tota ſua latitudine*; quàm ſpecialiter provt comprehendit futura conditionata nobis libera, vbi authoritate, ratione, & inſtantijs curavimus evertere omne præſens connexum cum eventu futuro pro formali conſtitutione eiuſdem: refricentur ibi dicta, & forſan apparebit nihil eſſe tam arduum, & inſuperabile, vt petat his novis nexibus irretiri, & intellectum fugientem à futuritione conſtituta per aliquid præſens, talibus vinculis adiectis, & revocare, revocatumque quaſi reum perpetuo, & obſcuro carcere detinere.

120 Nec facilior eſt illa nexus attemperatio ad conditionatum exercitium

tium voluntatis creatæ, quæ expeditè dicitur, & non facilè explicatur. Nam determinatio omnis ſubiectivè abſoluta, & obiectivè, aut terminativè conditionata, quæ non conſiſtat in actu voluntatis, aut intellectus divini, & connexione in ipſis fundata, imperceptibilis omnino eſt, præcipuè, cum affirmetur ſimpliciter æterna: neque enim vſquàm viro Theologo venit in mentem aliquid contingens, & æternum præter actus contingentes divinæ voluntatis, & divini intellectus: qua ratione ille nexus, aut erit decretum, aut erit Scientia. Si *decretum*. Quæ attemperatio poteſt eſſe cum exercitio libero creaturæ in tendentia efficaci divinæ voluntatis ſubiectivè abſoluta, & obiectivè conditionata vnicè pro divina libertate determinata ſtando principijs Scientiæ mediæ, quam per tale determinativum converteret in Scientiam planè liberam? Si *Scientia*, & hæc erit vnicum determinativum ſui, quod negat, & aliunde ex obiecto reddetur inexplicabilis: cum habeat pro obiecto nexum, & nexus ſit formaliſsimè ipſa Scientia. Vnde Scientia divina de conditionatis nobis liberis nihil aliud reſpiciet præter ſe ipſam: qua ratione iuſtiùs dicetur tendentia ſubiectivè, & obiectivè abſoluta; quàm ſubiectivè abſoluta, & obiectivè conditionata? Eſt igitur dicendus nexus iſte durus, aſperus, & inextricabilis; non verò ſuavis, benignus, & conditioni futuri attemperatus.

121 Infertur ſecundo: pariter non eſſe admittendas actiones illas conditionatas, quas pro determinativo adinvenit Quirós, & quæ ſtatim ſe produnt ſupervacaneæ. Nam pro futuris cõditionatis nihil ſubiectivè abſolutum futuritionis tempore eſt neceſſarium; verùm ſicut ſufficit exiſtentia cõditionata illius, quod futurum conditionatum dicitur, ita ſufficit etiam, tum cauſæ, tum actionis exiſtentia conditionata, & quæ foret, quando foret effectus: nec minus incongruum apparet pro conditionatis quærere aliquid abſolutum, in quo formaliter ſtet *eſſe conditionatè*; quam pro *non eſſe poſitivè* querere aliquid poſitivum, in quo pro formali ſtet *non eſſe poſitivè*. Vltra hanc redundantiam continent in ſe prædictæ actiones eaſdem difficultates, quæ eis ſecluſis ponderantur. Demus ergo determinativum Scientiæ ſtrictè mediæ benè ex talibus actionibus conſtrui; aſt determinativum huius æterni determinativi, quale erit? Nonne divina voluntas? Minimè: ne ſic obiectum Scientiæ mediæ ſtrictè talis deſtruatur, & ipſa Scientia appareat repugnans, ſicut ſe falſificans. Nonne voluntas creata? Abſit: cum per te nihil exiſtens in tempore, queat determinare id, quod ab æterno exiſtit, vt exiſtit illud tuum determinativum. Nonne ipſa veritas obiectiva futuri conditionati? Etiam longe ſit: aliàs ſicut veritas ipſa obiectiva poſſet determinare illam æternam actionem, cur non poſſet determinare immediatè æternam Scientiam abſque vllius actionis conditionatæ interpoſitione?

122 Vrget etiam non parum contra hanc ſententiam propoſitio illa frequentiſsima apud Patres: *Quod ab æterno eſt, vel Deus, vel nihil eſt.* Vnde colligitur, actionem iſtam conditionatam, vel debere eſſe aliquid divinum, cum per te ſubiectivè abſolutè exiſtat, qualiter confunditur cum ſententia Antonij Perez, eiſdemque ſubijcitur inconvenientibus, vel deberè exiſtere in tempore, ſi quid poſitivum ſit, qua ratione fruſtratur intentum determinandi Scientiam mediam ab æterno per aliquid æternum, aut denique debere eſſe aliquid negativum ſi ſit æternum. Iam ſi ita ſit, reſtat inveſtigandum, cuius poſitivi ſit excluſivum iſtud negativum; nec non compoſitio prædicatorum actionis conditionatæ, vt aſſeritur cum ratione illius, quod purum negativum eſt, & quod principalius eſt, diverſitas innegabilis inter futura conditionata poſitiva, & negativa oppoſita, quibus correſpondere non poteſt determinativum eiuſdem rationis. Vnde ſi futuro conditionato poſitivo correſpondeat aliquid negativum æternum, cui immeritò ſatis adſcribatur munus actionis conditionatæ ſubiectivè æternæ; futuro conditionato negativo correſpondebit aliquid poſitivum, in quo erit inconveniens ponderatum æternitatis: cũ non ſit aliquid divinum, & etiam improportio conſtituendi in aliquo poſitivo actionem conditionatam pro aliquo negativo, cuius non *eſſe* plus exigit non actionem, ſivè abſolutam, ſivè conditionatam, quam actionem conditionatam, & conſiſtentem in aliquo poſitivo.

123 Inſuper. Aut actiones conditionatæ, quæ ab hoc Authore deſignantur pro determinativo Scientiæ, reſpiciunt terminum extra ſe, vel non reſpi-

piciunt? Si istud concedatur, vltra imperceptibilitatem huius actionis, in qua nil aliud detegatur; quàm esse actionem, ostenditur malè dici actionem conditionatam, cum ipsa in se quid subiectivè absolutum, ac proinde actio absoluta, & minimè conditionata venit iure appellanda: etenim actio tendens absolutè in absolutum, actio absoluta est. Si autem primum illud affirmetur: illud, in quod extra se tendit, non quid absolutum erit; verùm quid conditionatum; aliàs prædicta actio determinativum potius esset Scientiæ absolutorum; quàm Scientiæ conditionatorum. Iam sic: ergo actiones illæ terminantur ab æterno per aliquid purè conditionatum: ergo obiectivè conditionatum, provt in se tale est, & quid distinctum ab eo, quod simpliciter, & absolutè existit ab æterno, potest esse terminativum illius, quod ab æterno existit absolutè, & simpliciter terminativum: cur igitur obiectivè conditionatum, provt in se tale est, & quid distinctum ab eo, quod simpliciter, & absolutè ab æterno existit, non poterit esse determinativum illius, quod ab æterno existit absolutè, & simpliciter determinatum, vt est Scientia divina strictè media sine interventu talis actionis subiectivè absolutæ, & ab æterno simpliciter existentis? Nam ex terminis ipsis apparet clarum, non minus requirere, aut non requirere coexistentiam absolutam *terminare*, quàm absolutè *determinare*, & non minus requirere, aut non requirere passivum hoc, *ab æterno terminatum* existentiam æternam huius activi, *terminantis id, quod ab æterno existit terminatum*; quàm passivum, *ab æterno determinatum* existentiam æternam huius activi: *determinantis id, quod ab æterno existit determinatum.*

124 Idem confirmat paritas futuri absoluti contingentis determinantis Scientiam divinam absolutam visionis, in cuius determinatione, aut intercedit actio absoluta æterna; aut non intercedit? Si non intercedit: quare sicut absolutum determinat Scientiam æternam absque actione vlla æterna, & absoluta, non determinabit etiam futurum conditionatum Scientiam sibi correspondentem æternam absque actione vlla conditionata subiectivè æterna? Si intercedit. Qualis est ista actio absoluta æterna; creata verò, & distincta à decreto Dei, & à quâ causa procedit? procedit ne à Deo vnicè determinante, vel à creatura? Si à Deo: ecce prædeterminationem, & quidem mirabilem, cum non sit aliquid divinum, & sit quid æternum. Si à voluntate creata? Qua ratione hæc non existens determinat absolutè id, quod ab æterno existit? Si physicè: vide causam non physicè existentem ab æterno, & physicè ab æterno causantem, & determinantem, quo quid absurdius? Vide determinationem obiectivam ad aliquid æternum, quam renuis concedere, & quæ facilius sine actionum dispendio posset ipsa obiectiva veritas futuri absoluti exercere immediatè in Scientiam absolutam, ad cuius instar veritas obiectiva futuri conditionati nobis liberi poterit immediatè per se, & secluſa actione illa subiectivè absoluta, & terminativè conditionata immediatè per se determinare Scientiam divinam strictè mediam, & sibi proportionatam. Abeant igitur actiones istæ, quæ vt vni difficultati occurrant, multas, & graviores excitant.

125 Inferes tertiò, Scientiam strictè mediam non esse dicendam determinativum sui, seu à se determinatam, vt voluerunt Recenciores, qui aliam determinationem, pluſquam formalem, & generaliſsimam illam, qua vnumquodque existens per se immediatiſsimè est determinatum, vt sit id quod est, in ipsa Scientia collocarunt. Quorum sententia nobis probari non potest ex fundamento principali, cui innititur, videlicèt ponendi futuritionem, tàm absolutam; quàm conditionatam in aliquo de præsenti connexo cum eventu futuro: vnde, vt fugerent decretum divinum sibi adversum, ad Scientiam divinam confugerunt, querentes in mala causa peius patrocinium: ideò contra se habent omnia illa motiva, quibus suadere studuimus futuritionem pro formali non indigere aliquo de præsenti connexo cum eventu futuro; imò tale præsens potius in destruendam; quàm in adstruendam futuritionem pro formali conspirare. Quæ præcipuè vrgere debent contra ipsos destruentes consequutionem illam necessariam Scientiæ ad futura, quam nostra Schola semper tenuit, vt certam ex mente Patrum ad conciliandam infallibilitatem Scientiæ

cum libertate creata, tàm in abſolutis; quàm in conditionatis. Etenim dum eis firmum non ſit: *Scientiam Dei de futuris eſſe aliquomodo verè, & propriè, quia ſunt futura*: Deumque ea ſic cognoſcere, quia in ſe talia ſunt: potius, *quàm ea ſic talia eſſe, quia datur Scientia*, aut *quia Deus ſic ea cognoſcit*, neſcio, an quidquid contra prædeterminationem phyſicam, & decreta divina efficacia antecedentia ſtudioſiſsimè, & ingenioſiſsimè elaborarunt, vt oſtenderent non benè compoſita cum libertate creata, ipſis prodeſſe valeat ſuſtinentibus determinationis modum.

126 Cœterùm ſcrupulis prædictæ cauſalis non obſervatæ: *Deus cognoſcit futura, quia ipſa in ſe taliter futura ſunt* præſi, ne videantur à principijs alibi ſtabilitis deviare, toti ſunt in ea retinenda, & propriæ ſententiæ accomodanda, & quod mirari plus debet, ſibi plaudunt de compoſitione proferentes nunquàm ſtrictiùs verificari: *Deum cognoſcere futura, quia futura in ſe ſunt*, ac quando Scientia, qua cognoſcuntur, ſit futuritio illorum. Nam quando, inquiunt, rigidius verificabitur: *Deum cognoſcere futura, quia futura ſunt*, ac quando ipſa formalis ratio futuritionis, ſit ipſa formaliſſima ratio cognoſcendi, ſcilicèt ipſa Scientia, quæ duo illa munera æquè primò præſtat nimirum, & conſtituere obiectum futurum, & conſtituere Deum ſcientem. In quo viri alioquin doctiſsimi à difficultatis ſcopo multum diſtant. Aſſumptum namque Patrũ eſt non modò conſequentiam, ſeu illationem à futuris ad Scientiam conſtituere; ſed cauſalem, ex qua ſtet aliqua præcedentia futurorum ad Scientiam, vt ſic infallibilitas Scientiæ tanquam conſequens ad ſtatum ipſum futuritionis non noceat libertati voluntatis creatæ, quæ talem patitur infallibilitatem ſuæ operationis, quia ſic determinata eſt, & quam non pateretur, ſi oppoſito modo ſe exercuiſſet: vnde Scientiam, & infallibilitatem illius impediſſet; iam huic intento videant: an per illam explicationem ſatisfaciant, ſicut: an in ſenſu cauſali intelligant illud: *Deus cognoſcit futura quia futura talia ſunt*?

127 Nullatenus, vt ipſa ſententia per ſe oſtendit conſtituens vltra identitatem, ſumme comitantes rationem futuritionis, & rationem cognoſcendi futura, ſi licet ita loqui inter rationes formaliſsimè idem, vt ſunt apud ipſos *cognoſcere* futura, & *conſtituere* id, quod cognoſcitur in ratione futuri. Inde confundunt puram conſequentiam rationalem inter vnam, & alteram rationem formalem cum conſequentia cauſali, moti quia non nunquam id, quod quomodolibet eſt ratio exiſtentiæ alterius explicamus per particulam *quia*, quæ tunc non ſignificat cauſalitatem; ſed aut puram identitatem, aut connexionem, aut motivum: ſic dicitur: *quia Deus eſt, ſunt poſſibilia*: & in homine: *quia exiſtit animal, exiſtit rationale*, & è contra, & in intellectu: *cognoſcitur, quia eſt verum*: ſicut in voluntate: *amatur, quia eſt bonum*. Et tamen quando id, quod cognoſcitur non diſtinguitur ab ipſa cognitione, aut ab ipſo amore, quæ ſupra ſe reflectunt, nullus intercedit influxus inter rationem *veri*, & *cognitionis*, & inter rationem *boni*, & *amoris*. Ex quibus verum fit, per illam identitatem inter rationem formalem futuritionis, & rationem formalem cognoſcendi dari optimam, & legitimam conſequentiam: cum futuritionis ratio ob ſuam identitatem cum Scientia ſit ratio obiectiva movens intellectum ad aſſenſum Scientiæ: ſicut ex parte rei eſt ratio identica, vt ſit ratio Scientiæ; ſed quid hęc cum illa cauſali ſtrictè ſumpta, quam ipſi ſatis validè, & nervosè ponderant tract. de volunt. diſp. 18. cap. 2. vt ſic excludant Scientiam *viſionis* eſſe cauſam rerum? Quæ quomodo componantur cum hac ratione futuritionis formalis in *Scientia*, ipſi viderint: cum apud ipſos verum debeat eſſe: *ideò res exiſtunt, quia fuerunt futuræ*: & ideò fuerunt futuræ, quia viſſæ ſunt extituræ in aliqua temporis menſura.

128 At demus ipſis pro ſalvanda illa cauſali: *Res cognoſcuntur à Deo futuræ, quia ita in ſe futuræ ſunt*, ſufficere identitatem inter formalem futuritionem, & Scientiam, qualiter hæc doctrina favebit ad tuendam cauſalem alteram adverſativam: *Non verò ſunt futura, quia ſciuntur*, cuius, vt in referendis ſententijs advertimus, ſe geſſerunt immemores, & rectè quidem omiſſerunt, ne ea animadverſa, tenerentur fateri cauſalem mutuam, quam Patres propoſuerunt adverſativè. Quod facilè ſuadetur. Nam ſi quia *Scientia eſt futuritio* ſtat hæc cauſalis: *Deus cognoſcit futura, quia futura ſunt*: eodem iure: *quia futuritio eſt Scientia* ſtabit hæc altera cauſalis: *futura in ſe*

ta-

ralia ſunt, quia à Deo cognoſcuntur. Vnde contra Patrum ſenſum non minus *cognoſcuntur futura, quia ſunt futura*; quàm *ſunt futura, quia cognoſcuntur*, aliter nobis oſtendant, quid magis conducat identitas futuritionis cum Scientia ad fundandam illam cauſalem admiſſam; quàm identitas Scientiæ cum futuritione ad reddendam veram alteram cauſalem, quam negant, ne Patribus ſe prodant adverſos: ergo vel identitas futuritionis cum Scientia non ſufficit pro cauſali aſſerta, vel ſi ſufficit, locus non remanet adverſativæ: *Non ſunt, quia cognoſcuntur* ex mutua cauſali neceſſariò admittenda inter futura, vt talia, & Scientiam, qua à Deo cognoſcuntur.

129 Vlterius inexplicabilis omninò proponitur hæc determinatio *à ſe*, quam meditantur in Scientia ſtrictè media. Nam ſi per ſe eſt determinata, vt ſit pluſquam formaliter, & eo ſenſu, quo reliqua contingentia habent determinationem, vt ſint id, quod ſunt ex ſuppoſitione, quod aliunde effectivè determinentur, vt ſint, Scientia media hæc, quæ de facto datur, habebit determinationem quaſi ellicitivam, vt ſit: vnde non erit contingens; ſed neceſſaria: quia omne illud, quod, vt ſit, nullam aliam prævium determinationem contingentem expectat, per ſe eſſentialiter eſt determinatum, vt ſit: ſed omne quod ex eſſentialibus determinatum eſt, vt exiſtat, neceſſarium eſt in exiſtendo: ergo Scientia media, quæ de facto exiſtit, non contingens; verùm neceſſaria eſt. Neque ex hoc ſolo capite oſtenditur repugnans; ſed inſuper, quia neceſſariò ſemper coniungenda cum Scientia oppoſita, quæ ob eandem rationem probatur neceſſariò extitura obſimilem determinationem ad exiſtendum, quam in ſe neceſſariò continet; quin appareat aliquid prævium contingens, quo poſitò determinetur ad exiſtendum; & quo ſublato impediatur ab exiſtentia: ergo dum non ſit recurſus ad aliud contingens per aliquam libertatem in exiſtendo determinabile, ex quo quaſi ellicitivè proximè determinetur Scientia ſtrictè media, hæc apparet repugnans ex commixtione prædicatorum *contingentiæ*, & *neceſſitatis*, & ex eſſentiali determinatione ad coexiſtendum alteri ſecum eſſentialiter incompoſibili.

130 Confirmatur hæc ratio ab eo, quod conſtans eſt in reliquis contingentibus: ſi enim homo, vel equs ita eſſent ex ſe, & per ſe determinati ad exiſtendum, vt nullam determinationem prævium, & contingentem in exiſtendo, quæ vltimò in alicuius agentis liberi determinationem liberam refunderetur, expoſcerent; non contingenter, ſed neceſſariò exiſterent, vtpote habentes in ſuo eſſe determinationem à nulla alia prævè dependentem, imo chymæricè ſimul exiſterent ob determinationem ſimilem ad exiſtendum ſuo modo, quam haberent eorum defectus non aliunde, quàm à ſe, & per ſe determinabiles: ergo idem contingeret in Scientia ex vna parte contingenti, vt ſupponitur, ex altera neceſſaria ob non indigentiã vllius prævia determinationis, & denique chymærica propter eandem determinationem ad exiſtendum in Scientia oppoſita, quæ non pateretur diviſionem aliquam in exiſtendo, ſicut non patitur diviſionem in habenda determinatione ad exiſtentiam. Neque in hoc apparet aliqua diſparitas inter Scientiam ſtrictè mediam, & reliqua contingentia, ex qua benè conveniant in Scientia, quæ in reliquis contingentibus multas chymæras parerent.

131 Hinc ægrè ſatis percipitur: quomodo in hac ſententia ſtare valeat cohærentia infallibilitatis Scientiæ divinæ cum libertate creata. Nam ſi Scientia ſtrictè media per ſe eſt determinata, vt ſit, quando adveniat ſtatus abſolutus libertatis, dabitur aliquid connexum cum determinato libertatis extremo, & inimpedibile per poteſtatem voluntatis creatæ; quomodo in eorum ſententia conſiſtere nequibit libertas creata. Aſſumptum probatur, & ponamus exemplum in hac determinata Scientia: *Si exiſtat libertas A. in voluntate creata, exiſtet conſenſus*: hæc enim licèt abſolutè poſſit ſtare ſine conſenſu abſoluto; tamen in caſu, & pro caſu purificationis ſuæ hypotheſis habet connexionem, & inſeparabilitatem metaphyſicam à conſenſu abſoluto, vel quia in ipſa Scientia, provt diſtincta ab omni alio reſideret talis connexio, vt nos iudicamus, vel quia ſaltem in complexo ipſius, & libertatis ſit innegabilis. Iam iſta connexio nec erit vllo modo determinabilis, nec vllo modo impedibilis per voluntatem creatam. Non erit *determinabilis*: quia Scientia ſtrictè media eſt per ſe vnicè determinabilis à ſe ipſa: ſicut libertas, &

auxilium vnicè determinabilia per libertatem divinam. Neque erit *impedibilis*: quia non ſtat impeditio vnius abſque determinatione oppoſiti: ſed non eſt determinabile oppoſitum per libertatem creatam: ergo non erit impedibilis prædicta connexio. Probatur minor, quæ certa eſt de *non determinatione oppoſiti libertatis, & auxilij*: cum omnia exercitia illius poteſtatis ſint componibilia cum libertate, & auxilio: aliàs libertas deſtrui poſſet per ſua exercitia; ac proinde exiſtere, & deficere ſimul. Deinde ſuadetur de *non determinatione oppoſiti Scientiæ*. Tum: quia id, quod quando exiſtit vnicè determinatum à ſe exiſtit, quando deficit, vnicè determinatum à ſe deficit: cum non ſit maior ratio pro determinatione; quàm pro impeditione, quando id, quod impedit, non poteſt impedire poteſtatem expeditam determinandi. Tum quia voluntas creata nihil poteſt ponere, quod non exiſtat in ſigno poſteriori ad determinationem Scientiæ oppoſitæ, & propterea in ſigno poſteriori ad impeditionem huius: ergo non eſt determinabile oppoſitum.

132 Liquet igitur ex hac ſententia principium illud nobis, & Ieſuitarum Scholæ firmiſſimum: *Connexum cum determinato voluntatis extremo, & inimpedibile per eiuſdem voluntatis exercitium penitus evertere libertatem*: eſſe deſſerendum: cum iuxta ipſam ſtet complexum, nimirum *Scientiæ ſtrictè mediæ, & hypotheſis* connexum metaphyſicè cum determinato voluntatis extremo; v.g. *conſenſu*, & inimpedibile per diſſenſum, quin noceat libertati conſenſus. Vnde oppoſitum ſtatuendum, & in prædeterminationem totis viribus impugnatam declinandum. Si dicant: id tantùm nobis videri; ſed non ita eſſe: quia determinatio illa Scientiæ mediæ benè componitur abſque vllo libertatis nocumento, & ſalvis manentibus Scholæ principijs; fatebor, eam nobis eſſe illationem legitimam, quam ſic iudicabimus, donec per adverſariorum fundamenta in oppoſitum adducamur, & explicent benè compoſitam illam impedibilitatem connexi metaphyſicè cum determinato voluntatis creatæ exercitio cum illa indeterminatione Scientiæ, quam dicunt ſtrictè mediam, & nobis cœcurientibus appareat non plus mereri tale nomen; quàm prædeterminatio Thomiſtica titulum ſervandi iura libertatis creatæ ex eo, quod à multis vocibus *deſtinatæ ad fovendam, & conſervandam libertatem creatam* explicatur. Quomodo audio ab his Authoribus *Scientiam ſtrictè mediam*; aſt realitatem eiuſdem non invenio.

133 Infertur quartò. Non eſſe ſuſtinendum illud, quod aliquibus placuit: videlicèt Scientiam mediam ſtrictè talem non determinari; ſed fore determinandam: non habere determinativum; ſed habituram tunc, quando purificetur hypotheſis, ſub qua repræſentat extiturum conditionatum. Contra quem modum diſcurrendi facit primò. Etiam Scientiam viſionis dicendam non determinatam; ſed determinandam: non habere determinativum; ſed habituram, accedente tempore, in quo exiſtat abſolutè entitas, quæ repræſentatur abſolutè futura. Et ratio eſt. Quia ſi propterea Scientia ſtrictè media non determinatur; ſed determinabitur hypothetícè, non habet determinativum; ſed habebit ſub conditione: quia eius obiectum non exiſtit abſolutè; verùm conditionatè, & ſub hypotheſi: pariter, quia obiectum Scientiæ abſolutæ, & viſionis non exiſtit abſolutè; ſed exiſtet accedente tempore, neque exiſtente ab æterno, nec temporaliter in durationibus præcedentibus, meritò affirmabitur non determinata; ſed determinanda: non habere determinativum; ſed habituram, ea duntaxat diverſitate intercedente, quod Scientia ſtrictè media ſit determinanda ſub conditione, à qua præſcindit; altera verò ſit abſolutè determinanda. Quod ſi admittant, idem ſentiendum erit de impedimento, vt exiſtat taliter, vt Scientia abſoluta, quæ ab æterno non exiſtit, non ſit impedita; ſed impedienda: vnde mirabile quid apparebit: nempè, Scientiam ab æterno deficere, quin habeat impedimentum vllum, vt ab æterno exiſtat; ſicut per oppoſitum ab æterno exiſtere, quin habeat aliquid determinans, vt potius ſit; quàm non ſit.

134 Secundò. Eadem doctrinæ conſequentia aſſerendum, Scientiam ſtrictè mediam non terminari; ſed terminandam: non habere terminativum, ſed habituram: inde etiam non reſpicere obiectum, ſed reſpecturam, cum non ſtet reſpicere obiectum, quin obiectum ſit reſpectum: quomodo autem erit ab æterno reſpectum, quod ab æterno non eſt, imò neque adhuc in tempore, ſæpè

non

non est, verùm *purè esset*, quia hypothesis, sub qua affirmatur absolutè extiturum, nunquam erit. Ratio omnium est, ea semel, & iterum insinuata, nimirum non minus requirere, aut non requirere existentiam absolutam prædicatum *terminandi*, quàm *determinandi*: cum non minus *positivè absolutè*, & *de præsenti* affirmetur vnum, ac aliud: ergo si quia nihil vltra Scientiam strictè mediam, & ad eam obiectivè pertinens absolutè existit, sed existeret casu, quo purificaretur conditio, à qua præscindit in existendo absolutè, non habet terminativum, sed haberet: non determinatur, sed determinaretur, propter eandem rationem, & defectum absolutum illius, quod ad ipsam obiectivè pertinet, non habet determinativum, sed haberet: non terminatur, sed terminaretur: non respicit, sed respiceret; neque obiectum illius tale est, sed esset: imò futurum conditionatum, adhùc in ratione talis, non est, sed esset: immeritoque diceretur *est futurum conditionatè*, cum tantùm liceat proferre *esset futurum conditionatè*, quod est esse conditionatum reflexè in ratione conditionati, de qua reflexione nihil affirmandum erit de præsenti: vnde non reflectit, sed reflecteret; neque est reflexè conditionatum in ratione conditionati, sed esset; quomodò, vel verba ipsa nobis auferent ad exponendos conceptus.

135 Tertiò. Omne contingens, provt tale, & provt distinguitur a necessario, indiget, vt existat, aliquo determinativo extra se: sed Scientia strictè media est aliquod contingens, provt tale: ergo indiget aliquo determinativo extra se, vt existat. At si non habet determinativum; sed tantùm haberet casu, quo aliqua poneretur conditio, à cuius existentia absoluta præscindit, vt existeret non indigeret absolutè aliquo determinativo extra se, cum potius absolutè posset existere absque aliquo determinativo, sicut absolutè potest existere absque purificatione conditionis: ergo Scientia, quam dicis strictè mediam, non est quid contingens; sed necessarium, ac proinde quid repugnans. Maior à qua cætera pendent probatur. Nam si contingens, provt tale, & provt distinguitur à necessario, non indigeret aliquo determinativo extra se ad existendum per se, vnicè transferretur ab statu possibilitatis ad statum determinationis ad existendum: vnde haberet esse per se determinatum, vt non tantum sit possibile; verùm existens, quomodo non distingueretur à necessario, quod non ob aliam causam tale dicitur, nisi quia à nullo potest cohiberi ab existendo, nec aliquid extra se expectat, vt transferatur ab statu possibilitatis ad statum existentiæ, vnde intra se habet determinationem ad existendum, & ideò essentialiter existit: ergo omne contingens, provt tale, & provt distinguitur à necessario, indiget, vt existat, aliquo determinativo extra se; aliter cum necessario in existendo confundetur.

136 Nec dicas sufficere ad eam distinctionem capacitatem in eo, quod contingens dicitur ad habendum ex aliqua suppositione contingenti determinativum, quæ non invenitur in necessario, seu in determinato per essentiam ad existendum: hoc neque absolutè, neque ex suppositione aliqua contingenti potest habere extra se aliquid, à quo determinetur. Non id valet: nam semel, quod scientia ad existendum non indigeat aliquo determinativo extra se, neque indigebit ex suppositione aliqua sibi contingenti. Et ratio est: quia semel, quod absolutè non indigeat ad existendum aliquo determinativo extra se, etiam debet esse verum habere intra se, & in suo esse absolutè determinativum ad existendum: sed id, quod intra se habet determinativum ad existēdum taliter, vt absolutè non indigeat alio, à quo determinetur, per se est ita independens à contingenti, vt sicut nullum contingens potest ei auferre, aut determinare essentialia, sic nec valeat auferre, aut determinare existentiam: ergo vel dicendum est Scientiam strictè mediam semper, & absolutè indigere determinativo, vel negandum habere capacitatem, vt cum absolutè non determinetur, tamen ex aliqua suppositione habeat determinativum, & illo indigeat.

137 Confirmatur. Quia conceptus quivis obiectivus absolute habet independenter ab omni alio extra se verificare, quæ sibi sunt propria, & essentialia, nec absolutè, neque ex suppositione determinatur, aut impeditur ab aliquo extra se in ratione verificandi: ergo quia Scientia ista, quam vocas strictè mediam, & contingentem independenter ab omni alio extra se habet de-

ter-

terminationem, vt transferatur ab ſtatu poſsibilis ad ſtatum exiſtentis, neque abſolutè, neque ex ſuppoſitione determinabitur, aut impedietur ab aliquo extra ſe in ratione ſe transferendi ab ſtatu poſſibilis ad ſtatum exiſtentis. Et ratio eſt: quia prædicata *neceſſarij abſolutè in exiſtendo*, & *contingentis ex ſuppoſitione in exiſtendo* ſunt prædicata repugnantia, cum vnum ſit deſtructivum alterius: ſed per illam independentiam ſcientiæ, vt exiſtat, ab omni determinativo extra ſe, taliter, vt abſolutè illo ad exiſtendum non indigeat, conſtituitur in ratione abſolutè neceſſariæ: ergo repugnat habere capacitatem, vt ex aliqua ſuppoſitione ſibi contingenti aliquo determinativo ad exiſtendum indigeat.

138 Quartò. Innegabile eſt, Scientiam ſtrictè mediam conſideratam in ſtatu poſsibilitatis habere indifferētiam, vt transferatur ad ſtatum exiſtentię; aliàs non eſſet contingens, cum eius poſsibilitas eſſet determinata ad exiſtendum: ergo quando exiſtit, per aliquid determinatur illa indifferentia, quæ ex ſe non plus exigit exiſtere, quàm non exiſtere Scientiam. Patet conſequentia: Nam ſi non daretur aliquid determinans, & contrahens indifferentiam illam ad ſtatum exiſtentiæ huius determinatæ Sciētiæ, quæ exiſtit, vnicè exiſteret ſtatus præciſionis ad illam, ex quo non poteſt oriri potius ipſa, quàm non ipſa. Inde procedo. Ratio hæc, cui tribuitur contractio indifferentiæ, & determinatio eiuſdem ad hanc determinatam Scientiam, non purè *eſſet*, verùm *eſt*, cum exiſtit Scientia. Nam pro modo, quo eſt ablata indifferentia, aut contracta ad determinatam Scientiam, debet eſſe auferens, aut contrahens indifferentiam, ne aliter, ſicut per te non *eſt*; ſed *eſſet* determinativum, verificetur: *Scientiam non eſſe translatam ab ſtatu ſuæ poſsibilitatis, & indifferentiæ ad exiſtendum; ſed transferendam caſu, quo exiſteret hypotheſis*, quod falſiſsimum eſt, & tam inſuaſibile, ac ſi intenderetur Scientiam non exiſtere ab æterno, quando Deus cognoſcit futurũ conditionatum nobis liberum; verũ extituram caſu, quo exiſteret hypotheſis: ergo tam certum debet eſſe Scientiam hanc ſtrictè mediam, quæ defacto exiſtit, habere determinativum, ac eſt certum non eſſe tantùm poſsibilem, quando defacto exiſtit.

139 Inſuper, per te Scientia media non indiget aliquo determinativo, vt ſit, quia illud tantùm exigit pro caſu purificationis hypotheſis, à quo ita ex ſe præſcindit, vt quin vnquam purificetur hypotheſis, valeat exiſtere: ergo tantum indiget *ſuo exiſtere*, vt ex poſsibili fiat exiſtens: vel ergo indiget *ſuo exiſtere*, vt neceſſario, vel vt contingenti? Si *vt neceſſario*: ergo Scientia media non eſt contingens, ſed neceſſaria. Quia illud, quod ex poſsibili fit exiſtens per ſuum exiſtere neceſſarium, neceſſarium in exiſtendo eſt: ac per conſequens ita exiſtit, vt deficere non poſsit. Si *vt contingenti*: ergo indiget illo exiſtere, quod poteſt non habere. Quando igitur habet, vel habet vnicè determinativè à ſe, vel determinativè ab alio? Si vnicè determinativè *à ſe*: ecce deſtructã contingentiam in ſuo exiſtere: cum ſemper ſit determinata ad exiſtere, ſicut ſemper eſt determinata, vt ſit id, quod eſt, nec ſit maior ratio, vt deſiſtat à determinatione vt ſit, quàm vt exerceat determinationem, vt ſit: ſi determinativè *ab alio*. Ecce determinativum, quod negas habere, aut abſolutè habituram eſſe. Vlterius: Si ſcientia hæc, vt ſit, non indiget determinativo extra ſe, defectus huius Scientiæ, vt ſit, non indigebit determinativo extra ſe: cum eadem ſit ratio pro exiſtentia defectus Scientiæ, ac pro exiſtentia Sciētiæ: ergo quando conſideratur poſsibilis, tàm Scientia, quàm defectus illius, non datur maior ratio, vt defectus Sciētiæ per ſe vnicè determinetur ad non eſſe Scientiæ; quàm, vt Scientia per ſe vnicè determinetur ad ſuum exiſtere, & excluſionem ſui defectus. Quare autem aliquando prævaleat determinatio Sciētiæ ad ſuum exiſtere, & excluſionem ſui defectus; aliquando verò determinatio defectus ad ſuum proportionatum exiſtere, & excluſionem Scientiæ? Explicent nobis, ſi poſſunt, abſque determinativo aliquo extra Scientiam, & defectum illius, vt noſtrum captum excedit.

140 Infertur quinto. Parum eſſe curandum de illa diſtinctione obſervata apud aliquos Authores noſtræ, & communioris ſententiæ inter determinationem *poſitivam*, & *negativam*, renuentes concedere determinationem *poſitivam* per obiectum reſpectu Scientiæ mediæ, quæ defacto exiſtit, & tantùm admittentes *negativam*, quæ conſiſtit in reddenda impoſsibili Scientia oppoſita. Vnde intellectus divinus ex ſe determina-

natus vage ad habendam, vel Scientiam conditionatam de consensu, vel Scientiam conditionatam de dissensu, facta impossibili Scientia conditionata de dissensu per consensum conditionatum, ex se determinatur positivè ad habendam Scientiam de consensu, & negativè per ipsum consensum impedientem Scientiam alteram de dissensu. Quæ subtilitas non subsistit, vel quia si admittitur impeditio *positiva* vnius Scientiæ, cur non admittitur determinatio *positiva* alterius, quando Deus tam est determinatus ad non habendam Scientiam de dissensu, quando facta est possibilis proximè Scientia de consensu; quàm est determinatus ad habendam Scientiam de consensu, quando facta est impossibilis proximè Scientia de dissensu, vel quia ponere impedimentum ad Scientiam de dissensu in signo, quo non præsupponitur impedita, est ponere quid connexum cum Scientia de consensu in signo, quo non præsupponitur determinata, quod est formalissimè determinare Scientiam de consensu, quæ defacto existit, vt similiter discurrendum est, quando Scientia, quæ existat, sit de dissensu, vel denique, quia si aliquod inconveniens esset in determinatione positiva Scientiæ per obiectum, idem reperiretur in determinatione *negativa*: siquidem ex ipsis terminis, tàm facilè, aut difficilè est obiectum conditionatum per se reddere proximè impossibilem vnam Scientiam, & sic illam positivè impedire, quàm reddere proximè possibilem alteram, & sic illam positivè determinare.

)§(✠)§(



DISPV-

JHS.

DISPUTATIO XXIII.

DE HYPOTHESI SCIENTIÆ ſtrictè mediæ, ſeu quid ex parte hypotheſis illius poſsit attingi?

QVAMQVAM multa de hypotheſi obiectiva veritatum conditionalium contingentium etiam illarum, quæ ſunt de conditionato nobis libero ſupra ſint explanata, dùm conditionalem ſecundùm omnem ſuam latitudinem ibidem diſtinxerimus, & quod cuique pertinet, ſit inveſtigatum; ſuperſunt aliqua examinanda, quæ non parùm conducent pro plena, & perfecta intelligentia *Scientiæ ſtrictè mediæ*. Suppoſito ergo hypotheſim talis Scientiæ eſſe caſum illum, ſub cuius exiſtentia affirmatur conditionatè extitura operatio libera voluntatis creatæ; inquirendum modò eſt, quantum dicta hypotheſis comprehendat? Ideſt, quid eiuſdem conſtitutionem queat ingredi, ſicut quid ab ea conſtituenda ſit excludendum, quia conditio Scientiæ non ferat illud exprimere ex parte hypotheſis ad ſuum proprium conditionatum? Is eſt præſentis diſputationis ſcopus.

CAPVT I.

Leviora dubia circa hypotheſim Scientiæ ſtrictè mediæ reſolvuntur.

1 INquiritur primò: An actus Deo liber; v. g. decretū voluntatis ipſius, vel aliquid aliud divinum queat ingredi hypotheſim *Scientiæ ſtrictè mediæ*? Reſpondetur primò: Nullum decretum Dei connexum metaphiſicè cum conditionato poteſt ſe tenere ex parte hypotheſis *Scientiæ ſtrictè mediæ*. Ratio eſt evidens: Quia omne connexum metaphiſicè cum cōditionato reddit conditionalem neceſſariam *obiectivè*: etenim quod exiſtat terminus connexionis metaphyſicæ ſub exiſtentia fundamenti connexionis eiuſdem, quid neceſſarium metaphyſicè eſt: Vnde ſumpto pro hypotheſi fundamento talis connexionis ad ſuum terminum, evadit conditionalis obiectivè neceſſaria; vt apparet in his: *Si exiſtat actio, exiſtet terminus: ſi exiſtat vnio, exiſtent extrema*: ſed nulla conditionalis *obiectivè* neceſſaria poteſt eſſe obiectum *Scientiæ mediæ*, quæ vtpotè contingens affirmare debet veritatem contingentem: ergo nullus actus Dei liber connexus metaphyſicè cum conditionato poteſt ingredi hypotheſim *Scientiæ ſtrictè mediæ*. Inde conſtat manere excluſa ab hoc ingreſſu, & conſtitutione decretum prædefinitivum efficax divinum cuiuſvis actionis noſtræ liberæ; necnon decretum collativum auxilij, & libertatis creatæ quomodolibet connexum metaphyſicè cum determinato libertatis extremo; ſive quia immediatè reſpiciat tale extremum, ſive quia connectatur eſſentialiter cum alio metaphyſicè cōnexo cum eo, quod exiſtat tale extremum ſub exiſtentia hypotheſis: Nam hæc conſtituerent hypotheſim connexam metaphyſicè cum conditionato; ac proinde conditionalem obiectivam neceſſariam nullo modo affirmabilem per *Scientiam contingentem*, qualis debet eſſe *Scientia ſtrictè media*.

2 Dico ſecundò: Nihil divinum connexum cum conditionato, ſive id Deo

Deo ſit liberum, ſive purè contingens poteſt ſe tenere ex parte hypotheſis prædictæ ſcientiæ. Ratio eſt eadem ac pro præcedenti; nam quod tale connexum pertineat ad aliam potentiam divinam diverſam à voluntate, & quod ſit, aut non ſit liberum, non impedit conditionalem evadere neceſſariam, ſicut non impedit hypotheſim eſſe connexam metaphyſicè cum conditionato, quomodo ea veritas non poteſt *obiectivè* correſpondere *Scientiæ contingenti*: ergo tale connexum pertinens ad divinum intellectum incapax eſt conſtituendi hypotheſim pro ea ſcientia: Vnde excluduntur à ratione hypotheſis, tum *Scientia viſionis* de conditionato, tum ipſa *Scientia ſtrictè media* affirmans conditionatum ſub hypotheſi cum vna, & altera habeat connexionem metaphyſicam, ex qua hypotheſis reddatur metaphyſicè inſeparabilis à conditionato, vt oſtendunt conditionales iſtæ: *Si exiſtat libertas, & Scientia viſionis de conſenſu, erit conſenſus: Si exiſtat libertas, & Scientia media de conſenſu, erit conſenſus*, quæ veritates conditionales neceſſariæ ſunt ex connexione metaphyſica hypotheſis cum cõditionato.

3 Dico tertiò: Nihil connexum metaphyſicè cum conditionato, ſive pertinens ad divinum intellectum, ſive pertinens ad divinam voluntatem, ſive liberum Deo ſit, ſive non liberum, adhùc vagè acceptum, poteſt conſtituere hypotheſim prædictæ Scientiæ. Ratio eſt: quia cùm pro veritate *diſiunctivæ* ſufficiat vnum extremum ex diſiunctivè attactis, quod extremum connexum cum conditionato ponatur *diſiunctivè* ex parte hypotheſis, non tollit neceſsitatem conditionalis veritatis, vt manifeſtum eſt in his conditionalibus: *Si exiſtat libertas, & decretum connexum, vel non connexum cum conſenſu, erit conſenſus: Si exiſtat libertas, & Scientia viſionis, vel defectus Scientiæ viſionis de conſenſu, erit conſenſus: Si exiſtat libertas, & Scientia ſtrictè media, vel de conſenſu, vel de diſſenſu, erit conſenſus*: Nam omnes hæ ab illo extremo habente connexionem metaphyſicam cum conditionato, & verificante diſiunctionem illam: *vel ſi exiſtat, vel non exiſtat, erit conſenſus*, redduntur veræ abſque contingentia vlla, ac proinde neceſſariò, vt non poſſunt eſſe obiectum affirmatum per Scientiam *contingentem*.

4 Dices: Hypotheſis ipſa obiectiva libertatis ad conſenſum poteſt habere, & defacto habet connexionem metaphyſicam *vagam* cum aliquo connexo metaphyſicè cum conditionato conſenſus: ergo etiam Scientia *ſtrictè media* poterit repræſentare ex parte hypotheſis illud connexum per tendentiam *vagam* erga ipſum. Antecedens conſtat: quia ſicut libertas creata connectitur metaphyſicè cum Deo, ita connectitur cum eo, quod eſt neceſſarium, vt non repugnet Deus, quale eſt non deficere vtrumque contradictorium *decreti efficacis*, & *defectus decreti efficacis*; *Scientiæ viſionis* & *defectus Scientiæ viſionis*; *Scientiæ ſtrictè mediæ*, & *defectus Scientiæ ſtrictè mediæ* erga conſenſum. Deinde probatur conſequentia: quia id quod hypotheſis habet in ſe, & provt à parte rei ſine præiudicio ſui in ordine ad conditionatum, poteſt attingi, & repræſentari per *Scientiam mediam*, vtpotè, quæ hypotheſim debet attingere, provt eſt in ſe, & ſecundùm omnia illa, quæ habet à parte rei: ergo rectè deducitur, quod ſi hypotheſis ipſa obiectiva libertatis ad conſenſum poteſt habere, & defacto habet connexionem metaphyſicam *vagam* cum aliquo metaphyſicè connexo cum conditionato conſenſus; etiam Scientia *ſtrictè media* poterit repræſentare ex parte hypotheſis illud connexum per tendentiam *vagam* erga ipſum.

5 Sed contra: quia ſi ab eo, quod obiectum habet in re, commenſuranda eſt repræſentatio cuiuſvis Scientiæ, in vna confunderentur omnes formalitates Scientiæ divinæ, nec eſſet locus ſcientiæ *ſimplicis intelligentiæ* & *viſionis*, Scientiæ *neceſſariæ*, & *liberæ*: etenim in obiecto, quod exiſtit contingenter Scientia *ſimplicis intelligentiæ* non poſſet ſe cohibere intra terminum repreſentandi poſſibilitatem eiuſdem obiecti, quomodò neceſſarium quid eſt *obiectivè*, & *ſubiectivè*; ſed repræſentaret exiſtentiam, quomodo quid liberum eſt *obiectivè*, & *ſubiectivè*: ſicut è contra, Scientia *viſionis* ſiſtere nequiret intra terminos repræſentandi exiſtentiam eiuſdem obiecti; quomodo contingens quid eſt *ſubiectivè*, & *obiectivè*; verùm repræſentaret etiàm poſsibilitatem illius, quomodo quid eſt neceſſarium *ſubiectivè*, & *obiectivè*: itaque ſervanda eſt in Scientia divina ſecundum diverſas formalitates illa diſtinctio talis, quæ &ſi non ſit realis;

lis; æquivalet tamen distinctioni reali, in quantum taliter se gerunt in ordine ad exercenda diversa munera, & se cohibendum intra certos terminos, ac si essent realiter distinctæ. Inde, licèt sæpè conveniant in obiecto, vt apparet in exemplo appositio, quævis retinet, quod suum est *formaliter*; quin ad alterius lineam se extendat; ita vt ex omnibus formalitatibus Scientiæ resultet vna adæquata, & plenissima repræsentatio obiecti iuxta cognoscibilitatem passivam illius, & quævis secundùm se considerata, habeat quidquid ad se pertinet perfectissimè.

6 Propterea non est bonum argumentum, hypothesis à parte rei habet connexionem illam vagam cum eo, quod est metaphysicè inseparabili à cõditionato: ergo Scientia conditionalis contingens debet id ipsum repræsentare: quia sic confunderetur cum Scientia quidditativa rerum; & cùm ex vna parte supponeretur contingens, & defectibilis, ex altera fieret pœnitùs necessaria, & defectibilis per tendentiam, sive explicitè, sive implicitè affirmantem conditionatum illo modo, quo sub hypothesi deficere non potest: Probat igitur benè duntaxat, quod si in hypothesi est illa connexio *vaga* cum termino inseparabili à conditionato, debet existere in intellectu divino aliqua formalitas Scientiæ, cui correspondeat repræsentatio illius; non verò quod formalitas Scientiæ *strictè mediæ* debeat illud plusquam materialiter attingere: id est, *debet attingere hypothesim, quæ est sic connexa*; sed *non illam exprimere*, vt *sic connexam*; non aliter ac Scientia *visionis* repræsentans Petrum existentem in rebus attingit id, quod est possibile, & in existendo non repugnans; at non exprimit ipsum, vt possibilem, & in existendo non repugnantem, cùm hoc pertineat alteri formalitati divinæ Scientiæ indefectibili, & in existendo necessariæ, quæ suscipit denominationem Scientiæ *simplicis intelligentiæ*, secùs denominationem Scientiæ *visionis contingentis*, & *defectibilis*.

7 Dico quartò: Quodcumque divinum, sive pertinens ad divinam voluntatem, sive ad divinum intellectum, sive liberum, sive non liberum, sive contingens, sive necessarium dummodò non sit connexum metaphysicè cum conditionato, potest constituere hypothesim obiectivam Scientiæ *strictè mediæ*, & per hanc assumi *repræsentativè*, vt casum, sub quo affirmet existentiam cõditionati. Ratio est: quia quod ita se habeat, potest in re absolutè coniungi cum conditionato proprio Scientiæ *strictè mediæ*, quale est operatio libera voluntatis creatæ; ac proinde valet esse id, quod si existat absolutè, coniungetur cum conditionato: deinde cum nullam habeat connexionem metaphysicam cum conditionato, constituit veritatem obiectivam conditionalem contingentem de conditionato libero voluntatis creatæ, quæ est propriissimum obiectum Scientiæ *strictè mediæ*: ergo tale non connexum, quodcumque illud sit, potest constituere hypothesim obiectivam Scientiæ *strictè mediæ*; & per hanc ex parte hypothesis exprimi. Confirmatur: Non minus est verum, quod si existat tale inconnexum existet sine præcisione à duplici contradictorio conditionati proprii Scientiæ *strictè mediæ*; v. g. *Consensus liberi*; quàm quod si existat quodcumque aliud inconnexum, & sine dubio aptum, vt sit hypothesis Scientiæ *mediæ strictè talis* existet sine præcisione vllæ à duplici contradictorio conditionati proprij eiusdem Scientiæ: sed propter hanc non præcisionem quodcumque aliud quod sine dubio est aptum, vt sit hypothesis Scientiæ *strictè mediæ*, & constituit hypothesim, & ex ipso, & conditionato resultat veritas affirmabilis per Scientiam *strictè mediam*: ergo propter similem præcisionem illud inconnexum, de quo est quæstio, & constituet hypothesim proportionatam Scientiæ *strictè mediæ*, & ex ipso, & conditionato resultabit veritas conditionalis affirmabilis per eandem Scientiam.

8 Ex quo deducitur: Decretum applicativum omnipotentiæ ad concurrendum cum voluntate creata ex huius determinatione, & electione esse quid aptissimum ad constituendam hypothesim Scientiæ *strictè mediæ*, tum propter indifferentiam, quam ex se habet ad quodcumque libertatis extremum, tum quia est vnum è constitutivis libertatis creatæ; quæ completè, & adæquatè sumpta, est aptissima hypothesis talis Scientiæ, cum sit maximè conducens ad conditionatum eiusdem: propter eandem rationem voluntas illa seria, & generalis, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, & sub quacumque de-

ter-

terminata voluntatis creatæ libertate, vult quatenùs est ex se potius consensum bonum, quam dissensum, respectu cuius tantum permissivè se habet, cum indifferentia tamen ad consensum, potest esse hypothesis Scientiæ *strictè mediæ*, & constituere ex parte casus ad conditionatum veritatem conditionalem obiectivam contingentem proportionatam tali Scientiæ. Deducitur etiam Scientiam *visionis* vnius obiecti posse esse hypothesim, sub qua affirmetur existentia alterius, cum quo non habet connexionem: necnon vnam Scientiam *strictè mediam*; quamvis de hoc latius pòst, esse aptam hypothesim ad conditionatum alterius, cum quo sub existentia sui non habet connexionem, cum tam vna, quàm altera ex his scientijs sit in re coniungibilis cum conditionato proprio alterius Scientiæ *strictè mediæ*, & propter inconnexionem, quam habet cum conditionato constituit veritatem conditionalem contingentem de conditionato libero voluntati creatæ, quæ est obiectum proprijssimum talis Scientiæ.

9 Dices: Nullum diuinum decretum posse constituere hypothesim Scientiæ *strictè mediæ*: quia si tale decretum hypothesim constitueret, esset connexum cum existentia conditionati sub propria existentia, quomodo destrueret veritatem obiectivam conditionalem in ratione obiecti proprij Scientiæ *strictè mediæ*, quod est veritas obiectiva contingens; non necessaria, vt esset illa, quæ haberet pro hypothesi aliquid connexum cum conditionato. Assumptum probas: quia Scientia illa *strictè media*, quæ assumeret pro hypothesi tale decretum, qualecumque illud sit, constitueret libertatem ad tale decretum ex doctrina generali, qua à nobis asseritur, Scientiam conditionatam contingentem, quæ non habeat pro conditionato illud decretum, constituere libertatem ad ipsum: quia propter independentiam, quam Scientia *strictè media* habet à decreto absolutè existenti, non est vnde retrahatur à signo priori ad decretum; ac per consequens à constituenda libertate ad ipsum; vnde sic: omnis actus liber Dei intrinsecè liber est, & propterea connexus metaphysicè cum ea libertate, qua defacto gaudet: sed libertas illa qua defacto gaudet, constituitur per Scientiam conditionatam assumentem ipsum pro hypothesi ad conditionatum: ergo decretum illud connectitur cum Scientia conditionata assumente ipsum pro hypothesi ad conditionatum: at hoc est connecti metaphysicè cum existentia conditionati sub existentia sui, quia est connecti cum hac veritate conditionali: *Si existat decretum, existet conditionatum*, quæ inseparabilis metaphysicè est ab eo, quod si existat decretum, existat conditionatum: ergo si decretum Dei constitueret hypothesim Scientiæ *strictè mediæ*, destrueret hypothesim eiusdem Scientiæ ob connexionem metaphysicam cum conditionato, ex qua resultaret veritas conditionalis necessaria inepta, vt respiciatur per talem Scientiam.

10 Sed contra: quia aliud est decreta diuina esse intrinsecè libera, aliud esse intrinsecè liberâ ea libertate, qua defacto gaudent. Primum est verum: quia in Deo nulla est ratio, vt id quod potest ponere liberè, ponat aliquando necessariò, vt contingit in creaturis, quæ ex defectu præparationis concursus ad oppositum, vel ex vehementia rationis allicientis cum defectu rationis retrahentis possunt eundem actum, iam ponere necessariò, iam ponere liberè. Secundum est falsum, nec facilè probari potest; imò id pertinet ad amplitudinem diuini dominij, vt id, quod ponit sub determinata libertate, qua defacto gaudet, posset ponere sub libertate dissimili non opposita cum obiecto decreti. Neque id leviter suadet decretum applicativum indifferens, quod aliter non posset constituere libertatem creatam, vtpotè quid connexum cum exercitio libertatis, quod defacto existit. Propterea dicendum, decretum assumptum pro hypothesi à Scientia *strictè media*, licèt modo, quando existit hæc Scientia, eam præsupponat, & per ipsam reguletur; non tamen id esse ei essentiale, cum æquè posset existere sub altera Scientia *media strictè tali*, & opposita huic, quæ defacto existit, & constituit libertatem determinatam, à qua defacto procedit potens procedere ab alia, & tantùm habens connexionē *terminativè* vagam, cum hac, vel altera Scientia, sicut cum hac, vel illa libertate, vt ita sit intrinsecè liberum, sine inconvenienti obiecto connexionis metaphysicæ cum conditionato, cuius est hypothesis.

11 Inquiritur secundò: an aliquid

quid indefectibile; & in exiſtendo, aut verificando neceſſarium poſsit conſtituere hypotheſim Scientiæ *ſtrictè mediæ*; v. g. An *Deum eſſe omnipotentem*, quod eſt indefectibile, & in exiſtendo neceſſarium, *aut Petrum eſſe poſsibilem*, vel *chymæram eſſe repugnantem*, quæ ſunt indefectibilia, & neceſſaria, valeant conſtituere hypotheſim dictæ Scientiæ? Reſpondetur ſub diſtinctione; quòd ſi tale neceſſarium conſideretur, vt hypotheſis *adæquata* non poteſt reſpici, vt hypotheſis à Scientia *ſtrictè media*; ſecus ſi conſideretur, vt hypotheſis *inadæquata*, & vt pars hypotheſis.

12 Probatur prima pars: nam veritas conditionalis correſpondens tali *Scientiæ* eſt veritas conditionalis *ſtricta*, continens in ſe præciſionem à purificatione hypotheſis, & ab ſtatu abſoluto conditionati ſub exiſtentia abſoluta hypotheſis, vt dictum eſt ſupra in examine veritatis conditionalis *ſtrictæ*, & *propriæ*; vnde Scientia *media ſtrictè* ſumpta debet habere in ſe ſimilem præciſionem à purificatione hypothe, ſis, & ab ſtatu abſoluto conditionati ſub exiſtentia hypotheſis: at quando aliquid modo dicto neceſſarium ſit hypotheſis adæquata, nec veritas obiectiva conditionalis poteſt habere talem præciſionem ab ſtatu abſoluto hypotheſis, & à purificatione eiuſdem; nec-non ab ſtatu abſoluto conditionati; ſicut nec Scientia habens pro obiecto eam veritatem poteſt habere ſimilem præciſionem: nam ſi veritas conſtituitur per conditionem eſſentialiter purificandam, qualis eſt, quæ in ratione talis deficere non poteſt abſolutè, & ſcientia connectitur metaphyſicè cum huiuſmodi veritate, nec veritas obiectiva, nec Scientia eam exprimens valebunt præſcindere à purificatione hypotheſis, & coniunctione abſoluta ipſius cum cõditionato: ergo illud quod neceſſarium fuerit, ſive in exiſtendo, ſive in verificando non poteſt conſtituere adæquatè hypotheſim Scientiæ *ſtrictè mediæ*.

13 Confirmatur, & explicatur: ſi veritas conditionalis per ſe continet neceſſarium, vt adæquatam hypotheſim, per ſe eſt metaphyſicè inſeparabilis à veritate abſoluta claudente coniunctionem abſolutam hypotheſis, & conditionati: ſed reſpectu veritatis obiectivæ inſeparabilis à coniunctione abſoluta duplicis extremi non correſpondet in intellectu divino alia Scientia præter eam, quæ repræſentet abſolute coniunctionem, & exiſtentiam abſolutam, ſive propriè, ſive verificativè vtriuſque extremi; ſiquidem omnis alius modus ex ſe præferens ſuſpenſionem in repræſentando vnum extremum ſub alio, & invtilis, & Deo indecens per ſe oſtenditur: ergo veritas obiectiva continens in ſe vnum extremum neceſſariũ non poteſt eſſe cõditionalis ſub hypotheſi adæquata illius neceſſarij, nec in intellectu divino correſpondere Scientia propriè, & ſtrictè conditionalis. Roboratur id paritate Scientiæ *ſimplicis intelligentiæ*; nam quia iſta provt diſtincta ſuo modo diſtinctionis, quem ferre poſſunt Scientiæ in Deo à Scientia *viſionis*, dicit præciſionem à ſui obiecti abſoluta exiſtẽtia, duntaxat locum tenet in illis obiectis, quæ poſſunt contingenter exiſtere, ideoque à repræſentando obiecto indefectibili, & in exiſtendo neceſſario, vt eſt *Deus*, & à repræſentando obiecto repugnanti exiſtentiæ, vt eſt *impoſsibile*, excluditur, ita vt per Scientiam *viſionis* cognoſcantur: ergo quia Scientia *ſtrictè conditionalis* provt diſtincta ſimili modo ab alijs ſciẽtijs dicit præciſionem à purificatione hypotheſis, & abſoluta coniunctione conditionati, & hypotheſis, quãdo ex cõditione vnius extremi non ſit locus huic præciſioni, ea non repræſentabit; verùm abſoluta coniunctio, aut non coniunctio eorum extremorũ repræſentabitur per aliam Scientiam, cui ex munere non competat talis præciſio in repræſentando vnum ſub alio.

14 Probatur ſecunda pars, ſcilicèt inadæquatè poſſe conſtituere hypotheſim. Quia licèt, nec veritas obiectiva conditionalis, nec Scientia poſsint præſcindere ab exiſtentia, aut verificatione illius neceſſarij ſecundùm ſe acceptis, poſſunt tamen præſcindere ab eodem complexivè, & provt cum alijs adiunctis conſtituit hypotheſim adæquatam; quod ſufficit, vt veritas conditionalis, & Scientia præſcindat ab exiſtentia abſoluta obiecti, quod non affirmatur conditionatè extiturum vtcumque; ſed ſub exiſtentia totius hypotheſis adæquatè acceptæ: ergo quando dictum neceſſarium adæquatè non conſtituat hypotheſim adæquatè taliter, vt ſub ipſo ſolo non affirmetur conditionatè exiſtentia alterius extremi, poteſt reſpici ex parte hypotheſis Scientiæ *mediæ ſtrictè*

talis. Explicatur: necessitas in existendo, aut verificando vnius extremi non impedit contingentiam eiusdem in componendo aliquod complexum, vt demonstrat Deus necessarissimus in existendo contingens in constituendo complexo ex se, & creaturis: sed eo modo quo contingens est, potest præscindi ab eius existentia: ergo de existentia entis necessarissimi provt in aliquo complexo potest præscindi: sed in conditionali, cuius hypothesis sit aliquod necessarium complexive cum alijs non necessarijs, & contingentibus ingreditur, vt habens contingentiam in ratione hypothesis: ergo veritas conditionalis ex ea hypothesi resultans, & Scientia conditionalis eidem veritati correspondens possunt habere præcisionem ab illo, vt existenti in ratione hypothesis, & à coniunctione absoluta conditionati cum ipso in ratione talis.

15 Inquiritur tertiò: An aliquid impossibile possit constituere, vel *adæquatè*, vel *inadæquatè* hypothesim prædictæ Scientiæ; v.g. in his conditionalibus: *Si chymæra esset Petrus, amaret liberè sub libertate determinata, quam tunc haberet: si lapis fieret homo, & Petrus haberet libertatem A consentiret*, & alijs similibus? Respondeo sub distinctione: Nam si Deus sit inconnexus cum possibilitate possibilium & impossibilitate impossibilium potest; secus si connectatur. Ratio primæ partis est: quia si Deus sit inconnexus, Scientia quæ repræsentat eam veritatem obiectivam, ex se potest habere precisionem talem ab existentia absoluta hypothesis, vt tam cum purificatione illius, quàm cum defectu sit practicè ex se cõiungibilis; aliundeque cùm conditionatum pertineat ad libertatem creatam, nihil est quod impediat in intellectu diuino tendentiam propriam Scientiæ *strictè mediæ*: ergo in tali suppositione id, quod impossibile est, potest adæquatè, vel inadæquatè constituere hypothesim prædictæ Scientiæ. Additur: quod in tali suppositione illud possibile, in quod cõverteretur impossibile, aut quod comitaretur impossibile, esset verum possibile; cur ergo non poterit determinare veritatem aliquam conditionalem, quæ sit obiectum proprium *Scientiæ mediæ*?

16 Dices: Veritas illa conditionalis non esset contingens: sed veritas quæ non sit contingens, non potest esse obiectum Scientiæ *strictè mediæ*: ergo neque illud impossibile, vnde provenit non contingentia veritatis potest respici ex parte hypothesis per talem Scientiam. Probatur malor: veritas illa conditionalis non est contingens, cuius status absolutus coniunctionis hypothesis cum conditionato non est contingens: sed status absolutus coniunctionis illius hypothesis cum statu absoluto conditionati non est contingens, cum sit impossibilis ab impossibilitate purificationis hypothesis: ergo veritas illa conditionalis non est contingens; ac proinde, neque obiectum Scientiæ *strictè mediæ*.

17 Nego maiorem: Ad cuius probationem, nego etiam non esse veritatem conditionalem contingentem, cuius status absolutus coniunctionis hypothesis cum conditionato non sit contingens: nam vt veritas conditionalis susciplat conditionem contingentis in ratione talis, sufficit quòd conditionatum existeret contingenter, casu quo existeret conditio, quidquid sit: an talis purificatio, & existentia conditionis sit impossibilis: status enim absolutus coniunctionis hypothesis, & conditionati non opus est, vt conformetur in contingentia cum statu conditionali: modo quo nec opus est, quod status absolutus coniunctionis hypothesis & conditionati conformetur in necessitate cum statu conditionali: namque potest esse conditionalis necessaria, & status absolutus coniunctionis hypothesis, & conditionati contingens, vt convincitur in his conditionalibus: *Si existat vnio, existunt extrema; si existat actio, existit terminus*, quæ sunt necessariæ in ratione conditionalium, & tamen status absolutus coniunctionis *vnionis, & extremorum, actionis, & termini* est contingens, cum vtraque coniunctio valeat existere, & valeat deficere.

18 Replicabis: conditionalis illa ex repugnantia, quam involveret ad purificationẽ conditionis, non haberet precisionem *vniversalitatis* ab existentia cõditionis, vtpotè quæ &si optimè posset cõponi cum defectu conditionis; non tamen cum eius existentia; siquidẽ eo modo quo involvit hypothesim repugnantem, repugnat existentiæ conditionis: sed per nos, vt supra manet statutum, ad strictam conditionalem, qualis debet esse obiectiva veritas correspõdens Scien-

tiæ *ſtrictè mediæ*, requiritur præciſio *vniverſalitatis* à purificatione conditionis: ergo veritas illa conditionalis, cuius hypotheſis ſit aliquid impoſsibile, non poteſt eſſe obiectum Scientiæ *ſtrictè mediæ*. Sed contra: quia vt ibidem agentes de natura conditionalium diximus, ad ſtrictam conditionalem obiectivam non requiritur præciſio *vniverſalitatis* adæquatè poſsibilis; ſed talis, quæ coniungatur defacto cum defectu conditionis, & in caſu victoriæ repugnantiæ, quæ eſt in conditionis exiſtentia, perſiſteret adhùc in ratione conditionalis vera, vt explicuimus in illa conditionali, per quam communiter explicatur conceptus, & quidditas obiecti impoſsibilis, nimirum *ſi exiſtat, implicabit*, quæ conditionalis *ſtricta* eſt, cùm ex vna parte defacto coniungatur cum defectu conditionis, & ex altera, ſi repugnanter purificaretur cõditio, adhuc perſiſteret vera in ratione cõditionalis, cum nunquã magis verum ſit, quod *ſi exiſtat, implicabit*; ac quando *exiſtit implicans*: quomodo ſalvatur præciſio *vniverſalitatis* ſufficiens ad veritatem ſtrictè conditionalem, qua doctrina translata ad præſens, dicendum eſt eam conditionalem habere ſufficientem præciſionem *vniverſalitatis* ex eo, quod victa repugnantia hypotheſis, adhùc perſiſteret vera in ratione conditionalis.

19 Ratio ſecundæ partis involventis ſuppoſitionem Dei connexi metaphyſicè cum poſsibilibus, & impoſsibilibus eſt: quia in tali ſuppoſitione, ſi impoſsibile quodcumque exiſteret, aut fieret poſsibile, repugnaret Deus: ſed Deo repugnante, repugnarent omnia: ergo quovis impoſsibili aſſumpto in hypotheſim, ſi exiſteret hypotheſis, repugnarent omnia, & in omni linea eſſet neceſſarium duplex cõtradictorium. Iam ſic: ſi in omni linea ſub exiſtentia hypotheſis eſſet neceſſarium duplex contradictorium, quodcumque contradictionis extremum, quod ponatur ex parte conditionati, erit neceſſarium ſub hypotheſi, cùm vbi neceſſarium eſt exiſtere duo, neceſſarium eſt exiſtere quodcumque ex illis: ſed quando neceſſarium eſt conditionatum ſub hypotheſi, veritas conditionalis reſultans, eſt veritas conditionalis neceſſaria, & propterea incapax, vt repræſentetur per Scientiam contingentem, qualis eſt Scientia *ſtrictè media*: ergo in tali ſuppoſitione connexionis Dei cum poſsibilibus, & impoſsibilibus nihil impoſsibile poteſt conſtituere, ſive *adæquatè*, ſive *inadæquatè* hypotheſim Scientiæ *ſtrictè mediæ*. Confirmatur, & explicatur: In tali ſuppoſitione, dato quovis impoſsibili pro hypotheſi, neceſſarium eſt nihil remanere poſsibile: ergo neceſſarium eſt, *quod ſi Petrus conſentiret, conſentiret, & non conſentiret*: ſed quando neceſſarium eſt *conſentire*, & *non conſentire* ſub tali hypotheſi, neceſſarium etiam eſt *conſentire ſub eadem*: ergo Scientia illa, quæ id affirmaret, eſſet Scientia neceſſaria, qualis eſſe non poteſt ſcientia *ſtrictè media*, ac per conſequens, nec reſpicere talem veritatem.

20 Quod verum invenies, quamvis vim rationis obſcurare velis per terminum *præcisè* adhibitum ex parte conditionati, ſiquidem ex tali hypotheſi vnius impoſsibilis, aut facti poſsibilis, aut exiſtentis, quæcumque reſtrictio appoſita ex parte conditionati coniungeretur cum ſuo contradictorio, nè maneret in ratione poſsibilis ſub tali linea, & conſideratione: ergo quavis reſtrictione adhibita conditionato ſub hypotheſi, verificaretur coniunctum duplicis contradictorij in conditionato ſic reſtricto: vnde affirmatio cuiuſvis ſub tali reſtrictione eſſet affirmatio conditionalis neceſſaria, manente in ſua vi ratione adhibita, ſcilicèt hypotheſim inferentem neceſſariò coniunctum duorum etiam inferre neceſſariò quodcumque ex illis, reddereque conditionalem correſpondentem tali extremo ſub hypotheſi neceſſariam.

21 Nec volo modò contendere cum Magiſtris Barono, & Goneto, quorum ille libro de libertate humana, & gratia Dei, pag. 122. & 188. & hic diſputat. 4. de Scientia, artic. 3. §. 7. acriter, vt mos ipſis eſt, invehuntur in noſtrum Eruditiſsimum Theophilum Rainaudum, quia in libro de nova libertatis explicatione, part. 2. cap. 4. admittit has conditionales de hypotheſi impoſsibili inquiens; Deum eas cognoſcere, & per earum Scientiam dirigi, & præciputè, quia admittit illam conditionalem, cuius conditionatum ſit de operatione creaturæ, caſu, & ſuppoſitione, qua non indigeret concurſu divino, nec impedire impoſsibilitatem hypotheſis, quod

Deus

Deus exploratum habeat, & per suam Scientiam infinitam cognitum, quod tunc contingeret, & qualis esset operatio creaturæ: supersedeo igitur ab hac contentione; tum quia eorum fundamenta contra nos non militant admittentes Scientiam conditionalem de hypothesi impossibili non absolutè; sed sub explicata distinctione, tum quia meus doctissimus Magister Herrera, tract. de Scientia, quæst. 16. sect. 1. causam Theophili egit, & satis vindicavit. Non tamen proponere desinam esse aliquos Authores tam proprij iudicij amantes, vt quidquid ipsis non arridet; non modo non sequantur; verùm despiciant, & taliter falsitatis damnent, vt nihil intactum reliquerint ad feriendum Authorem, & sententiam: cæterum poterant animum sedare erga Scientiam, & conditionalem illam: *Si non esset necessarius concursus Dei, creatura sic, vel aliter operaretur*, revocata in memoriam communissima illa quæstione in omni Schola exagitata: *Si Deus operaretur ex necessitate naturæ; an tunc staret libertas creata?* Cuius resolutio sub tali hypothesi non est incognita Deo; ast animus impugnandi sine solutione omnia perturbat: sint igitur mihi, & omnibus disputantibus in promptu verba magni parentis Augustini, libro 3. cap. 1 contra Petilianum, ibi: *Si & ego tibi velem pro maledictis maledicta revendere, quid aliud, quàm duo maledici essemus, at ij, qui nos legerent, alij derestatos abijcerent sana gravitate; alij suaviter haurirent mala voluntate?*

22 Inquiritur quartò: An omnia illa, cum quibus si existeret conditionatum, coniungeretur, possint esse seorsim, & divisim ab alijs ex parte expressionis Scientiæ hypothesis adæquata *Scientiæ strictè mediæ*? Sensus quæstionis est: Si existeret consensus liber creaturæ; v. g. coniungeretur cum voluntate creata cū cognitione alliciente, scilicèt cum vocatione, & auxilio, cum cognitione retrahente, cum habitu supernaturali, & cum decreto præparativo. Inquiritur ergo: An omnia hæc possint esse divisim hypothesis adæquata Scientiæ *strictè mediæ* per hos modos tendendi conditionatè *Si existat voluntas, existet consensus liber: Si existat vocatio, existet consensus liber: Si existat habitus, existet consensus liber*, & sic de reliquis? Vel hanc complexive duntaxat, & provt constituunt adæquatè totam libertatem proximam possint esse hypothesis scientiæ *strictè mediæ*? In quo dubio, sic intellecto, asserit Herrera loco proximè cita o, absolutissimè, & absque restrictione vlla; ea omnia divisim accepta posse constituere hypothesim adæquatam Scientiæ *strictè mediæ*. Negativam sententiam tenent Recentiores aliqui doctissimi: Media via incedit Izquierdo, disput. 28. de Scientia Dei conditionata, quæst 4 propositione 4. sic præsentem quæstionem resolvens: Ad veritatem conditionatam causalem solum; atque adeo non illativam non semper necesse est, quod ponantur ex parte hypothesis omnia, quæ influunt, sive concurrunt ad existentiam conditionati: potest enim hoc plerumque iudicari verè sub hypothesi vnius, aut duorum, aut plurium illorum cum præcisione à reliquis. Interdum tamen, vt iudicetur verè omnia illa ex parte hypothesis ponenda sunt necessariò. Ego verò censeo non sine maxima distinctione esse procedendum, vt pluribus difficultatibus occurratur, pro quibus expediendis.

23 Dicendum est primò. Illam propositionem: *Omnia ea cum quibus complexim coniungeretur conditionatum possunt esse divisim, & præcisive ab alijs hypothesis adæquata Scientiæ strictè mediæ* esse falsam, eiusque falsitatem nobis evidentissimè probari. Ratio est: quia stat veritas huius conditionalis pertinentis ad Scientiam strictè mediam: *Si existat libertas A determinata, & adæquata, existet consensus liber Petri* sine veritate huius: *Si existat vocatio A* (inadæquatè constitutiva eiusdem libertatis) *existet consensus liber*: ergo falsum est, omnia illa cum quibus coniungeretur conditionatum complexivè acceptis posse præcisivè, & seorsim accepta constituere hypothesim adæquatam Scientiæ *strictè mediæ* ad affirmandum idem conditionatum. Consequentia est legitima: quia si illa prima veritas componibilis est cum defectu veritatis illius conditionalis: *Si existat vocatio A* (inadæquatè constitutiva eiusdem libertatis) *existet consensus liber*, componibilis etiam erit cum veritate opposita scilicèt: *Si existeret vocatio A inadæquatè constitutiva eiusdem libertatis, non existeret consensus liber*; ac per consequens non valeret à coniunctione, quam conditionatum haberet cum pluribus complexivè acceptis ad coniunctionē, quam

haberet cum ſingulis ſeorſim, & præciſive poſitis ex parte hypotheſis.

24 Antecedens probatur: Stat veritas huius conditionalis: *Si exiſtat libertas A determinatè, & adæquatè, exiſtet conſenſus liber Petri* cum veritate huius conditionalis de conditionato libero Deo: *Si exiſteret in Petro auxilium, & vocatio A, vel non præparaſſem abſolutè concurſum ad conſenſum, vel ſaltem non præparaſſem per decretum indifferens*: ſed hæc veritas conditionalis eſt incomponibilis cum illa veritate conditionali: *Si exiſtat vocatio A* (inadæquatè cõſtitutiva eiuſdem libertatis) *exiſtet conſenſus liber in Petro*: ergo illa veritas conditionalis, *ſi exiſtat libertas A determinata, & adæquata, exiſtet conſenſus liber in Petro*, eſt componibilis ſine veritate huius: *Si exiſtat vocatio A* (inadæquatè conſtitutiva eiuſdem libertatis) *exiſtet conſenſus liber*. Diſcurſus eſt legitimus, & minor certa; Propterea quod illa veritas conditionalis de conditionato Deo libero inferat hanc alteram veritatem: *Si exiſtat vocatio A, non exiſtent omnia neceſſaria ad conſenſum liberum*, quæ non componitur cum altera veritate: *Si exiſtat vocatio A, exiſtet conſenſus liber*: Nam quomodo ſub auxilio erit conſenſus liber ſine neceſſarijs ſub auxilio, vt ſit conſenſus liber? Probatur igitur maior, ad quam reducta eſt difficultas: Quia dictæ veritates ſunt inter ſe independentes, & à diuerſis libertatibus divina, & humana ita independenter procedunt, vt vna impedita, valeat eſſe altera determinata, & hac impedita, poſsit eſſe alia: etenim verum eſſe, *quod ſi exiſteret vnum libertatis conſtitutivum, Deus liberè non conferret reliqua*, nullo modo impedit, *quòd ſi Deus omnia conferret, exiſteret conſenſus liber*, vt requiritur ad veritatem alterius conditionalis, quæ eſt obiectum proprium Scientiæ *ſtrictè mediæ*, quæ ob id componibilis eſt tam cum veritate illa conditionali de conditionato negativo *non conferendi reliqua conſtitutiva ſub exiſtentia vnius*; quàm cum altera de conditionato poſitivo *conferendi reliqua libertatis conſtitutiva, ſi vnum exiſtat*.

25 Tum quia dùm non oſtendatur in dictis conditionalibus, & ſcientijs ipſis correſpondentibus aliquod prædicatum, ſive formalitas, ex qua oſtendant repugnantiam in coexiſtendo, cenſendæ ſunt inter ſe componibiles, & ſæpè benè compoſitæ: At in eis oſtendi nequit formalitas aliqua, vnde colligi poſsit incomponibilitas; imò adeſt poſitivum fundamentum ad oppoſitum, & quidem provt iudico firmiſsimum: nam hæc Scientia ſtrictè media: *Si exiſtat libertas adæquata, exiſtet conſenſus liber*, ſicut eſt componibilis cum purificatione ſuæ hypotheſis ex præciſione, quam ab eius exiſtentia, & non exiſtentia determinatè acceptis dicit; ita eſt componibilis cum hac veritate conditionali de conditionato libero Deo: *Si exiſtat talis determinata Scientia de conſenſu libero ſub hypotheſi totius libertatis non exiſtet hypotheſis, ſeu libertas adæquatè ſumpta*: ergo etiam eſt componibilis cum altera veritate conditionali de conditionato libero Deo: *Si exiſtat talis determinata Scientia, & vnum, vel alterum libertatis conſtitutivum, non exiſtent reliqua*: patet hæc vltima illatio: quia ſi Scientia illa *ſtrictè media* eſt componibilis cum defectu totali ſuæ hypotheſis ex libera determinatione Dei melius, aut ſaltem æquè erit componibilis cum defectu partiali ſuæ hypotheſis ex eiuſdem Dei libera determinatione, & ideo componibilitas cum vno infert legitimè componibilitatem cum altero: eſt igitur malum argumentum, quod deſumitur à coniunctione conditionata conditionati cum pluribus tenentibus ſe complexim ex parte hypotheſis ad cõiunctionem conditionatam eiuſdem conditionati cum quovis ex illis tenente ſe præciſivè, & ſeorſim ab alijs ex parte hypotheſis velut conſtitutivo adæquato illius.

26 Quod vlterius probatur nobis ſatis efficaciter: nam Scientia *ſtrictè media* ex ſua eſſentia eſt determinata, vt repræſentet intellectui divino conditionatum liberum creaturæ: ergo debet attingere, & repræſentare conditionatum provt aſſociatum omnibus, quæ neceſſaria ſunt formaliter, vt conditionatum ſit liberum: ſed omnia conſtitutiva formalia libertatis neceſſaria ſunt formaliter, vt conditionatum ſit liberum: ergo Scientia *ſtrictè media* debet attingere cõditionatum, provt coniunctum cum omnibus conſtitutivis formalibus libertatis: vel ergo ea omnia conſtitutiva repræſentat ex parte hypotheſis? Et ſic habemus intẽtum, nempè Scientiam *ſtrictè mediam* non aſſumere duntaxat ex parte hypotheſis vnum conſtitutivum libertatis, quàmvis cum illo eſſet conditionatum coniungendum; vel attingit ex parte

te conditionati, adhibito pro hypotheſi vno tantùm libertatis conſtitutivo ſub hac tendentia; v.g. *Si exiſtat vocatio, exiſtet conſenſus cum cognitione retrahenti, decreto præparativo, & reliquis ad libertatem conſenſus formaliter neceſſarijs?* Et ſic Scientia *ſtrictè media* mutaret ſuam eſſentiam, cum ex in impedibili, & indeterminabili per divinam libertatem fieret impedibilis, & determinabilis per eandem, vt contingeret in illa Scientia, quæ eſſet de conditionato libero Deo, quale eſt *exiſtere coniunctum conſenſus creaturæ, & reliquorum formaliter conſtituentium libertatem eiuſdem ſub hypotheſi ſolius vocationis*: Siquidem liberum eſt Deo ſub exiſtentia vnius conſtitutivi libertatis negare reliqua, quomodo non exiſteret conſenſus liber, nec coniunctus cum omnibus formaliter neceſſarijs ad libertatis conſtitutionem: igitur incapax eſt Scientia *ſtrictè media* aſſumendi pro hypotheſi diviſim, & præciſivè illa omnia, cum quibus conditionatum proprium ipſius eſſet coniungendum.

27 Nec dicas: Scientiam *ſtrictè mediam* non poſſe præſcindere ex parte rei ab omibus conſtitutivis libertatis neceſſarijs, vt abſolutè ſit liberum conditionatum; attamen poſſe præſcindere ex parte expreſsionis, & modi non repræſentando ea omnia, aut ex parte hypotheſis, aut ex parte conditionati: ſic eadem Scientia non poteſt præſcindere ex parte rei ab aliquo decreto collativo auxilij; præſcindit tamen, quia neque ex parte hypotheſis exprimit adhùc vagè decretum collativum auxilij, neque ex parte conditionati: non igitur id dicas: quia ſi Scientia non exprimat omnia libertatis conſtitutiva, neque ex parte hypotheſis, neque ex parte conditionati non eſt vnde colligatur non poſſe præſcindere ex parte rei; & ratio eſt: quia neque vnum libertatis conſtitutivum habet connexionem metaphyſicam cum reliquis conſtitutivis libertatis, neque conſenſus ex ſe aptus, vt exiſtat ſub vno libertatis conſtitutivo dicit connexionem cum reliquis conſtitutivis libertatis, quia talis conſenſus poteſt eſſe conſenſus neceſſarius; non ſic reſpectu decreti collativi auxilij, cum quo vagè ſumpto habet connexionem ipſum auxilium, necnon *Scientia media*, quæ aſſumens pro hypotheſi id, quod eſt practicè poſsibile, provt diſtincta ab ea, quæ aſſumat ex parte hypotheſis aliquid chymæricum, habet connexionem metaphyſicam cum eo quod i exiſtat hypotheſis, exiſtant omnia eſſentialiter requiſita, vt hypotheſis ſit potius poſsibilis; quàm impoſsibilis.

28 Tum etiam: quia vt iam notavimus Scientia *ſtrictè media* ex propriò munere deſtinata eſt, vt informet intellectum divinum de operatione libera creaturæ ſub hypotheſi. Informatio hæc non aliunde poteſt procedere; quàm ex expreſsione, & tendentia intentionali proponente operationem creaturæ, vt liberam ſub hypotheſi: quarè omnis alia determinatio materialis ad conſenſum liberum gratis conceſſa, impertinens omninò erit, & quæ indigebit alia Scientia, vt cognoſcatur; ſic Scientia *ſimplicis intelligentiæ* ex parte rei multoties non præſcindit ab exiſtentia ſui obiecti, vt quando repræſentat poſsibilia, quæ in re habent adiunctam exiſtentiam abſolutam; nec ideò tollitur præciſio ex parte illius in repræſentando, & proponendo obiecto cum capacitate, vt non exiſtat abſolutè, ſicut vt non deficiat abſolutè; taliter vt determinatio illa extrinſeca quam habet ad exiſtentiam abſolutam ſui obiecti, vel ad non exiſtentiam abſolutam eiuſdem, proponatur intellectui divino per aliam Scientiam ſuo modo diverſæ rationis, qualis eſt *Scientia viſionis*. Quare nihil prodeſt iſta non præciſio ex parte rei, dummodo in illa Scientia concedatur preciſio *intentionalis*, & ex *parte modi repræſentandi*, per quam ex ſe præſcindat ab expreſsione operationis creaturæ, vt ſub hypotheſi liberæ, & inducit aliam conditionem Scientiæ, vel chymæricæ, vel non propriam Scientiæ *ſtrictæ mediæ* de qua eſt quæſtio.

29 Nec dicas rurſus; quod ſi conſenſus ſit actus eſſentialiter liber, vt poſſibiles ſunt tales actus ex communi ſententia, tunc poterit Scientia *ſtrictè media* aſſumere ex parte hypotheſis vnum libertatis conſtitutivum, & ex parte conditionati affirmare conſenſum determinatum eſſentialiter ad procedendum liberè, ac per conſequens ad exiſtendum ſimul cum reliquis comprincipijs, & conſtitutivis libertatis. Vel quia id iam eſt reſtringere propoſitionem illam vniverſalem, nimirùm poſſe conditionatum attingi per Scientiam *ſtrictè mediam* ſumpto pro hypotheſi quovis ſeorſim, & præciſivè ex illis, cum quibus condi-

tio-

tionatum eſſet complexivè coniungendum, eamque reducere ad caſum particularem, in quo conditionatum non modò ſit liberum; verùm intrinſecè, & eſſentialiter liberum; vel quia neque in tali caſu ſuadetur poſſe attingi conditionatum ſub illa hypotheſi per Scientiam *ſtrictè mediam*. Ratio eſt: quia illa Scientia, quæ ſic tenderet: *ſi exiſtat vocatio exiſtet conſenſus liber*, pet ſe impræſcindibilis eſt ab hac altera veritate: *ſi exiſtat vocatio, exiſtent reliqua conſtitutiva neceſſaria, vt conſenſus ſit liber*; ſiquidem impræſcindibile eſt eſſe verum, *quod ſi exiſtat vocatio, exiſtet conſenſus liber*, ab eo quod ſit verum *quod ſi exiſtat vocatio, exiſtet conſenſus cum libertate adæquata*: ſed illa veritas: *ſi exiſtat vocatio, exiſtent reliqua libertatis conſtitutiva*, eſt veritas impedibilis per divinam libertatem, cùm ſit de conditionato Deo libero: ergo etiam Scientia *ſtrictè media* ab ea eſſentialiter impræſcindibilis eſſet impedibilis per divinam libertatem: vnde vna, eademque Scientia eſſet *ſtrictè media*, & *late media*, quia impedibilis per voluntatem creatam, & per voluntatem divinam modo quodam commitanti, cùm nec vna veritas obiectiva præcederet aliam, neque vna tendentia intentionalis conditionata præcederet, aut ſequeretur aliam.

30 Nec adhùc inſiſtas: nullum eſſe inconveniens in eo quod hæc Scientia ſtrictè media: *ſi exiſtat auxilium, exiſtet conſenſus liber*, ſit impræſcindibilis ab hac altera Scientia: *ſi exiſtat auxilium, exiſtent reliqua libertatis ad conſenſum conſtitutiva*, quæ eſt de conditionato libero Deo; & ideò Scientia *latè media*, ſicut in communi ſententia dicitur, omnem Scientiam *ſtrictè mediam*, quæ defacto datur, identificari adhùc virtualiter: vnde hæc Scientia: *ſi Paulo conferatur talis libertas, perſeverabit finaliter*, & hæc: *ſi Iudæ conferatur talis libertas, decedet impœnitens*, ſint taliter vna, & eadem tendentia adhùc virtualiter, vt per voluntatem cuiuſvis ſit impedibilis, & determinabilis: ad quem modum non erit abſurdum affirmare illam ſcientiam conditionalem: *ſi exiſtat vocatio, exiſtent reliqua libertatis conſtitutiva*, eſſe eandem tendentiam adhùc virtualiter cum hac altera: *ſi exiſtat vocatio, exiſtet conſenſus liber*; quin obſtet conditionata pertinere ad libertates Independentes, vt non obſtat in illis aſignatis: *ſi exiſtat libertas, exiſtet impœnitentia Iudæ: ſi exiſtat libertas, exiſtet pœnitentia Pauli.*

31 Nam in primis, vt diximus, hoc eſt deſſerere illam propoſitionem vniverſalem: *omnia illa, cum quibus conditionatum eſſet coniungendum complexim, ſeorſim, & præciſive accepta poſſunt conſtituere hypotheſim adæquatam, ſub qua affirmetur idem conditionatum*, eam reſtringendo ad caſum particularem alterius adiuncti, ſcilicèt veritatis alterius conditionatæ: *ſi exiſtat talis hypotheſis, exiſtent reliqua neceſſaria ad conſtitutionem libertatis eiuſdem conditionati*, quæ ſi aliquando vera ſit, multoties erit falſa, adhùc ſuppoſita illa veritate conditionali: *ſi exiſtat libertas, exiſtet conſenſus liber*. Deinde: quia ſemper remanet difficilis identitas illa virtualis tendentiarum de conditionatis pertinentibus ad diverſas, & independentes libertates, ex qua vna, & eadem Scientia ſit determinabilis, & impedibilis per diſtincta agentia libera modo quodam comitanti, & ſine præcedentia vlla exercitij liberi vnius ad exercitium liberum alterius, quare non placet ſententia illorum, vt mox dicemus, qui identificant inter ſe adhùc virtualiter omnem Scientiam *mediam directam*; quæ defacto exiſtit, ita vt per libertatem cuiuſvis ſit impedibilis omnis Scientia ad alias libertates ſpectans. Tum potiſſime: quia in illa identitate virtuali tendentiarum, quæ meditantur, nunquam ponitur tendentia *formaliter* pertinens ad libertatem creatam: nam quæ affirmat conſenſum ſub hypotheſi vnius libertatis conſtitutivi, ſicut *formaliter* præſcindit à libertate, ſic etiam *formaliter* præſcindit ab impedibilitate, & determinabilitate per libertatem creatam; non ſic in exemplo appoſito de Scientijs *medijs directis*, quæ defacto exiſtunt, in quibus ſemper apparet tendentia formalis pertinens ad libertatem vnius coniuncta cum alia pertinente ad libertatem alterius, ſcilicèt: *ſi exiſtat vocatio, & libertas adæquata in Paulo, exiſtit finalis pœnitentia: ſi exiſtat vocatio, & libertas adæquata in Iuda, exiſtet finalis impœnitentia.* Vnde eſt clara diſparitas.

32 Quam vt videas amplius explico: nam vel illa tendentia: *ſi exiſtat vocatio, exiſtet conſenſus*, ex qua dicis totam illam ſcientiam virtualiter eſſe determinabilem, & impedibilem per voluntatem creatam, ibi ſiſtit, quin libertatem conſenſus explicet, vel vltra progre-

greditur ad proponendum consensum, vt liberum sub hypothesi vocationis? Si ibi sistit: en præscindit omninò à libertate consensus, ac propterea non est tendentia propria Scientiæ *strictè mediæ*. Si vltra progreditur ad explicandam libertatem consensus: confunditur cum altera tendentia, quæ tantùm Deo est libera, idest, *si existat vocatio, existent reliqua constitutiva libertatis ad consensum*: ergo nunquam in illa excogitata identitate virtuali salva manet tendentia formalis, & propria Scientiæ *strictè mediæ* impedibilis, & determinabilis per libertatem creatam; vt non contingit in paritate adducta in qua quidquid sit de veritate sententiæ bene componitur in identitate illa virtuali tendentiarum Scientia formaliter determinabilis, & impedibilis per voluntatem cuiusvis.

33 Vltimò probatur evertendo fundamentum oppositum, à cuius eversione constabit vnde proveniat falsitas illius propositionis sine discrimine vllo accepta: *De omni eo quod in statu absoluto coniungitur cum aliquo extremo, verificatur in statu conditionato fore coniungendum*, ex qua velut ex principio admittendo, alteram suadere intendunt, scilicèt: *Si pars libertatis in statu absoluto coniungitur cum consensu libero creaturæ, etiam in statu conditionato erit verum, quod si sit eadem libertatis pars sumpta pro hypothesi adæquata, erit consensus liber.* Nam sæpè conditionatum talis conditionis est, vt etsi coniungatur in statu absoluto, aut coniungeretur cum aliquo extremo; non aliter coniungatur, aut coniungeretur cum tali extremo, quàm sumpto in complexo aliorum propter indigentiam, quam habet conditionatum existentia aliorum, vt sit, aut esset sub quovis componente illud complexum: quando ergo talis conditionis sit conditionatum, non benè valet: *Coniungitur, aut coniungeretur, cum tali extremo: ergo coniungeretur, aut coniungitur sub hypothesi talis extremi positi solitariè, & præcisivè à reliquis.* Et ratio est: quia status conditionalis benè illatus ex statu absoluto est ille solus, qui proportionatur cum statu absoluto coniunctionis: ergo si status absolutus vnius cum altero, tantùm verificetur de altero non præcisivè accepto ab alijs, status conditionatus eidem statui absoluto correspondens debet esse status, in quo *illud alterum coniunctionis* non accipitur præcisivè ab alijs exactis, vt extremum positum ex parte conditionati valeat existere sub ipso.

34 Sic contingit in conditionali de conditionato libero creaturæ, quæ est obiectum Scientiæ *strictè mediæ*; in qua licèt conditionatum; v. g. *consensus* coniungatur in statu absoluto cum partibus, & constitutivis libertatis, quia quod coniungitur cum toto aliquo divisibili, vt est *libertas*, coniungitur etiam cum partibus constituentibus tale totum; non tamen coniungitur cum illis partibus inadæquatè se habentibus ad constitutionem libertatis, præcisivè ex parte sui à reliquis, & cum aptitudine ex se vt sub tali præcisione vnius constitutivi ab alio posset existere, siquidem conditionatum est consensus non vtcumque; sed consensus, vt liber: id autem quod non aliter; quàm vt liberum coniungitur cum partibus libertatis non coniungitur, nec potest coniungi cum ipsis præcisivè acceptis ab alijs; verùm cum ipsis complexivè, & in aliorum consortio acceptis: vnde ex statu absoluto coniunctionis conditionati cum quavis libertatis parte solum erit recta consequentia ad statum conditionatum sub quavis libertatis parte non præcisivè, & seorsim à reliquis, ex quibus completè resultat tota libertas in hypothesi sumpta; secus ad statum conditionatum, in quo vna sola pars seiuncta, & præcisa à reliquis ponatur, vt hypothesis adæquata, sub qua affirmetur conditionatum: quomodo status conditionatus non correspondet statui absoluto, nec accipitur in eodem sensu, qualiter est necessarium, vt ab statu absoluto coniunctionis duorum vnum sub hypothesi alterius affirmabile inferatur: hinc videat contraria sententia; quàm parum ipsi faveat principium assumptum ex coniunctione in statu absoluto, si rectè, & vt debet, intelligatur, ad inferendum id quod suadere conatur de statu conditionato, & hypothesi adæquatè constitutiva per omne illud, quod in statu absoluto coniungitur cum altero extremo.

35 Sed replicabis: dùm in statu absoluto est verum, consensum creaturæ coniungi cum libertate adæquatè sumpta, aut quando verum est conditionaliter; *quod si existat libertas, existet consensus liber creaturæ*, non est falsum; *quod si existat vocatio, existet consensus liber*: ergo

ergo eſt verum; cùm inter veritatem, & falſitatem obiectivam, non detur medium: ſed prædictæ veritati obiectivæ correſpondet in intellectu divino Scientia *ſtrictè media*, quia ad hanc Scientiam pertinet conditionalis obiectiva contingens de conditionato libero voluntati creatæ: ergo quando in ſtatu abſoluto verificatur coniunctio conditionati liberi creaturæ cum tota libertate, aut quando verificatur in ſtatu conditionato fore coniungendum cum tota libertate, poteſt per Scientiam *ſtrictè mediam* attingi idem conditionatum ex hypotheſi vnius tantum conſtitutivi eiuſdem libertatis, ac per conſequens ſemper benè valet conſequentia illa intenta in ſententia contraria.

36 Sed contra: quia illud tantum verum eſt ex tali ſuppoſitione, veritate incluſa in illa veritate coniunctiva totius libertatis cum conſenſu abſoluto, aut in illa conditionali: *ſi exiſtat libertas adæquata, exiſtet conſenſus liber*; ſecus veritate non incluſa, & per ſe aſſumptibili: non aliter ac ex hac coniunctione Apoſtolorum Chriſti Domini cum numero duodenario, infertur verum, *quod ſi exiſtat Bartholomæus, erunt Apoſtoli duodecim*: veritate quidem incluſa in illa veritate copulativa, *omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim*, aut in hac conditionali: *ſi exiſtant omnes Apoſtoli Dei, erunt duodecim*, ſecus veritate non incluſa, & per ſe aſſumptibili, quomodo non verum; ſed falſum eſt, & verum oppoſitum; nam conditionatum, aut extremum illud *duodecim* non valet exiſtere ſub vno tantum. Contra deinde: quia dato, quod illud conditionaliter propoſitum ab Adverſarijs eſſet verum, non probatur debere eſſe ſecundùm totum, quod dicit obiectum Scientiæ *ſtrictè mediæ*; & ratio eſt: quia illud quod explicatur ſub terminis vnius veritatis conditionalis, videlicèt: *ſi exiſtat auxilium, exiſtet conſenſus liber* in re eſt complexum duplicis veritatis obiectivæ conditionalis independentis inter ſe, quarum vna eſt: *ſi exiſtat auxilium, exiſtent reliqua conſtitutiva libertatis ad conſenſum*, quæ eſt Scientia *latè media*, vtpote de conditionato Deo libero: altera *ſi exiſtat tota libertas, exiſtet conſenſus liber*, quæ eſt Scientia *ſtrictè media*. Iam, ſi ſecundùm *hoc inadæquatum vltimum* conſideretur illa veritas; verum eſt pertinere ad Scientiam *ſtrictè mediam*; ſed quid inde quando hypotheſis eſt tota libertas? Si verò ſecundum *inadæquatum illud primum*, pertinet ad Scientiam *latè mediam* impedibilem, & determinabilem per libertatem divinam; vnde quid pro Scientia *ſtrictè media*? Ergo nunquam convincitur attingi conditionatum ſub hypotheſi vnius conſtitutivi libertatis per Scientiam *ſtrictè mediam*, de qua eſt quæſtio, & Adverſariorum intentum.

37 Dicendum eſt ſecundò: ſi inter conſtitutiva libertatis detur aliquid, aut præſupponens, aut ſecum eſſentialiter afferens reliqua, tunc Scientia *ſtrictè media* conditionatum, quod attingit ſub hypotheſi totius libertatis, poteſt etiam attingere ſub hypotheſi illius tantùm. Ratio propoſitionis eſt: quia ſub tali hypotheſi poteſt proponi operatio creaturæ libere extitura; v.g. *conſenſus*: ſed hypotheſis, ſub qua operatio creaturæ libere extitura poteſt proponi, eſt hypotheſis Scientiæ *ſtrictè mediæ*: ergo ſi inter conſtitutiva libertatis detur aliquod, aut præſupponens, aut ſecum eſſentialiter afferens reliqua, tunc Scientia *ſtrictè media* conditionatum, quod attingit ſub hypotheſi totius libertatis, poteſt etiam attingere ſub hypotheſi illius tantùm. Probatur maior: ſub tali hypotheſi poteſt proponi operatio creaturæ, vt coniungenda cum tota libertate: ſed operatio creaturæ, vt coniungenda cum tota libertate eſt operatio creaturæ liberæ: ergo ſub tali hypotheſi poteſt proponi operatio creaturæ liberè extitura. Probatur maior: ſub tali hypotheſi poteſt proponi operatio creaturæ, vt coniungenda cum eſſentialiter inſeparabili à tota libertate: ſed operatio creaturæ, vt coniungenda cùm eſſentialiter inſeparabili à tota libertate eſt operatio creaturæ, vt coniungenda cum tota libertate; quia, quod coniungitur, vt poteſt coniungi cum eſſentialiter inſeparabili ab alio, coniungitur, aut poteſt coniungi cum illo alio: ergo ſub tali hypotheſi poteſt proponi operatio creaturæ, vt coniungenda cum tota libertate.

38 Confirmatur: implicat exiſtere talem hypotheſim, & non exiſtere totam libertatem: ergo implicat exiſtere operationem creaturæ; v.g. *conſenſum* ſub tali hypotheſi, & non exiſtere ſub tota libertate. Antecedens eſt certum, cùm implicet exiſtere fundamentum connexionis metaphyſicæ cum aliquo ex-

extremo, & istud non existere. Consequentia probatur: quia implicat existere aliquod extremum sub inseparabili metaphysicè ab alio, & non existere sub, & cum illo alio: ergo implicat existere operationem creaturæ; v. g. *consensum*, sub tali hypothesi, & non existere sub tota libertate, à qua hypothesis est metaphysicè inseparabilis: sed quando conditionatum proponitur sub hypothesi, vt libere extiturum, seu vt coniungendum cum tota libertate, quod idem formalissimè est, ac esse libere extiturum sub hypothesi, correspondet Scientiæ *strictè mediæ* tanquam obiectum propriſsimum illius: ergo potest optimè Scientia *strictè media* assumere pro hypothesi ad affirmandum suum conditionatum vnum libertatis constitutivum, quod tale sit, vt essentialiter præsupponat, aut secum afferat reliqua libertatis constitutiva, ex quibus adæquatè resultat.

39 Rursus confirmatur: hæc conditionalis obiectiva veritas non repugnat: *Si existat extremum A. connexum metaphysice cum libertate ad consensum, & dissensum creaturæ, existet consensus*: sed hæc veritas est attingibilis per Scientiam *strictè mediam* tanquam proprium obiectum ipsius: ergo Scientia *strictè media* potest attingere suum conditionatum sub hypothesi vnius tantùm constitutivi libertatis connexi metaphysicè cum reliquis. Discursus est legitimus, si præmissæ constent, quarum maior suadetur: nam illa obiectiva veritas non repugnat ex parte conditionati, cum consensus liber creaturæ, qui est conditionatum illius veritatis non repugnet: neque repugnat ex parte hypothesis, quia connexum cum libertate adæquata ad consensum, & dissensum creaturæ non dicat repugnantiam: nam defacto existit, vt ex dicendis constabit: neque repugnat ex parte habitudinis vnius ad aliud, cum connexum metaphysicè cum libertate adæquata ad consensum non minus quid aptum sit, vt sub ipso existat consensus liber; ac est ipsa libertas adæquata: ergo illa conditionalis obiectiva veritas: *Si existat extremum A. connexum metaphysicè cum libertate ad consensum, & dissensum creaturæ, existet consensus* non repugnat. Deinde suadetur minor: nam ea veritas obiectiva est contingens, propterea quod hypothesis ex eo, quod sit connexa metaphysicè cum libertate non dicat determinationem vllam ad consensum; sed tam indifferens, & æque coniungibilis sit cum vtroque libertatis extremo; ac est ipsa libertas: vlterius respicit conditionatum vnicè immediatè liberum creaturæ, nempe *consensum*: sed veritas obiectiva conditionalis contingens de conditionato libero creaturæ vnicè immediatè est veritas obiectiva attingibilis per Scientiam *strictè mediam* tanquam proprium obiectum ipsius, per ordinem ad quod iure dicitur *media* inter Scientiam *liberam* & *necessariam*: ergo ea veritas est attingibilis per Scientiam *strictè mediam* tanquam proprium obiectum ipsius.

40 Dicendum est tertiò: tale libertatis constitutivum esse decretum applicativum indifferens, quo Deus applicat suam Omnipotentiam absolutè ad concurrendum cum creatura ex determinatione illius: vnde tale decretum potest esse hypothesis adæquata Scientiæ *strictè mediæ*. Assumptum probatur: nam tale decretum indifferens, quo Deus applicet suam Omnipotentiam absolutè ad concurrendum cum creatura ex determinatione illius, est decretum, quo Deus committit voluntati creatæ determinationem ad suum determinatum exercitium: sed tale decretum, aut essentialiter præsupponit, aut essentialiter affert omnia libertatis constitutiva: ergo tale decretum est ex illis libertatis constitutivis, quod secum essentialiter affert reliqua necessaria pro formali ad integræ libertatis constitutionem. Maior continet essentiam ipsam decreti applicativi, quo Deus absolutè applicat suam Omnipotentiam ad concurrendum cum creatura libere operante. Minor probatur: tale decretum per se essentialiter habet Deum removere à se omnem determinationem simpliciter antecedentem exercitij voluntatis creatæ, cùm non permittat exercitium eiusdem voluntatis esse ex alterius de terminatione simpliciter tali; quàm ipsius voluntatis: sed decretum removens à Deo omnem determinationem exercitij voluntatis creatæ per se essentialiter, aut præsupponit, aut secum affert omnia libertatis constitutiva, siquidem defectus cuiusvis esset necessitas simpliciter antecedens impediens determinationem ex parte voluntatis; deficiente enim quovis libertatis constitutivo est determinatio

sim-

ſimpliciter antecedens: ergo tale decretum, aut eſſentialiter præſupponit, aut eſſentialiter affert omnia libertatis conſtitutiva.

41 Confirmatur: Velle Deum, quatenus eſt ex ſe totam immediatam determinationem committere voluntati creatæ, eſt nolle Deum, quatenus eſt exſe impedire eandem determinationem immediatam: at ſi Deus ſub tali decreto, aut non præſupponeret, aut non conferret reliqua conſtitutiva libertatis creatæ, Deus quatenus eſt ex ſe per ablationem illius conſtitutivi, quod deficeret, impediret determinationem voluntatis creatæ: ergo tale decretum applicativum per ſe eſſentialiter, aut præſupponit, aut ſecum affert reliqua omnia libertatis conſtitutiva. Iterùm confirmatur: nam cùm Deus vult abſolutè determinationem exercitij eſſe penes voluntatem creatam, non vult abſolutè eam determinationem eſſe penes voluntatem creatam, quando, & in illis circunſtantijs, quibus eſt impotens ad talem determinationem: at quando, & in circunſtantijs, quibus deficeret aliquod libertatis creatæ conſtitutivum, voluntas creata eſſet impotens ad talem determinationem, cùm hæc non valeat eſſe, niſi quando adeſt libertas, vt non adeſſet, ſi deficeret aliquod illius conſtitutivum: ergo decretum iſtud applicativum, quo Deus abſolutè vult determinationem liberam eſſe penes voluntatem creatam, impræſcindibile eſt ab exiſtentia totius libertatis; ac per conſequens omnium illorum, quæ ipſam conſtituerent.

42 Dixi *abſolutè*, vt per talem exceptionem excludatur aliud decretum applicativum, de cuius poſsibilitate modò non curo, quo Deus tantùm conditionatè applicaret indifferenter ſuam Omnipotentiam ad concurrendum ex determinatione creaturæ per hunc, vel ſimilem modum tendendi: *Si reliqua ad ſint ad libertatem creaturæ neceſſaria, nolo eam deficere ex parte præparationis indifferentis mei concurſus ad concurrendum cum ipſa.* Hoc enim decretum, vt ex proprijs terminis innuit, non haberet connexionem metaphyſicam cum libertate adæquata, vtpote, quod exiſtere poſſet cum præciſione ab exiſtentia illius hypotheſis: *ſi exiſtant reliqua neceſſaria*, & ideò cum præciſione ab exiſtentia libertatis *completè*, & *adæquatè* acceptæ: vnde non eſſet aptum, vt per ſe ſolum conſtitueret hypotheſim adæquatam Scientiæ *ſtrictè mediæ*, cùm ſub ea nequiret conditionatum proponi, vt liberum voluntati creatæ.

43 Propter eandem rationem dicendum eſt tertio: quodcumque aliud decretum, quod vel tendat in totam libertatem adæquatè ſumptam, vel in partem ipſius; taliter tamen, vt habeat reſpectum eſſentialis connexionis ad reliquas, & ſit indifferens ad conditionatum determinati exercitij voluntatis creatæ poſſe aſſumi per Scientiam mediam *ſtrictè talem*, tanquam hypotheſim adæquatam. Ratio eſt eadem: nam hypotheſis indifferens ad conditionatum, & ſub qua conditionatum poteſt proponi, vt liberum creaturæ, eſt apta hypotheſis adæquata Scientiæ *ſtrictè mediæ*: ſed tale decretum eſt indifferens ad conditionatum *conſenſus*; v.g. quia quod connectatur cum libertate ad conſenſum, præcisè probat connecti cum indifferentia ad conſenſum, quomodo nullam dicit determinationē ad ipſum, & aliunde conſenſus ſe tenens ex parte conditionati poteſt proponi, vt exiturus liberè ſub hypotheſi ob metaphyſicam connexionem, quam hæc dicit cum tota libertate integrè, & completè accepta: ergo tale decretum valet eſſe hypotheſis adæquata Scientiæ *ſtrictè mediæ*, ſicut alterum decretum memoratum, quod non ſe habeat extra libertatem creatam; verùm ſit illius formale conſtitutivum.

44 Sed dices: quamquàm ex parte indifferentiæ hypotheſis ad conditionatum, neque titulo repræſentationis conditionati, vt liberi ſub tali hypotheſi non oſtendatur repugnantia vlla in eo, quod dicta decreta aſſumantur à Scientia *ſtrictè media*, velut hypotheſis adæquata ſui; tamen adeſt alius titulus, ex quo apparet repugnantia, vt ſimiles tendentiæ conditionatæ ſub hypotheſi adæquata ex illis inveniantur in intellectu divino. Titulus repugnantiæ eſt inutilis repetitio Scientiæ circa idem obiectum, quod intellectui perfectiſsimo repugnat, vtpote qui cum exhauriat cognoſcibilitatem paſsivam obiecti; non modo redundante, & non neceſſario ad ſatisfaciendum plenè eidem cognoſcibilitati ſe habet: repetitio autem Scientiæ erga eandem veritatem obiectivam formaliter ſumptam oſtenditur.

Nam

Nam si id ipsum formaliter, quod per illam Scientiam conditionatam: *Si existat decretum, existet consensus liber creaturæ* repræsentatur, per alias Scientias Deus cognoscat, inutilis erit similis tendentia, sicut & repetitio illius, quod iam Deus aliunde cognosceret: sed id contingeret respectu illius tendentiæ: ergo repugnat titulo inutilitatis, & vanæ repetitionis in cognoscendo obiecto. Probatur minor: quia id ipsum quod proponitur per Scientiam illam conditionatam: *Si existat decretum, existet consensus liber creaturæ*, cognoscit Deus per complexum duplicis alterius tendentiæ, quarum vna necessaria est proponens quidditatem, & connexionem metaphysicam, quam essentialiter fert ex suo conceptu illud decretum; altera verò contingens, & Deo non libera; ac proinde *strictè media* proponens consensum liberum creaturæ sub hypothesi totius libertatis adæquatè acceptæ; etenim per hanc duplicem tendentiam cognoscit Deus tum, *quod si existat decretum, existet tota libertas*; tum etiam, *quod si existat libertas, ac proinde constitutivum illius, quale est decretum, existet consensus*, quod formalissimè proponeret tendentia illa: *Si existat decretum, existet consensus liber creaturæ*: Igitur contingeret respectu huius tendentiæ, Deum per illam cognoscere, quod aliunde per alias ipsi proponitur.

45 Sed contra: quia simili discursu probabitur invtilis tēdētia illa, qua Deus cognoscat conditionatè operationem liberam creaturæ sub hypothesi cōstituta ex tota, & adæquata libertate. Ratio est: quia sufficit hęc altera tendentia à nobis assignata, videlicèt: *Si existat decretum applicativum, existet consensus liber creaturæ*, vt Deus cognoscat quidquid per illam tendentiam in replica admissam repræsentatur, vt est *extiturum consensum liberum sub hypothesi totius libertatis*, quod totum includitur in hac altera tendentia: *Si existat decretum applicativum Omnipotentiæ, existet consensus liber*; nam verum esse nequit, quin verum sit, *extiturum consensum sub tali hypothesi cum reliquis libertatis constitutivis*, & simul *quod si existat tota libertas, existet consensus liber*. Iam verò cum pro hac duplici tendentia in conspectu alterius æquè militet inconveniens inutilitatis, & vanæ repetitionis in cognoscendo, cur potius inutilitas, & superfluitas debeat comprehendere eam, quam impugnant; quàm eam admissam, & suppositam discernant, qui sic replicant, cum nobis facilè non sit inter tendentias, quæ si existant in intellectu divino, debent existere in eodem signo, & absque vlla præsuppositione vnius ad alteram.

46 Contra insuper nam obiecta difficultas, & titulus inutilitatis propositus ad ostendendam repugnantiam in assignatis tendentijs non potest comprehendere omne decretum à nobis propositum attingibile per Scientiam *stricte mediam* tanquam hypothesim adæquatam; sed solum illud, quod sit libertatis constitutivum, quale est decretum applicativum; alia autem quæ extra libertatem sint, & comparentur ad ipsam tanquam quid influens, omninò sunt extra propositum absurdum, cùm non comprehendantur sub hypothesi illius tendentiæ, *si existat tota libertas, existat consensus liber*, & ideò nec sub complexo illius tendentiæ contingentis, & alterius necessariæ proponentis intellectui divino essentiam decreti, & connexionem metaphysicam; quam habet cum existentia totius libertatis adæquatè sumptæ: vnde male procedit ex vniversalitate impugnationis, quando opus est distinguere inter vnum, & alterum decretum, sicut & inter vnam, & alteram tendentiam, quæ æqualiter ex proposito medio inutilitatis non probantur continere repugnantiam.

47 Contra tertiò: nam illa tendentia: *Si existat tota libertas, existet consensus liber*, ex se non proponit formaliter, *quod si existat divisim vna pars libertatis ex parte hypothesis adæquatè existet consensus liber*, vt manet supra probatum, ex eo quod tales modi tendendi sint ex se formaliter præscindibiles, nec valeat ab affirmatione conditionata exercitij liberi sub hypothesi totius libertatis ad affirmationem eiusdem exercitij liberi sub hypothesi vnius partis libertatis: pariter illa tendentia, *si existat decretum applicativum, existent reliqua libertatis constitutiva*, non exprimit formaliter, *quod si existat decretum, existet consensus liber*: quia sicut præscindit ab eo, *quod si existat tota libertas, existat consensus liber*; sic etiam præscindit ab eo quod, *si existat pars libertatis, seu decretum applicativum, existat consensus liber*; tandem complexum illius duplicis tendentiæ ad summum continet modo quoddam implicito id

quod, pertinet ad illam tertiam, *ſi exiſtat decretum applicativum, exiſtet conſenſus liber*: vnde non impedit expreſſionem formaliſsimam eiuſdem veritatis: quia tantùm diſtat à lædenda perfectione divini intellectus, vtpotius eam commendet, cum proprium ſit intellectus infiniti, & perfectiſsimi exprimere obiectum omni modo non dicente imperfectionem, qualem non dicit expreſsio formaliſsima eiuſdem obiecti; nec deficit exemplum apud Adverſarios id ſuadens; nimirùm complexum Scientiæ ſtrictè mediæ; v. g. *Si exiſtat in Petro talis determinata libertas, exiſtet Pœnitentia*, & purificationis hypotheſis eiuſdem Scientiæ; ideſt libertatis, ſub qua prævidetur extitura pœnitentia; in quo complexo implicito quodam modo cognoſcit Deus *exiſtere abſolutè pœnitentiam in Petro*; imò talis tendentia debet exiſtere ex perfectione divini intellectus, vt ſic plenè, & perfectè ſatisfaciat cognoſcibilitati paſſivæ obiecti.

48 Vnde pro plena intelligentia eſt advertendum opus eſſe non confundere, *vnam tendentiam, aut complexum duplicis tendentiæ in intellectu divino* facere debitam alteram tendentiam; & vnam tendentiam, aut complexum duplicis tendentiæ in intellectu divino exprimere formaliter quidquid per aliam tertiam tendentiam exprimitur. Si tendentia erga fundamentum connexionis debitam facit tendentiam erga connexionis terminum; nec ideò ſufficit pro expreſsione debita termino connexionis in intellectu divino cognitio quædam implicita eiuſdem termini in fundamento cum illo metaphyſicè connexo. Ad quem modum, complexum illud tendentiarum propoſitum ab adverſarijs reddit debitam hanc tendentiam: *Si exiſtat decretum applicativum Omnipotentiæ, exiſtet conſenſus liber*; aſt non imbibit in ſe formaliter expreſsionem illam taliter, vt ad eius conſpectum reſultet inutilis talis tendentia, quia per complexum ſit iam ſatisfactum toti cognoſcibilitati paſsivæ obiecti, & omni modo tendentiæ intentionalis erga ipſum, ob quæ nullus eſt titulus ponderatus repugnantiæ in tendentijs conditionatis à nobis propoſitis ex inutilitate, & ſuperflua repetitione in cognoſcendo obiecto, cum per oppoſitum ſuadeantur neceſſariæ in cognoſcente *infinito*, & benè compoſitæ cum perfectione, & excellentia intellectus, quem nihil lateat, ſivè quoad ſubſtantiam, ſivè quoad modum eorum, quæ ſunt in obiecto.

49 Inquiritur quintò: an hypotheſis Scientiæ *ſtrictè mediæ* valeat conſtare pluribus extremis vagè, & indeterminatè acceptis, vt explicant hæ tendentiæ: *Si exiſtat aliqua ex determinatis his libertatibus A. B. C. D. in Petro, rectè operabitur*; vel vniverſaliùs: *Si exiſtat aliqua ex libertatibus poſsibilibus in Paulo, convertetur*, & plures, quæ ad harum modum cum ſimili vaguitate ex parte hypotheſis in conditionalibus de conditionato libero creaturæ excogitari poſſunt?

50 Reſpondetur affirmativè: quia nihil eſt quod obſtet, vt ſimiles tendentiæ abſque imperfectione vlla inveniantur in intellectu divino; inſuper modus iſte cognoſcendi pertinet ad Scientiam *ſtrictè mediam*, cum habeat pro obiecto veritatem conditionatam contingentem de conditionato libero voluntati creatæ: ergo Scientia *ſtrictè media* poteſt attingere ex parte hypotheſis plura extrema vagè, & indeterminatè. Conſequentia tenet, ſicut, & antecedens quoad ſecundam partem: quoad primam, in qua eſt difficultas, probatur: nam ſi aliquid obſtaret, maxime tendentiæ de hypotheſi determinata, quæ cum illo modo cognoſcendi vagè ex parte hypotheſis neceſſariò debent coniungi: ſed ſimiles tendentiæ de hypotheſi determinata non impediunt modum illum cognoſcendi vagè ex parte hypotheſis: ergo nihil eſt, quod obſtet, vt ſimiles tendentiæ abſque imperfectione vlla inveniantur in intellectu divino. Maior apparet certa, cùm non appareat aliud caput repugnantiæ pro tali modo vago attingendi extrema ex parte hypotheſis; quàm neceſſaria coniunctio illius cum altera tendentia attingente determinatè ex parte hypotheſis aliquod ex eiſdem extremis, quæ attinguntur vagè, etiam ex parte hypotheſis ad idem conditionatum. Probatur minor: tendentiæ reſpicientes veritates obiectivas mutuò inter ſe non incluſas, ideſt quarum vna mutuò non includitur in alia, nullam dicunt repugnantiam in intellectu divino, cum nullam dicat ſuperfluitatem, aut redundantiam in modo cognoſcendi: ſed tendentiæ illæ, quarum vna aſſumat

de-

determinatè extremum ex parte hypothesis, quod altera vagè, & indeterminatè cum alijs attingit, & hæc altera vagè attingens non dicunt inter se mutuam inclusionem: nam licet bene valeat à determinata ad disiunctivam; secus à disiunctiva ad determinatam: ergo similes tendentiæ de hypothesi determinata non impediunt modum illum cognoscendi vagè ex parte hypothesis.

51 Explicatur: hæc veritas: *Si existat aliqua ex quatuor libertatibus determinatis A. B. C. D. existet operatio recta*, necessario coniungenda est cum aliqua veritate conditionali de hypothesi determinata, scilicèt: *Si existat libertas A. existet operatio recta*, aut *si existat B. existet operatio recta*, & sic de reliquis extremis vagè attactis per primam illam veritatem conditionalem; aliàs *disiunctiva* illa non esset vera; cæterum, vt in ratione veritatis *disiunctivæ* consistat, non exigit potius hanc conditionalem de hypothesi determinata: *Si existat libertas A. existet operatio recta*, & sic de reliquis vagè attactis per suam hypothesim: vnde licet bene valeat à quavis ex illis conditionalibus de hypothesi determinata ad veritatem illam conditionalem de hypothesi vaga; secus à veritate condi ionali de hypothesi vaga ad hanc, vel has determinatas de hypothesi determinata, per quas defacto fit satis eius veritati; siquidem *disiunctiva* illa in ratione veritatis persisteret deficiente hac veritate conditionali de hypothesi determinata: *Si existat libertas A. existet operatio recta*, cum ea deficiente, adhùc persisteret in ratione veritatis conditionalis de hypothesi vaga, dummodo conditionalis alia veritas de hypothesi determinata existeret; vt etiam verificatur respectivè ad coniunctum omnium libertatum, quas vagè in hypothesi attingit, propterea quod deficiente coniuncto, adhùc persisteret, sub quavis parte illius: ergo inter veritatem illam conditionalem obiectivam de hypothesi vaga, & aliam veritatem conditionalem obiectivam de hypothesi determinata, per quam defacto verificatur, non datur mutua inclusio, vt convincit non mutua consequentia ex vna ad alteram: ergo neque tendentiæ intentionales respondentes talibus veritatibus obiectivis respiciunt aliquid obiectivum mutuæ inclusionis.

52 Iam mutua hac non inclusione firmata, tendentias correspondentes talibus veritatibus obiectivis nullam dicere inter se repugnantiam, imò vt compositas inter se debitas esse intellectui divino liquet non difficile: etenim semper ac vna veritas obiectiva dicit præcisionem ab alia; ac propterea habet signum prioritatis in *subsistendi consequentia* ad illam, exigit in intellectu divino tendentiam sibi correspondentem compositam cum tendentia alteri veritati obiectivæ, à qua præscindit, proportionata; quamvis ab hac tendentia, & veritate obiectiva stet consequentia ad alteram, sicut, & non præcisio. Quod suadet efficaciter Scientia *simplicis intelligentiæ* comparata cum Scientia existentium, & Scientia quidditatum rerum comparata ad eandem Scientiam existentium; necnon Scientia quævis, sivè necessaria, sivè contingens comparata cum Scientia absoluta coniunctionis hypothesis, & conditionati; quarum coniunctio non modò non impeditur; verùm probatur maximè congrua, & debita perfectioni divini intellectus; non ob aliam rationem nisi quia vna veritas obiectiva, & tendentia divinæ mentis *illi* propria dicit præcisionem *non mutuam* ab altera; ac propterea existit cognoscibilis veritas obiectiva in signo præscindibili à signo alterius: ergo si intercedit similis præcisio inter veritatem illam conditionalem de hypothesi vagè attingente aliquas libertates determinatas, & alteram de hypothesi determinata quoad aliquam libertatem contentam in illa vaguitate, non modò poterunt coniungi in intellectu divino tendentiæ illæ *vaga*, & *determinata*; verùm ex iure divinæ perfectionis in cognoscendo sic coniungentur.

53 Dices: esse magnam disparitatem inter tendentias intentionales adhibitas in cõfirmationem, & tendentias, de quibus modò disputamus. Nam tendentiæ illæ Scientiæ *simplicis intelligentiæ*; & Scientiæ *conditionalis* absolutè præscindunt ab statu absoluto obiecti, & *à visionis Scientia* circa idem obiectum, cùm sæpè ab illis separentur, sicut veritas obiectiva conditionalis, & scientia ei accommodata taliter præscindunt à coniunctione absoluta hypothesis, & conditionati, vt sæpè sit vna veritas absque alia, & tendentia repræsentativa vnius absque tendentia repræsentativa alterius. Non sic in veritate, & tendentia vaga compa-

ratis cum veritate, & tendentia determinata, cùm veritas, & tendentia vaga nequeant absolutè præscindere à veritate, & tendentia determinata; aliàs veritas obiectiva vaga præscinderet à suo *esse veritatis*, quod per veritatem obiectivam determinatam constituitur, sine qua stare nequit, vt comprobat omnis veritas obiectiva vaga, quę disiunctiva sit, quam semper comitatur aliqua veritas obiectiva determinata: igitur non datur præcisio necessaria, vt duæ illæ tendentiæ *vaga*, & *determinata* in intellectu divino valeant absque imperfectione redundantiæ in cognoscendo componi.

54 Sed contra est: nam licèt veritas disiunctiva, & vaga nunquam possit consistere absque veritate obiectiva alicuius extremi determinati ex illis quæ vagè respiciuntur; at semper ex se præscindit à veritate illa extremi determinati, cum qua defacto coniungitur, vt manifestum facit ipsa indeterminatio benè composita ex se cum veritate alterius extremi determinati quod in locum huius subrrogetur. Exemplum sit hæc obiectiva veritas disiunctiva: *vel Petrus sedet, vel Ioannes cantat*, quæ licet stare nequeat cum defectu vtriusque; attamen ita indeterminata ex se est ad cantum Ioannis determinatè sumptum, vel ad sessionem Petri determinatè acceptam, vt deficiente hac, per quam ei defacto fit satis, non deficeret, si loco huius, *cantus Ioannis existeret*, cum quo defacto non coniungitur: ergo coniunctio illa cum aliquo determinato determinatè non exacto, non impedit præcisionem ab omni illo determinato, cum quo defacto coniungitur, & quod in *subsistendi consequentia* præcedit; modo quo libertas quævis, & si semper coniungatur defacto cum aliquo determinato extremo, cum ab omni præscindere nequeat, purè suspensive se habendo; semper tamen retinet præcisionem ex se à quocumque determinato extremo, cum quo defacto coniungitur, & in signo ab illo præscindente, tàm pro illo, quàm pro altero signo. Vnde non est confundendum, veritatem obiectivam vagam, & disiunctam non posse præscindere à veritate aliqua determinata vagè accepta, & vage requisita; cum non posse præscindere à veritate aliqua determinata determinatè accepta, & determinatè requisita, ex quibus primam præcisionem nec habet, nec intendimus in veritate obiectiva vaga; secundam verò, quam apud omnes habet, intendimus, vt sufficientem pro compositione vtriusque intentionalis tendentiæ in mente divina.

55 Dicta confirmantur: quia intellectus divinus, vtpote perfectissimus, est determinatus ad cognoscendum obiectum secundùm omnem modum verita is, quam in se habet, aliàs ipsum non comprehenderet: sed in obiecto ex parte hypothesis non modò est veritas determinata; verùm disiunctiva: ergo intellectus divinus non modò cognoscit obiectum determinatè ex parte hypothesis; verùm indeterminatè, & disiunctivè. Minor probatur: in obiecto non modò est conformitas ad hunc modum tendēdi, *si existat libertas A, existet recta operatio*; verùm etiam adhunc alterum modum tendendi: *Si existat aliqua ex libertatibus A. B. C. D. existet recta operatio*, vt constat in nostra propositione disiunctiva circa tale obiectum, quæ falsa non est ex modo affimandi; hac proinde vera est ex modo affirmandi, cum nō detur medium: ergo in obiecto ex parte hypothesis non modo est veritas determinata; verùm disiunctiva. Iterum confirmantur: esse futuram conditionatè operationem rectam sub hac, vel illa ex quatuor libertatibus non est præcisè: *Esse futuram conditionatè operationem rectam sub determinata libertate A*: patet id: quia id secundum non præscindit à se ipso, & illud primum præscindit ab hoc secundo: sed illud primum, quod non est præcisè hoc secundum, aliquid obiectivum est habens correspondentiam ad tendentiam intentionalem, quæ illud repræsentet, provt non est præcisè hoc secundum: ergo etiam aliquid obiectivum est exigens in intellectu divino, vt suam cognoscibilitatem passivam exhauriat, aliquam tendentiam intentionalem, & repræsentationem, quæ ipsum proponat, provt non est præcisè illud secundum: ergo quod intellectus tendat per suam repræsentationem conditionalem in hypothesim libertatis *A*, determinatè acceptam, non impedit, imò exigit tendere in eandem hypothesim modo expressionis vago, & indeterminato.

56 Inde occurritur replicæ, quæ formari posset ex eo, quod experimur in nobis, qui dum cognoscimus extremum determinatum, aut non curamus, aut immemores sumus attingendi idem obiectum sub aliqua vaguitate, & in-

in determinatione: quia id provenit in nobis non ex defectu veritatis obiectivæ ad illam disiunctionem; neque ex eo quod per cognitionem determinatam sit plenè satisfactum obiecto; sed potius ex limitatione in cognoscendo obiecto, cum non simus determinati ad illud cognoscendum omni eo modo, quo cognoscibile est; non sic in intellectu divino determinatissimo ad cognoscendum obiectum, provt fuerit cognoscibile, & ad finiendam cognoscibilitatem passivam eiusdem, taliter, vt nihil ad ipsum pertinens ignoret, neque aliquis veritatis modus acie.n perspicacissimam lateat; sic quamvis in nobis cognoscentibus obiectum immediatè in se, sæpè non adsit cognitio eiusdem in alio, cum non habeamus obiectivè præsentia, aut omnia, aut aliqua media obiectiva, in quibus possit cognosci, non tenet ad arguendum similem defectum cognitionis in Deo, ita vt contentus tendentia intentionali obiecti in se desistat à cognitione illius in omni medio connexo, cum id exigatur ad plenè satisfaciendum obiecto, quod in nobis ob finitudinem & limitationem intellectus potest deficere, & in Deo ob illimitationem, & infinitudinem in penetrando quocumque cognoscibili sine repugnātia divinæ perfectionis deficere nequit.

57 Sed dices: si in divino intellectu inveniretur duplex illa tendentia vaga, & determinata, inter ipsas Scientias strictè medias daretur aliqua prioritas, cum illa tendentia vaga, *Si existat aliqua ex quatuor libertatibus A.B.C.D. existet operatio recta*, per nos existat in aliquo signo præcisionis, & propterea prioritatis ad hanc alteram tendentiam: *Si existat libertas A. existet operatio recta*: hoc autem videtur absurdum, & à communi sententia devians, quæ omnem Scientiam strictè mediam collocat in eodem signo, in quo comitanter se habent: ergo non est in Deo admittendus duplex ille modus cognoscendi.

58 Sed contra: quia præcedentia illa assignata in *subsistendi consequentia* necessariò est admittenda inter Scientias medias strictè tales, vt fusius constabit ex dicendis, cum sint aliquæ Scientiæ strictè mediæ reflectentes supra alias, & quæ habeant pro hypothesi vnam Scientiam strictè mediam, & pro conditionato aliam eiusdem rationis; quæ Scientia strictè media reflexa necessario debet existere in signo præcisionis à purificatione hypothesis, & coniunctione ipsius cum conditionato, atque adeo habere prioritatem aliquam in subsistendi consequentia ad scientias, quæ sunt hypothesis, & conditionatum, vt videre est in hac Scientia media reflexa, & strictè tali: *Si existat Scientia media de dissensu in Ioanne sub libertatè A. existet Scientia media de consensu in Paulo sub libertate B*; neque hoc dici oppositionem aliquam ad communem sententiam, quæ tantum asserit eam comitantiam Scientiarum comparativè ad decreta divina, quæ sub illarum directione exercentur exceptis illis, quæ libertati eiusdem decreti officerent; non verò comitantiam earundem inter se, cùm benè componatur aliqua, quæ inter se habent ordinem *prioris*, & *posterioris* comitanter se habere in ordine ad tertium: sic Deus, & causa creata, quæ inter se servant ordinem prioris, & posterioris, cum causa creata sit à Deo influente, comitanter se habent in ordine ad tertium, nimirum ad effectum procedentem à Deo, & creatura.

59 Amplius roboratur conclusio ex eo quod in Deo non repugnet tendentia intentionalis vaga: at non repugnante in Deo tendentia intentionali vaga, non est cur Deus per Scientiam strictè mediam non attingat aliquid vagè ex parte hypothesis: ergo aliqua extrema vagè, & indeterminatè accepta possunt constituere hypothesim Scientiæ strictè mediæ. Discursus rectus est, & maior omninò nobis certa ex eo quod Deus cognosceret medium obiectivum vagè metaphysicè connexum cum aliquibus extremis; v. g. libertatem exigentem metaphysicè hoc vel illud exercitium liberum, & neutrum determinatè, & possibilitatem rei contingentis exigentem metaphysicè existentiam, vel defectum rei, & neutrum determinatè; necnon terminum connexum metaphysicè vagè cum hac, vel illa actione, & cum neutra determinatè, quæ omnia cognosci non possunt, vt sic vagè connexa, sine repræsentatione, & tendentia vagante inter terminos, & proponente non hoc extremum esse connexionis terminum; sed hoc, vel illud, ne aliter confundatur connexio vaga cum connexione determinata. Probatur minor; nam semel supposito non repugnare medium obiectivum determinans intel-

lectum divinum ad tendentiam vagam, nullum eſt medium obiectivum ſtrictiùs determinans, quàm ipſa veritas obiectiva vaga, & indeterminata: ergo ſi inter ea, quæ aſſumi poſſunt in hypotheſim Scientiæ ſtrictè mediæ ſit veritas obiectiva indeterminata, & disiunctiva, ab ea determinabitur intellectus divinus, vt per tendentiam conditionalem vagam ex parte hypotheſim ipſam cognoſcat; ac per conſequens non repugnante in Deo tendentia intentionali vaga, non eſt cur Deus per Scientiam ſtrictè mediam aliquid vagè, & indeterminate ex parte hypotheſis non attingat.

60 Hinc manet præcluſum, ſi arguere intendas, & ex noſtro diſcurſu gradum facere ad ponendas in intellectu divino alias tendentias, aut dubitativas, aut purè probabiles circa obiectum cognitum tanquam debitas cognoſcibilitati paſsivæ ipſius. Tum quia nullum eſt fundamentum ad probandum ſimiles tendentias ex conceptu ſuo non repugnare in Deo, ſicut adeſt ad probandum tendentiam vagam ad aliqua obiecta bene componi cum divina perfectione ex eo, quod defacto in Deo exiſtat, aliter non potente ſatisfacere cognoſcibilitati paſsivæ aliquorum obiectorum habentium connexionem tantùm vagam, & non determinatam erga aliqua extrema. Tum quia tendentiæ iſtæ *dubitativa*, & *probabilis* non ſunt tendentiæ debitæ cognoſcibilitati paſsivæ obiecti; verùm imperfectioni intellectus creati, qui non niſi imperfectam cognitionem obiecti multoties aſſequi poteſt; tametſi obiectum in ſe ſit perfectius cognoſcibile: quare in intellectu divino perfectiſsimo inveniri non poſſunt ex ſe determinato ad cognoſcēdum obiectum, quantum in ſe cognoſcibile eſt, & quantum debitum eſt comprehenſioni eiuſdem. Nec obſtat Deum cognoſcere noſtras tendentias *probabiles, dubitativas, confuſas, & præciſivas*, vt inde modi ſimiles cognoſcendi transferantur ad Deum: quia id præcisè probat habere obiectivè modos illos noſtros ſecus ſubiectivè ex parte divinæ tendentiæ: ſicut ſtat ſive in Deo, ſivè in nobis cognoſcere falſum, & non cognoſcere falsò: non ergo idem eſt habere obiectivè modum aliquem cognoſcendi, & habere ſubiectivè in tendentia, qua intellectui cognoſcentis proponitur.

61 Inquiritur ſextò: an id quod purè coniunctivè ſe habet ad conditionatum ac proinde conſtituens conditionalem purè coniunctivam, & quam dicunt diſparatam, poſsit ſe tenere ex parte hypotheſis, aut adæquatè conſtituere hypotheſim Scientiæ ſtrictè mediæ; v. g. An iſtud obiectivum, *Petrus ſedens*, nullum præſtans influxum in conſenſum Ioannis, neque vllam habens connexionem cum prædicto conſenſu valeat eſſe hypotheſis, vel adæquata, vel inadæquata Scientiæ ſtrictè mediæ in ordine ad conditionatum illud, *conſenſus Ioannis*, aut in ordine ad aliud proprium talis Scientiæ?

62 Reſpondetur affirmativè; nam dum conditionatum ſit liberum creaturæ illud purè coniunctivè ſe habens conſtituit veritatem obiectivam conditionalem contingentem, & Deo non liberam: ſed conditionalis contingens, & Deo non libera eſt obiectum proprium Scientiæ ſtrictè mediæ: ergo hæc, ſicut poteſt attingere eam conditionalem tanquam obiectum ſibi proprium, poteſt attingere ex parte hypotheſis aliquid purè coniunctivè ſe habens ad conditionatum, vel vt hypotheſim adæquatam vel vt hypotheſim inadæquatam. Maior conſtat ex latè diſputatis ſupra circa conditionales purè coniunctivas, & diſparatas, vbi probatum manet, & eas eſſe veritates ſtrictè conditionales, & quidquid contra ipſas obijcitur, eſt ſolutum. Vnde etiam liquet, quod ſi ſint de conditionato libero creaturæ, conſtituent veritatem obiectivam conditionalem contingentem Deo, & non liberam, cum à libertate conditionati ſub hypotheſi ſuſcipiant talem rationem, vt contingit in conditionalibus *purè coniunctivis*, cum quibus quoad hoc pariter procedunt. Minor etiam conſtat ex natura, & conditione iſtius Scientiæ, quam vocamus ſtrictè mediam, quæque ideò eſt medium quid inter Scientiam Deo *liberam*, & *naturalem*, ſeu *contingentem*, & *non liberam*, quia reſpicit obiectum medium quid inter Deo liberum, & neceſſarium, ſeu contingens, & Deo non liberum, quale eſt illud vnicè immediatè, & proximè liberum creaturæ.

63 Inde hæc conditionalis obiectiva: *Si Petrus cantet, & exiſtat in Ioanne libertas talis determinata, exiſtet conſenſus*; & iſta: *Si Petrus cantet, Franciſcus converteretur*, in quarum prima *purè coniuncti-*

vum

rum se habet, vt hypothesis inadæquata ex consortio ad aliud *non purè coniunctivum*, quale est libertas, & in secunda *purè coniunctivum* se habet, vt adæquata hypothesis, cum seorsim ab omni alio sit casus dicens ordinem extrinsecum coniunctionis ad conditionatum, sunt obiectum proprium Scientiæ strictè mediæ, & verè attingibiles per ipsam; etenim sunt veritates obiectivæ verè affirmabiles, & coniungibiles per divinam Scientiam, & non per aliam, quam per eam, quæ dicitur strictè media: ergo Scientia ista potest attingere aliquid *purè coniunctivè* se habens ad conditionatum, vel tanquam hypothesim adæquatam, vel tanquam hypothesim inadæquatā, dummodò conditionatum oppositum sit exercitium pertinens ad libertatem creatam.

64 Si dicas: per nos conditionatum proprium Scientiæ strictè mediæ non modò debere esse liberum creaturæ; verùm propositum, vt tale per eandem Scientiam, quæ in id destinata est ex proprio munere, vt informet intellectum divinum de exercitio libero creaturæ sub hypothesi, vt sic dirigat divinam voluntatem ad decretum de purificatione illius, quod non poterit præstare Scientia illa habens pro hypothesi adæquata *purè coniunctivum*, & impertinenter se habens ad consensum liberum. Nam quid *cantus* Petri, aut *dormitio* eiusdem cum constitutione consensus Pauli sub ipsis, vt liberi? Quare sit sponte, *purè coniunctivum* simul cum libertate conducente ad operationem se tenentem ex parte conditionati in ratione liberæ, posse hypothesim Scientiæ strictè mediæ constituere; at quando *purè coniunctivum* se habeat, vt adæquata hypothesis, non videtur locum habere posse Scientia strictè media ex defectu illius, quod est indispensabiliter necessarium ad proponendum conditionatum, vt liberum creaturæ, vt est proprium talis Scientiæ.

65 Contra est: nam licèt *purè coniunctivum* se habeat, vt adæquata hypothesis, non deficit, quod necessarium est, vt per Scientiam proponatur conditionatum tanquam liberum creaturæ sub illa hypothesi; siquidem dupliciter potest conditionatum proponi, vt liberum creaturæ sub hypothesi. *Vno modò*, quando hypothesis ipsa assumpta claudat totam libertatem adæquatam, quæ per coniunctionem sui cum operatione creaturæ hanc proponat, vt liberam. *Altero*, quando & si hypothesis non sit tota libertas, nec aliquid libertatis conducentis ad conditionatum, vt liberum creaturæ; tamen tota libertas se teneat ex parte conditionati, vt affirmata sub hypothesi: vtroque enim modo proponitur conditionatum, vt liberum creaturæ, ex eo quod sub vtroque proponatur operatio creaturæ coniuncta cum libertate sub hypothesi; etenim, vt per se patet, tam securus est per repræsentationem de libertate conditionati per hypothesim, qui cognoscat operationem creaturæ sub hypothesi libertatis eiusdem; quàm qui cognoscat libertatem operationis creaturæ positam ex parte conditionati sub hypothesi, quæ nec tota libertas sit, neque aliquid illius. Itaque verum est in Scientia conditionali de hypothesi *purè coniunctiva* ad conditionatum deficere primum illum modum proponendi conditionatum, vt liberum creaturæ; cæterùm non deficit absolutè propositio cōditionati, vt liberi creaturæ, cum non deficiat secundus modus proponēdi ipsum liberum, nempè per libertatem adæquatam tenentem se ex parte conditionati operationis sub illa hypothesi *purè coniunctiva*. Vnde cessat inconveniens obiectum, manente firma repræsentatione conditionati, vt liberi creaturæ requisiti essentialiter ad tendentiam intentionalem propriam Scientiæ *strictè mediæ*.

CAPVT II.

An ex parte hypothesis Scientiæ mediæ alia Scientia media se tenere queat? Sive: an possibilis sit, & detur in intellectu divino Scientia media reflexa?

66 COntroversiam, in qua nimis se diffundunt Recentiores, latioribus terminis proposuimus, vt sub vno titulo sine remissione ad alium locum nonnulla dubia solvantur. Hucusque enim *præsè*, & *strictè* satis,

tis, quæ ad Scientiam mediam *ſtrictè talem* ſpectant, in examen adduximus; nunc verò, quod ad Scientiam mediam *latè talem* attinet, expedire tentamus non obliti eorum, quæ ad Scientiam mediam *ſtrictè talem* reſpiciunt. Pro cuius intelligentia advertendum, Scientiam mediam reflexam, ſeu reflectentem eam venire intelligendam, quæ alteram Scientiam mediam habeat pro obiecto: nam ſicut cognitio attingens, vel ſe ipſam, vel quamcumque aliam cognitionem iure dicitur cognitio reflexa; ſic Scientia, cui competant prædicata Scientiæ mediæ, & aliam Scientiam mediam habeat pro obiecto, non immeritò Scientia media reflexa venit nominanda.

67 Cæterum ſicut Scientia media *directa* dividitur in Scientiam mediam *ſtrictè talem*, & Scientiam mediam *latè talem*, quarum illa eſt, quæ reſpicit ſub hypotheſi conditionatum liberum creaturæ; hæc autem, quæ reſpicit conditionatum Deo liberum, qualis eſt illa qua Deus cognoſcit ſuas operationes liberas ſub hypotheſi talis determinatæ libertatis, ſic etiam Scientia media *reflexa*, ſi in Deo ſit poſsibilis, ſub eadem diviſione erit conſideranda, & dividenda in Scientiam mediam reflexam *ſtrictè talem*, & Scientiam mediam reflexam *latè talem*: ex quibus hæc erit, quæ aſſumens pro hypotheſi Scientiam mediam reſpiciat ſub illa pro conditionato aliquid Deo liberum, vt hæc: *Si prævidero auxilium efficax, illud conferam*; illa verò, quæ aſſumens pro hypotheſi Scientiam mediam reſpiciat ſub illa pro conditionato aliquid liberum creaturæ ſub hac, vel ſimili tendentia: *Si exiſtat hæc Scientia media ſtrictè talis de conſenſu in Petro, exiſtet altera Scientia ſtrictè media de conſenſu in Paulo*; quod idem accidet, ſemper ac ſub hypotheſi aſſumatur, ſive Scientia *ſtrictè media*, ſive Scientia *latè media*, dummodò conditionatum ſit liberum creaturæ. Quibus præmiſsis, quæſtionis ſenſus vtramque Scientiam comprehendit, & inquirit: an Scientia media, tàm *ſtrictè*, quàm *latè* valeat habere pro hypotheſi alteram Scientiam mediam, quomodo conſtituetur in ratione Scientiæ mediæ *reflexæ*: an verò reflexio iſta ex aliquo capite repugnet, & ideo ab intellectu divino ſit releganda?

68 In qua quæſtione Recentiores aliqui, nam apud antiquiores parum, aut nihil de his ſubtilitatibus invenitur, ægrè nimis ferunt has reflexas tendentias formaliter ſumptas volentes eas reducere ad modum quemdam implicitum cognoſcendi in alijs tendentijs directis, vel quia expreſſum illum modum cognoſcendi reflexe ſæpè nō componunt cum libertate creata, vel quia invtilem iudicant talem reflexionem. Communior tamen ſententia eas iudicat neceſſariò admittendas in intellectu divino, vt ſic habeat amplitudinem in cognoſcendo propriam intellectus infiniti, & perfectiſsimi, quā careret non ſine ignorantiæ nota, cum hæc futura conditionata contingentia nō minus; quàm reliqua alia directa habeant ſuam veritatem obiectivam, neque conſequenter Scientiam illorum concedere, & horum negare poſsit, cum probationis, & fundamenti vis, aut pro nullis, aut pro omnibus pariter vrgeat.

69 Sit concluſio cum communi, & nobis vera ſententia, Scientia media, ſive *latè*, ſive *ſtrictè* accepta poteſt attingere ex parte ſuæ hypotheſis alteram Scientiam mediam; ideoque Scientia media, ſive *latè*, ſive *ſtrictè* poteſt ſuſcipere denominationem Scientiæ mediæ reflexæ, quæ non minus congruit, & eſt debita intellectui divino; quàm Scientia media directa, ſive *ſtrictè*, ſive *latè*. Probatur: Scientia media coniungibilis eſt, tàm cum Scientia media pertinente ad libertatem divinam, quàm ad libertatem creatam: ſed de eo, cum quo coniungibilis eſt, poteſt verificari, *ſi exiſtat fore coniungendam*: ergo Scientia media eſt talis, de qua verificari poteſt, *ſi exiſtat, fore coniungendam, aut cum exercitio libero Deo, aut cum exercitio libero creaturæ*: at hoc eſt formaliſsimè Scientiam mediam poſſe aſſumi in hypotheſim, tum in ordine ad conditionatum liberum Deo, tum in ordine ad conditionatum liberum creaturæ per aliam Scientiam reflectentem ſupra ipſam, quæ pro modo conditionati, aut liberi Deo, aut liberi creaturæ, iam erit *ſtrictè*, iam *latè* media: ergo Scientia media valet eſſe hypotheſis alterius Scientiæ mediæ; ac propterea non repugnat Scientia mediæ reflexa, ſive *ſtrictè*, ſive *latè* accepta. Rectitudo diſcurſus à minori ſubſumpta pendet à primo ſyllogiſmo, in quo conſequentia bona eſt, & maior certa, cum defacto coniungatur Scientia media, tam cum exercitio libero Deo, quod eſt col-

la-

latio auxilij; quàm cum exercitio pendente à libertate creata, vt est altera Scientia media, vel aliud exercitium liberum creaturę distinctum ab illo, quod talis Scientia repræsentat: ergo coniungibilis est cum exercitio libero Deo, & cum exercitio libero creaturæ. Minor autem probatur: quia de eo, cum quo coniungibilis est absolutè, potest esse casus absolutus per sui absolutam existentiam coniunctionis absolutæ: sed de illo, respectu cuius potest esse casus absolutus absolutæ coniunctionis per suam absolutam existentiam, potest etiam esse casus, & hypothesis in statu conditionato eiusdem absolutæ coniunctionis, cum ab statu absoluto sub existentia vnius valeat ad statum conditionatum sub eadem existentia sumpta pro hypothesi: ergo de eo, cum quo Scientia media est coniungibilis, potest verificari: *Si existat fore coniungendam.*

70 Confirmatur: quia vel Scientia media consideratur in ordine ad exercitium sibi pertinens, vt est exercitium liberum Deo, cuius libertas constituitur per ipsam Scientiam mediam; v. g. Scientia media de dissensu, aut de consensu creaturæ sub determinata libertate, Deum dirigens ad collationem, vel denegationem auxilij, & ideo constituens divinam libertatem ad illud conferendum, vel denegandum; vel in ordine ad extremum sibi impertinens, vt est vna Scientia media respectu alterius, sive eiusdem, sive diversæ voluntatis. Si primo modo consideretur, tàm poterit esse hypothesis in ordine ad exercitium Dei liberum coniunctivè cum reliquis libertatis constitutivis, quàm potest esse in nobis auxilium hypothesis coniunctivè acceptum in ordine ad nostra exercitia libera: si attendatur secundo modo, tàm poterit esse hypothesis in ordine ad extremum sibi impertinēs, quàm quodcumque aliud constituens hypothesim in conditionali disparata, de qua modò non est disputandum, verùm ex alibi iam discusis supponendum: ergo tam capax est Scientia media constituendi hypothesim, sive ad conditionatum liberum Deo, sive ad conditionatum liberum creaturæ, sicque terminare Scientiam aliam mediam reflexam; quàm est capax constituendi hypothesim id, quod a Scientia media directa assumitur in talem, sive quoad conditionatum liberum Deo, sive quoad conditionatum liberum creaturæ.

71 Probatur rursus generali ratione comprehendente omnia futura conditionata contingentia, & habere determinatam veritatem, tàm obiectivam, quàm formalem ex eo, quod sub quibusvis circunstantijs possibilibus non possit dari præcisio à duplici contradictorio; vnde vnum, vel alterum verificari opus est: inde sic: Scientia media comparata ad quodcumque extremum talis est, quod si existat, non possit præscindere à duplici contradictorio illius: ergo cum vno, vel altero est necessariò coniungenda: ergo verum conditionaliter debet esse: *quod si existat, vnum, vel alterum erit*; iam vt huic necessitati fiat satis, aliquod ex contradictorijs determinatè est verificandum, quod si sit de conditionato *positivo*, constituet veritatem conditionalem de cōditionato positivo sub hypothesi Scientiæ mediæ; si verò *negativum*, constituet veritatem conditionalem de conditionato negativo, quæ veritates sunt attingibiles per aliam Scientiam conditionalem reflexam, cui si correspondeat conditionatum liberum Deo, erit Scientia media reflexa *late* talis; at si correspondeat conditionatum liberum creaturæ, erit Scientia media reflexa *strictè* talis.

72 Confirmatur: non minus sunt contradictoria *existere*, & *non existere* cōditionatè sub hypothesi Scientiæ mediæ conditionatum pertinens ad libertatem divinam, vel ad libertatem creatam; ac *existere*, & *non existere* conditionatè sub hypothesi libertatis creatæ conditionatum pertinens ad eandem libertatem: sed quia hæc contradictoria sunt, inter quæ non datur medium, debet esse aliqua veritas conditionalis contingens correspondens Scientiæ mediæ directæ attingenti pro hypothesi libertatē creatam: ergo quia illa sunt contradictoria, inter quæ non datur medium, debet esse aliqua veritas conditionalis contingens correspondens Scientiæ mediæ reflexæ attingenti pro hypothesi Scientiam mediam directam. Explicatur: tàm non datur medium inter *esse*, & *non esse* consensus creaturæ sub hypothesi libertatis cōducente, aut sub hypothesi altera inconcernente, quàm non datur inter *esse*, & *non esse* actionis liberæ, sive Dei, sive creaturæ sub hypothesi Scientiæ mediæ dire-

directæ determinatæ, ſive conducente ad actionem liberam, ſive inconducente, vt eſt regulariter vna Scientia media reſpectu alterius: ſed quia in primo deficit illud medium, datur Scientia conditionalis directa, ſive de conditionalibus diſparatis, ſive de conditionalibus pertinentibus: ergo quia deficit in ſecundo, dabitur Scientia conditionalis reflexa, ſive de conditionali diſparata, ſive de conditionali pertinente, habens pro hypotheſi Scientiam mediam directam, quæ pro diverſitate conditionati ſuſcipiet denominationem, aut reflexæ *ſtrictè mediæ*, aut reflexæ *latè mediæ*.

73 Vrgetur: tam neceſſarium eſt Deum conferre, aut non conferre auxilium ſub hypotheſi libertatis conſtitutæ per Scientiam mediam directam de efficacia, aut inefficacia auxilij, qua defacto gaudet, aut gaudere poteſt; ac eſt neceſſarium voluntatem creatam conſentire, aut non conſentire ſub hypotheſi libertatis conſtitutæ per auxilium, qua defacto gaudet, aut gaudere poteſt: ſed propter hanc neceſſitatem datur Scientia conditionalis, cuius hypotheſis ſit auxilium cum reliquis libertatis creatæ conſtitutivis: ergo propter illam neceſſitatem dabitur etiam Scientia attingens ex parte hypotheſis Scientiam directam mediam cum reliquis libertatis divinæ conſtitutivis: at Scientia iſta eſt Scientia conditionalis reflexa, & quidem non innitens decreto *ſubiectivè abſoluto*; ac proinde late media: ergo non repugnat in intellectu divino Scientia iſta media reflexa; cumque idem argumentum confici poſsit relate ad conditionatum liberum creaturæ propter ſimilem neceſſitatem vnius, vel alterius exercitij liberi ſub hypotheſi, concluditur non repugnans Scientia media reflexa in omni ſua latitudine *ſtrictè*, vel *late* in ratione *mediæ* accepta.

74 Idem probatur duplici paritate. Prima deſumitur ex Scientia conditionali neceſſaria reflectente ſupra quamcumque Scientiam mediam directam, & ſtante in ſigno præciſionis à purificatione hypotheſis, qualis eſt hæc: *Si exiſtat Scientia media de conſenſu ſub hypotheſi determinatæ libertatis creatæ, erit obiectum ipſius ſicut per ipſam affirmatur*, quæ Scientia non repugnat, quia reflectens ſupra Scientiam mediam, nec quia taliter reflectens aſſumpta Scientia media ex parte hypotheſis, nec quia ſit in ſigno præciſivo à purificatione hypotheſis: ergo neque repugnabit altera Scientia conditionalis reflexiva, & contingens reſpiciens Scientiam mediam directam ex parte hypotheſis. Probatur conſequentia: quia ſi in cæteris ſit convenientia præter contingentiam hypotheſis ad conditionatum, hæc obſtare non poteſt, vt inde probetur repugnantia; cum tantùm probet conditionalem iſtam non eſſe illativam, ſicut eſt prima: at vt detur conditionalis obiectiva, & formalis non requiritur, quod ſit illativa, aliàs conditionalis illativa correſpondens Scientiæ mediæ directæ, ſicut & ipſa Scientia, repugnaret: ergo ſi prima illa reflexio erga Scientiam mediam directam ſe habentem vt hypotheſim non repugnat; imo cum maxima perfectione invenitur in intellectu divino; etiam non repugnabit ſecunda; imo ex debito eiuſdem perfectionis exiſtet in intellectu divino.

75 Secunda ex Scientia contingente reflectente abſolutè erga alteram Scientiam contingentem abſolutam, vt videre eſt in Scientia *viſionis*, quam Deus reflexe cognoſcit, nec duntaxat datur in intellectu divino cognitio directa de exiſtentia mundi; verùm formalitas Scientiæ reflexa, qua cognoſcit ſe cognoſcere mundum, & ſupra hanc alia habens pro obiecto Deum cognoſcere ſe cognoſcere mundum, & ſic in infinitum ob illimitationem divinæ mentis, cui competit expreſsiſsimè, & formaliter cognoſcere omnem veritatem obiectivam, ſeu omnem conceptum obiectivũ verè affirmabilem: ergo neque repugnat Scientia alia reflectens conditionatè contingenter erga alteram Scientiam conditionalẽ contingentem. Probatur conſequentia: quia ideò illud primum non repugnat, quia omnibus illis reflexionibus correſpondet ſua veritas obiectiva abſoluta: ſed etiam reflexioni conditionali correſpondet ſua veritas obiectiva conditionalis, in qua ſit hypotheſis Scientia media directa, cum quo ad hoc nulla ſit diſparitas ad alias veritates conditionales contingentes: ergo ſi Scientia contingens reflectens abſolutè erga alteram Scientiam contingentem abſolutam non repugnat, neque eſt repugnantiæ caput in altera Scientia contingente, quæ reflectat conditionatè

circa

circa alteram Scientiam conditionalem contingentem, qualis est Scientia media directa.

76 Suadetur vlterius: nam si pro his conditionalibus reflexis non admittatur in Deo Scientia *formalis*; verùm expressio quædam tantum *virtualis*, & modus quidam cognoscendi eminenter, difficile admodum suaderi poterit intellectum divinum non se habere eodem modo quoad omnia futura contingentia conditionata; sicque negabitur Deum cognoscere formaliter futura cõtingentia conditionata, & dari in ipso Scientiam illorum plusquam implicitam, & modo quodam eminenti, & inexplicabili, quomodo sub obscuris terminis tollitur in re notitia eorum debita ex consensu Patrum perfectioni intellectus divini, quem nihil latere potest; & ratio est: quia quidquid Scientiam illam reflexam expressam, & formalem, aut impediat, aut ostendat non necessariam, id ipsum convincet, aut esse impedimentum pro Scientia formali, & directa conditionatorum, aut sine diminutione perfectionis debitæ intellectui infinito posse ab illo ablegari; si enim conditionales illæ reflexæ veritatem obiectivam non habeant; nec habebunt conditionales directæ, quod si ad missa veritate obiectiva illarum, adhùc negatur notitia formalis eis correspondens; etiam admissa veritate obiectiva conditionalium directarum nõ apparebit fundamentum vrgens, vt ex veritate obiectiva fiat transitus necessarius, & irrefragabilis ad notitiam expressam, & formalem divinæ mentis, cuius obturui reclamante Scriptura omnia sunt patentissima, & sine involucro vllo obscuritatis patentissima. Tutius ergo est morem gerere loquutioni vniversalissimæ Patrum Ecclesiæ, qui loquentes de futurorum Scientia nullam exceptionem adhibuerunt, censentes ab vna exceptione totam divinam futurorum Scientiam labefactari, & in discrimen adduci ex consequentia fundamenti, & rationis.

77 Nec locum tenet doctrina Patris Doctoris Molina dicentis has veritates reflexas cognosci à Deo expressè, & formaliter, vt benè suadent proposita fundamenta; cæterùm non cognosci per Scientiam reflexam, quæ sit media; verùm per Scientiam innitentem decreto *subiectivè* absoluto, & *obiectivè* conditionato, quod se habet, vt futuritio conditionata eorum, quæ spectant ad libertatem Dei. In quo placere non potest tantus Magister: tum quia non omnes veritates conditionatæ reflexæ sunt de conditionato libero Deo: sunt enim aliæ plures de conditionato libero creaturæ, vt ostendimus, tàm in propositione, quàm in decursu præsentis dubij, in quibus intercedere nequit decretum *subiectivè* absolutum, & *obiectivè* conditionatum, vt tenet ipse Author ad salvandam illæsam libertatẽ creatam; quare prædictæ veritates erunt attingibiles per Scientiam mediam reflexam, vtpotè non innitentem decreto vllo *subiectivè* absoluto; tum etiam, quia vt suo loco supra diximus tractantes vniversaliter de constitutivo futuri conditionati, & de eiusdem futuritione nullum est fundamentum ad illam exceptionem pro conditionatis pertinentibus ad divinam libertatem, in quibus, sicut in alijs spectantibus ad libertatem creatam sufficit pro *fore* illorum sub hypothesi, *fore* etiam exercitij liberi divini sub purificatione hypothesis absque omni exercitio libero de præsenti *subiectivè* absoluto, & *obiectivè* conditionato; ac propterea de præsenti connexo cum eventu conditionatè futuro, vt Deo libero.

78 Contra propositionem obijcies primò: si prædicta Scientia reflexa, tàm *late*, quàm *strictè* media esset in Deo formaliter, & modo explicito admittenda, pariter ponendæ erunt infinitæ reflexiones in intellectu divino, quibus sine termino expresse, & formaliter tendentiæ intentionales ipsius comparentur, iam vt hypothesis, iam vt conditionata aliarum: vnde sicut per nos datur Scientia media reflexa attingens ex parte hypothesis aliam Scientiam mediam directam, sic respectu huius Scientiæ mediæ reflexæ dabitur alia Scientia media reflectens supra reflexam, eamque attingens ex parte hypothesis, & supra hanc reflexam reflexe dabitur alia, & sic sine termino, quod videtur absurdum non devorandum, vt probat paritas actuum divinæ voluntatis in quibus iuxta communem Theologorum sententiam in simili difficultate, vt est illa de actibus voluntatis imperabilibus in infinitum applicatur conatus ad evitandam infinitatem reflexionum, designato termino in aliquo actu determinato, vltra quem non sit progressus ad prædicata

ta ſpecialia talis actus, vel quia Deus poſsit liberè pure omittere, ſola ſtante diverſitate in modo excludendi proceſſum infinitum; ſecus in excluſione in qua conveniunt: igitur ſiſtendum etiam eſt in reflexionibus intentionalibus ex parte intellectus divini, & quamvis admittenda ſit Scientia media directa ex omnibus illis titulis, quibus probatur neceſſaria; neganda tamen eſt Scientia media reflexa explicita, & formalis.

79 Reſpondeo: omnes illas reflexiones rectè probari, ſicut & rectè, & abſque abſurdo eſſe admittendas, cum potius in obiectione earum ſtet abſurditas, quæ militare ſemper debet in excludenda ab intellectu divino perfectiſsimo notitia expreſſa, & formali cuiuſvis veritatis obiectivæ. Etenim ſi ex parte obiecti ſunt omnes illæ reflexæ veritates ſine abſurdo, quid mirum, quod ſine eodem dentur ex parte intellectus infinitæ notitiæ correſpondentes: ſic quia ex parte obiecti ſunt infinitæ veritates obiectivæ inter ſe diſtinctæ, & non confuſæ, vt oſtendit infinitas obiectiva omnium poſsibilium, debet dari in mente divina expreſsio formalis, & non confuſa infinitorum. Sic etiam magis contracte in materia reflexionum ex parte intellectus: quia poſita quavis Scientia in Deo datur ex parte obiecti ipſa Scientia, vt verè affirmabilis, datur neceſſario reflexio, qua Deus cognoſcat ſe cognoſcere, & quia hoc idem cognoſcere reflexè eſt verè affirmabile, opus habet alia reflexione verè affirmabili, & ſic in infinitum ſine inconvenienti; imò cum maxima proportione ad intellectum infinitum, quem non defatigant infinitæ reflexiones, ſicut noſtrum imperfectum, & limitatum; vnde obviter notandum, non eſſe deſumendum argumentum vnquam ad extirpandas has reflexiones in Deo ab eo, quod in nobis experimur, quibus eſſent nimis moleſtæ, & oneroſæ ex vna parte, & ex alia non datur neceſsitas cognoſcendi quidquid cognoſcibile eſt, ſicut adeſt in Deo, cuius ſapientiæ non eſt numerus.

80 Paritas actuum voluntatis, tam debilis eſt, ſicut eſt infirmum ſemper argumentum, quod deſumitur à potentia voluntatis ad intellectus potentiam: nam conſtat non omne bonum amabile per divinam voluntatem eſſe neceſſario amandū; at omne cognoſcibile eo modo, quo cognoſcibile eſt eſſe neceſſario cognoſcendum, quod oſtendit, aut eſſe tolendam veritatem obiectivam, aut neceſſario dandam in divino intellectu cognitionem expreſsiſsimam illius; vt non contingit reſpectu boni à quo amando ſi non ſit aliquid divinum, vel etiam ſi ſit dum dicat ordinem ad aliquid creatum poteſt divina voluntas ſe ſuſpendere, vt planum eſt, tàm in bono quocumque finito, quàm in decretis dicentibus ordinem ad bonum finitum: inde quid mirum ſi in reflexionibus ſpectantibus ad voluntatem queat inveniri terminus; ſecus in pertinentibus ad intellectum. Cæterùm quamvis hoc dictum ſit ex communi ſententia, ne in debili argumēto ſolvendo conſtringamur ad ſpecialem ſententiam, & claram faciat diſparitatem inter actus divinæ voluntatis, & divini intellectus, tamen ſi quod ſentio ſit apperiendum aſſero inter actus divini intellectus, & divinæ voluntatis nullam eſſe quoad infinitas reflexiones diſparitatem; ſed vtriuſque potentiæ actus eſſe ſupra ſe infinite reflectentes, quomodo non ſubſiſtit terminus ille in argumēto propoſitus. Nam quidquid ſit de reflexione per ſtrictum imperium, quæ tolli poteſt, aut per puram omiſsionem, aut per actum eſſentialiter inimperabilem iuxta diverſos modos diſcurrendi, eſt alia reflexio meo iudicio inevitabilis in actibus divinæ voluntatis. Propterea quod Deus volens obiectum non tantum id velit; ſed volitionem illius, vt ſic volitio evadat perfectius voluntaria; quare cum reſpectu volitionis reflexæ eadem voluntarietatis militet ratio, quærenda eſt pro illa volitione altera, & pro hac altera, & ſic ininfinitum: ergo infinitæ reflexiones, tàm comprehendunt actus divinæ voluntatis, quàm divini intellectus.

81 Nec in contrarium eſt doctrina frequens tractatu de actibus humanis, vbi contra nonnullos oppoſitum ſentientes non requiritur pro voluntarietate ſimpliciter tali actus voluntatis, nec cognitio, nec volitio reflectens ſupra ipſum. Quia aliud eſt, quod ſufficit pro ratione voluntarij, aliud quod requiritur pro voluntario perfectiſsimo, quale debet eſſe in primo volente. Itaque in nobis benè ſtat voluntarietas in actibus abſque dictis reflexionibus, quia non omne voluntarium ſimpliciter debet eſſe voluntarium perfectiſsimum; at

in

in Deo, cui voluntarium perfectiſsimum debet adſcribi, non ſtat voluntarietas actus abſque volitione reflexa ſupra ipſum, ſicut non ſtat voluntarietas eiuſdem abſque cognitione perfectiſsima proponente non modo obiectum; verum ipſum actum tendentem in obiectum, cui vt ſatisfaciat divina voluntas etiam tendit non duntaxat in obiectum; ſed inſuper in ipſum actum. Quæ ratio deficit in nobis non ſemper advertentibus ad ipſum actum clarè, & expreſsè; ſed modo quodam implicito, & obſcuro, ſicut contingit in ipſis actibus iam exiſtentibus ſupra quos expreſsè, & formaliter non reflectimus, licet adſit notitia quædam, quam vocant experimentalem, ex qua ſine magno conatu excitari ſolet reflexio formalis.

82 Obijcies ſecundò. Scientia iſta reflexa continet in ſe prædicata repugnantia: ergo eſt impoſsibilis. Probatur antecedens: ſcientia confundens hypotheſim cum conditionato, inſuperque non præſcindens ab exiſtentia hypotheſis eſt ſcientia continens in ſe prædicata repugnantia; ſed ſcientia iſta reflexa id habet: ergo in ſe continet prædicata repugnantia. Maior eſt certa; tum quia ex illa confuſione erit inexplicabilis: tum etiam, quia dum non præſcindit ab exiſtentia hypotheſis, non erit ſtrictè conditionalis, cum aliunde talis ſupponatur. Minor probatur, & claritatis gratia loquamur de hac ſcientia reflexa *ſi prævidero libertatem efficacem, illam conferam*, in qua illud *ſi prævidero*, quod eſt hypotheſis, eſt etiam conditionatum eiuſdem ſcientiæ reſpectu alterius conditionalis reflexæ: *Si detur talis conditionalis reflexa erit purificatio hypotheſis prævisionis efficacis*, & ratio eſt: quia ſicut in hac prævisione directa *ſi conferam hanc determinatam libertatem, erit efficax* ſtat ipſam prævisionem directam eſſe hypotheſim ſuæ hypotheſis quoad aliam veritatē reflexam, ſcilicèt *ſi prævidero libertatem efficacē, illam conferam*: ſic reſpectu huius conditionalis reflexæ erit alia reflexa poſsibilis aſſumens pro hypotheſi ipſam previſionem reflexam, & pro conditionato hypotheſim prævisionis directæ ſub hac tendentia *ſi prævidero, quod ſi prævideri libertatem efficacem, illam conferam; prævidebo libertatem efficacem conditionatè*: In qua ipſa ſcientia reflexa aſſumitur pro hypotheſi ſuæ hypotheſis, converſa hypotheſi in conditionatum. Inde eruitur ſecundum abſurdum: quia ſi ſcientia reflexa eſt hypotheſis ſuę hypotheſis, ipſa ſemper ac exiſtat, erit purificatio hypotheſis in ordine ad ſuam hypotheſim, & erit propterea coniuncta cum ſua hypotheſi, quomodo non poterit ab illa præſcindere.

83 Reſpondetur: non eſſe abſurdum, neque vllam confuſionem hypotheſis cum conditionato inducere convenientiam vtriuſque rationis hypotheſis, & conditionati in eadem entitate, & cōceptu obiectivo, dummodo ſit quoad diverſam veritatem vnam directam, & alteram reflexam: deinde in conditionali non illativa non eſſe neceſſariam aliam præciſionem hypotheſis à conditionato præter eam, quæ conſiſtat in indifferentia hypotheſis, vt coniungatur, tam cum conditionato, quàm cum carentia illius, quidquid ſit, an de facto coniungatur potius cum exiſtentia conditionati, quàm cum defectu illius. Quod totum contingit in ſcientia reflexa propoſita, in qua Scientia media directa eſt hypotheſis, tum *ſignate*, tum *exercite* relate ad collationem liberam libertatis efficacis ſub hac tendentia: *Si prævidero libertatem efficacem, illam conferam*, & eadem Scientia media directa eſt conditionatum relate ad Sciētiam mediam reflexam ſumptā pro hypotheſi per aliam Scientiam mediam reflexam, & provt conſtituit hanc aliam diverſam veritatē conditionalē reflexā: *Si exiſtat hæc Scientia media reflexa: ſi prævidero talem determinatam libertatem efficacem, illam conferam, erit prævisio libertatis efficacis talis determinatæ*: quarum diverſitas patentiſsima eſt cùm prima veritas pertineat ad Scientiam mediam *late talem*, cùm ſit de conditionato Deo libero, & ſecunda ad Scientiam mediam *ſtrictè talem*, cùm ſit de conditionato libero creaturæ. In quo nulla eſt cōfuſio reprehenſibilis hypotheſis cum conditionato, ſicut non eſt in conditionali influxiva, cuius hypotheſis ſit libertas determinata, & conditionatum actus intrinſecè liber ea determinata libertate, quæ ponitur in hypotheſi; v.g. *ſi exiſtat talis determinata libertas, exiſtet conſenſus liber intrinſecè quoad talem libertatem determinatam*, ſi libertas, quæ eſt hypotheſis in ordine ad talem veritatem contingentē, ſit conditionatum eiuſdem exercitij liberi, quod reſpicit, vt conditionatum relatè ad alteram veritatem condi-

tionalem, & illativam, in qua ponatur pro hypothesi tale exercitium intrinsecè liberum, & pro conditionato determinata libertas, cum qua connectitur sub hac tendentia: *Si existat consensus intrinsecè liber tali determinata libertate, existeret talis determinata libertas.*

84 Vlterius invenitur præcisio à conditionato requisita ad conditionalem non illativam, qualis est inconnexio cum conditionato, vt ostendit ipsa tendentia, in qua ly *si prævidero* se habens vt hypothesim, nullam habet connexionem cum altera prævisione directa, quæ ponitur ex parte conditionati, taliter vt sicut aliquando verificabitur dandam prævisionem directam sub hypothesi prævisionis reflexæ, sic potuerit antecedenter verificari oppositum per alteram tendentiam: *Si prævidero, quod si sit prævisio libertatis determinatæ efficacis, illam conferam, non erit prævisio libertatis talis determinatæ efficacis.* Hanc præcisionem & non aliam exposcit Scientia media directa, *si existat libertas, existet consensus*, in qua tametsi libertas defacto coniungatur cum cõditionato *consensus*, non ideo includit determinationē aliquam ad conditionatum, quæ sit ipsi intrinseca, & incomponibilis cum defectu conditionati: sed sicut defacto verificat conditionatum consensus; sic antecedenter potuit verificare oppositum conditionati sub existentia sui: non igitur expetenda est pro Scientia media reflexa alia præcisio præter illam, quæ sufficit, & requiritur pro Scientia media directa ex parte hypothesis obiectivè illius. Ex quibus ad argumenti formam constat quid sit dicendum, & qua ratione applicanda solutionis doctrina.

85 Obijcies tertiò. Scientia, cui non potest designati signum, in quo collocetur aptè in mente divina, est scientia repugnans: sed scientia reflexa, sive *strictè*, sive *late media* est scientia, cui non potest adscribi signũ, in quo collocetur aptè in mente divina: ergo est repugnans. Cõsequentia tenet, & mal. videtur certa: quia Scientia non habens signum proportionatum in mente divina, est scientia omnino impertinenter se habens in eadem mente divina, ac propterea repugnans. Minor probatur: nam si aliquod signum tribui posset prædictæ scientiæ, maximè signum præcedēs existentiam suæ hypothesis: sed hoc signum tribui non potest, quia cum scientia reflexa non influat in suam hypothesim, quę est scientia directa, nec potest habere vllam antecedentiã signi ad ipsam: etenim vna scientia, vel absolutè non influit in aliã, vel si influit, est media directione actus voluntatis, à quo altera scientia dependeat, vt non intercedit in casu præsenti, in quo scientia reflexa nõ influit in actum aliquem voluntatis, sive divinæ, sive creatæ, à quo Sciẽtia media directa à priori depẽdeat: ergo scientia reflexa, sive *strictè*, sive *late media* est scientia, cui non potest adscribi signum, in quo collocetur aptè in mente divina.

86 Explicatur: Sciẽtia reflexa, aut est *latè media*, quia sit de conditionato pertinente ad libertatẽ divinam, vt hęc: *Si prævidero consensum sub libertate A, illam conferam*; aut est Scientia reflexa *strictè media*, quia sit de conditionato pertinẽte ad libertatem creatã, vt hæc: *Si prævidero consensum in Ioanne sub libertate A; prævidebo dissensum in Paulo sub libertate E?* Si primũ: Scientia illa reflexa nullum prẽstat influxum in suam hypothesim, cum Scientia media directa non sit immediatè dirigibilis per Scientiam reflexam, sicut nulla Scientia est immediatè dirigibilis per aliã, nam directio intellectus tota dirigitur immediatè ad actus voluntatis; neq; mediatè, in quantum sciẽtia reflexa dirigat immediatè ad aliquid, à quo immediatè à priori dependeat Scientia media directa, scilicèt ad purificationem hypothesis Scientiæ mediæ directæ, quæ est existentia libertatis *A*: nam si ad istam immediatè dirigeret, tolleret libertatem divinam, ex eo quod in eodem signo libertatis divinæ præcedentis immediatè collationem libertatis existeret scientia reflexa de collatione libertatis, & purificatio conditionis eiusdem scientiæ, qualis est prævisio consensus sub libertate *A*, quod coniunctũ est quid metaphysicè connexũ cum collatione auxilij, & ideo destruens signum libertatis divinæ indifferẽtis ad collationẽ, & non collationẽ auxilij. Si secundum: Sciẽtia reflexa, nec influit immediatè in scientiam directam tenentem se ex parte hypothesis, quæ non est dirigibilis per scientiam reflexam, neque mediatè, in quantum dirigat ad purificationem hypothesis illius scientiæ directæ, quæ se tenet ex parte hypothesis suæ, cum ad hanc impertinenter omnino se habeat, & tantum dirigat Scientia media directa: ergo scientia ista reflexa, sive *strictè*, sive

sive *late media* sit, non potest existere vllo modo in signo priori ad purificationem suæ hypothesis; ac per consequens non habet signum vllum convenientiæ,& vtilitatis in divino intellectu.

87 Confirmatur: Scientia media directa esset omnino removenda ab intellectu divino, si non haberet signum præcedentiæ, & influxus ad purificationem suæ hypothesis: ergo scientia ista reflexa, & media sub explicata latitudine debet excludi, si non probetur influens in purificationem suæ hypothesis: at tantum distat, vt probetur influens in purificationem suæ hypothesis, vt potius ostendatur inconducens ad purificationem suæ hypothesis ob rationes in argumento propositas: ergo reijcienda omnino est, vt quid per se incommensurabile cum reliquis, quæ existunt in intellectu divino, & cum actibus pertinentibus, sive ad divinam, sive ad creatam voluntatem.

88 Debita est huic argumēto mora aliqua in comparanda Scientia media reflexa, tum cum sua hypothesi, tum cum alijs scientijs non attactis ex parte hypothesis, vt inde constet quo genere prioritatis gaudeat, quo careat; quomodo anterior sit; quomodo posterior; quomodo autem disparato modo se habeat. Quibus omnibus satisfacere aliter non possumus, quàm per propositionem constantem variis partibus quarum probatio erit argumenti solutio. Dicendum igitur est: Scientiam mediam reflexam in tota sua latitudine, & provt præscindit ab ea, quæ sit *strictè*, & *latè media*, respectu Scientiæ mediæ directæ, quam per suam formalem hypothesim attingit *esse obiectivè posteriorem: subiectivè, nec priorem, nec posteriorem in linea directiva; at priorem prioritate independentiæ, & in subsistendi consequentia; aptitudinaliter quando Scientia media non existit, & actualiter, quando Scientia media directa existit; respectu verò Scientiæ mediæ directæ, quam per formalem hypothesim non attingit, nec priorem, nec posteriorem vllo prioritatis genere; quare disparato modo ad illam se habere.* Quinque partes continet assertio, quæ seorsim veniunt probandę, vt plene difficultatem obiectam evacuent.

89 Prima pars, id est, *Scientia reflexa in tota sua latitudine est obiectivè posterior Scientia media directa, quam per suam formalem hypothesim attingit.* Probatur: Scientia media reflexa in tota sua latitudine est obiectivè posterior suo determinativo *obiectivo* adæquato: sed Scientia media directa per formalem hypothesim Scientiæ mediæ reflexæ in tota sua latitudine constituit adæquatum obiectivum determinativum Scientiæ mediæ reflexæ in tota sua latitudine: ergo hæc est *obiectivè* posterior Scientia media directa attacta per formalem hypothesim. Maior est certa: nam omnis Scientia contingens qualis est media reflexa in tota sua latitudine, est, quia obiectum extra se se habet, sicut illa repræsentat; obiectum verò non est in se hoc, aut illo modo, quia sic à Scientia repræsentatur, in quo consistit Scientiam esse posteriorem suo adæquato obiecto extra se, & obiectivè determinativo. Minor probatur: adequatum obiectivum determinativū Scientiæ mediæ reflexæ in tota sua latitudine est obiectiva hypothesis, & obiectivum conditionatum: sed Scientia media directa attracta per hypothesim formalem Scientiæ mediæ reflexæ est obiectiva hypothesis Illius: ergo Scientia media directa attacta per formalem hypothesim Scientiæ mediæ reflexæ in tota sua latitudine constituit adæquatum determinativum Scientiæ mediæ reflexæ in tota sua latitudine acceptæ. Confirmatur: Scientia media reflexa dicto modo intellecta non minus determinatur à suo obiecto, quàm Scientia media directa: sed quia hæc determinatur à suo obiecto, est posterior *obiectivè* sua hypothesi obiectiva inclusa in obiecto: ergo quia illa pariter determinatur à suo obiecto, erit obiective posterior sua hypothesi obiectiva.

90 Secunda pars, ideſt: *Scientia media reflexa non est, aut prior, aut posterior subiectivè Scientia media directa in linea directiva*, probatur: quia Scientiam mediam reflexam non esse priorem, aut posteriorem in tali consideratione, est vnum actum non dirigere alium, nec ab alio dirigi: sed Scientia media reflexa, nec dirigit Deum ad actum Scientiæ mediæ directæ, neque hæc dirigit Deum ad actum Scientiæ mediæ reflexæ: ergo Scientia media reflexa, neque est prior, neque posterior Scientia media directa subiectivè in linea directiva. Probatur minor: vnus actus intellectus non dirigit ad alium, cum intellectus divinus per se sit determinatus ad cognoscendam quamcumque veritatem obiectivam, vt in se est, & aliunde om-

nis intellectus directio ſit ad voluntatem, quæ potentia cœca eſt; neque ad exiſtentiam vllius ex his ſcientijs requiritur actus divinæ voluntatis; imò & ſi requireretur, cauſalitas directiva infringeretur, cum ſiſteret in obiecto, quod non præcedit directivè ad actum intellectus: ergo Scientia media reflexa, nec dirigit ad exiſtentiam Scientiæ mediæ directæ, neque hæc ad exiſtentiam Scientiæ mediæ reflexæ.

91 Tertia pars, ideſt *Scientia media reflexa eſt prior aptitudinaliter prioritate independentiæ & in ſubſiſtendi conſequentia Scientia media directa attacta per hypotheſim formalem, quando talis Scientia directa non exiſtit*, probatur: Scientiam mediam reflexam tali prioritatis genere antecedere Scientiam mediam directam attactam per ſuam formalem hypotheſim eſt Scientiam mediam reflexam poſſe exiſtere; quin ſit verum exiſtere Scientiam mediam directam provt eſt hypotheſis huius determinati conditionati, & hanc non poſſe exiſtere, vt hypotheſim huius conditionati; quin exiſtat hæc Scientia media reflexa, & inſuper non exiſtere Scientiam mediam directam: ſed totum hoc invenitur in Scientia media reflexa comparata cum Scientia media directa attacta per hypotheſim formalem, quando talis Scientia media directa nō exiſtit: ergo Scientia media reflexa eſt prior Sciētia media directa attacta per hypotheſim formalē, quando talis Scientia directa non exiſtit, eo prioritatis genere. Maior continet conceptum prioritatis *independentiæ, ſeu vniverſalitatis*, & *in ſubſiſtendi conſequentia*, & quoad illum terminū *aptitudinaliter* facile conſtat, cum non ſit prioritas actualis in vllo genere, & pluſquam in aptitudine quando deficit terminus actualiter poſterior: ergo ſi deficiente Scientia media directa attacta per hypotheſim formalem deficit terminus actualiter poſterior Scientia media reflexa; per conſequens prioritas Scientiæ mediæ reflexæ erit tunc *aptitudinalis* duntaxat, & non actualis, ſeu in actu ſecundo.

92 Iam minor, ad quam revocata eſt difficultas probatur: Scientia media reflexa hæc: *Si exiſtat Scientia media directa de efficacia ſub libertate A, exiſtet libertas A*, & pariter in quacumque alia Scientia media reflexa, ſive *ſtricta*, ſive *lata* non eget purificatione conditionis, vt ſit, quia ſola veritate conditionali contenta eſt, quæ abſque purificatione conditionis, vt talis, poteſt exiſtere: deinde Scientia media directa, vt hypotheſis eſt huius conditionati non poteſt exiſtere ſine Scientia media reflexa, quia vt hypotheſis eſt huius conditionati non poteſt exiſtere ſine veritate conditionali (alias non eſſet hypotheſis huius conditionati,) quæ non poteſt eſſe ſine Scientia conditionali ſibi correſpōdente, quæ eſt Scientia media reflexa, vlterius hæc Scientia media directa attacta per hypotheſim non exiſtit, vt ſupponimus, & poteſt contingere non minus in hac, quàm in reliquis conditionalibus: ergo totum illud, quod requiritur ad prioritatem aptitudinalem *independentiæ*, & *in ſubſiſtendi conſequentia* reperitur in Scientia media reflexa comparata cum Scientia media directa attacta per hypotheſim formalem illius.

93 Quarta pars, id eſt *Scientia media reflexa eſt prior actualiter dicto prioritatis genere Scientia media directa attacta per hypotheſim formalem, quando talis Scientia media directa attacta per hypotheſim formalem actualiter exiſtit*, facilè fluit ex antecedenti. Nam Scientia media directa attacta per hypotheſim formalem Scientiæ mediæ reflexæ, & aliunde actualiter exiſtens eſt talis, quæ cum exiſtat, vt hypotheſis obiectiva huius conditionati obiectivi, infert metaphyſicè exiſtentiam Scientiæ mediæ reflexæ, à qua non valet conſequentia ad exiſtentiam Scientiæ mediæ directæ, vt eſt actualis obiectiva hypotheſis huius conditionati: ſed hoc eſt Scientiā mediam reflexam eſſe *actualiter*, & non ſolum *aptitudinaliter* priorem Scientia media directa prioritate *independentiæ*, ſeu *vniverſalitatis*, & *in ſubſiſtendi conſequentia*: ergo Scientia media reflexa eſt prior Scientia media directa actualiter exiſtente, & attacta per ſuam hypotheſim tali genere prioritatis non modò in aptitudine, verùm in actu.

94 Prioritatem hanc *directionis* excluſam, & in *ſubſiſtendi conſequentia* admiſſam pro Scientia media reflexa comparativè ad Scientiam mediam directam attactam per formalem hypotheſim illius, ne iudices inventum noſtrum ſine fundamento aliquo excogitatum, recognoſces in Scientia ſimplicis intelligentiæ comparata cum Scientia media directa, & cum quavis alia Scientia divina contingenti: nam ſcientia *ſimplicis*

intelligentiæ repræsentans possibilitatem, & essentiam cuiusvis alterius Scientiæ, sive media sit, sive alius generis, non est prior, neque posterior directivè scientia illa contingente, dum actualiter existit: deinde est prior illa prioritate vniversalitatis, & in subsistendi consequentia *actualiter* si actualiter existat Scientia contingens; *aptitudinaliter* verò, si intra statum puræ possibilitatis maneat, cum ab existentia scientiæ contingentis valeat ad existentiam scientiæ *simplicis intelligentiæ* repræsentantis possibilitatem, & quidditatem illius; secus ab existentia scientiæ *simplicis intelligentiæ* idem repræsentatis ad existentiam *scientiæ contingentis*; quam non exigit, vt non exigit *scientiam visionis* possibilem omnium purè possibilium, quam proponit possibilem, & cuius essentiam exprimit: datur ergo in actibus divinis similis prioritas ei, quam concedimus, & similis non prioritas ei, quam negamus.

95 Quinta pars, id est *Scientia media reflexa respectu Scientiæ mediæ directæ, quam non attingit ex parte hypothesis, neque est prior, neque posterior vllo prioritatis genere, sed disparato modo se habet*, probatur: Scientia media reflexa respectu Scientiæ mediæ directæ, quam non attingit ex parte hypothesis, neque est *obiectivè* prior, aut posterior: quia ad hoc erat necessarium, quod vna esset alterius obiectum; neutra tamen est alterius obiectum, cum nec reflexa attingat directam, nec directa attingat reflexam. Neque est prior, aut posterior *obiectivè* per influxum directionis: quia neutra dirigit ad aliam propter rationem iam insinuatam, quod vnus intellectus actus non dirigit ad alium; neque est prior, aut posterior prioritate *independentiæ*, & *in subsistendi consequentia*, cum quævis sit æquè independens ab alia, quam non attingit, & mutuo potest vna sine altera existere: sed hoc est Scientiam mediam reflexam nullam prioritatem, aut posterioritatem exercere respectu Scientiæ mediæ directæ, quam non attingit ex parte hypothesis: ergo Scientia media reflexa disparato modo se habet ad Scientiam mediam directam, quam non attingit ex parte hypothesis.

96 Observandum tamen est in hac propositionis parte: quòd quando ex eo, quod Scientia media reflexa non attingat directam ex parte hypothesis, inferimus Scientiam mediam reflexam non esse obiectum Scientiæ mediæ reflexæ supponimus, neque illam attingere ex parte conditionati, vt non est alienum à Scientia media reflexa potente attingere Scientiam mediam directam ex parte conditionati, quamvis eam non attingat ex parte hypothesis, vt apparet in hac: *Si sit consensus Petri conditionatè sub libertate A, erit Scientia media de dissensu in Ioanne sub libertate B*; si verò Scientia media reflexa attingat Scientiam mediam directam ex parte conditionati; quamvis non attingat ex parte hypothesis, pariter discurrendum est, quoad prioritatem exclusam, & quoad prioritatem admissam, ac quando Scientiam mediam directam attingit ex parte hypothesis, cum militent eædem rationes pro negandâ in Scientia media taliter reflexa prioritate, quam de Scientia media reflexa attingente ex parte hypothesis Scientiam mediam directam, negavimus, & pro admittenda, quam loquendo de eadem Scientia, concessimus.

97 Inde rursus observandum, quod quamvis in exemplum Scientiæ mediæ reflexæ communiter ferè semper assignetur Scientia attingens ex parte hypothesis Scientiam mediam directam, id non vetat comprehendi sub eadem ratione Scientiæ mediæ reflexæ possibilis, tum eam, quæ attingit ex parte hypothesis Scientiam mediam directam tantùm, vt est illa iam memorata: *Si prævidero efficacem libertatem A in Petro, illam ei conferam*, tum quæ attingat Scientiam mediam directam ex parte conditionati tantùm, qualis est illa nuper proposita: *Si sit consensus Petri conditionatè sub libertate A, erit Scientia media de dissensu in Ioanne sub libertate B*; tum denique, quæ attingat, tàm ex parte conditionati, quàm ex parte hypothesis Scientiam mediam directam, vt appareret illa etiam iam superiùs relata: *Si existat Scientia media de consensu in Petro sub tali libertate determinata, erit Scientia media de dissensu in Antonio, sub tali libertate determinata*; de quibus omnibus vniformiter procedendum est quoad prioritatem, ac de Scientia attingente Scientiam mediam directam ex parte hypothesis.

98 Hinc constat quid dicendum difficultati obiectæ, num. 85. & quomodo comparanda sit Scientia media re-

reflexa ad directam, qua prioritate careat, qua gaudeat, & quomodo impertinenter, aut disparato modo se habeat vna Scientia ad alteram: vnde rursus apparet quo signo collocanda sit Scientia media reflexa, sicut à quo excludenda; necnon habendam semper esse in promptu paritatem Scientiæ simplicis intelligentiæ comparatæ ad scientiam contingentem, contra quam idem potest opponi, & non aliter potest, aut debet solvi; quàm sub distinctione præcedentiæ, & prioritatis adhibita pro Scientia media reflexa comparativè ad directam quomodocumque attactam. Ad confirmationem adductam, num. 87. ex Scientia media directa distinguendus est in ipsa duplex titulus prioritatis diversi generis, quæ concurrit respectu suæ hypothesis: siquidem Scientia talis est prior prioritate *independentiæ*, & *in subsistendi consequentia* sua hypothesi; propterea quod ab hac ad Scientiam benè valeat consequentia; secus à Scientia ad hypothesim. In hoc prioritatis genere convenit scientia directa cum reflexa; discrepat verò in altero prioritatis genere, scilicèt *directionis*, quam etiam exercet Scientia media directa erga suã hypothesim, vtpotè, quæ exequibilis est per actum divinæ voluntatis, ad quem præcedit Scientia media directa, ostendèdo efficaciam, aut inefficaciam libertatis conferendæ, nè Deus cœco quodam modò procedat ad libertatis largitionem, cum non sit in nostris principijs alia scientia, ex qua convenienter ad exercitium liberum positum ex parte conditionati possit dirigi.

99 Vnde verum est id quod in confirmatione ponitur, scilicèt, quod si Scientia media directa non præcederet hoc genere prioritatis *directivæ* suam hypothesim, redderetur materialiter, & identicè inutilis, & repugnans, sicut quælibet alia entitas ex defectu prædicati sibi essentialis; secus formaliter, nam secluſa hac prioritate *directionis* restaret in ipsa Scientia directa alia *vniversalitatis*, *independentiæ*, & *in subsistendi consequentia*, ex qua antecederet suam hypothesim, per quam convenit cum Scientia media reflexa minimè repugnante, licèt ipsi deficiat prioritas altera *directionis*, cùm non respiciat hypothesim exequibilem per divinam voluntatem immediatè. Neque licet arguere ex specificis vnius scientiæ ad specifica alterius, nam sic omnis Scientia divina esset eiusdem rationis formaliter. Sic quãvis Scientia media stricta sit de conditionato libero voluntati creatæ, non debet argui Scientia media lata debere esse etiam de conditionato libero voluntati creatæ, cum potius ex hoc titulo discrepet vna, & altera scientia: male ergo deducitur ex repugnantia Scientiæ mediæ directæ ob defectum directionis ad suam hypothesim repugnantia Scientiæ mediæ reflexæ sub simili defectu, cum Scientia media reflexa ex sua formali constitutione sit contenta cum sola præcedentia *independentiæ*, & *vniversalitatis*, quæ sola non sufficit pro Scientia media directa vltra exigente præcedentiam aliam directionis ex suis prædicatis specificis, quibus secernitur ab altera Scientia.

100 Contra assertam prioritatem *in subsistendi consequentia*, quam dicit Scientia media reflexa ad directam se habentem, vt hypothesim, duæ replicæ se offerunt solvendæ. Prima: quia Scientia media directa secundũ se considerata nõ infert metaphysicè Scientiam mediam reflexam determinatè acceptam, cum Scientia media directa; v. g. de efficacia ex se sit componibilis, tum cum hac Scientia media reflexa: *Si existat Scientia media directa de efficacia, existet libertas, quæ est hypothesis illius*; tum cum oppositа: *Si existat Scientia media de efficacia, non existet libertas, quæ est hypothesis illius*: ergo Scientia media reflexa determinatè accepta, vt est hæc, *si existat Scientia media directa de efficacia, existet libertas, quæ est hypothesis illius*, non est prior *in subsistendi consequentia* Scientia media directa de efficacia secundum se sumpta. Vnde duo inferuntur, primum: quod Scientia media directa, & reflexa secundum se sint in eodem signo. Secundum: quod Scientia media reflexa sit prior (si aliquam prioritatem habet) Scientia media directa, provt coniuncta cum aliquo alio, quod ad summum erit Scientiam mediam reflexam esse priorem dicto prioritatis genere, coniuncto ex Scientia media resultante, scilicèt ex Scientia media directa, & ex existentia libertatis; non verò Scientia media directa, quod erat necessarium ad nostrum intentum.

101 Sed contra: quia nihil in hac parte potest obijci contra Scientiam mediam reflexam, quod similiter non

vrgeat in Scientia media directa, cuius hypothesis specificativè accepta, nimirum libertas determinata ex se est componibilis, tum cum Scientia media directa de efficacia, à qua defacto assumitur in hypothesim, tum cum Scientia media directa opposita de ineficacia, quæ defacto non existit, & posset existere, nec propterea est aliquis, quem sciam, qui neget Scientiam mediam directam præcedere suam hypothesim *in subsistendi consequentia*, cum evidentissimè benè valeat: *existit hypothesis libertatis in ordine ad conditionatum consensus: ergo existit Scientia media directa de efficacia huius libertatis*; quin benè valeat: *existit Scientia media directa de efficacia huius libertatis: ergo existit talis libertas, provt est hypothesis illius*, vt evenit in omnibus Scientijs mediis directis de efficacia libertatum, quas Deus defacto habet, quin purificet hypotheses illarum ob subtractionem auxiliorum, & libertatum efficacium, quæ conferre posset, & defacto non confert; vnde videtur terminis duntaxat implicari res clarissima, & communis Scientiæ mediæ directæ, & reflexæ.

102 Dicendum pro omnibus: ly *secundum se* applicatum in argumento ad probandam inconnexionem Scientiæ mediæ directæ in ratione hypothesis cum Scientia media reflexa, posse assumi dupliciter: *vno modo*, provt significat Scientiam mediam directam, vt distinctam ab omni non ipsa: *altero*, provt præscindit ab omni non ipsa. Primo modo Scientia media directa *secundum se sumpta* infert Scientiam mediam reflexam: quia ipsa dum existit, provt distincta ab omni non ipsa, est hypothesis, & actuale verificativum inadæquatum veritatis absolutæ *existentiæ Scientiæ mediæ directæ, & existentiæ auxilij*, & provt talis existere nequit sine veritate Scientiæ mediæ reflexæ, cum necessarium sit, *quod si Scientia media directa existat, vt hypothesis in ordine ad conditionatum auxilij*, detur hæc veritas obiectiva: *Si existat Scientia media directa de efficacia, v. g. existet libertas, & auxilium*, & Scientia illi correspondens, quæ est Scientia reflexa de conditionato libertatis creatæ conceſſæ. Secundo modo Scientia media directa, neque est prior, neque posterior hac determinata Scientia media reflexa, cùm independenter omninò ab ea se habeat; sed quid mirum? si Scientia media directa provt præscindit ab his circunstantijs, præscindit ab eo quod sit hypothesis huius Scientiæ mediæ reflexæ, & est apta, vt sit hypothesis alterius Scientiæ mediæ reflexæ. Neque inde infertur, Scientiam mediam directam secundum se consideratam esse in eodem signo cum Scientia media reflexa; sed solum quod provt est hypothesis alterius Scientiæ reflexæ oppositæ, non est posterior hac in subsistendi consequentia.

103 Rem totam exemplo declaro. Causa est prior in actu secundo suo effectu, secundum se considerata; sed quo sensu ly *secundum se* debet intelligi? Ita vt significet, causam provt præscindentem ab effectu esse priorem effectu? Minimè; sed ipsam provt distinctam ab effectu esse priorem effectu; quia quamvis vt sit prior requirat effectum; non tamen coniunctum ex ipsa, & effectu est prius; verùm sola causa, quæ quidem, vt prior hoc effectu, cum quo defacto coniungitur, neque est prior, neque posterior alio effectu, quem defacto non producit; sed potest producere. Sic Scientia media directa si secundum se consideretur, neque est prior, neque posterior hac Scientia media reflexa determinatè sumpta; sed indifferens, vt sit posterior hac, & nullo modo posterior illa, si ab hac in hypothesim assumatur, & vt sit posterior illa oppositæ, & nullomodo posterior hac, si ab illa, vt hypothesis accipiatur. Cum verò iam est assumpta in hypothesim huius determinatæ Scientiæ mediæ reflexæ, *si existat Scientia media efficaciæ, existet libertas*; ipsa provt existens, & provt distincta ab omni non ipsa, est purificatio hypothesis ad tale conditionatum, & est actuale verificativum inadæquatum Scientiæ absolutæ, quæ trahit secum necessariò Scientiam reflexam conditionatam, & licet omnia hæc existere nequeant sine conditionato; tamen appellant, non solùm supra coniunctum; sed etiam supra Scientiam mediam directam, provt distinctam ab omni non ipsa, & in hoc sensu *secundum se* sumptam.

104 Secunda per oppositum: nam ex nostra doctrina, & solutione videtur inferri, tàm connecti Scientiam mediam reflexam cum directa; quàm directam cum reflexa: ergo directa non est posterior *in subsistendi consequentia* Scientia reflexa, cùm ad hanc posterioritatem requiratur, quod ab vna ad aliam

aliam non mutuò valeat consequentia. Assumptum probabis ex eo, quod sicut Scientia media directa, provt actualiter est hypothesis Scientiæ mediæ reflexæ, & provt actualiter inadæquatè verificat propositionem absolutam, infert metaphysicè Scientiam mediam reflexam: sic Scientia media reflexa provt actualiter verificatur ab hypothesi actualiter existente, infert metaphysicè existentiam conditionati sub hypothesi, quæ non potest esse, provt talis sine existentia hypothesis, cum non possit esse absque absoluta veritate, quæ necessariò claudit hypothesim: ergo æquè connectuntur, & non connectuntur: non connectuntur æquè, si secundum se considerentur: connectuntur æquè, si cum respectu ad alias circunstantias extrinsecas accipiantur.

105 Post repetitam instantiam Scientiæ mediæ directæ, cuius præcedentia ad hypothesim *in subsistendi consequentia* videtur innegabilis, & quæ non minus in casu purificationis suæ hypothesis libertatis creatæ habet connexionem metaphysicam cum veritate absoluta; ac proinde cum coexistentia conditionati ad hypothesim, quæ stare nequit sine existentia absoluta hypothesis, respondendum etiam pro omnibus; quod quamvis verum sit Scientiam mediam reflexam, existente hypothesi inferre huius existentiam, quia purificata conditione infert veritatem absolutam, quæ essentialiter claudit hypothesim absolutè existentem; at hoc non obstante, Scientia media reflexa semper est vniversalior in existendo, quàm hypothesis, seu Scientia media directa, provt est hypothesis considerata. Ratio est: nam existentia Scientiæ mediæ reflexæ, & quod Scientia media directa intelligatur, vt hypothesis, non infert existentiam Scientiæ mediæ directæ, cum vt sit vera hypothesis, non sit necessarium, quod existat; aliàs veritas strictè conditionalis, & Scientia correspondens essent inseparabiles à purificatione suæ hypothesis, vt est evidenter falsum in omnium sententia; at existentia Scientiæ mediæ directæ, vt hypothesis in ordine ad hoc conditionatum non potest dari sine Scientia media reflexa. Vnde sic componitur, & explicatur prioritas vniversalitatis Scientiæ mediæ reflexæ: *Existit Scientia media reflexa assumens in hypothesim Scientiam mediam directam, & hæc est vera hypothesis obiectiva illius in ordine ad conditionatum libertatis, quæ est hypothesis Scientiæ mediæ directæ: ergo existit absolutè Scientia media directa*, mala consequentia; ast inversè: *Existit absolutè hypothesis, & purificatur in ordine ad hoc conditionatum: ergo existit Scientia media reflexa*, bona consequentia. Ecce vniversaliorem statum existendi Scientiæ mediæ reflexæ, statu existendi Scientiæ mediæ directæ. Nam status existendi absolute Scientiæ mediæ, provt terminatæ ad hanc hypothesim est præscindibilis ab omni alio, sub quo inferat hypothesim purificari. At status existendi absolutè hanc hypothesim provt talem non est præscindibilis ab omni alio, sub quo inferat existentiam Scientiæ mediæ reflexæ.

106 Nec obstat, si ex aliqua suppositione mutuò connectantur metaphysicè Scientia media reflexa, & directa: siquidem mutua connexio *ex suppositione* non aufert prioritatem *vniversalitatis*, dummodò relinquat statum absolutè existendi vnius, qui non inferat statum absolutè existendi alterius; secus è contra. Nam Deus est vniversalior in existendo creatura, cùm non benè valeat *existit Deus: ergo existit creatura*; secus *existit creatura: ergo existit Deus*, & tamen ex suppositione quod existat creatura, tàm connectitur metaphysicè creatura cum Deo; quàm Deus cum creatura. Propterea quod Deus ex suppositione, quod existat creatura connectitur metaphysicè cum Scientia visionis illius, quæ metaphysicè connectitur cum creatura, & quod essentialiter connectitur cum *A.* connexo metaphysicè cum *B.* essentialiter connectitur cum *B.* Insuper Deus absolutè non connectitur cum hoc mundo, & tamen ex suppositione illum decernendi, habet eandem connexionem metaphysicam cum mundo, ac habet cum eo quod suum decretum efficax non frustretur: ergo quamvis ex suppositione aliqua contingenti, & quam secum non affert Scientia media reflexa; connectatur metaphysicè cum Scientia media directa, & hæc cum illa, hoc non impediet, quod Scientia media reflexa sit prior in subsistendi consequentia Scientia media directa: nam semper remanet aliquis status absolutus Scientiæ mediæ reflexæ terminatæ ad hanc hypothesim non inferens Scientiam mediam directam existen-

tem,

tem; at nullus datur ſtatus abſolutus exiſtendi Scientiam mediam directam, vt hypotheſim, quoad hoc determinatum conditionatum non inferens exiſtentiam abſolutam huius determinatæ Scientiæ mediæ reflexæ.

107 Obijcies quartò: aliqua Scientia media reflexa de cõditionato libero Deo ſub hypotheſi Scientiæ mediæ directæ non eſt poſsibilis: ergo nulla Scientia media reflexa eſt poſsibilis. Conſequentia bona eſt ex eo quod idem fundamentum probans pro vna Scientia media reflexa in particulari vrgeat pro omnibus; vnde ſi in vna deficiat, & eius efficacia fallat, in reliquis deficere opus eſt. Iam antecedens probatur: hæc determinata Scientia: *Si prævidero libertatem A. inefficacem, illam non conferam* eſt aliqua Scientia media reflexa de conditionato libero Deo ſub hypotheſi Scientiæ mediæ directæ: ſed hæc repugnat: ergo repugnat aliqua Scientia media reflexa de conditionato libero Deo ſub hypotheſi Scientiæ mediæ directæ. Cætera conſtant præter minorem difficilem, quæ ſic probatur. Scientia, quæ connectitur metaphyſicè cum eo, quod ſi exiſtat libertas *A.* ſub ipſa non ſit libertas, eſt Scientia repugnans: ſed Scientia illa connectitur metaphyſicè cum eo, quod ſi ſit libertas *A*, ſub ipſa non ſit libertas: ergo eſt repugnans. Maior eſt certa: nam Scientia ex vna parte componibilis cum hac altera reflexa: *Si prævidero libertatem A efficacem, illam conferam*, & ex alia connexa cum eo, quod ſi exiſtat libertas *A*, non ſit libertas, eſt Scientia planè repugnans. Probatur minor. Scientia connexa metaphyſicè cum conſenſu ſub libertate *A.* exiſtente tali libertate, & inimpedibilis per diſſenſum ſub libertate *A*, eſt Scientia connexa metaphyſicè cum eo quod ſi exiſtat libertas *A*, non ſit libertas: ſed Scientia dicta eſſet connexa metaphiſicè cum libertate *A*, exiſtente tali libertate, & inimpedibilis per diſſenſum ſub tali libertate: ergo Scientia dicta connectitur metaphyſicè cum eo, quod ſi exiſtat libertas *A*, non ſit libertas.

108 Minor continens duas partes, *connexionis cum conſenſu ſub libertate A*, exiſtente tali libertate, & *inimpedibilitatis per diſſenſum ſub libertate A*, probatur: priùs quoad primam; probanda deinde quoad ſecundam. Nam Scientia connexa metaphyſicè cum eo quod, vel non exiſtat libertas *A*, vel ſi exiſtat, exiſtat cum conſenſu, eſt Scientia metaphyſicè connexa cum conſenſu ſub libertate *A*, exiſtente tali libertate: at ea ſcientia connectitur metaphiſicè cum eo quod, vel non exiſtat libertas *A*, vel ſi exiſtat, exiſtat cum conſenſu, vt oſtendit modus tendendi illius: *Si prævidero libertatem A inefficacem, illam non conferam*, cui vtpote eſſentialiter vera, aliter ſatisfieri non poteſt niſi per id, *quod vel non exiſtat libertas A, vel ſi exiſtat, non ſit inneficax; ac proinde coniuncta cum conſenſu*: ergo eſt connexa metaphyſicè cum conſenſu ſub libertate *A*, exiſtente tali libertate. Probatur altera pars de inimpedibilitate per diſſenſum ſub eadem libertate: quia voluntas per diſſenſum tantùm poteſt determinare à priori id quod ex ſe eſt indifferens ad collationem, & non collationem libertatis *A*, vt eſt Scientia media directa de diſſenſu ſub libertate *A*, & aliunde Scientia media de diſſenſu eſt purificatio hypoteſis illius Scientiæ reflexæ: *Si prævidero inefficacem libertatem A illam non conferam*: ſed neque per indifferens ad aliquod extremum impeditur tale extremum, vt per ſe eſt conſtans loquendo de exercitio libertatis alterius agentis; neque poteſtas ad determinationem, aut impeditionem hypotheſis alicuius veritatis conditionalis eſt poteſtas ad determinandam, aut impediendam veritatem conditionalem de tali hypotheſi, vt conſtat in Deo impotente impedire, aut determinare veritatem conditionalem pertinentem ad Scientiam mediam directam; v. g. *Si exiſtat libertas A, exiſtet conſenſus*; quamvis valeat impedire, aut determinare hypotheſim per liberam collationem, aut impeditionem libertatis *A*: ergo Scientia illa reflexa eſt inimpedibilis per diſſenſum ſub libertate *A*.

109 Etiam in hoc argumento ſiſtendum eſt aliquantulum, vt determinabilitas, & impedibilitas Scientiæ mediæ reflexæ explicetur, quin vnquam obſtet libertati creatæ: vnde apparebit ſolutio obiectionis propoſitæ. Pro qua aliquæ propoſitiones ſunt ſtatuendæ, vt in re prolixa, & implexa, claritati, in quantum poſsimus, conſulatur. Sit Prima: Scientia media reflexa, ſi ſit de conditionato libero Deo, eſt liberè impedibilis, & determinabilis per voluntatem divinam; ſi verò ſit de conditionato libe-

bero creaturæ, eſt libere impedibilis, & determinabilis per voluntatem creatam. Vtraque propoſitionis pars venit eadem ratione probanda: quia cui liberum eſt conditionatum ſub hypotheſi, liberum eſt ponere, aut non ponere conditionatum ſub hypotheſi: ſed cui liberum eſt ponere, aut non ponere conditionatum ſub hypotheſi, liberum eſt impedire, & determinare veritatem conditionalem, & Scientiam divinam ei correſpondentem: ergo Scientia media reflexa, quæ ſit de conditionato libero Deo, eſt impedibilis, & determinabilis per divinam voluntatem, & Scientia media reflexa, quæ ſit de conditionato libero creaturæ eſt impedibilis, & determinabilis per voluntatem creatam. Maior eſt certa; cùm in tantum dicatur conditionatum, vt tale liberum alicui, in quantum valet ipſum ponere, aut non ponere ſub hypotheſi. Probatur minor: cui liberum eſt ponere, aut non ponere conditionatum ſub hypotheſi, liberum eſt adiungere cõditionatum hypotheſi, aut removere conditionatum ab hypotheſi: ſed cui liberum eſt adiungere conditionatum hypotheſi, aut removere conditionatum ab hypotheſi, liberum eſt determinare, & impedire veritatem conditionalem, & Scientiam divinam ei correſpondentem: quia *adiungere conditionatum hypotheſi* eſt determinare veritatem conditionalem, & Scientiam; & *removere conditionatum ab hypotheſi* eſt impedire veritatem conditionalem, & Scientiam: ergo cui liberum eſt ponere, aut non ponere conditionatum ſub hypoteſi, liberum eſt impedire, & determinare veritatem conditionalem, & divinam Scientiam ei correſpondentem.

110 Confirmatur: quia non ob aliam rationem hæc Scientia media directa: *Si exiſtat libertas A, exiſtet conſenſus* eſt determinabilis, & impedibilis per voluntatem creatam, niſi quia conditionatum, quod reſpicit ſub hypotheſi, eſt liberum creaturæ potenti ex eo adiungere, aut ſeiungere conditionatum ab hypotheſi: ergo libertas impeditiva, & determinativa conditionati ſub hypotheſi eſt libertas impeditiva, & determinativa veritatis conditionalis, & Scientiæ divinæ correſpondentis; ac per conſequens principium generale, & firmum debet eſſe pro omni conditionali libertatem impeditivam, & determinativam conditionati eſſe impeditivam, & determinativam tum veritatis conditionalis, tum ſcientiæ affirmantis idem conditionatum ſub hypotheſi, cuius vlterior ratio eſt: nam cui competit liberè adiungere conditionatum hypotheſi, liberè competit impedire veritatem conditionalem oppoſitam, & cui competit liberè ſeparare conditionatum ab hypotheſi, liberè competit determinare veritatem oppoſitam: ſed impedire veritatem conditionalem oppoſitam eſt formaliter determinare iſtam, quæ cum illa opponitur; ſicut impedire hanc, eſt formaliter determinare oppoſitam: ergo cui liberum eſt conditionatum veritatis conditionalis, & ſcientiæ, liberum eſt eas impedire, & determinare.

111 Inde colligitur; quod ſive Scientia media reflexa ſit de conditionato *affirmativo* libertatis creatæ, vt hæc, *ſi prævidero libertatem determinatam A efficacem, illam conferam*, ſivè de conditionato *negativo* libertatis creatæ, vt iſta *ſi prævidero libertatem determinatam A efficacem, illam non conferam*, ſemper eſt impedibilis, & determinabilis per libertatem divinam. Ratio eſt: quia vtraque iſta Scientia, tàm *affirmativa*; quàm *negativa* libertatis creatæ ſub hypotheſi prævisionis efficaciæ ſemper eſt de conditionato libero Deo, quale cenſeri debet conferre quamcumque libertatem determinatam creaturæ: ſed ſcientia conditionalis de conditionato libero Deo eſt liberè impedibilis, & determinabilis per libertatem divinam, vt manet probatum: ergo vtraque iſta ſcientia reflexa eſt impedibilis, & determinabilis per libertatem divinam. Colligitur inſuper ſcientiam quamcumque reflexam habentem pro conditionato ſcientiam ſtrictè mediam directam, ſivè attingat, ſivè non attingat ex parte hypotheſis ſcientiam aliam mediam directam; v. g. *Si exiſtat Scientia media de conſenſu in Ioanne ſub libertate A, exiſtet Scientia media de diſenſu in Paulo ſub libertate B*, aut hæc: *Si Petrus conſentiat cõditionatè ſub libertate A, Franciſcus prævidetur diſſentiens conditionatè ſub libertate B*, ſemper eſſe impedibilem, & determinabilem per voluntatem creatam ob inſinuatam rationem, cum Scientia media directa ſtrictè talis ſit conditionatum impedibile, & determinabile per voluntatem creatam, ex quo tota veritas conditiona-

nalis, & scientia reflexa illius redditur per eandem libertatem impedibilis, & determinabilis.

112 Secunda: Scientia media reflexa de conditionato libero Deo; dicens tamen ordinem ad exercitium libertatis creatæ præviſum ex parte hypotheſis, & ex parte conditionati reſpiciens libertatem creatam conceſſam, aut negatam, quæ eſt hypotheſis Scientiæ mediæ directæ *ſtrictè talis*, ante exiſtentiam abſolutam libertatis creatæ, quæ eſt hypotheſis Scientiæ mediæ directæ *ſtrictè talis* non eſt impedibilis, & determinabilis per libertatem creatam. Exemplum rem declarabit: hæc ſcientia media: *Si prævidero libertatem A, efficacem, illam conferam*, ſicut, & iſta: *Si prævidero inefficacem libertatem A, illam non conferam* ſunt ſcientiæ mediæ reflexæ de conditionato libero Deo dicentes ordinem ad exercitium libertatis creatæ prævi-ſum ex parte hypotheſis, ſcilicèt ad ſcientiam mediam de efficacia, & inefficacia, & reſpicientes ex parte conditionati libertatem creatam conceſſam, aut negatam, quæ eſt hypotheſis ſcientiæ mediæ directæ *ſtrictè talis*, ideſt ſcientiæ mediæ, quæ aſſumitur in hypotheſim per ſcientiam mediam reflexam: de his igitur ſcientijs medijs reflexis dicimus non eſſe impedibiles, nec determinabiles per libertatem creatam, antequam exiſtat abſolutè libertas illa determinata, quæ eſt hypotheſis ſcientiæ mediæ directæ aſſumptæ in hypotheſim ſcientiæ mediæ reflexæ, quod ſic probatur.

113 Creata libertas, quæ eſt hypotheſis ſcientiæ mediæ directæ *ſtrictè talis* conſtituentis hypotheſim obiectivam ſcientiæ mediæ reflexæ, antequam exiſtat abſolutè, præcisè valet per conditionatam operationem liberam, aut determinare ſcientiam mediam directam de conſenſu, & impedire oppoſitam de diſſenſu, aut determinare ſcientiam mediã directam de diſſenſu, & impedire oppoſitam de conſenſu: ſed per hanc determinationem, & impeditionem non poteſt impedire, aut determinare ſcientiam vllam mediam reflexam ex aſsignatis: ergo libertas creata, quæ hypotheſis eſt ſcientiæ mediæ directæ *ſtrictè talis* conſtituentis hypotheſim ſcientiæ mediæ reflexæ non exiſtens abſolutè, nec poteſt impedire, nec poteſt determinare vllam ex illis ſcientijs medijs reflexis. Probatur minor; nam maior probatione non indiget. Creata libertas non exiſtens abſolutè, & per conditionatam operationem liberam determinans ſcientiam mediam directam de conſenſu, & impediens oppoſitam de diſſenſu præcisè purificat conditionem huius ſcientiæ mediæ reflexæ de conditionato libertatis conceſſæ: *Si prævidero libertatem A efficacem, illam conferam*, & impedit purificationem conditionis Scientiæ mediæ reflexæ de conditionato libertatis negatæ: *Si prævidero libertatem A. inefficacem, illam non conferam*: ſed per purificationem conditionis Scientiæ mediæ reflexæ de conditionato libertatis conceſſæ, & per impeditionem purificationis conditionis Scientiæ mediæ reflexæ de conditionato libertatis negatæ, nec impeditur, nec determinatur vlla ex dictis ſcientijs reflexis: ergo libertas creata non exiſtens abſolutè per determinationem Scientiæ mediæ directæ de conſenſu, & per impeditionem oppoſitæ de diſſenſu non poteſt impedire, nec poteſt determinare vllam ex dictis Scientijs medijs reflexis.

114 Probatur minor: præcisè purificare conditionem per determinationem Scientiæ mediæ directæ de conſenſu, non eſt adiungere conditionatum conditioni, cum ſub tali conditione, vt pote contingente, & includente libertatem ad conditionatum conferendi libertatem creatam valeat eſſe oppoſitum eiuſdem conditionati, neque eſt impedire exiſtentiam conditionati ſub conditione, aliàs purificatio conditionis eſſet incomponibilis cum exiſtentia conditionati ſub ipſa. Deinde: præcisè impedire purificationem conditionis per determinationem Scientiæ mediæ de diſſenſu, non eſt impedire veritatem conditionalem de tali conditione, aliàs nunquam eſſet vera conditionalis de cõditione nunquam purificanda, neque eſt determinare, quia impedire exiſtentiam conditionis non tollit quod, *ſi exiſteret conditio hæc, exiſteret conditionatum*: ergo libertas creata non exiſtens abſolutè per determinationem liberam conditionatam, qua determinat Scientiam mediam directam de conſenſu, non poteſt impedire, nec determinare Scientiam mediam reflexam, ſivè de conditionato eiuſdem libertatis conceſſæ, ſivè de conditionato eiuſdem libertatis negatæ. Vlteriùs inverſo modo idem confi-

ci-

tur argumentum. Nam per dererminationem conditionatam liberam, qua libertas creata determinaret Scientiam mediam directam de diſſenſu, purificaret conditionem Scientiæ mediæ reflexæ de conditionato libertatis negatæ, & impediret exiſtentiam conditionis Scientiæ mediæ reflexæ de conditionato libertatis conceſſæ: ſed per ſolam purificationem, aut impeditionem conditionis Scientiæ mediæ reflexæ, neque impediri, neque determinari valet vlla ex illis Scientijs medijs reflexis, vt manet probatum: ergo libertas creata non exiſtens abſolutè, & præcisè valens determinare Scientiam mediam directam de conſenſu, & impedire oppoſitam, & è contra, non poteſt impedire, nec determinare vllam ex illis Scientijs medijs reflexis.

115 Tertia: poſita libertate abſolutè, quæ eſt hypotheſis Scientiæ mediæ directæ aſſumptæ in hypotheſim Scientiæ mediæ reflexæ, ſi hæc ſit de conditionato libertatis creatæ non conceſſæ; v. g. *Si prævidero libertatem A. inefficacem, illam non conferam*, non poteſt voluntas creata illam determinare; poteſt tamen illam impedire *negative, & influxivè*. Probatur prima pars de non determinatione: quia non poteſt illam determinare per conſenſum: non per diſſenſum: ergo non poteſt illam determinare. Probatur antecedens quoad vtramque partem: voluntas conſentiendo præcisè determinat Scientiam mediam directam de conſenſu ſub libertate *A*: ſed determinare Scientiam mediam directam de conſenſu ſub libertate *A*, non eſt determinare vllo modo Scientiam illam mediam reflexam: *Si prævidero libertatem A. inefficacem, illam non conferam*, cum totum illud ſit componibile cum oppoſita Scientia media reflexa: *Si prævidero libertatem A inefficacem, illam non conferam*: etenim Scientia illa media reflexa: *Si prævidero libertatem A efficacem, illam conferam*, quę daretur ſemper ac voluntas creata ſub libertate *A* abſolutè exiſtente conſentiret, non eſt incomponibilis cum hac altera Scientia media reflexa: *Si prævidero libertatem A inefficacem, illam conferam*: ergo voluntas creata non poteſt conſentiendo ſub libertate *A* abſolutè exiſtente, Scientiam illam mediam reflexam determinare. Deinde non poteſt diſſentiendo ſub libertate *A* abſolutè exiſtente eandem Scientiam determinare: nam poſito diſſenſu ſub libertate *A* abſolutè exiſtente, non ſtat illa Scientia reflexa: *Si prævidero libertatem A inefficacem, illam non conferam*; ſed potius oppoſita: *Si prævidero libertatem A inefficacem, illam conferam*, nihilque determinari valet, quando non exiſtit: ergo voluntas ſub libertate *A* abſolutè exiſtente, neque conſentiendo, neque diſſentiendo poteſt Scientiam illam mediam reflexam de conditionato libertatis creatæ non conceſſæ determinare.

116 Probatur ſecunda pars de impeditione negativa, & influxiva eiuſdem Scientiæ: nam voluntas creata diſſentiendo ſub libertate *A* determinat Scientiam mediam directam de diſſenſu, ſeu de inefficacia libertatis *A*, quo conſtituit Deum in neceſsitate disiunctiva, vel non conferendi libertatem, vel conferendi illam ſub hypotheſi Scientiæ mediæ directæ de inefficacia libertatis *A*: ſed hoc eſt impedire negative Scientiam illam reflexam mediam: *Si prævidero libertatem A. inefficacem, illam non conferam*, quia eſt determinare negativè oppoſitam: *Si prævidero libertatem A inefficacem, illam conferam*: ergo voluntas creata ſub libertate *A* abſolutè exiſtente poteſt impedire negativè Scientiam illam mediam reflexam. Inſuper valet eandem Scientiam etiam influxive impedire: nam libertas diſſentiendo, vt poteſt ſub libertate *A*, poteſt determinare Scientiam mediam directam de inefficacia libertatis *A* in circunſtantijs, quibus ſub tali hypotheſi Deus infallibiliter conferet libertatem *A*, & ſic determinabit Scientiam mediam oppoſitam reflexam: *Si prævidero libertatem A inefficacem, illam conferam*: ſed hoc eſt poſſe voluntatem creatam ſub libertate *A* abſolutè exiſtente impedire influxivè per diſſenſum Scientiam illam mediam reflexam oppoſitam: ergo voluntas ſub libertate *A* abſolutè exiſtente poteſt impedire *negativè*, & *influxivè* Scientiam illam mediam reflexam de conditionato libertatis non conceſſæ.

117 Iam quod determinare hypotheſim Scientiæ mediæ directæ de diſſenſu in circunſtantijs, quibus Deus infallibiliter determinabit ſub ipſa Scientiam reflexam oppoſitam de collatione libertatis ſit influxivè acquirere prædictam ſcientiam, & influxivè

im-

impedire oppoſitam, probat paritas Dei non aliter potentis liberè acquirere noſtrum conſenſum liberum ſub præviſſione libertatis efficacis, quàm quia potens eſt libere purificare conditionem libertatis noſtræ in circunſtantijs, quibus infallibiliter eſt coniungenda cum conſenſu, qui modus acquirendi liberè noſtrum conſenſum eſt modus acquirendi liberè influxivè noſtrum conſenſum, & in eodem ſenſu impediendi libere influxive noſtrum diſſenſum; ſecus determinativè ſimpliciter, quomodo libertati creatæ officeret: ergo pariter, ſi voluntas creata ſub libertate *A* abſolutè exiſtente poteſt per diſſenſum determinare hypoteſim Scientiæ mediæ directę de diſſenſu in circunſtantijs, quibus Deus infallibiliter determinabit ſub tali hypotheſi Scientiam mediam reflexam oppoſitam de collatione libertatis *A*, poterit per conſequens influxivè acquirere talem Scientiam reflexam, & influxivè impedire oppoſitam.

118 Pro hac determinatione, & impeditione negativa, ſicut pro acquiſitione, & impeditione influxiva advocanda eſt in præſens doctrina communis in quæſtione de decreto connexo vnico collativo auxilij, in qua decretum indifferens compatibile cum vtroque libertatis creatæ extremo non aliter ponitur acquiribile, aut determinabile per voluntatem creatam, quàm ſub hac determinatione negativa, & acquiſitione influxiva, ſicut defectus eiuſdem decreti compatibilis non aliter ponitur impedibilis per voluntatem creatam, quàm ſub iſta impeditione negativa, & influxiva. Quibus etiam vti debemus in difficultate alia noſtræ Scholæ deſumpta ab efficacia *in actu primo* requiſita eſſentialiter ad conſentiendum, & deficiente in eo, qui diſſentit ſub libertate defacto collata, & abſolutè exiſtente, quæ efficacia *in actu primo*, cum ſit exercitium maximè liberum Dei in conferendo, non aliter poteſt poni acquiribilis à creatura, quàm *influxivè*, nec determinabilis, quàm *negativè*, & eius defectus non aliter impedibilis; quàm *influxivè*, & *negativè*, de quo, ſi placet, videri poſſumus tractatu de prædeſtinatione tom. 1. diſp. 11.

119 Rogabis: ſi Deus habet hanc Scientiam mediam reflexam: *Si prævidero libertatem A inefficacem, illam non conferam*, quando erit caſus exiſtentiæ abſolutæ libertatis *A*, quæ eſt hypotheſis Scientiæ mediæ directę aſſumptæ in hypotheſim reflexæ? Ratio difficultatis eſt: quia ſi in Deo ſit Scientia illa media reflexa de conditionato libertatis *A* non conceſſæ, Deus non conferet abſolute libertatem *A*, quæ ſit hypotheſis Scientiæ mediæ directæ de inefficacia libertatis *A*, aliàs Scientiam illam mediam reflexam: *Si prævidero inefficacem libertatem A, illam non conferam* falſificaret cùm ex vna parte ſupponatur talis Scientia media reflexa, & ex altera daretur Scientia media reflexa oppoſita, nempe: *Si prævidero libertatem A inefficacem, illam conferam*. Reſpondeo: exiſtentiam abſolutam libertatis *A*, quæ eſt hypotheſis Scientiæ mediæ directæ aſſumptæ in hypotheſim illius Scientiæ mediæ reflexæ de conditionato libertatis non conceſſæ non habere locum, quando purificatur conditio illius Scientiæ mediæ reflexæ per exiſtentiam prævisionis conditionatæ inefficaciæ libertatis *A*; quia tunc caſus, ſi exiſteret abſolutè libertas ſub tali hypotheſi, falſificaretur Scientia illa media reflexa, vt benè probatur in ratione dubitandi; at locum tenere, quando licèt exiſtat talis Scientia media reflexa, non purificatur hypotheſis Scientiæ mediæ directæ de inefficacia libertatis *A*; ſed potius datur oppoſita de efficacia libertatis *A* ſimul cum Scientia media reflexa de conditionato libertatis *A* conceſſæ, quæ non eſt oppoſita cum altera Scientia media reflexa de conditionato eiuſdem libertatis *A* non conceſſæ ſub diverſa hypotheſi non purificata. Etenim ex nullo capite repugnat Deum habere ſimul hanc duplicem Scientiam mediam reflexam: *Si prævidero libertatem A inefficacem, illam non conferam: Si prævidero libertatem A efficacem illam conferam*, quarum prima non habeat purificatam ſuam hypotheſim, ſecus ſecunda, & in hoc caſu exiſtet libertas abſolutè, quæ eſſet actualiter hypotheſis Scientiæ illius directæ aſſumptæ in hypotheſim Scientiæ illius reflexæ de conditionato libertatis *A* non conceſſæ, & in eodem procedunt dicta de non determinatione, & de impeditione eiuſdem ſub exiſtētia abſoluta libertatis.

120 Quarta: poſita libertate abſolutè, quæ eſt hypotheſis Scientiæ mediæ directæ aſſumptæ in hypotheſim Scientiæ mediæ reflexæ; ſi hæc ſit de conditionato libertatis creatæ conceſſæ:

v. g. *Si prævidero libertatem A efficacem, illam conferam* non potest voluntas creata illam impedire; potest tamen illam negative determinare, & influxive acquirere. Probatur prima pars *de non impeditione*. Nam voluntas sub tali libertate absolute existente non potest impedire talem Scientiam consentiendo, nec dissentiendo: ergo non potest illam Scientiam impedire. Probatur antecedens quoad vtramque partem. Voluntas creata consentiendo purificat conditionem illius Scientiæ determinando Scientiam mediam directam de efficacia libertatis, quæ est hypothesis talis Scientiæ mediæ reflexæ: sed nulla Scientia conditionalis impediri valet per purificationem suæ hypothesis, vt per se est satis constans, cum purificatio hypothesis non sit aliquid incomponibile cum Scientia conditionali de tali hypothesi: ergo voluntas creata non potest impedire eam Scientiam consentiendo. Neque valet impedire ipsam dissentiendo: nam dissentire sub libertate absolutè existente præcisè impedit purificationem hypothesis Scientiæ mediæ directæ de efficacia per determinationem Scientiæ oppositæ de inefficacia: sed nulla Scientia conditionalis impeditur per non purificationem suæ hypothesis, siquidem talem purificationem pro sua veritate non exigit, aliàs nulla esset veritas obiectiva conditionalis; nec Scientia conditionalis ei correspondens de hypothesi non purificanda: ergo voluntas creata sub existentia absoluta libertatis, quæ est hypothesis illius Scientiæ mediæ directæ assumptæ in hypothesim Scientiæ mediæ reflexæ de conditionato eiusdem libertatis concessæ, nec dissentiendo, nec consentiendo potest prædictam Scientiam mediam reflexam impedire.

121 Probatur secunda pars *de determinatione negativa, & de acquisitione influxiva*. Nam voluntas consentiendo sub tali libertate, & determinando Scientiam mediam directam de consensu, & libertatis illius efficacia constituit Deum in necessitate disiunctiva, vel non conferendi talem libertatem, vel conferendi ipsam sub Scientia media hac reflexa: *Si prævidero talem libertatem efficacem, illam conferam*: sed hoc est sub libertate absolute existente determinare negative eam Scientiam: ergo potest voluntas sub tali libertate absolutè existente determinare negative eam Scientiam. Insuper voluntas sub eadem libertate in statu absoluto consentiendo, & determinando Scientiam mediam directam de consensu purificat conditionem ad conditionatum collationis eiusdem libertatis in circunstantijs, quibus infallibiliter Deus determinabit conditionatum collationis libertatis, & medio ipso Scientiam illam mediam reflexam: *Si prævidero efficacem, dabo*: sed hoc est acquirere influxivè talem Scientiam mediam reflexam ducto fundamento à modo, quo Deus conferendo nobis libertatem efficacem libere obtinet, & acquirit nostrum consensum liberum, modo iam explicato: ergo voluntas creata in statu absoluto libertatis potest acquirere Scientiam illam mediam reflexam, quę sit de conditionato eiusdem libertatis concessæ, ac per consequens stat penes ipsam determinabilitas *negativa*, & acquiribilitas *influxiva* eiusdem Scientiæ.

122 Notandum apud aliquos Authores, & fortè etiam apud me, tum tractatu de Prędestinatione, tum alibi hanc Scientiam mediam reflexam de conditionato libertatis creatæ concessæ dici determinabilem per voluntatem creatam ex suppositione existentiæ absolutæ libertatis, quæ est hypothesis Scientiæ mediæ directæ assumptæ in hypothesim Scientiæ mediæ reflexæ, quod intelligendum est, vel de sola determinatione negativa, modo explicato, & simili ei, quo Deus in nostra sententia determinat causas secundas liberas *quoad individuationem* effectus, vel si de determinatione positiva accipiendum esse, vel sensu *lato*, & *improprio*, in quantum determinatio positiva confundatur cum acquisitione influxiva alterius determinationis, quo solum modo potest vnum agens liberū alterum sine libertatis læsione adigere, & inducere in operationem liberam, cum qua non componitur stricta, & rigorosa determinatio, qualis debet esse, vel quæ præcedat connexive actionem alterius, vel quæ saltem comitetur condeterminando, quod vtrumque repugnat in nostris principijs, & minimè invenitur in voluntate creata respectivè ad libertatem divinam libere ex se determinantem illam Scientiam reflexam de conditionato sibi libero, vt est conferre libertatem creatam determinatam sub previsione conditionata efficacię illius.

Ro-

123 Rogabis: quid ſentiendum ſit de altera Scientia media reflexa, quæ ſit de hypotheſi prævisionis pertinentis ad vnam libertatem, & de conditionato alterius libertatis conceſſæ, aut negatæ; v. g. *Si prævidero libertatem A efficacem in Ioanne non conferam Petro libertatem B, efficacem: ſi prævidero in Ioanne libertatem A efficacem, non conferam Petro libertatem B. efficacem*: & alijs huius generis? Reſpondeo: quod ſi comparatio fiat cum libertate, quæ eſt hypotheſis Scientiæ mediæ directæ aſſumptæ in hypotheſim Scientiæ mediæ reflexæ, ſivè exiſtat abſolutè, ſivè non exiſtat, præciſsè poteſt per purificationem conditionis acquirere influxivè talem Scientiam, aut impedire influxivè, acquirendo influxivè oppoſitam; non verò poteſt impedire ſimpliciter, aut ſimpliciter determinare. Ratio eſt: quia præciſsè poteſt ponere conditionem ex ſe indifferentem ad conditionatum, aut illam ſubtrahere: ſed neque per purificationem conditionis indifferentis determinat ſimpliciter ad illam conditionalem, nec per ſubſtractionem impedit conditionalem, cum conditionalis non indigeat ad ſui veritatem purificatione conditionis: ergo quin valeat ſimpliciter determinare, aut ſimpliciter impedire, tantùm reſtat, vt voluntas creata per purificationem conditionis valeat influxive acquirere illam Scientiam reflexam, & impedire oppoſitam, vel è converſo. Si autem comparatio fiat cum libertate ſe tenente ex parte conditionati, poteſt vtramque Scientiam impedire, neutram verò determinare. Poteſt vtramque impedire: quia poteſt impedire efficaciam, cum qua illa Scientia reflexa ex ſuo modo tendendi, ſivè affirmativa, ſive negativa ſit, connectitur: non poteſt determinare, quia præciſsè poteſt determinare prævisionem efficaciæ, quæ indifferens ex ſe eſt, vt conferat Deus, vel non conferat libertatem efficacem; at poterit vtramque influxive acquirere, quoties verum ſit extiturum ex determinatione libera divina conditionatum ſub tali prævisione.

124 Rurſus rogabis, quid ſentiendum ſit de hac Scientia media reflexa de conditionato libertatis non conceſſæ: *Si prævidero libertatem A inefficacem, illam non conferam*, quando coniungitur cum altera hac Scientia reflexa etiam de conditionato negativo: *Si prævidero libertatem A efficacem, non conferam*, quæ inter ſe nullam habent oppoſitionem; propterea quod Deus poſsit ſub vtraque hypotheſi ideſt, ſivè libertas efficax ſit, ſivè inefficax, illam non conferre? Reſpondeo: quòd ſi libertas conſideretur, vt debet ante ſtatum abſolutum, idem dicendum eſt quod diximus; quando talis Scientia conditionalis reflexa aſſociata cum altera de conditionato affirmativo libertatis conceſſæ ſub hypotheſi prævisionis efficaciæ libertatis; at ſi conſideretur quo ad ſtatum abſolutum; quamvis illa ex ſe non habeat componibilitatem cum ipſo; ac propterea ex ſe ſemper maneat potens in ſtatu abſoluto impedire eam Scientiam reflexam modo ſupra explicato, ideſt negativè, & influxivè; at per accidens non habebit talem poteſtatem: quia dum datur illa duplex Scientia reflexa de conditionato libertatis non conceſſæ nunquam perveniet libertas, quæ eſt hypotheſis illius Scientiæ mediæ directæ aſſumptæ in hypotheſim illius Scientiæ mediæ reflexæ: *Si prævidero efficax, non conferam* ad ſtatum abſolutum ob coniunctum illius duplicis Scientiæ reflexæ excludentis libertatem illam determinatam pro omni ſuppoſitione poſsibili; nimirùm ſub prævisione efficaciæ, & inefficaciæ illius, à quarum aliqua præſcindere non poteſt.

125 Poſt longam digreſsionem debitam claritati venimus ad ſolutionem argumenti poſiti num. 107. quæ alioquin obſcura, explicatione non præmiſſa, poſt ipſam forſan apparebit clara. Igitur ad obiectionem negatur aſſumptum, ſcilicèt Scientiam illam reflexam: *Si prævidero libertatem A inefficacem, illam non conferam* non eſſe poſsibilem. Ad medium probativum ex eo quod talis ſcientia, ſuppoſita libertate *A* ſit connexa cum conſenſu, & inimpedibilis per diſſenſum, conſtat ex dictis veram eſſe connexionem: ſed falſam inimpedibilitatem: ſiquidem illa Scientia reflexa eſt impedibilis per diſſenſum impeditione *negativa*, & *influxiva*: vnde libertas creata, quæ eſt hypotheſis Scientiæ mediæ directæ aſſumptæ in hypotheſim Scientiæ mediæ reflexæ non eſt in vi illius ſimpliciter, & antecedenter determinata ad vnum; ſed potens ſe vertere quò voluerit, aut ſe exercendo per conſenſum, aut ſe exercendo per diſſenſum. Ad illud quod additur, de inimpedibilitate,

& indeterminabilitate Scientiæ conditionalis per impeditionem, aut purificationem conditionis dicendum, intelligendum esse relatè ad determinationem *simpliciter* talem, & *positivam*; secus comparative ad determinationem *negativam*, & *latè acceptam*, provt confunditur cum impeditione *influxiva*, vt pariter acommodandum est impeditioni, quæ locum non tenet, si sit *positiva*, & *simpliciter talis*, nimirùm determinando antecedenter, vt non sit; at verificatur, si accipiatur pro impeditione *influxiva*, & pro determinatione *negativa* ad defectum scientiæ. Pro quo repetendum, nihil esse speciale, quod non inveniatur in sententia comunissima de decreto vnico, & connexo collativo auxilij, & libertatis, & in sententia omnium nostrorum quoad efficaciam auxilij, & libertatis *in actu primo* vnicè determinabilis per divinam libertatem. Ad vltimum in quo sistit argumentum de non impedibilitate scientiæ conditionalis per purificationem suæ hypothesis distinguendum inter hypothesim Scientiæ *specificativè acceptam*, & hypothesim illius *reduplicative acceptam*; hypothesis *specificative* accepta est id quod ex se est aptum, vt sit hypothesis scientiæ; *reduplicative* autem est hypothesis provt actualiter exercet tale munus: vnde si loquamur de hypothesi *reduplicative* accepta, verum est per eius purificationem non impediri scientiam conditionalem; si autem sermo sit de hypothesi *specificative*, falsum est non posse impediri per eius purificationem scientia conditionalis, quia tunc coniungi valet prædicta hypothesis cum opposito conditionati illius scientiæ. Id manifestum est in quacumque libertate determinata, quæ specificative sumpta valet esse hypothesis, tum Scientiæ mediæ directæ de efficacia, tum Scientiæ mediæ directæ de inefficacia. Cæterùm, quando eadem libertas se habet reduplicative, vt hypothesis Scientiæ mediæ directæ de efficacia, est impedita Scientia media opposita de inefficacia sub eadem hypothesi, & quando inverso modo se habet reduplicative, vt hypothesis Scientiæ mediæ directæ de inefficacia, est impedita Scientia media opposita de efficacia sub eadem hypothesi.

***

CAPVT III.

An Scientia media reflexa formaliter, & strictè talis valeat attingere ex parte hypothesis Scientiam mediam directam defacto existentem: An verò duntaxat, quæ posset esse, & defacto non est?

126 SEntentiam affirmativam, id est Scientiam mediam reflexam *formaliter*, & *strictè talem* posse, & defacto attingere, vt hypothesim Scientiam mediam directam non modò quę defacto non exiſtit, & posset existere; verùm, quæ de facto exiſtit, supposuimus toto capite præcedenti. Cæterùm quia suppositioni nostræ se opponunt Recentiores graviſsimi, qui acuratiùs inter reliquos, quæſtioneş iſtas pertinentes ad Scientiam reflexam tractarunt, opere pretium duximus, quæſtionem iſtam ſeparatim tractare, & quo fundamento ſententiam affirmantem ſuppoſſuerimus oſtendere, nè in re prolixa multa ſub vno titulo confundentes nulli, vt par eſt, reddatur debitum examen, & vt quæſtionis ſcopus, & difficultatis ratio innoteſcat, exponenda eſt prius contraria ſententia.

127 Itaque diſceptatio præſens non eſt: an detur in Deo Scientia media reflexa *formaliter talis* attingens ex parte hypotheſis Scientiam mediam directam. Nam in hoc conveniunt hi, cum quibus controvertimus; cæterùm licèt in hoc ſit concordia, diſſident Herrera quæſt. 16. de Scientia ſect. 2. & Recentiores in manuſcriptis diſput. 3. ſupplementi ad tractatum de Scientia citantes pro ſe doctiſsimum Iunium aſſerentes divinum intellectum non poſſe attingere ſuſpenſive, ſeu modo tendendi formaliter conditionali hypotheſim purificatam, hoc eſt Scientiam mediam directam, quę defacto exiſtat. Vnde reſpectu Scientiæ mediæ de efficacia libertatis, v. g. ſub qua Deus confert defacto, aut non con-

confert eandem libertatem, non potest Deus cognoscere hanc veritatem: *Si existat Scientia media efficaciæ libertatis A, illam conferam: si existat Scientia media efficaciæ libertatis A, illam non coferam*, modo tendendi formaliter conditionali his vocibus correspondente; sed modo tendendi absoluto; quatenus. & Deus videt existere Scientiam mediam directam de efficacia auxilij, & simul videt se determinatè conferre libertatem, quæ est hypothesis talis Scientiæ, aut se determinate non conferre dictam libertatem: aiuntque hanc Scientiam absolutam esse æquivalenter conditionalem, in quantum ad informandum divinum intellectum de illa veritate: *Si existat Scientia media directa de efficacia libertatis A, Deus determinate conferet, aut determinatè non conferet illam*, proinde se habet ac si illam cognosceret modo tendendi *conditionali formaliter*, seclusa imperfectione, quæ in intellectu divino (iuxta ipsos) resultaret, si eam modo *formaliter conditionali* cognosceret.

128 Fundamentum, quo innituntur est: quia vt Deus per intellectus actum possit attingere suspensivè, & modo *formaliter conditionali* hypothesim, quæ defacto datur, necessarium erat intelligere ali quod signum, in quo hypothesis tantùm haberet cognoscibilitatem suspensivam, & respondentem his terminis: *si esset*: sed respectu Scientiæ mediæ directæ, quæ defacto existit, nullum est excogitabile signum, in quo præscindatur ab eius existentia absoluta: ergo Deus non valet attingere suspensive ex parte hypothesis Scientiam mediam directam, quæ datur. Minorem difficilem probant: omne signum antecedens Scientiam mediam directam, quæ datur, est signum necessariorum, cum Scientia media, vtpote non dependens ab vllo decreto absolutè existenti constituat primum signum contingentium: sed pro signo necessariorum non potest existere hæc notitia contingens: *Si existat Scientia media efficaciæ libertatis A, talem libertatem conferam*: ergo notitia hæc non potest existere in signo anteriori, & præscindenti ab existentia absoluta Scientiæ mediæ directæ: Procedunt: sed pro signo, pro quo Scientia media efficaciæ; v.g. intelligitur absolutè existens (quod idem intellige de signo posteriori, & subsequenti ad Scientiam me diam directam) Deus non potest habere Scientiam ex suo modo tendendi præscindentem ab existentia absoluta; aliàs diminutè satis, & dubitativè procederet circa obiectum, quod alienum omninò est à perfectione divini intellectus: ergo respectu Scientiæ mediæ directæ, quæ datur, nullum est excogitabile signum, in quo præscindatur ab eius existentia absoluta; ac per consequens, in quo possit cognosci modo illo *suspensivo*, & *formaliter* conditionali, *si existeret*.

129 Inde inferunt primo consequenter ad dicta: Scientiam mediam reflexam *formaliter talem*, duntaxat posse inveniri in Deo relatè ad Scientiam mediam directam, quæ defacto non existit, aut respectu carentiæ illius Scientiæ mediæ quæ defacto existit, cum talis defectus defacto non detur, aut relate ad Scientiam mediam directam, quæ defacto datur, non secundum se consideratam; verùm provt coniunctam cum alio divinæ libertatis constitutivo, quod defacto non existat, scilicèt, *complacentiam*, aut *displicentiam aliquam liberam Deo defacto non existentem*, & quæ si daretur, & coniungeretur cum Scientia media directa, quæ defacto datur, constitueret in Deo libertatem, sub qua faceret, aut non faceret idem, quod defacto operatur: quia solùm de his verificatur *quod forent*, & *non sunt*, quomodo est necessarium verificari, vt Deus queat sine præiudicio sui perfectissimi intellectus, & modi cognoscendi attingere tales hypotheses suspensivè, & modo tendendi correspondente his terminis, *si existeret*: *si daretur*.

130 Inferunt secundò: omnem Scientiam mediam reflexam *formaliter*, & *strictè talem* in ratione tendentiæ conditionalis esse essentialiter incomponibilem cum purificatione suæ hypothesis, sub qua enuntiat conditionatum. Ratio in promptu est. Nam cum Scientia media reflexa per se, & essentialiter attingat suspensive suam hypothesim, & existente hac, iam no detur locus in intellectu divino, vt sit tendentia intentionalis suspensiva, & formaliter conditionalis correspondens illis terminis, *si esset*: *si foret*, opus est talem scientiam non posse componi cum existentia hypothesis: ac per consequens existentia conditionati sub conditionis purificatione esset impeditio Scientiæ mediæ

reflexæ *formaliter talis* in ratione tendentiæ conditionatæ; non secùs ac existentia dissensus sub libertate determinata est impeditio Scientiæ mediæ directæ de efficacia eiusdem libertatis. Vnde etiam patet discrimen, quod inter alia datur inter Scientiam mediam *directam*, & *reflexam formaliter talem*. Nam illa amico fœdere componitur cum purificatione suæ hypothesis; quin existentia conditionati sub hypothesi sit impeditio illius; hæc verò ex intrinsecis horreat conditionis absolutam existentiam, taliter vt existentia conditionati sub hypothesi sit impeditio illius. Hanc sententiam susceperunt post defensandam alij perdocti Recentiores in hac Academia vespertinam Cathedram regentes.

131 Attamen licèt hi Authores conveniant inter se quoad principale punctum difficultatis in neganda Scientia media reflexa *strictè*, & *formaliter tali*, in ratione tendentiæ intentionalis respectu hypothesis purificatæ seu Scientiæ mediæ directæ, quæ defacto existit, differunt quoad aliud minoris momenti, vt est designatio signi, in quo collocanda est Scientia media *formaliter reflexa strictè talis* in ratione tendentiæ conditionalis. Nam Herrera loco citato duo asserit: *vnum*, quòd si Scientia media reflexa non sit *formaliter talis* in consideratione dicta; sed tantùm æquivalenter, quia respiciat ex parte hypothesis Scientiam mediam directam, quæ defacto existit, collocanda est in signo posteriori ad exercitium liberum Dei, vel collativum, vel omissivum libertatis, quæ est hypothesis Scientiæ mediæ directæ. Ratio ipsi est: quia tunc Scientia reflexa est per virtualem identitatem Scientia, qua Deus videt se non conferre, aut conferre libertatem, quæ Scientia visionis est de exercitio collativo, aut non collativo libertatis; ac per consequens illud obiectivè subsequens.

132 *Alterum*, si Scientia reflexa sit *strictè*, & *formaliter talis* in ratione conditionalis, quia respicit ex parte hypothesis Scientiam mediam directam, quæ non datur, talis Scientia *materialiter*, & *identicè* est Scientia visionis illius, quod Deus facit aut non facit sub Scientia media directa, quam defacto habet; at *formaliter* disparato modo se habet ad talem Scientiam, sicut ad Scientiam mediam directam, quæ defacto existit. Hoc vltimum probat: quia hæc Scientia media reflexa: *Si prævidissem libertatem A inefficacem, quam sic non prævideo, illam non conferam*, neque antecedit decretum præsens, cùm ad id quod Deus sub circunstantijs præsentibus facit, nihil iuvet notitia de eo quod faceret, ipsis non existentibus; neque subsequitur, nam notitia de eo, quod Deus faceret sub Scientia media, quæ non existit, non determinatur per id quod facit sub alia libertate, quam defacto habet. Probat illud primum ex eo quod Scientia hæc reflexa: *Si prævidissem libertatem A inefficacem, illam non conferrem* nullum habet prædicatum oppositum cum hac Scientia visionis, *prævideo efficacem, & illam confero*: ergo identificantur virtualiter, cùm tota ratio virtualis distinctionis sit prædicatorum oppositio, modo quo idem Author ait, omnes Scientias medias directas, quæ defacto dantur, identificari virtualiter, cum nullam prædicatorum repugnantiam inter se includant.

133 Recentiores verò conveniunt cum Herrera quoad primam conclusionem de subsequutione ad decretum Scientiæ reflexæ *æquivalenter tantùm mediæ* in ratione conditionalis, quæ stante doctrina, quam vniformiter defendunt de impossibilitate attingendi suspensivè Scientiam mediam, quæ defacto datur communis esse debet; at quoad secundam dissentiunt asserentes Scientiam mediam reflexam *formaliter talem* constituere idem signum collativum cum Scientia media directa: quia sicut omnia futura contingentia conditionata, quorum hypothesis est libertas, constituunt idem signum obiectivum collativum, cùm inter ipsa non detur prioritas, nec posterioritas; sic Scientiæ conditionatæ, & quas in intellectu diuino determinant, debent idem signum collativum constituere, quod idem est, ac se habere comitanter, quamvis entitas vnius Scientiæ conditionatæ virtualiter non sit altera notitia. Vnde tenent Scientiam mediam *strictè reflexam* se habere cum Scientia media directa ad modum, quo in eorum sententia Scientia media directa *de consensu Pauli* se habet comitanter cum Scientia media directa *de consensu, aut dissensu Petri*; quæ modò existat; quin ideo iuxta ipsos, & contra Herrera sint eadem tendentia virtualiter.

Sen-

134 Sententia oppoſita affirmativa, & in antecedentibus ſuppoſita, & inſinuata ſemper mihi placuit, cui in dies firmius adhæreo, & iuxta quam ſit noſtra concluſio. Scientia media reflexa *ſtrictè talis in ratione tendentiæ conditionalis* attingit ex parte hypotheſis non ſolum Scientiam mediam directam, quæ foret; ſed etiam Scientiam mediam directam, quæ ſit, & defacto exiſtit: vnde ſuſpenſive attingitur, & hoc modo tendendi: *ſi eſſet* non ſolùm Scientia media directa, quæ non eſt, & eſſet, vel *abſolutè*, vel *reſpectivè* ad aliquod divinæ libertatis conſtitutivum, quod modò non ſit; ſed etiam Scientia media directa, *quæ eſt*, & ſub qua Deus habet aliquod exercitium liberum divinæ voluntatis. Quam concluſionem contra Herreram, Iunium, & Recentiores citatos ſic probo primo: vel Scientia media reflexa *ſtrictè talis*, eſt Deo impoſsibilis, vel debet attingere ſuſpenſivè ex parte hypotheſis Scientiam mediam directam: ſed Scientia media reflexa *ſtrictè* & *formaliter talis* non repugnat in Deo: ergo attingit ex parte hypotheſis ſuſpenſivè Scientiam mediam directam, quæ defacto exiſtit. Minor eſt adverſariorum nobis convenientium in admiſsione Scientiæ mediæ reflexæ *ſtrictè*, & *formaliter talis* in mente divina. Probatur maior: ſi Scientia media reflexa *ſtrictè talis* non poſſet attingere ſuſpenſivè, & ex parte hypotheſis Scientiam mediam directam, quæ defacto exiſtit, Scientia media talis reflexa erit incomponibilis eſſentialiter cum purificatione ſuæ hypotheſis: ergo eſſet repugnans. Antecedens etiam eſt doctrina Adverſariorum: conſequentia probatur.

135 Scientia media reflexa incomponibilis cum purificatione ſuę hypotheſis non eſt eſſentialiter vera: ſed ſcientia divina non eſſentialiter vera eſt repugnans: ergo Scientia media reflexa incomponibilis cum purificatione ſuæ hypotheſis eſt repugnans. Probatur maior: Scientia media reflexa incomponibilis cum purificatione ſuæ hypotheſis non connectitur cum ſua veritate obiectiva: ergo non eſt eſſentialiter vera. Probatur antecedens: Scientia media reflexa ſic incomponibilis non connectitur cum eo, quod ſi exiſtat conditio in aliquo caſu poſsibili exiſtat conditionatum ſub ipſa: ſed exiſtentia conditionati ſub exiſtentia conditionis eſt ſua veritas obiectiva: ergo non connectitur cum ſua veritate obiectiva. Probatur maior: omnis caſus poſsibilis exiſtendi conditionem eſt caſus non præſcindens ab exiſtentia alterius ex duplici contradictorio, ſcilicèt *exiſtentia Scientiæ mediæ reflexæ*: *non exiſtentia Scientiæ mediæ reflexæ*: ſed pro nullo caſu non ſic præſcindente infert, quòd ſi exiſtat conditio, exiſtat conditionatum: ergo non connectitur cum eo quòd ſi exiſtat conditio in caſu poſsibili, exiſtat conditionatum ſub ipſa. Probatur minor: omnis caſus non præſcindens ab exiſtentia alicuius ex his contradictorijs eſt, aut caſus exiſtendi conditionem cum exiſtentia Scientiæ mediæ reflexæ, aut caſus exiſtendi conditionē cum carentia exiſtentiæ Scientiæ mediæ reflexæ: ſed pro nullo ex his caſibus infert, *quod ſi exiſtat conditio, exiſtat conditionatum*: ergo pro nullo caſu non præſcindente ab aliquo ex duplici contradictorio infert, *quod ſi exiſtat conditio, exiſtat conditionatum*.

136 Probo minorem quoad vtramque partem. Quoad primam: quia non infert, quod ſi exiſtat conditio, exiſtente ipſa, exiſtat conditionatum: quia potius repugnat exiſtentiæ conditionati ſub purificatione conditionis, exiſtente ipſa, cùm provt exiſtens repugnet purificationi conditionis: ergo non infert, *quòd ſi exiſtat conditio, exiſtente ipſa, exiſtat conditionatum*. Quoad ſecundam. Nam non infert, *quod ſi exiſtat conditio, non exiſtente ipſa, cùm extiterit, exiſtat conditionatum*, quia implicatorium eſt deficere ſcientiam divinam, cùm ſemel fuerit; neque infert, *quod ſi exiſtat conditio, non exiſtente ipſa, cùm nunquam fuerit, ſit conditionatum*: quia nihil infert metaphyſicè id, cum quo eſſentialiter opponitur: ſed cum exiſtentia conditionati ſub exiſtentia conditionis, non exiſtente vnquam Scientia media reflexa, hæc eſſentialiter opponitur, cum ſit ſuæ exiſtentiæ impeditivum: ergo non infert, *quod ſi non exiſtat conditio, non exiſtente ipſa, ſit conditionatum ſub exiſtentia conditionis*; ac proinde non infert, quòd exiſtente conditione ſub aliquo caſu poſsibili, exiſtat conditionatum ſub ipſa.

137 Confirmatur primò. Implicatoria eſt connexio, quæ per exiſtentiam termini exacti, vt exacti impeditur ab exiſtendo, cùm illatio termini in tantum detur, in quantum id, quod habet connexionem, illo eget, vt ſit connexio: ſed

ſed connexio, quæ daretur in Scientia media reflexa incomponibili cum purificatione ſuæ hypotheſis eſt connexio, quæ per exiſtentiã termini exacti, vt exacti impeditur, vt ſit abſolutè; id eſt tàm quod ſit, quàm quod fuerit: quia exiſtentia abſoluta conditionati, exiſtente abſolutè conditione, eſt terminus exactus, & vt exactus à veritate Scientiæ mediæ reflexæ, & à connexione illius, quæ per talem exiſtentiam, & purificationem conditionis impeditur ab *eſſe* abſolutè: ergo ſi Scientia media reflexa eſt incomponibilis cum purificatione ſuæ hypotheſis, connexio eius cum ſua veritate obiectiva eſt implicatoria.

138 Confirmatur ſecundò. Inanis, & nugatoria connexio eſt illa, quæ exigens aliquem terminum pro aliquo caſu, hoc dato nihil magis ipſi prodeſt, quod ſit exiſtentia termini pro tali caſu; quàm carentia exiſtentiæ termini pro tali caſu: ſed in connexione Scientiæ mediæ reflexæ, vt à contrarijs ponitur, hoc intercedit, quia exiſtente hypotheſi, pro quo caſu exigit eſſentialiter exiſtentiam termini, tam non exiſtit, nec extitit Scientia media reflexa; ac ſi ſub hypotheſi loco termini exacti, & conditionati exiſteret carentia conditionati, cum purificata hypotheſi per hanc, tàm impediatur abſolutè *eſſe* Scientiæ mediæ reflexæ exiſtenti cõditionato, quam non exiſtenti conditionato: ergo inanis, & nugatoria eſt connexio talis ſcientiæ.

139 Confirmatur tertiò: implicatoria eſt connexio, cum aliquo extremo, nempè *A*, quæ ſit oppoſitio cum termino connexionis *A*: nam firmum principium eſt: *quidquid connectitur cum aliquo extremo, connectitur cum omni eo, cum quo connectitur tale extremum*: ſed connexio Scientiæ mediæ reflexæ eſt connexio cum veritate conditionali, *ſi exiſtat Scientia media directa efficaciæ libertatis A, exiſtet talis libertas*, quæ connectitur cum exiſtentia abſoluta conditionati ſub exiſtentia conditionis, cui opponitur Scientia media reflexa, cum conditionatum ſub exiſtentia conditionis inferat non exiſtentiam Scientiæ mediæ reflexæ, & quodlibet opponatur ei, quod ſuam non exiſtentiam infert: ergo connexio, & determinatio Scientiæ mediæ reflexæ implicatoria eſt.

140 Confirmatur quartò. Nam id quod pro omni caſu ſibi poſsibili opponitur coniunctioni conditionis, & conditionati, pro nullo caſu ſibi poſsibili poteſt connecti cum exiſtentia coniuncti conditionis, & conditionati: ſed Scientia media reflexa inconiungibilis cum purificatione conditionis pro omni caſu ſibi poſsibili opponitur coniuncto conditionis, & conditionati, cùm omnis caſus ipſi poſsibilis ſit caſus non infetens eius contradictorium: ergo pro nullo caſu poſsibili poteſt connecti cum coniũcto conditionis, & conditionati ſed Scientia, quæ pro omni caſu ſibi poſsibili non connectitur cum coniuncto conditionis, & conditionati, neque connectitur cum veritate conditionali: ergo Scientia media reflexa non connectitur cum veritate obiectiva conditionali; ac proinde, nec cum ſua veritate.

141 Dices: argumentum factum non probare, Scientiam mediam reflexam non exigere eſſentialiter exiſtentiam abſolutam conditionati ſub exiſtentia abſoluta conditionis, vt exiſtat nunc; ſed præcisè probare non exigere exiſtentiam abſolutam conditionati ſub exiſtentia abſoluta cõditionis, vt exiſtat tunc, quod minimè eſt neceſſariũ ad veram connexionem inter Scientiam mediam reflexam, & conditionatũ ſub exiſtentia conditionis: nam de ratione veræ connexionis non eſt, quòd exiſtente termino, exiſtat fundamentum, verùm præcisè, quòd deficiente termino, deficiat infallibiliter, vt in præſenti contingit; nam deficiente conditionato ſub exiſtentia conditionis, deficeret Scientia media reflexa ex vi defectus conditionati, quod maximè connexionem Scientiæ mediæ reflexæ confirmat. Id ſuaderi poteſt primò: quia ſi exiſtentia termini connexionis, vt terminus connexionis eſt, non eſſet compatibilis cum defectu fundamenti cõnexionis, omnis connexio eſſet mutua; quod falſiſsimum eſt, aliter tam inferretur ex exiſtentia fundamenti connexionis exiſtentia termini, quàm ex exiſtentia termini exiſtentia fundamenti connexionis. Secundò ex eo, quod in ſententia aſſerente actus intellectus eſſe alligatos inſtanti, in quo ſunt: actus ſupernaturalis fidei, quo nunc credo exiſtentiam futuram Antichriſti, incomponibilis eſt cum exiſtentia Antichriſti; & tamen metaphyſicè connectitur cum exiſtentia futura Antichriſti: ergo de ratione metaphyſicæ connexionis non eſt, quòd ſit componibilis

cum

cum existentia termini connexionis.

142 Sed contra: quia si Scientia media reflexa est incomponibilis cum purificatione hypothesis, sub qua affirmat existentiam conditionati non tantùm probatur, quod illo non eget, vt esset tunc, quando sub conditione existeret conditionatum; verùm quod illo non eget, vt existat nunc, quando non existente conditione, non existit conditionatum: ergo nulla est solutio. Assumptum probatur. Illud non eget aliquo extremo, nempè *A* hoc, vel illo modo, sive vt sit cum illo, sive vt sit sine illo, quod essentialiter connectitur cum eo, quod accedente extremo *A*, illo modo quo ab ipso exigitur, verificetur: *Neque est exactum, vt sit fundamentum connexionis, nec vnquam fuit exactum, vt fuerit fundamentum connexionis*: sed Scientia media reflexa incomponibilis cum purificatione suæ obiectivæ hypothesis, ita exigit essentialiter existentiam conditionati sub existentia conditionis, vt accedente conditionato eo modo quo exigitur, scilicèt sub existentia conditionis, petat etiam essentialiter verificari, *conditionatum vt existens sub existentia conditionis, nec est sic exactum, vt sit Scientia media reflexa, nec fuit vnquam exactum, vt fuerit Scientia media reflexa*: ergo hæc, neque exigit existentiam conditionati sub existentia conditionis, vt sit tunc cum existentia conditionis, neque vt sit nunc cum carentia cõditionis. Discursus est legitimus, & minor certa: nam purificatio conditionis, ac per consequens existentia conditionati sub ipsa sunt impeditio Scientiæ mediæ reflexæ. Maior probatur: omnis vera exigentia termini *aliquomodo* requirit in termino denominationem *exacti*, maximè quando est *illo modo*; patet: nam si dato termino *illo modo*, omninò evanuit, & disparuit exigentia, quomodo terminus sub *illo modo* erit exactus? ergo illud non eget aliquo extremo *hoc*, *vel illo modo*, neque vt sit cum illo, neque vt sit sine illo quod essentialiter connectitur cum eo quod accedente extremo illo modo, quo ab ipso exigitur, verificetur, *neque est exactum, vt sit fundamentum connexionis, neque vnquam fuit exactum, vt fuerit fundamentum connexionis.*

143 Explicatur, & confirmatur paritate iam alibi attacta obligationis conditionatæ ad aliquem terminum; v. g. *librum* sub conditione *petitionis*, quæ quidem vana omnino, & nullius roboris esset in ratione obligationis conditionatæ, si talis meditaretur, vt accedente purificatione hypothesis per *petitionem libri*, talis obligatio, nec sit tunc, nec vnquam fuerit; non ob aliam rationem, nisi quia obligatio cuius terminus, vt exactus per talem obligationem est abolitio illius, ita vt nec sit tunc, nec fuerit, est obligatio implicatoria: sed non minus, imò si placet strictius connexio metaphysica annectit sibi terminum exactum, quam obligatio terminum suum, ad quem obligat: ergo si terminus obligationis conditionatæ sub purificatione conditionis impediens obligationem ab eo, quod sit, & fuerit, reddit illam numerandam inter obligationes chymæricas, pariter terminus connexionis metaphysicæ conditionatæ sub purificatione hypothesis impediens connexionem ab eo, quod sit, & fuerit, reddet illam repugnantem.

144 Inde contra eandem solutionem persisto: nam omnis exigentia fundamenti connexionis essentialiter incomponibilis cum eo, quod ipsi detur terminus eo modo, quo ab ipsa exigitur, est exigentia, qua fundamentum connexionis non petit terminum, vt sit cum termino, neque vt sit à termino divisum; ac per consequens est exigentia ex proprijs terminis implicatoria: sed exigentia, qua Scientia media reflexa exigit conditionatum sub conditione, est incomponibilis cum eo, quod ipsi detur terminus, vt exigitur, nimirùm sub purificatione, quia cum eius purificatione est absolutè incomponibilis, taliter vt nec sit, nec fuerit, si conditio purificetur: ergo est exigentia, qua fundamentum connexionis non petit terminum, vt sit cum termino, neque vt sit à termino divisum, & ideo est exigentia ex terminis implicatoria.

145 Confirmatur altera paritate ab adversarijs accepta ex efficacia *subiectivè absoluta*, & *obiectivè conditionata* in decreto *subiectivè* absoluto, & *obiectivè* conditionato decernente efficaciter aliquid sub hypothesi, quæ efficacia si esset incomponibilis cum purificatione conditionis, planè esset irrisoria, & nugatoria, cum ex vna parte ex se traheret, quod si esset hæc, vel illa conditio, existeret conditionatum, & ex alia esset simul determinata, vt si fuisset conditionatum sub tali hypothesi, nunquam

præ-

prædicta efficacia extitisset. Transferant ergo rationem istam ad connexionem *subiectivè absolutam*, & *obiectivè conditionatam*, quam necessariò debent ponere in Scientia media reflexa incomponibili cum purificatione conditionis. Nam sicut decretum *subiectivè* absolutum, & *obiectivè* conditionatum debet esse efficax ad trahendum terminum effectivè sub purificatione conditionis; ita connexio *subiectivè* absoluta, & *obiectivè* conditionata ad trahendum suum terminum illativè sub purificatione conditionis: ergo si illam primam efficaciam non percipiunt, si purificatio hypothesis sit impeditio decreti, neque secundam hanc debent percipere, si hypothesis existentia sit connexionis impeditio.

146 Nec confirmationes solutionis vrgent. Non prima: nam ego non intendo, quod sit de ratione connexionis, vt semper ac detur terminus illius, detur fundamentum connexionis; sed solùm, quod semel dato connexionis fundamento nõ sit incomponibile cum existentia termini eo modo, quo illud exigit; id enim diversissimum quid est; neque ad conceptum connexionis sufficit, quod deficiente termino ipsa non existat; verùm vltra requiritur, quod per existentiam termini non deficiat, quomodo accidit in sententia adversariorum, in qua tàm impediretur Scientia media reflexa per carentiam conditionati sub existentia conditionis, quàm per existentiam conditionati sub conditionis existentia; præterquamquod imperceptibile est deficere fundamentum connexionis ex vi defectus termini, nisi probetur prius exigentia termini, quæ quomodò probabitur, si existentia termini, vt exacti sit impeditio absoluta fundamenti connexionis. Non secunda, cùm neque intendam omnem connexionem debere coexistere termino dato eo modo, quo exigitur; sed duntaxat existentiam connexionis, si seria, & vera connexio sit, non posse esse incomponibilem cum existentia termini in rebus, vt non accidit in casu obiecto: nam quamvis existentia Antichristi non sit componibilis cum meo actu fidei de eius futuritione nunc existente, suppositа illa sententia de essentiali successione actuum intentionalium; est tamen componibilis cum eo quod in me fuerit pro nunc talis actus fidei exigens essentialiter existentiam Antichristi; ast purificatio hypothesis, & existentia conditionati sub ipsa non vnice sunt incomponibiles cum existentia Scientiæ mediæ reflexæ, quæ sit tunc, sed etiam, quæ vnquam fuerit, qua ratione cõnexionis vis penitùs enervatur.

147 Verùm evolvamus adhuc connexionem istam redeuntes ad propositionem in argumento assumptam, vt aliunde implicatio ostendatur non tam sophisticè, vt aliquibus Recentioribus est visum, dum fundamenta hæc nostra expẽdunt, quibus nescio, an adeo facile sit probare fallaciam, ac illam asserere; vidi namque non multò ab hinc tempore introductum in hac Academia; ea quæ ex vrgentia molesta sunt respondenti pleno ore vocare obscura, & nonnumquam fallacia, sicut, & aliquando intolerabilia, vt sic apud vulgus sit culpa arguentis, quæ sæpè est impeditio respondentis. Ad rem ergo: hæc Scientia media reflexa incomponibilis cum purificatione hypothesis non connectitur essẽtialiter, cum eo quod si existat conditio *existente ipsa* existat conditionatum, quia existentia conditionis cum existentia Scientiæ mediæ reflexæ est chymæra: deinde non connectitur cum eo, quod si existat conditio *non existente ipsa* sit conditionatum: ergo nullo modo possibili, id est non præscindente ab aliquo ex duobus contradictorijs connectitur cum sua veritate obiectiva. Probatur secunda pars antecedentis, siquidem prima iam manet probata: si connecteretur cum eo, quod existente conditione, *ipsa nunquam existente* sit conditionatum, quidquid Deus operatur sub libertate constituta per Scientiam mediam directam operaretur necessariò; imo non solum operaretur necessariò, verùm etiam operaretur, & non operaretur. Et claritatis gratia, supponamus *Deum defacto habere libertatem constitutam per Scientiam mediam directam de efficacia libertatis A, quam defacto confert Petro.*

148 Tum sic arguo, & probo priùs quòd Deus operaturus esset necessariò; probaturus post, quòd operaretur, & non operaretur, ac proinde, quòd operaretur chymærice: tunc Deus operatur necessariò libertatis collationem, quando potestas conferendi libertatem est omnino determinata, vt sit libertas: sed potestas conferendi libertatem esset omninò determinata ad collationem li-

libertatis : ergo Deus operaretur necessariò. Probatur minor : tunc potestas est omninò determinata, vt sit libertas *A*, quando ex se est determinata, vt sit purificatio conditionis, sub qua exigitur essentialiter, vt sit libertas *A*: sed potestas conferendi libertatem *A* est omnino determinata, vt sit purificatio conditionis, sub qua exigitur essentialiter, vt sit libertas *A*: ergo potestas conferendi libertatem *A*, esset omninò determinata, vt sit talis libertas. Maior est certa: nam si potestas conferendi libertatem *A*, ex se determinata est, vt sit purificatio conditionis, sub qua exigitur libertas *A*, est omninò determinata ad coexistendum connexioni cum libertate *A*, ac per consequens incompatibilis cum carentia libertatis *A*.

149 Probatur minor: existentia divinæ libertatis ad conferendam libertatem *A* est ex se determinata, vt sit purificatio conditionis obiectivæ huius Scientiæ mediæ reflexæ possibilis : *Si existat Scientia media directa de efficacia libertatis A, existet collatio eiusdem libertatis*, tali Scientia non existente : sed purificatio conditionis, tali Scientia media reflexa nunquam existente, est purificatio conditionis, sub qua exigit Scientia media reflexa *de existentia libertatis A, sub existentia Scientiæ mediæ directæ de efficacia eiusdem libertatis*, essentialiter existere absolutè cõditionatum sub existentia conditionis: ergo potestas divina conferendi libertatem *A* est ex se determinata omninò, vt sit purificatio conditionis, sub qua exigitur essentialiter, vt sit libertas. Discursus rectus est; percurramus præmissas. Maior est certa : nam quæ est purificatio conditionis huius Scientiæ mediæ reflexæ : *Si existat Scientia media directa de efficacia libertatis A, Deus conferet eandem libertatem*: nisi *existentia Scientiæ mediæ directæ diuisa à Scientia media reflexa* : sed Scientia media directa de efficacia libertatis A est per se determinata, vt quotiescumque existat, sit diuisa ab alia Scientia media reflexa: ergo est per se determinata, vt sit purificatio conditionis illius Scientiæ mediæ reflexæ. Minor etiam est certa, constatque ex dilemmate facto initio argumenti : *Vel Scientia media reflexa exigit essentialiter, quod si existat, non existente ipsa, existat conditionatum, vel quod si existat conditio, existente ipsa, existat conditionatum*; hoc secundum est chymæra : ergo primum : ergo clarum est, quod existentia conditionis, ipsa Scientia media reflexa nunquam existente, est casus pro quo ipsi est debita essentialiter existentia conditionati sub existentia hypothesis.

150 Probo nunc alteram partem : nimirùm, quòd non tantùm esset Deus defacto operaturus necessariò; sed quod etiam esset operaturus, & non operaturus conferendo, & non conferendo libertatem *A*. Nam existentia Scientiæ mediæ directæ de efficacia talis libertatis, etiam est, dum existit, determinata essentialiter, vt sit purificatio conditionis Scientiæ mediæ reflexæ possibilis libertatis creatæ *A* exclusiuæ, seu negatiuæ tendentis sic : *Si existat Scientia media directa de efficacia libertatis A, non conferam illam* : sed si existentia Scientiæ mediæ directæ de efficacia libertatis *A*, est ex se determinata, vt sit purificatio conditionis Scientiæ mediæ reflexæ libertatis eiusdem negatiuæ, seu de non conferenda tali libertate, est ex se determinata, vt sit purificatio casus, pro quo exigitur essentialiter non existere libertatem *A*: nam idem argumentum construitur, ac in altera Scientia media reflexa libertatis eiusdem affirmatiua : ergo *Scientia media directa de efficacia libertatis A* est ex se determinata, vt sub libertate diuina per ipsam constituta Deus non conferat libertatem *A*: aliunde, vt probauimus, est determinata ad id, quod sub ipsa existat collata à Deo eadem libertas: ergo Deus defacto sub tali libertate constitutus esset determinatus, vt simul conferret, & non conferret libertatem creatam *A*.

151 Respondebis : neutrum inferri; siquidem argumentum seipsum implicat in terminis, & medio, quod continet; cùm inferat determinationem, vt sub conditione existat conditionatum in vi Scientiæ mediæ reflexæ, quæ non datur; verùm, quæ pro casu existentiæ Scientiæ mediæ directæ de efficacia libertatis manet purè possibilis; etenim connexio Scientiæ mediæ reflexæ, vt sub conditione existat conditionatum, non existit quoadvsque existat Scientia media reflexa : at manet purè possibilis, sicut ipsa Scientia, ex connexione autem purè possibili non infertur, terminum debere dari; sed solùm posse dari : male ergo deducimus in argumento existere determinationem essentialem, vt sit conditionatum sub condi-

ditione, quando assumitur pro medio ad id suadendum, Scientiam mediam directam de efficacia libertatis *A* existere divisam à Scientia media reflexa, in cuius existentia tota vis, & connexio, vt existat conditionatum, sub existentia conditionis fundatur.

152 Sed contra: quia implicatio, quæ datur, non est implicatio argumenti; verùm implicatio connexionis Scientiæ mediæ reflexæ, vt ab his Authoribus adstruitur; cùm vel debeant dicere, quod Scientia media reflexa, vt purè possibilis connectitur cum illo conditionato sub existentia hypothesis Scientiæ mediæ directæ, vel quod non connectitur cum conditionato pro casu possibili conditionis; quorum quodlibet est peius. Instauro sic vim propositæ rationis. Scientia media reflexa per se solùm exigit essentialiter, quod si existat conditio, ipsa nunquam existente, sit conditionatum: ergo exigit essentialiter quod si sit conditio, ipsa manente purè possibili, sit conditionatum: ergo si existente conditione, manente purè possibili Scientia media reflexa, non existeret conditionatum, Scientia media reflexa repugnaret: ergo *casus existentiæ Scientiæ mediæ directæ sine conditionato collationis libertatis A, est casus Scientiæ mediæ reflexæ*: sed id quod solum potest esse cum alio, interveniente repugnantia alicuius possibilis est omninò determinatum, vt sit cum defectu illius: ergo si existentia Scientiæ mediæ, quæ est hypothesis Scientiæ mediæ reflexæ de collatione libertatis *A* non potest dari, dum Scientia media reflexa est purè possibilis coniuncta cum defectu collationis libertatis *A*; quin intercedat repugnantia Scientiæ mediæ reflexæ sic tendentis: *Si existat Scientia media directa de efficacia libertatis A, existeret collatio eiusdem*, quæ secundum se possibilis est; Scientia media directa est omninò essentialiter determinata, vt sub ipsa sit collatio libertatis *A*, quod est absurdum in argumento intentum. Imputetur ergo implicatio non impugnationi; cæterùm Scientiæ mediæ reflexæ sic constitutæ, vt appareat phantastica, & talis, quæ vel nullo modo practicè connectatur cum sua veritate obiectiva, vel vt purè possibilis cum detrimento libertatis divinæ, & cum mille chymæris indè exortis debet connecti.

153 Hinc sub alia forma repugnantiam propono, & sit secunda conclusionis probatio. Scientia, qua data Deus cognoscit reflexè esse verum oppositum illius, quod affirmat, est Scientia chymærica: sed data Scientia media reflexa incomponibili cum purificatione suæ hypothesis, cognoscit Deus esse verum oppositum illius, quod affirmat: ergo est Scientia chymærica. Probo minorem. Data hac Scientia media reflexa, *si existat Scientia media directa, quam video non existere, existeret collatio libertatis A*, Deus reflexè cognoscit, quòd in vi veritatis huius Scientiæ solum potest esse conditionatè libertas *A* sub existentia Scientiæ mediæ directæ divisæ ab existentia huius Scientiæ mediæ reflexæ, seu quod casus existendi Scientiam mediam directam divisam ab existentia huius Scientiæ mediæ reflexæ est solus casus possibilis existentiæ libertatis *A* sub ipsa: sed Deus cognoscit id esse falsum: ergo cognoscit esse verum oppositum illius, quod affirmat. Probatur minor. Si semel est verum, quòd in vi veritatis huius Scientiæ mediæ reflexæ solum potest esse conditionatè libertas *A*, sub existentia Scientiæ mediæ directæ divisa ab existentia talis Scientiæ mediæ reflexæ; semel etiam debet esse verum, quod in vi veritatis eiusdem Scientiæ mediæ reflexæ omnis casus possibilis existendi Scientiam mediam directam est casus existentiæ libertatis *A*: sed hoc est falsum: ergo Deus cognoscit esse falsum, *quod solum potest esse conditionatè libertas A, sub existentia Scientiæ mediæ directæ divisæ à tali Scientia media reflexa*. Probatur antecedens: in vi veritatis huius Scientiæ mediæ reflexæ omnis casus possibilis existendi Scientiam mediam directam cum libertate est casus divisionis Scientiæ mediæ directæ ab hac Scientia media reflexa: sed in vi huius veritatis omnis casus existentiæ Scientiæ mediæ directæ divisæ ab hac Scientia media reflexa est casus existentiæ libertatis *A*: ergo si semel est verum, quòd in vi veritatis huius Scientiæ solum potest esse conditionatè libertas *A*, sub existentia Scientiæ mediæ directæ divisæ ab existentia huius Scientiæ mediæ reflexæ; semel debet esse etiam verum, quod in vi veritatis huius Scientiæ omnis casus possibilis existendi hanc Scientiam mediam directam est casus existendi libertatem *A*: sed hoc est planè falsum, aliàs Scientia media directa

def-

destrueret libertatē divinam: ergo falsū est antecedens, ex quo talis falsitas deducitur: ergo Deus cognoscit esse verū oppositum illius, quod illa Scientia reflexa affirmat.

154 Resumo breviter argumentum factum, vt clarius appareat. In vi naturæ, & conditionis huius Scientiæ mediæ reflexæ incomponibilis cum purificatione suæ hypothesis, omnis casus possibilis existentiæ Scientiæ mediæ directæ est casus divisionis ab hac Scientia media reflexa: sed in vi veritatis huius Scientiæ mediæ reflexæ omnis casus divisionis existentiæ Scientiæ mediæ directæ ab existentia huius Scientiæ mediæ reflexæ est casus existentiæ libertatis *A*: ergo absque limitatione ad eius veritatem requiritur omnem casum existendi Scientiam mediam directam esse casum existendi libertatem *A*. Probatur maior: nam si aliquis casus præcisè determinatè acceptus requireretur, maximè casus existentiæ Scientiæ mediæ directæ, aut incompositus, aut incomponibilis cum Scientia media reflexa opposita: sed omnis casus possibilis existendi Scientiam mediam directam est incompositus, & incomponibilis cum Scientia media reflexa opposita; siquidem in contraria sententia non minus opponitur cum vna; ac cum altera Scientia media reflexa, *existentiæ Scientiæ mediæ directæ*, nam Scientia media directa existens per nullam Scientiam mediam reflexam valet attingi, vt erat necessarium si casus aliquis præcisè *existentiæ Scientiæ mediæ directæ* esset casus oppositionis cum altera Scientia media reflexa opposita: ergo nullus est casus determinatus existentiæ Scientiæ mediæ directæ, qui probetur determinatè requisitus ad veritatem Scientiæ mediæ reflexæ.

155 Negabis minorem argumenti, cuius falsitatem confirmabis instantia, quæ potest fieri contra nos in Scientia media directa; propterea quod simili arguendi forma probari possit Scientiam mediam directam evertere libertatem creatam, & esse connexam cum eo, quod omnis casus possibilis existendi libertatem sit casus cōsensus, vt suaderi potest sic. In vi conditionis, & naturæ huius Scientiæ mediæ directæ, *si existat libertas A, existet consensus*, omnis casus possibilis existendi libertatem *A*, est casus, vel existendi simul cum Scientia media efficaciæ, vel cum Scientia media inefficaciæ: sed in vi veritatis huius Scientiæ omnis casus existentiæ libertatis *A* compositæ, vel cum Scientia media efficaciæ, vel cum Scientia media inefficaciæ est casus consensus: ergo in vi conditionis, naturæ, & veritatis huius Scientiæ mediæ directæ omnis casus possibilis existentiæ libertatis *A* est casus consensus: sicut enim hic falsa est minor; nam veritas Scientiæ mediæ de consensu non infert, quòd si existat libertas sub Scientia media de dissensu, in quo casu etiam existit; vel sub Scientia media de consensu, vel sub Scientia media de dissensu, sit consensus. Sic similiter Scientia media reflexa non requirit, quod si existat Scientia media directa in omni casu divisionis a Scientia media reflexa existat libertas. Vnde similiter falsa erit illa minor: quo corruit argumentum.

156 Consultò minorem improbatam reliqui, vt locum instantiæ concederem, ex cuius solutione illius veritas constabit. Concedo igitur male argui in Scientia media directa simili forma, & esse falsam minorem. Nam respectu Scientiæ mediæ directæ est modus limitandi casum, pro quo affirmat existentiam consensus sub libertate *A*. Vnde falsò asseritur ex veritate ipsius inferri, omnem casum existendi libertatem, vel sub Scientia media consensus, vel sub Scientia media dissensus, qui omnis casus possibilis est existendi libertatem, esse casum existendi consensum sub libertate. Ratio est: quia cum casus existendi consensum sub libertate sit casus componibilis cum Scientia media directa, sub quo dari nequit existentia libertatis coniuncta cum Scientia media dissensus, qui est alter casus existendi libertatem, veritas existendi consensum sub libertate restringitur ad casum componibilem cum existentia Scientiæ mediæ directæ de efficacia libertatis; quare quid mirū, si veritas Scientiæ mediæ directę de efficacia non inferat omnem casum existendi libertatem vel sub Scientia media efficacię, vel sub Scientia media inefficaciæ; sed ad solum casum existendi libertatem componibilem cum existentia Scientiæ mediæ directæ de efficacia libertatis contrahatur.

157 At in Scientia media reflexa quæramus limitativum, quod si non fuerit, vera erit illa minor, *omnis casus existendi Scientiam mediam directam divisam ab existentia Scientiæ mediæ reflexæ est casus existendi libertatem*, & efficax forma arguendi: sed nullum est limitativum: ergo solutio, & instantia nulla est. Probatur minor subsumpta. Ad veritatem Scientiæ mediæ reflexæ non requiritur præcisè, aliquem casum determinatum existentiæ Scientię mediæ

diæ directæ esse casum existentiæ absolutæ libertatis *A* conferendæ à Deo: ergo absque limitatione ad eius veritatem requiritur omnem casum existendi Scientiam mediam directam esse casum existendi libertatem *A*, vt collatam à Deo. Probatur antecedens. Nam si aliquis casus determinatus præcisè requireretur, maximè casus existētiæ Scientiæ mediæ directæ, aut incomposítus, aut incōponibilis cum Sciētia media reflexa oppositā: sed omnis casus existentiæ Scientiæ mediæ directæ est incompositus, & incomponibilis cum Scientia media reflexa opposita: propterea quod in sententia aduersariorum non minus opponatur cum vna, ac cum altera Scientia reflexa, nam Scientia media directa existens per nullam Scientiam mediam reflexam potest suspensivè, vt erat necessarium, attingi: ergo nullus est casus determinatus existentiæ Scientiæ mediæ directæ, qui probetur determinatè requisitus ad veritatem Scientiæ mediæ reflexæ.

158 Confirmatur: omnis casus possibilis existendi Scientiam mediam directam est æquè incomponibilis cum Scientia media reflexa, & aliunde æquè aptus, vt inferat nec fuisse veram, nec fuisse vnquam Scientiam mediam reflexam: ergo nullus casus, vt ab alio præcisus est magis conducens ad veritatem Scientiæ mediæ reflexæ, quàm alius: ergo neque est potius titulus, vt ad veritatem Scientiæ mediæ reflexæ, præcisè, & solitarie requiratur. Rursus confirmatur: casus requisitus ad veritatem Scientiæ mediæ reflexæ est casus existentiæ Scientiæ mediæ directæ, non existente, & possibili hac Scientia media reflexa: sed quivis casus existentiæ Scientiæ mediæ directæ est casus, in quo non existit, & est possibilis Scientia media reflexa: ergo quivis casus existentiæ Scientiæ mediæ directæ est casus, pro quo exigit Scientia media reflexa existentiam libertatis, vt conferendæ à Deo.

159 Replicabis: argumentum procedere *ab indistributo* ad *distributum*: quia in maiori ponimus casum indistributum & in consequenti per ly *quilibet* deducimus distributum. Sed contra: quia, vt probes in maiori non esse casum existentiæ Scientiæ mediæ directæ distributum, debes assignare casum *determinatè*, & *in singulari* exactum à Scientia media reflexa, quod assequi non valebis: nam quovis dato casu possibili Scientiæ mediæ directæ, te sine Scientia media reflexa, sive affirmativa, sive negativa libertatis creatæ sub hypothesi talis Scientiæ mediæ directæ, & manibus vacuis invenies. Si verò adhùc insistas, hoc potius probare nullum casum existentiæ Scientiæ mediæ directæ esse casum requisitum ad veritatem Scientiæ mediæ reflexæ; quàm quod omnis casus existentiæ Scientiæ mediæ directæ sit casus, pro quo exigit Scientia media reflexa existentiam libertatis, respondebo: vtrumque probare, quòd maximè commendat repugnantiam huius Scientiæ: probat enim nullum esse requisitum, cum omnis casus existentiæ Scientiæ mediæ directæ sit casus incomponibilis cum Scientia media reflexa. Probat deinde omnem casum esse requisitum, quia illa veritas consistere non valet sine requisitione alicuius casus, pro quo si detur, existat libertas creata determinata collata à Deo, & non est assignabilis casus, qui solus, & præcisus ab alio sit determinatè requisitus.

160 Probatur tertiò conclusio ratione desumpta ex conceptu ipso veritatis, & Scientiæ *strictè conditionalium*, de quarum essentia est in ratione talium, & provt distinguuntur ab his, quæ *latè*, & *improp iè* tantùm conditionales dicuntur præcisio vniversalitatis à sua hypothesi, quomodo cōprehendunt coniungibilitatem, tàm cum hypothesi, quàm cum carentia illius; hanc autem habere non potest Scientia media reflexa, provt à contrarijs excogitatur, cum sit incomponibilis essētialiter cum sua hypothesi purificata: ergo Scientia ista, quam vocant *formaliter*, & *strictè* mediam in ratione Scientiæ conditionalis, talem rationem participare nequit. Probatur maior: per te veritas *strictè conditionalis*, & Scientia determinata ad purificationem suæ hypothesis repugnat: sed non ob aliam rationem potest repugnare, nisi quia requirit præcisionem vniversalitatis ab hypothesi: ergo veritas *strictè conditionalis*, & Scientia ei correspondens ex conceptu suo est præcisiva præcisione vniversalitatis à sua hypothesi. Maior est certa, probatur minor: secluso illo titulo, nullum est aliud fundamentum, ex quo possit probari repugnantia conditionalis determinatæ ad purificationem suæ hypothesis, & non repugnantia conditionalis ex se determinatæ ad carentiam suæ hypothesis, cùm tam ex terminis ipsis videatur esse contra rationem, & conceptum *strictè conditionalis* esse determinatam ad suam hypothesim; quàm

ad

ad carentiam suæ hypothesis: ergo si repugnat conditionalis stricta determinata ad purificationem suæ hypothesis, nō aliunde repugnat, nisi quia de conceptu *conditionalis strictè talis* est præcisio vniversalitatis ad purificationem, & defectum suæ hypothesis.

161 Confirmatur, ex paritate iam insinuata decreti *subiectivè* absoluti, & *obiectivè* conditionati, quod non minus repugnat in ratione talis, quando sit essentialiter determinatum ad purificationem suæ hypothesis; ac quando sit essentialiter repugnans purificationi suæ hypothesis: vnde præcisio talis vniversalitatis in ipso debet reperiri, vt non modò sit coniungibile cum defectu suæ hypothesis, verùm cum existentia illius, taliter vt benè valeat à repugnantia decreti huiusmodi cōnexi cum existentia hypothesis ad repugnantiam similis decreti cōnexi cum defectu suæ hypothesis: sed vt supra ponderatum est, non est maior ratio, vt efficacia effectiva decreti *subiectivè* absoluti, & *obiectivè* cōditionati requirat hanc præcisionem vniversalitatis, quàm vt efficacia illativa connexionis *subiectivè* absolutæ, & *obiectivè* conditionatæ requirat eandē præcisionem: ergo de conceptu veritatis *strictè conditionalis*, & Scientiæ ei correspondentis est talis præcisio, vt tam cum carentia suæ hypothesis, quàm cum existentia eiusdem sit componibilis.

162 Vltimò probatur cōclusio, intendendo Scientiam mediam reflexam esse componibilem cū purificatione suæ hypothesis; ac proinde Scientiam mediam directam existentem posse attingi suspēsivè hoc modo tendendi, *si existeret, si esset*: nam veritas hæc obiectiva conditionalis, *si existat Scientia media directa de efficacia, existet libertas*, est independens ab hac veritate absoluta *existit Scientia media directa de efficacia, & existit libertas* propter independentiā illam *non mutuam* supra ponderatā *vniversalitatis, & in subsistendi consequentia*: ergo debet cognosci Scientia conditionali suo modo distincta, & modo tendendi intentionali formaliter, & non virtualiter, & implicitè duntaxat sibi correspondente. Probatur consequentia primò doctrinâ ab Aduersarijs accepta: etenim ipsi, vt sunt Recentiores, asserūt, quòd quamvis omnes veritates obiectivæ cōditionales pertinentes ad Scientiam mediam directam sint in eodem signo obiectivo; nō tamen illis correspondet vnica virtualiter Scientia media directa; in quo Pater Herrera oppositū defendenti se opponunt, & quidem non ob aliam rationē, nisi quia veritas hæc conditionalis obiectiva: *Si Petro conferatur libertas A, consentiet*, est omninò independens ab obiectiva hac veritate conditionali: *Si Paulo conferatur libertas A, consentiet*, cum vna queat dari sine alia: ergo independentia veritatum obiectivarū adhuc simul, & in eodem signo obiectivo existentium poscit, vt per diversos virtualiter actus cognoscantur; quin inde apud illos, aut inscitia aliqua divini intellectus, aut imperfectio vlla divinæ scientiæ inferatur: ergo propter independentiam, quæ datur inter hanc veritatem obiectivam: *Si existat Scientia media directa de efficacia, existet libertas*, & istam: *existit Scientia media directa de efficacia, & existit libertas*, & ob prioritatem in subsistendi consequentia, quæ in vna ad alteram intercedit, distinctā suo modo Scientiam cōditionalem exposcunt; quin prædicta absurda inscitiæ in intellectu, aut imperfectionis in Scientia contra nostram sententiam prætensa deducantur.

163 Nec est disparitas, quòd in vno casu independētia sit mutua; secus in altero. Nam semel dato, quod independētia veritatum obiectivarum arguat suo modo distinctionē, & diversam virtualitatem in scientijs; quòd independētia sit mutua præcisè addit supra independentiam *non mutuam*, quòd in casu independentiæ *mutuæ* vtraque Scientia potest esse sine alia respectivè, vt fert doctrina nostra circa actus contingentes divinos, & in hoc sensu virtualiter, virtualitate extrinseca, vt non accidit in casu independentiæ *non mutuæ*. Nam scientia veritatis absolutæ non potest esse sine scientia veritatis conditionatæ; secus veritas conditionalis sine absoluta; ast vnam nō posse esse sine alia non arguit virtualem identitatem cum alia; sed præcisè cōnexionem quādam *logicam*; præcipuè cum ex parte alterius, independentiæ causa, probetur oppositio prædicatorum; aliàs similiter responderem ego ipsis, quòd quamvis independentia *mutua* illarū veritatum obiectivarū arguat quod Scientia vnius potest esse sine scientia alterius, quando altera veritas deficit; at quando vtraque existit, vtraque indiuisibiliter per eandem indiuisibilem scientiam debet repræsentari.

164 Rursus absolutè. Nam quoties vna veritas est indepēdens ab alia, & dicit aliquam prioritatē respectu alterius etiam quando hæc datur; cognoscitur illo modo tendendi sibi proportionato, non aliter, ac quando est divisa ab illa, vt patet in Scientia media directa, quæ attingit hanc veritatem, *si existat libertas A, existet consensus*, non solùm quando hæc veritas est divisa ab hac absoluta *existit libertas A, & existit consensus*; sed etiam quando est cum illa cōpositā, vt accidit in casu existentiæ libertatis, quæ ex directione, ac per consequens ex existentia talis scientiæ confertur. Constat etiam adhùc cum maiori vi, vt supra meminimus, in Scientia *simplicis intelligentiæ*, per quam Deus cognoscit possibilia, nec solum per illam cognoscit purè possibilia; verùm etiam existētia actualiter, vt possibilia, non ob aliam rationem, nisi ob antecedentiam, & prioritatem in *subsistendi consequentia*, quam dicunt possibilia respectu existentium; nec vllus dixit, Deum cognoscere possibilitatē existentium per scientiam visionis, & quæ proponit ipsa, actualiter excludere suū contradictorium per existentiam: ergo si veritas hæc, *si existat Scientia media directa*; v. g. *de efficacia, existet libertas determinata A*, est independens ab hac, *existit Scientia media de efficacia, & existit libertas determinata A*, & ab hac, *non existit Scientia media directa de efficacia*, semper cognoscitur per Scientiā mediam, quę nō enunciet *existentiam*, aut *non existentiam* Scientiæ directæ: *existentiam*, aut *non existentiam libertatis*; sed illam attingit modo tendendi suspensivo.

165 Respondebis: esse maximam, & claram disparitatē inter vnam, & aliam Scientiam. Nam Scientia media directa existit pro priori ad purificationem cōditionis, & collationem libertatis, pro quo signo priori nōdum habet cognoscibilitatem existentia, aut non existentia libertatis, quæ sunt exercitia libera provenientia à libertate divina constituta per talem Scientiam mediam directam. Qua ratione etiā accidit in Scientia *simplicis intelligentiæ*, qua dirigitur Deus ad productionem existētium; pro signo autem, pro quo est Scientia directiva, vt est Scientia *simplicis intelligentiæ* ad decernēda, quæ existunt, nondum habent existētiam, quæ per decretū subsequens illam accipiunt; sed præcisè *fore sine implicatione*. Vnde quid mirum, si vna, & altera Scientia suspensivè, & cōditionaliter attingant, quę existunt, cum detur signum, ad quod pertineant, & in quo non habeant cognoscibilitatem resolutoriam, quoad existentiā absolutam eorum, quæ post existunt; at in Scientia media reflexa longè res se habent; propterea quod scientia hæc nullum dicat influxum, aut nullā exerceat directionem erga Scientiā mediam directam, & ideò nō sit signum, in quo collocetur, & pro quo præscindatur ab existentia, & non existentia Scientiæ mediæ directæ; quare est impotens, vt illa suspensivè attingat.

166 Cæterùm disparitas nō est adeò clara, vt asseritur; imò (nisallor) novas vires præstat nostræ rationi. Nam quid dicent Aversarij de Scientia simplicis intelligētiæ repræsentantis possibilitatem Scientiæ mediæ directæ, quæ existit; v. g. *Scientiæ efficaciæ*? Nonnè hæc Scientia attingit suspensivè existentiā talis Scientiæ mediæ directæ enunciando, aut repræsentando: *quod si existat, non implicabit*? nec vllam habet prioritatē influxus, aut directionis respectu Scientię mediæ directę; verùm precisè anterioritatem, quam habet omne necessarium respectu contingentis, & prioritatē independentiæ, & in subsistendi consequentia: ergo quamvis Scientia media reflexa non influat dirigendo divinum intellectū ad Scientiam mediam directā, nec vllum respectu illius influxum, aut quasi influxū præstet, ob solam independentiā, & prioritatem in subsistendi cōsequentia, valebit attingere suspensivè Scientiam mediam directam defacto existentem: vanam ergo reddunt disparitatem constituentes præcisionem cognoscibilitatis alicuius veritatis per solum influxū, & directionem in illam, cū restet prioritas assignata sufficiens, vt in exemplo allato, & repetito Scientiæ simplicis intelligentiæ non incongruè manet ostensum. Præterquam quod, vt probent Scientiam mediam directam esse in signo apto ad præstādum influxum directivum in statum absolutum, opus habent ostendere obiectum Scientiæ mediæ directæ habere anterioritatem aliquam ad suum statum absolutum sub hypothesi; aliàs supponitur probandum quoad influxum directivum Scientiæ. Iam verò hæc anterioritas status conditionati ad absolutum, quenam alia est nisi *vniversalitatis, independentiæ non mutuæ*, & in *subsistendi consequentia*.

CA-

CAPVT IV.

Solvuntur obiectiones.

167 OMNES eo tendunt, vt suadeant non esse implicatoriam veritatem, aut connexionem conditionatam incomponibilem cum purificatione conditionis taliter, vt purificata hypothesi, verificetur nunquàm extitisse, aut veritatem, aut connexionem conditionatam *strictè talem*; ac proinde, vt enerventur omnia nostra fundamenta, quibus studuimus ostendere prædictam veritatem, & connexionem conditionatam, taliter impedibilem per purificationem suæ hypothesis esse chymæricam. Dixi *omnes in id tendere*: quia alia, quæ possunt obijci contra signum, ad quod diximus spectare Scientiam mediam reflexam, iam supra cap. 2. sunt soluta.

168 Obijcies primò: non repugnat revelatio, qua Deus manifestet creaturis, quod *si existat libertas A in Petro, consentiret, & perseveraret finaliter; attamen, quod talis libertas non existet in Petro; vnde damnabitur*: ergo non est implicatoria connexio conditionata ita determinata ad nō purificationem conditionis, vt si hæc existeret, nunquam fuisset. Consequentia est legitima: propterea quòd illa revelatio, vtpotè essentialiter vera, haberet connexionem metaphysicam, sicut & decretum illius cum illa veritate conditionali, *si existat libertas A in Petro, consentiet, & finaliter perseverabit*, quam enunciat: deinde propter eandem rationem connectitur taliter cum non existentia conditionis ob illud: *attamen ea libertas A non existet*, vt si hæc existeret, nunquam extitisset prædicta revelatio, aliàs ex coniunctione cum hypothesi falsificaretur: ergo non repugnat connexio conditionata incōponibilis cum purificatione conditionis, itavt si hæc purificaretur, nunquam fuisset, si semel non repugnet illa revelatio. Iam antecedens probatur: etenim non repugnat, quòd Deus revelet id, quod in re potest contingere, & esse verum; imo quod defacto tale est in omnibus illis libertatibus, quas Deus videt conditionatè efficaces, & quæ si conferrentur, multi ex his, qui impœnitentes vitam agunt, finaliter perseverarent, & salvi fierent, quin illas defacto conferat. Igitur non repugnat revelatio, qua Deus revelet creaturis, quod *si existat libertas A in Petro, consentiret, & perseveraret finaliter; attamen quod talis libertas non existet in Petro, vnde damnabitur.* Ad instar huius argumēti meditari possunt aliæ connexiones conditionatæ, in quibus sit eadem difficultas, & quibus omnibus eadem solutio, quam dabimus sit aptanda.

169 Ante solutionem dicat nobis obijciens, si tam obvia ipsi est stricta veritas conditionalis; necnon connexio conditionata incomponibilis cum purificatione conditionis, cur similiter non admittit seriam promissionem conditionatam? insuperque seriam efficaciam conditionatam decreti *subiectivè* absoluti, & *obiectivè* conditionati incomponibiles cum purificatione hypothesis; ita vt stet non esse contra serietatem promissionis conditionatæ esse talem, de qua verificetur, quod si sit conditio, sub qua promittit, nunquam fuisset prædicta promissio; nec contra seriam efficaciam decreti *subiectivè* absoluti, & *obiectivè* coditionati, si pariter verificetur taliter decernere conditionatum sub existentia hypothesis, vt si hæc existeret, nunquam fuisset illud decretum? Quod si in his repugnantiam invenit, vrgeat contra se argumentum propositum à paritate, vt inde probetur, quod si non repugnet seria connexio conditionata incomponibilis cum purificatione conditionis, nec repugnabit seria promissio conditionata, aut serium decretum conditionatum incomponibilia cum purificatione suæ hypothesis, vbi disparitatem maximè desidero, ex qua nobis constet aliquid speciale adesse veritati, & connexioni conditionatis incomponibilibus cum purificatione conditionis, vt hæc facili negotio admittantur possibiles; secus promissio, & efficacia conditionata, si per purificationem suæ hypothesis impediantur ab existendo.

170 Ad argumentum. Distinguo antecedens: non repugnat revelatio, *divisa realiter, aut virtualiter*, qua Deus manifestet creaturis, quod *si existat libertas A in Petro, consentiet, & perseverabit finaliter; attamen, quod talis libertas A non existet in Petro*; concedo antecedens: *Indivisa realiter, & virtualiter*: nego ante-

cedens, & conſequentiam. Eſt dicere: illud, quod in argumento proponitur ſub ſpecie vnius revelationis, non eſſe vnicam revelationem, tàm *realiter*, quàm *virtualiter*; ſed duplicem, quarum vna præcisè manifeſtat veritatem illam conditionalem: *Si exiſtat libertas A in Petro, conſentiet, & perſeverabit finaliter*, quæ quidem cōponibilis eſt cum purificatione hypotheſis per collationem libertatis *A*; altera verò præcisè oſtendit non purificationem abſolutam conditionis, & libertatis *A*; quare cum defectu illius abſolutè connectitur; quin inde inferatur aliqua connexio conditionata incomponibilis cum purificatione ſuæ hypotheſis, vt erat neceſſarium ad intentum arguentis. Iam ſi propterea in antecedenti ſermo ſit de revelatione indiviſibili totum illud proponens negamus talem revelationem non eſſe chymæricam, ac proinde Deum poſſe illa ratione illud, quod poteſt contingere, & quod defacto contingit, revelare. Ex quo conſtat ad probationem antecedentis quid dicendum: nam &ſi verum ſit Deum poſſe revelare id, quod poteſt contingere, & defacto contingit (quod vniverſaliter falſum eſt: ſiquidem defectus omnis creaturæ poteſt contingere; quin illum poſsit Deus revelare) intelligendum eſt non de quacumque manifeſtatione, & revelatione; verùm de illa ſola, quæ ſit proportionata, tum conditioni veritatis revelatæ, tum perfectioni revelantis.

171 Id quod diximus de revelatione intelligendum pariter venit de decreto revelationis, quod non valet eſſe indiviſibile realiter, & virtualiter provt ſe extendit ad manifeſtationem illius veritatis conditionalis: *Si exiſtat in Petro libertas A, conſentiet, & perſeverabit finaliter*, & provt reſpicit manifeſtationem defectus hypotheſis, *non exiſtet in Petro libertas A*; ſed diviſibile tantum virtualiter, vt propterea tendentia, quæ correſpondet manifeſtationi, & revelationi *conditionalis* ſit componibilis cum purificatione conditionis, & tendentia, quæ correſpondet revelationi proponenti defectum conditionis, ſit incomponibilis cum ipſa, & abſolutè connexa cum defectu eiuſdem. Solutionem datam explico exēplo. Nam ſicut licet verum ſit Deum poſſe cognoſcere, & defacto cognoſcere quidquid defacto habet veritatem obiectivam; non eſt tamen verum, quod licet in Petro concurrat veritas obiectiva, *poſsibilitatis, exiſtentiæ, & conditionalis perſeverantiæ finalis ſub libertate determinata*, Deus omnia illa cognoſcat per vnam indiviſibilem virtualiter Scientiam, in qua cōfundantur *Scientia ſimplicis intelligentiæ, viſionis, & futurorum conditionatorum contingentium*; ſed per tendentias virtualiter diviſibiles, & accommodatas veritati obiectivæ ſibi congruenti. Sic ſimiliter; quamvis verum ſit: Deum poſſe manifeſtare creaturis, quod poteſt contingere, & defacto contingit; non ideo verum eſt manifeſtationem illam debere eſſe talem, in qua cōfundatur expreſsio veritatis conditionalis, & expreſsio defectus conditionis; imò potius in qua diſcernatur vna ab altera tendentia, & pari diſtributione accommoda decretum correſpondens revelationi vnius, & alterius veritatis.

172 Replicabis: ſaltem complexum ex veritate conditionali; v. g. *Si exiſtat libertas A exiſtet conſenſus*, & defectu purificationis cōditionis, quia nō cōferatur a Deo talis libertas, eſt quid connexum metaphyſicè cum exiſtentia abſoluta conſenſus ſub exiſtentia auxilij, & libertatis *A*, & tamen ita incomponibile cum purificatione conditionis, vt ſi hæc exiſteret, nunquam fuiſſet tale coniunctum, vtpotè quod in ſuo eſſe conſtituitur per defectum conditionis: non ergo repugnat aliquid metaphyſicè conditionatè connexum cum aliquo extremo, ita incomponibile cum purificatione hypotheſis, vt ſi hęc exiſteret, nunquam fuiſſet tale connexum.

173 Eadem forma poſſet probari contra intentum replicantis non repugnare ſeriam promiſsionem conditionatam, ita incomponibilem cum purificatione conditionis, vt ſi hæc exiſteret, nunquam fuiſſet talis promiſsio; necnon decretum conditionatè efficax erga aliquod obiectum ſic incomponibile cum exiſtentia hypotheſis, vt ſi hæc exiſteret, nūquam fuiſſet prædictum decretum. Ratio eſt: quia coniunctum ex promiſsione conditionata, & carentia conditionis, ſicut coniunctum ex decreto conditionato, & carentia conditionis includunt in ſe promiſsionem ſeriam conditionatam, & efficaciam ſeriam conditionatam ex vna parte, & ex alia defectum conditionis: vnde ſunt quid conditionatè promittens, & con-

di-

ditionatè efficaciter decernens simul coniungens incomponibilitatem cum *conditione* promissionis, & decreti ea ratione, vt si conditio purificaretur, nunquam fuisset prædictum coniunctum ob defectum conditionis, quem vt constitutivum *sui esse* involvit. Quod si respondeas in his male argui: quia proceditur à coniuncto divisibili ad indivisibile, & à coniunctione accidentali decreto, & promissioni ad essentialia, & intrinseca eorundem, quid roboris remanebit in replica, quod per similes terminos non eludatur?

174 Respondetur: coniunctum illud denominativè ab vna parte habere connexionem conditionatam cum consensu sub existentia libertatis, & denominativè ab alia habere connexionem absolutam cum defectu libertatis, & conditionis: inde casu, quo existeret libertas, & conditio, nunquam fuisset tale coniunctum, non quidem ex defectu connexionis conditionatæ, quæ non deficeret; imò potius perseveraret sub existentia conditionis; sed ex defectu connexionis absolutæ cum defectu libertatis propter carentiam illius, quam includit, vt constitutivum: ex quo nihil probari potest contra repugnantiam veritatis conditionalis incomponibilis cum purificatione suæ hypothesis, vt clarum facit exemplum innegabile apud omnes, in quo detegitur fallacia arguendi à divisibili ad indivisibile. Etenim de ratione possibilis cuiusque est non esse incomponibile cum sua existentia; alias non possibile, verum impossibile foret: verum si possibili cuicumque adiungatur carentia absoluta existentiæ, per quam constituitur in ratione *purè possibilis*, quodque coniunctum etiam possibile est, iam invenies incomponibilitatem cum existentia possibilis; quin inde liceat inferre eversionem conceptus cuiuscumque possibilis, de cuius ratione est componibilitas cum sua existentia: ergo pariter, quamvis de ratione cuiuscumque veritatis conditionalis *strictæ*, & connexionis conditionatæ cuiusvis sit componibilitas cum purificatione conditionis; si tamen ex connexione conditionata, & carentia conditionis fiat complexum ex vna parte componibile cum existentia conditionis, & ex altera ei repugnans taliter, vt si existeret conditio, nunquam fuisset tale coniunctum, nihil potest convinci contra conceptum à nobis destinatum cuicumque conditionali *strictæ*, & connexioni veræ conditionatæ, scilicèt debere esse componibilem cum existentia suæ hypothesis.

175 Occasione huius explicationis desiderabis scire, quomodo evitetur fallacia, quæ contra conceptum possibilis formari potest, cuius solutio hic non incongruè adiungitur. Argumentum sic constitui valet. Purè possibile, est vnum ex possibilibus: purè possibile est tale, quod *si existat implicabit*: ergo de conceptu *possibilis* non est, quod *si existat, non implicet*, aut *excludat suum contradictorium*. Consequentia est legitima, & maior certa; nam si id quod in suo conceptu involvit *esse possibile* non est vnum ex possibilibus, quid inter possibilia possibile erit? Præterea purè possibile, vt tale ex suo conceptu est potius purè possibile; quàm non purè possibile. ergo est id, quod in suo conceptu excludit duo contradictoria, ac proinde purè possibile, vt tale, est vnum ex non repugnantibus, quod esse vnum ex possibilibus formaliter est. Iam minor probatur. Purè possibile, vt tale includit in suo conceptu nunquam esse extiturum: sed id quod in suo conceptu essentiali includit nunquam existere, est tale, quod si existat implicabit, cum necessariò in casu existentiæ debeat componere nunquam existere, & aliquando existere: ergo purè possibile est tale, quod si existat, implicabit; & ideo videtur convinci non esse de ratione possibilis, *quod si existat, non implicet*, aut *excludat suum contradictorium*.

176 Detegitur hæc fallacia, si observetur quænam sit existentia absoluta, & propria *purè possibilis* reduplicativè, vt talis, ex qua pensanda sit eius possibilitas? Itaque purè possibile, vt tale, non aliam habet existentiam sibi proportionatam, ex qua colligi possit, an sit non repugnans, seu vnum ex possibilibus, quàm dari suo modo possibilitatem illius, quod dicitur *purè possibile*, & insuper carentiam eiusdem in ratione existentis, vi cuius excludatur absolutè ab omni duratione, & verum fiat *nec extitisse, nec existere, nec extiturum esse*, ex his duobus conflatur existentia proportionata *purè possibili*, vt tali sicut existentia absoluta *futuri, vt talis* consistit in carentia rei de præsenti, & in existentia eiusdem pro posteriori, & existentia abso-

ſoluta *præteriti*, vt talis in carentia rei de præſenti, & in exiſtentia eiuſdem correſpondente anteriori durationi. Inde liquet tantùm diſtare *purè poſsibile*, vt tale ab eo, vt exiſtentia abſoluta illius, quod ſpecificativè dicitur *purè poſsibile* cenſenda ſit exiſtentia propria *purè poſsibilis* reduplicative, vt talis, ex qua dignoſci valeat, an ſit poſsibile, vt potius omninò releganda ſit prò tali conſideratione, tanquam quid invertens conceptum *purè poſsibilis* reduplicativè, vt talis.

177 Huic exiſtentiæ abſolutæ *purè poſsibilis* reduplicativè, vt talis correſpondet ſua poſsibilitas præciſiva, quæ conſiſtit in poſsibilitate rei; v. g. Petri indifferentis ex ſe, vt ſit purè poſsibilis, vel non, & in poſsibilitate carentiæ eiuſdem rei, per quam excludatur vniverſaliter, & abſolutè ab exiſtendo in quacumque duratione hac, vel illa. Ideo quando res poſsibilis habet exiſtentiam in aliqua duratione, tunc *pura eiuſdem poſsibilitas* manet tantùm *poſsibilis*; ſed non ſuo modo *exiſtens*, vt planum facit id, quod de ipſa tunc verificatur, videlicet *hæc res poteſt eſſe abſque implicatione pure poſsibilis; tamen non eſt in re purè poſsibilis, propterea quòd aliquando in rebus propriè exiſtat.*

178 Quibus diſtinctis, ſophiſticus ille ſyllogiſmus facile eludetur; in quo conceſſa maiori, diſtinguenda eſt minor: *purè poſsibile* eſt tale quod ſi exiſtat, *exiſtentia propria rei ſpecificativè poſsibilis* implicabit, concedo minorem: tale quod ſi exiſtat, *exiſtentia proportionata purè poſsibili reduplicativè, vt tali* implicabit, nego minorem, & conſequentiam; nam cùm, vt dictum manet exiſtentia abſoluta, & propriè *purè poſsibilis* reduplicative, vt talis ſit poſsibilitas rei pure poſſibilis *ſpecificativè* acceptæ, & carentia exiſtentiæ eiuſdem in omni durationè, & hæc ita ſe habeat, vt quando complexivè datur, potius ſit quàm non ſit, & ſuum contradictorium excludat; per conſequens purè *poſsibile vt tale*, eſt id de quo verificatur, quod *ſi exiſtat non implicabit*; quin liceat inferre, aut non eſſe vnum ex poſsibilibus, aut excipiendum eſſe à communi, & vero conceptu poſsibilium.

179 Obijcies ſecundo. Poſsibile eſt in communi noſtrorum ſententia decretum collativum libertatis connexum cum vno libertatis extremo, vel quod vnicè, & ſolitariè exiſtat, vel quod aſſociatum ſit cum alio decreto collativo indifferenti: ſed hoc decretum continet in ſe connexionem conditionatam ita incomponibilem cum purificatione conditionis, vt ſi hæc exiſtat, nunquam fuerit talis conditionata connexio, & decretum: ergo non eſt repugnans connexio conditionata, ſic ſe habens erga ſuam hypotheſim. Probatur minor: decretum divinum collativum determinatæ libertatis connexum cum conſenſu ſalutari; v. g. habet connexionem metaphyſicam conditionatam cum eò; quòd *ſi exiſtat diſſenſus loco conſenſus, perſeveret libertas collata in vi talis decreti*: ſed hæc connexio conditionata talis eſt, vt ſi purificetur conditio, quam reſpicit nunquam fuerit, ſicut & ipſum decretum, in quo fundatur: ergo illud decretum continet in ſe connexionem conditionatam ita incomponibilem cùm purificatione conditionis, vt ſi hæc exiſtat, nunquam fuerit talis conditionata connexio, & decretum. Minor eſt certa: nam purificatio conditionis eſt exiſtētia diſſenſus loco conſenſus, qua data nunquam fuiſſet decretum collativum libertatis, nec connexio cum illo identificata. Maior ad quam poteſt reduci difficultas, facile probatur. Etenim decretum illud eſt connexum metaphyſicè cùm exiſtentia libertatis, de cuius conceptu eſt, vt per impeditionem vnius exercitij non impediatur; aliàs non libertas, ſed determinatio ad vnum foret: aſt libertatem non eſſe ita impedibilem per impeditionem vnius exercitij formaliſsimè eſt, quod *ſi deficiat conſenſus; v. g. & loco ipſius exiſtat diſſenſus, perſeveret libertas collata in vi talis decreti*: ergo decretum illud habet connexionem metaphyſicam conditionatam cum eo, *quod ſi exiſtat diſſenſus loco conſenſus, perſeveret libertas collata in vi eiuſdem decreti.*

180 Reſpondetur: decretum illud tantùm habere connexionem illam conditionatam, *vt poſsibile*; ſecus, vt *exiſtens abſolutè*. Ratio primi eſt: quia illud decretum cùm ſit collativum libertatis, vt ſit poſsibile, exigit eſſe poſſibilem libertatem conferendam, & quidquid ad poſsibilitatem prædictæ libertatis, qualiter eſt illud, nempè eſſe componibilem cùm quovis exercitio libero ad eam pertinens. Ratio ſecundi eſt: quòd tale decretum abſolutè exiſtens

ſtens non exigit conditionatum illud *perſeverantiæ libertatis* ſub exiſtentia diſſenſus in caſu non præſcindente ab vno ex duobus contradictorijs, ac proinde in caſu poſsibili; ſiquidem non connectitur cum dicto conditionato *perſeverantiæ libertatis* ſub exiſtentia diſſenſus ante purificationem conditionis *defectus, ſeu carentiæ conſenſus*, neque in caſu purificationis conditionis *talis defectus*: quia in tali caſu, vt benè ſupponitur in argumento, nunquam fuiſſet exiſtens abſolutè decretum: ergo decretum abſolutè exiſtens non habet, vt tale, illam conditionatam connexionem intentam, & incomponibilem cum purificatione hypotheſis; eo autem modo, quo connexio conditionata probari poteſt in decreto, videlicèt, vt *poſsibili*, componibilis eſt cum purificatione hypotheſis, ex eo quod in caſu, quo deficeret conſenſus ſub libertate dicta determinata, & loco conſenſus exiſteret diſſenſus, perſeveraret decretum, vt poſsibile, tametſi nunquam fuiſſet abſolutè exiſtens; ac proinde, provt exigens perſeverantiam libertatis, benè componeretur cum purificatione hypotheſis, & cum exiſtentia abſoluta conditionati ſub ipſa; qua ratione potius confirmat, quàm impugnat noſtram ſententiam.

181 Nec ſolutionem difficilem reddat communis illa replica orta ex identitate poſsibilitatis, & exiſtentiæ, ex qua alicui appareat repugnans decretum habere connexionem illam conditionatam, *vt poſsibile*, non ſic *provt exiſtens abſolutè*, cùm ſimile quid ſit ab omnibus concedendum. Conſtat enim apud omnes non repugnantiam, ſeu poſsibilitatem exiſtentiæ contingentis præſcindere ab hac veritate *exiſtentia datur exercitè*, à qua non præſcindit; imò eſſentialiter exigit exiſtentia *dum actu exercetur*: ſi ergo non obſtante identitate poſsibilitatis, & exiſtentiæ benè componitur, exiſtentiam non præſcindere ab eo, à quo præſcindit ſua poſsibilitas, cur inverſo modo non erit poſsibile, exiſtentiam abſolutam præſcindere ab aliquo, à quo non præſcindit ſua poſsibilitas? Conſtat inſuper apud omnes admittentes connexionem Dei cum poſsibilibus, poſsibilitatem cuiuſque poſsibilis eſſe terminum connexionis divinæ, quin ſit terminus ſimilis connexionis exiſtentia cuiuſque exiſtentis, & hoc quamvis poſsibilitas non diſtinguatur ab exiſtentia, vt ſaltem in ipſa exiſtentia, ſi ab eſſentia diſtinguatur, videtur concedendum. Iam ſic: quid plus difficultatis rogo continet inter poſsibilitatem, & exiſtentiam identificatas, vnam eſſe fundamentum connexionis, ſecus alteram, vel vt melius loquar totum, quod eſt poſsibile, & exiſtens eſſe fundamentum connexionis, *vt poſsibile*; non verò, vt *exiſtens abſolutè*, quàm totum, quod eſt poſsibile & exiſtens eſſe terminum connexionis, *vt poſsibile*; non ſic, *vt exiſtens*? Igitur nullam poteſt ſpecialem difficultatem ingerere, quod à nobis aſſeratur, decretum illud, *vt poſsibile* habere connexionem dictam conditionatam, qua, *vt exiſtens abſolutè* caret.

182 Obijcies tertiò: in contingentibus quodvis ex contradictorijs; v. g. Petrus, & defectus ipſius habet determinationem eſſentialem conditionatam, vt ſi deficiat, exiſtat aliud, vel abſolutè, vel reſpectivè pro modo, quo ſit defectus, vel abſolutus, vel reſpectivus: ſed hæc determinatio eſt connexio conditionata ita incomponibilis cum purificatione hypotheſis, vt ſi hæc exiſtat, nunquam fuerit: ergo poſsibilis eſt, imò frequentiſsima connexio conditionata incomponibilis cum purificatione conditionis. Maior conſtat, cùm clarum ſit quodcumque ex contradictorijs contingentibus repugnare ſimultaneo defectui vtriuſque, pro quo vitando neceſſarium eſt eſſe determinatum ad exiſtentiam alterius ſub proprio defectu. Minor probatur: determinatio hæc reſidens in Petro; v. g. vt ſi deficiat abſolutè à rebus, abſolutè exiſtat in rebus ſuum contradictorium, eſt connexio conditionata cum exiſtentia abſoluta defectus pro caſu non exiſtentiæ propriæ abſolutè, qui caſus, ſi exiſtat, nunquam Petrus fuiſſet in rebus: ergo illa determinatio eſt connexio condi-

ditionata, ita incomponibilis cum purificatione hypotheſis, vt ſi hæc exiſtat, nunquam fuerit in rebus ipſa determinatio.

183 Huic obiectioni eadem eſt aptanda ſolutio, ac præcedenti; ideò diſtinguenda eſt maior: in contingentibus quodvis ex contradictorijs; v.g. Petrus, & defectus ipſius, *vt poſsibile* habet determinationem eſſentialem conditionatam, vt ſi deficiat, exiſtat aliud, vel *abſolutè*, vel *reſpectivè* pro modo, quo ſit defectus, vel *abſolutus*, vel *reſpectivus*, concedo maiorem: *vt exiſtens*, nego maiorem, & diſtinguo minorem: hæc determinatio *in ratione poſsibilis* eſt connexio conditionata, ita incomponibilis cum purificatione hypotheſis, vt ſi hæc exiſtat, nunquam fuerit, nego minorem: hæc determinatio *in ratione exiſtentis*, nego ſuppoſitum minoris, cùm non detur talis determinatio in quovis contradictorio, vt exiſtenti, & deinde nego conſequentiam. Terminorum explicatio etiam conſtat ex dictis: quarè in quocumque contradictorio ex contingentibus eſt illa determinatio ſecundum poſsibilitatem ipſius, vt illo non exiſtenti, vel *abſolutè*, vel *reſpectivè*, exiſtat aliud ſuo modo, vel abſolutè, vel reſpective: quia aliter excluſa dicta determinatione, non eſſet capax exiſtendi abſque repugnantia, propterea quòd, ſi ſimul deficeret vtrumque contradictorium, ſimul exiſteret: hæc autem determinatio non eſt incomponibilis cum purificatione hypotheſis, videlicèt cum defectu abſoluto Petri, quo dato in rebus adhùc permaneret Petrus poſsibilis, ſicut permanent poſsibilia omnia illa, quæ ſemper remanebunt intra ſtatum puræ poſsibilitatis: cæterùm *quoad exiſtentiam* non eſt ea determinatio in contradictorijs contingentibus propter inculcatam rationem de non exigentia conditionati, neque ante purificationem hypotheſis, neque poſt purificationem illius; vnde redderetur connexio illa conditionata planè irriſoria, & tantùm in vocibus poſsibilis.

184 Obijcies quartò, confugiens ad regionem impoſsibilium, ex quorum ſuppoſitione non parum ſolent obſcurari quæſtiones ſolidæ, & reales. Argumentum ſic procedit. Dantur plures actus conditionales incomponibiles cum purificatione conditionis, qui tamen eſſentialiter ſunt connexi cum veritate conditionali: ergo ſimiliter Scientia media reflexa poterit eſſe connexa cum veritate conditionali, & tamen incomponibilis cum purificatione conditionis, & conſequenter, neque repugnabit connexio conditionata incomponibilis cum purificatione conditionis. Antecedens probatur: actus, quo Deus affirmat, & cognoſcit, quod *ſi exiſteret alter Deus, repugnaret*, eſt actus eſſentialiter verus; ac proinde connexus cum eo, quod *ſi exiſteret alter Deus, repugnaret*: ſed hic actus eſt eſſentialiter incomponibilis cum purificatione conditionis: nam ſi exiſteret alter Deus, ipſe deficeret, & non modo ipſe deficeret ab exiſtendo tunc; verùm etiam ab exiſtendo nunc; quia ſi alter Deus exiſteret, nec fuiſſet tunc iſte Deus verus, nec vnquam fuiſſet, quod ſimiliter venit intelligendum de intellectu, & de actibus veri Dei, qui nec fuiſſent tunc, nec vnquam fuiſſent: ergo dantur plures actus conditionales incomponibiles cum purificatione conditionis, qui tamen eſſentialiter ſunt connexi cum veritate conditionali.

185 Similiter: actus hic creatus, *ſi exiſtat chymæra, cum contradictione exiſtet*, eſt eſſentialiter verus, & connexus cum eo quod *ſi exiſtat chymæra, cum contradictione exiſtat*, & tamen repugnat purificationi conditionis præcipuè in communi ſententia admittente connexionem Dei cum poſsibilibus, & impoſsibilibus; nam exiſtente chymæra, repugnat Deus, & repugnante Deo, nunquam fuiſſet hic actus: inſuper admiſſa eadem ſententia connexionis Dei cum poſsibilibus, & impoſsibilibus, quodvis poſsibile connectitur metaphyſicè cum hac veritate neceſſaria, *ſi exiſterem cum contradictione, cum contradictione exiſterem*: nam cùm vnum ex impoſsibilibus ſit, quod *ipſum poſsibile cum contradictione exiſtat*, & in prædicta ſententia quodcumque poſſi-

bi-

bile cum omni impossibili connectatur, necessarium est quod inferat metaphysicè, quod *si existat tale impossibile, sit impossibile, & repugnans*, & tamen est incomponibile cum purificatione conditionis: nam si possibile semel implicaret, nunquam fuisset possibile: ergo non est contra rationem connexionis conditionatæ esse incomponibilem cum purificatione suæ hypothesis; imò multis de causis oppositum convincitur.

186 Cohibenda est ista aviditas protegendi connexionem conditionatam incomponibilem cum purificatione conditionis, sic vt per huius positionem impediatur absolutè ab existendo in rebus, etiam advocatis in auxilium impossibilibus, & chymæricis suppositionibus, à quibus ad possibilia debilis, aut nulla est vrgentia; non secus ac si contra inconcussam assertionem non simultaneæ veritatis, aut simultaneæ falsitatis duarum propositionum, quæ respiciant obiecta formaliter contradictoriè oppositæ adducatur exemplum *impossibilis*, de quo necessarium est verificari, quod *si existat, erit existentia excludens defectum, & defectus excludens existentiam*; aut *quod si existat, erit impossibile, & simul non erit impossibile, cum nunquam magis sit impossibile, ac quando sit, & non sit tale*: aut exemplum propositionis falsificantis se ipsam *ego semper mentior*. Reprimenda inquam est renovata paritate promissionis conditionatæ incomponibilis cum purificatione suæ conditionis, & decreti efficacis *subiectivè* absoluti, & *obiectivè* conditionati etiam incomponibilis cum purificatione hypothesis, pro quibus statuendis adhiberi valet paritas satis vrgens connexionis conditionatę, quam totis nixibus firmari intenditur; neque enim, vt iam monuimus inter vnum, & aliud potest esse congrua disparitas. Advertendum etiam est omnia ista argumenta procedere ex sententia connexionis Dei cum possibilitate possibilium, & impossibilitate impossibilium, quæ nostra non est; imò oppositam semper constanter tenuimus: vnde per ablationem suppositionis omnia ista obiecta nullius roboris ostenduntur; verùm admissa contraria sententia, quia nihil nos ad propriam coarctat.

187 Dicendum ad primum: actum illum, quo Deus cognoscit *si existeret alter Deus, repugnaret*, perseveraturum in casu purificationis pro modo termini exacti sub tali hypothesi chymærica, nimirum factus repugnans in suo *esse* cùm aliunde in suo *esse* esset possibilis: vnde illud ipsum, quod modò habet connexionem conditionatam cum repugnantia illius termini coexisteret hypothesi, & termino sub ipsa induens repugnantiam, quam non habebat, & simul induens possibilitatem, quam nunc habet, quomodo esset impossibile strictissimè, cum nil implicantius in *esse*, quàm coniungere possibilitatem in prædicatis cum repugnantia; imò id fert connexio possibilium cum impossibilibus: nam si existente impossibili, id ipsum, quod modò est possibile, non coniungeret simul cum possibilitate repugnantiam, abs iure diceretur existentiam impossibilium immutaturam essentiam possibilium; nec rectè concluderetur connexio possibilium cum impossibilibus, si dato impossibili in rebus ita aboleretur suppositio possibilium, vt non verificaretur, ea quę modò sunt possibilia pro sensu composito, quod modò sint possibilia futura esse tunc impossibilia: opus igitur est, vt illud idem *esse possibilis*, quod nunc est, perseveraret tunc cum hypothesi, & termino illius coniungens in proprijs prædicatis possibilitatem, & repugnantiam; aliter enim apud ipsos adversarios inexplicabilis foret connexio possibilium cum impossibilibus, & è contra: quare videant quomodo etiam, quando connexio cōditionata est de hypothesi chymærica, & ad terminum repugnantem, adhùc debeat esse coniungibilis cum hypothesi, & termino existente sub ipsa; quin aliter sit conceptibilis, aut explicabilis.

188 Eadem solutio applicāda est ad secundum de Deo, & intellectu divino connexis cum impossibilitate impossibilium, & cum veritate illius actus, *si existeret alter Deus, repugnaret*: necnon ad tertium de actu creato sic tendēte, *si existat chymæra, cum contradictione existeret*. Et demùm ad quartum de possibilibus, & impossibilibus mutuò inter se-

se connexis; quæ omnia eo modo, quo habent connexionem conditionatam licèt sub hypothesi repugnante ad terminum chymæricum sunt ex se coniungibilia cum hypothesi, & termino, data repugnantia purificationis hypothesis propter rationem insinuatam de perseverantia proprij esse posibilis, quod nunc est mixtum cum repugnantia, quæ tunc foret: nec amplius desiderari valet pro firmitate nostræ sententiæ erga connexionem conditionatam, de cuius conceptu diximus esse coniungibilitatem cum hypothesi, quàm istam debere dari pro modo termini conditionate exacti; ita taliter, vt si terminus sit de hypothesi impossibili, & repugnanti, coniungibilitas cum hypothesi, & termino sit per ordinem ad coniunctionem repugnantem; si verò sit ad terminum posibilem sub hypothesi possibili, coniungibilitas connexionis sit per ordinem ad coniunctionem possibilem, & non repugnantem; quomodo liquidum manet esse de conceptu connexionis conditionatæ vniversaliter acceptæ coniungibilitatem cum hypothesi, & termino conditionatè respecto pro casu, & suppositione purificationis hypothesis.



DISPV-

JHS.

DISPUTATIO XXIV.

DE SCIENTIA, QVA DEVS cognoscit futura conditionata sibi libera.

CAPVT I.

Qualis sit hæc Scientia, per quam Deus prædicta futura cognoscit.

1 IN hac controversia omnes illi Authores, qui tenent nullum omninò futurum conditionatum, sivè liberum voluntati creatæ, sivè liberum voluntati divinæ cognosci à Deo aliter, quàm dependenter ab aliquo de præsenti connexo, videlicèt decreto subiectivè absoluto, & obiectivè conditionato, tenent per consequens cognosci à Deo prædicta futura per Scientiam simpliciter liberam. Ratio est clara: quia Scientia illa, quæ vnicè impedibilis, & determinabilis est per exercitium liberum libertati Dei, & aliunde innititur dècreto pariter ipsi libero, & de præsenti connexo cum eventu futuro, est Scientia simpliciter, & absolutè libera: sed ex tali suppositione Scientia, qua Deus futura conditionata sibi libera cognoscit, taliter se habet: ergo est Scientia simpliciter, & absolutè libera. Eidem sententiæ adscribendi sunt ex nostris doctissimus Pater Molina, & Pater Quirós, nec non Cardinalis Sforcia, Esparza, Haunoldus, & Aranda relati supra disp. 17. cap. 4. qui licèt generaliter pro omnibus futuris conditionatis non requirant decretum subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum facta exceptione in futuris conditionatis nobis liberis, tamen pro futuris conditionatis Deo liberis ipsum exposcunt: ac proinde Deum ea cognoscere per Scientiam, sibi simpliciter liberam fatentur, vtpotè innitentem prædicto decreto subiectivè absoluto, & obiectivè conditionato.

2 His duntaxat exceptis reliqui nostri Authores tenent Deum cognoscere prædicta futura conditionata sibi libera, per Scientiam conditionatam non innixam decreto, quod de præsenti, & absolutè sit, ac propterea per Scientiam mediam. Ita Eximius noster Suarius tum libr. 2. de Scientia contingentium cap. 8. Tum prolegom. 2. de Gratia cap. 4. & 8. Vazquez 1. parte disp. 67. num. 23. Fonseca lib. 6. metaphys. cap. 2. quæst 4. & cum ipsis Arrubal Fasolus, Ruicius, Vekenus, & alij plures, quibus accedunt Recentiores, vt Ribadeneyra disp. 23. de Scientia cap. 1. Carleton disput. 24. de Deo sect. 9. Izquierdo disp. 28. de Scientia, quæst. 9. Herrera quæst. 16 de Scientia sect. 3. Qui omnes licèt non præmittant distinctionem Scientiæ mediæ *strictè*, & *latè acceptæ*, intelligendi sunt de Scientia media *latè* accepta, vt de se fert negari non posse prædictam Scientiam esse impedibilem, & determinabilem pro nutu Dei, quod convenire non potest Scientiæ mediæ *strictè* acceptæ, vtpotè rigidè medianti inter Scientiam liberam, & naturalem.

3 Sit prima conclusio: futura conditionata sibi libera cognoscit Deus per Scientiam conditionalem *latè* mediam. Hoc assertum facilè fluit ex dictis præcedentibus disputationibus, cuius probatio in promptu est.

eſt. Nam per eam Scientiam cognoſcit Deus futura conditionata ſibi libera, quæ cum repræſentet eventum conditionatum pertinentem ad libertatem divinam, nihil deinde abſolutum, & de præſenti exiſtens proponit, neque ab eo in repræſentando dependet: ſed hæc Scientia eſt *latè* media: ergo Scientia, per quam Deus cognoſcit futura conditionata ſibi libera, eſt Scientia conditionalis *latè* media. Conſequentia eſt legitima, & maior conſtat ex diſputatis circa conſtitutionem futuri conditionati, pro quo nihil de præſenti connexum cum eventu conditionatè futuro eſt neceſſarium, vnde independenter à tali præſenti abſoluto, & connexo eſt cognoſcibile, & repræſentabile per Scientiam pariter independentem, cum hæc non aliud requirat ad proponendum, & repræſentandum obiectum; quàm illud, quod eſt neceſſarium ad proximam cognoſcibilitatem ſui obiecti. Iam min. probatur. Ea Scientia, qua parte reſpicit conditionatum liberum Deo ſub exiſtentia hypotheſis, eſt Scientia impedibilis, & determinabilis per divinam libertatem: aliunde non terminatur ad aliquid abſolutum, & de præſenti exiſtens: ergo eſt Scientia conditionalis impedibilis, & determinabilis per libertatem divinam nulli præſenti innitens decreto: quomodo Scientia media *latè* ſumpta venit appellanda iuxta explicationem traditam vtriuſque Scientiæ *latè*, & *ſtrictè* acceptæ.

4 Confirmatur, & explicatur. Scientia, per quam cognoſcit Deus dicta futura ex vno capite eſt Deo libera: quia pro modo, quo veritas obiectiva conditionata eſt Deo libera, etiam libera eſt Scientia eam veritatem obiectivam proponens, & ab ea eſſentialiter dependens. Ex alio capite nulli decreto abſolutè exiſtenti eſt innixa, non ſecus, ac veritas obiectiva ipſius nullum decretum abſolutè exiſtens requirit, aut ab eo conſtituitur, iuxta dicta generaliter de futuritione conditionata: ſed Scientia libera Deo, & non innixa decreto abſolutè exiſtenti, eſt Scientia media *latè* accepta: ergo non per aliam Scientiam cognoſcit Deus futura conditionata ſibi libera, quàm per illam, quæ dicitur *latè* media. Confirmatur iterum. Quia ea Scientia eſt deſignanda pro his eventibus conditionatis Deo liberis, quæ ipſis prout defacto, ſuo modo conditionato ſunt, eſt proportionata: ſed ſola Scientia, quam diximus, eventibus his conditionatis eſt proportionata: ergo per illam, & non per aliam à Deo cognoſcuntur. Probatur minor. Eventui, qui provt defacto ſuo modo conditionato eſt, non exigit nec conſtitutivè, neque alio modo aliquid de præſenti abſolutè exiſtens, tantùm eſt proportionata Scientia, quæ in repræſentando eundem eventum nihil abſolutè, & defacto exiſtens ex parte obiecti requirat: at ſola Scientia, quam diximus id habet: ergo illa ſola eventibus his conditionatis eſt proportionata.

5 Probatur ſecundò à paritate. Eventus conditionati nobis liberi cognoſcuntur à Deo per Scientiam mediam *ſtrictè* talem: ergo eventus conditionati Deo liberi cognoſcuntur ab ipſo per Scientiam mediam *latè* talem. Antecedens conſtat ex deciſſis ſupra pro tali Scientia. Conſequentia probatur. Inter vnam, & alteram Scientiam duntaxat intercedit diſcrimen, quod Scientia, qua cognoſcuntur à Deo futura conditionata nobis libera, non ſit impedibilis, & determinabilis per divinam libertatem; ſecus altera, per quam Deus cognoſcit futura conditionata ſibi libera: ſed hoc diſcrimen oſtendit futura conditionata Deo libera cognoſci ab ipſo per Scientiam *latè* mediam: ergo eventus conditionati Deo liberi cognoſcuntur ab ipſo per Scientiam *latè* mediam. Maior, cum cætera conſtent, probatur. Vna, & altera Scientia conveniunt in *contingentia*: deinde conveniunt *in independentia* ab aliquo de præſenti abſolutè exiſtenti, nam ſemel ſtatuto futura conditionata nobis libera, & Scientiam ipſis correſpondentem non indigere aliquo de præſenti abſolutè exiſtenti, non eſt titulus, ob quem futura conditionata Deo libera, & Scientia ipſis correſpondens tale abſolutum de præſenti exiſtens requirant: ergo vna, & altera Scientia tantùm diſcrepant in *determinabilitate, & impedibilitate* per libertatem Dei, quæ vni convenit; ſecus alteri: ac per conſequens inter vnam, & alteram Scientiam duntaxat intercedit prædictum diſcrimen.

Con-

6 Confirmatur hæc ratio: Scientia, qua Deus cognoscit eventus conditionatos sibi liberos, non exigit aliquid de præsenti existens, nec quia *contingens*, nec quia *tendens in obiectum conditionatè exercendum sub hypothesi*: nec quia *impedibilis, & determinabilis per libertatem illius, ad quem spectat conditionatum sub hypothesi*: quia omnia hæc inveniuntur in Scientia, qua Deus cognoscit eventus conditionatos nobis liberos, quin exigat aliquid de præsenti existens: neque enim *fore* sub hypothesi libertatis divinæ aliud requirit, quàm *esse* sub tali libertate: sicut *fore* sub hypothesi libertatis creatæ aliud non exposcit præter *esse* sub eadem libertate: ergo Scientia eventuum conditionatorum libertatis divinæ par in omnibus est Scientiæ eventuum conditionatorum libertatis creatæ ea sola adhibita differentia inter vnam, & aliam, quod illa sit, aut impediatur pro nutu Dei; hæc verò pro libero exercitio, & determinatione creaturæ: sed hoc est formalissimè Scientiam vnam esse *latè*; aliam verò *strictè* mediam: ergo Scientia, qua Deus cognoscit eventus conditionatos sibi liberos dicenda venit Scientia *latè* media.

7 Probatur tertiò: Scientia eventuum conditionatorum ex modo, quo in suum obiectum tendit formaliter, venit distinguenda à Scientia absolutorum: aliàs tàm vna; quàm alia dicenda esset Scientia de absolutis: sed non aliter ita distinguetur, nisi quia non respicit ex parte obiecti id, quod absolutè existit, vt esset decretum subiectivè absolutum, & de præsenti existens, quod ab adversarijs ponitur: ergo Scientia eventuum conditionatorum spectantium ad divinam libertatem non respicit ex parte obiecti aliquid absolutum, & de præsenti existens: at Scientia non tendens in aliquid de præsenti existens, & quæ aliunde sit pro libertate divina impedibilis, & determinabilis, est Scientia conditionalis *latè* media: ergo Scientia, per quam Deus cognoscit eventus istos conditionatos pertinentes ad suam libertatem, non alia iurè nominanda est, quàm Scientia *latè* media. Explicatur. Scientia conditionatorum eodem modo discernenda est à Scientia absolutorum, ac prædictio externa conditionatorum eventuum à prædictione absolutorum: sed prædictio externa conditionatorum nihil absolutè existens ostendit, vt non accidit in prædictione absolutorum: ergo Scientia conditionatorum nihil absolutum repræsentat, vt per oppositum facit Scientia absolutorum. Minor difficilis constat ex ipsis prædictionibus conditionatis, vt sunt Psalm. 88. *Si iustitias meas profanaverint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum.* Ioannis 13. *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Ieremiæ 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa, agam, & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, vt facerem ei.* Matthæi 6. & Marci 11. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet, & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra*, & alijs pluribus, quæ passim inveniuntur in Sacro textu, in quibus omnibus, cùm sint de conditionato libertatis divinæ, nulla fit mentio alicuius quod absolutè sit, sed præcisè illius, quod foret sub hypothesi.

8 Imò argumentum mihi non leve est non modo negativum ex non expresione alicuius absoluti pertinentis ad voluntatem Dei; verùm positivum ab exclusione talis absoluti, si reflexio fiat supra citata verba Ieremiæ 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa; agam, & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, vt facerem ei*, vbi præcisè fit mentio illius, quod pertinet, ad intellectum divinum per cogitationem; seu ad illud, quod pertinet ad divinam voluntatem per decretum, qualiter non processisset Deus in prædicendo, si in futuris conditionatis pertinentibus ad suam libertatem intercederet decretum subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum, cui innitatur Scientia prædictorum eventuum: dixisset enim potius, vt congruentius (nifallor) apparet *quod decrevi, vt facerem ei*, quomodo explicasset infallibilem futuritionem euentus formaliter, & immediatè; quàm: *quod cogitavi, vt facerem ei*: quomodo sola Scientia eventus, qui sub hypothesi contingeret, in notescit: dicendum igitur est in his futuris conditionatis vltra conditionatum, quod foret sub hypothesi ex parte divinæ voluntatis nihil aliud inveniri nisi divinam Scientiam conditionatè tendentem in eundem eventum.

9 Secunda concluſio. Poteſt Deus cognoſcere futura conditionata ſibi libera per Scientiam ſimpliciter liberam, & nullo modo mediam. Hæc propoſitio etiam fluit ex alibi dictis. Nam licèt non probetur Deus defacto erga tales eventus conditionatos habere decretum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum, non tamèn repugnat, vt ſupra manet probatum diſp. XVIII. cap. 2. ſimile decretum: caſu ergo, quo iſtud decretum exiſteret, Deus cognoſceret futura conditionata ſibi libera per Scientiam innitentem tali decreto, vtpote motivo aptiſſimo, & medio obiectivo valde proportionato ad terminandam Scientiam infallibilem futurorum conditionatorum, quæ ſint de libertate Dei: ſed talis Scientia eſſet ſimpliciter libera, & nullo modo media: igitur valet Deus cognoſcere futura conditionata ſibi libera per Scientiam ſimpliciter liberam, & nullo modo mediam. Cætera conſtant præter minorem, cui fit ſatis per ſolam terminorum explicationem: ſiquidem Scientia ſimpliciter libera, provt diſcreta à Scientia latè media, ea eſt, quæ cum ſit impedibilis, & determinabilis per divinam libertatem, vltra innititur alicui abſoluto, & de præſenti exiſtenti: ſed dicta Scientia vltra determinabilitatem, & impedibilitatem per ordinem ad libertatem Dei inniteretur alicui abſoluto de præſenti exiſtenti, videlicèt decreto ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato, quod tunc daretur: ergo talis Scientia eſſet ſimpliciter libera, & nullo modo media. Neque in hac concluſione oportet amplius inſiſtere, cum tota pendeat à poſsibilitate decreti ſubiectivè abſoluti, & obiectivè conditionati loco citato examinata, & ab obiectis, provt potuimus, defenſa.

10 Ideò contra primam, & principalem concluſionem ſolvendum reſtat fundamentum doctiſsimi P. Molinæ, quod eſt præcipuum ſuæ ſententiæ, & ipſum impulit ad faciendam exceptionem in Scientia conditionatorum, quæ ſint de libertate divina. Illud ſic ſe habet. Si Deus cognoſceret eventus conditionatos ſibi liberos ante omnem determinationem ſibi liberam actu, & abſolutè exiſtentem, illa Scientia eſſet ex vna parte naturalis, & ex altera infallibilis: ergo tolleret libertatem talium eventuum conditionatorum: ac proinde deſtrueret id ipſum, quod repræſentat: videlicèt, eventus illos, vt liberos voluntati divinæ. Conſequentia apparet legitima: ſiquidem titulo infallibilitatis non poſſent deficere prædicti eventus exiſtente Scientia, & deinde titulo naturalitatis eiuſdem non poſſet deficere Scientia: neque defectus illius eventus, quem repræſentat, ſe dividere ab illa. Antecedens quo ad primam partem difficilem, nam altera de infallibilitate inconcuſſa eſt, probatur. Scientia naturalis, provt diſtinguitur à libera, & contingenti eſt illa, quæ antevertit omnem liberam determinationem Dei actualiter exiſtentem: ſed illa Scientia, in ſuppoſitione, quam intendimus, anteverteret omnem liberam determinationem voluntatis divinæ actualiter exiſtentem: ergo ſi Deus cognoſceret conditionatos eventus ſibi liberos ante omnem liberam determinationem ſuæ voluntatis actualiter exiſtentem, Scientia illa eſſet naturalis.

11 Mirum eſt diſcurſum iſtum potuiſſe vim facere aſſertori Scientiæ mediæ *ſtrictè* talis, qualis eſt Scientia, qua Deus cognoſcit eventus conditionatos liberos creaturæ: in hac enim vis argumenti facti, ſi quæ in illo eſt, infringitur per inſtantiam manifeſtam. Equidem Scientia media *ſtrictè* talis non minus antevertit determinationem liberam de præſenti exiſtentem; quàm Scientia *latè* media, & quæ ſit de conditionatis ſpectantibus ad libertatem Dei: inſuper non eſt minùs infallibilis: cum vtraque nequeat exiſtere cum defectu ſui obiecti eo modo, quo per ipſas repræſentatur: ergo aut vtraque convincitur Scientia naturalis, & nociva libertatis exercitij, quod repræſentat, aut vtraque contingens, & prædicato *naturalitatis* carens. Nec poteſt eſſe aliqua conducens diſparitas, quæ deſumatur ex diverſitate libertatis divinæ, & creatæ. Nam quoad hoc nulla apparet differentia, quæ intento argumenti faveat; imò facilè ſemper redarguitur. Nam per te, & ſi Scientia media *ſtrictè* talis antevertat omnem determinationem liberam actualiter exiſtentem, tàm di-

divinam; quàm creatam, sitque infallibilis in repræsentando, neque est *naturalis*, nec tollit libertatem creatam: ergo quamvis Scientia *latè* media, & repræsentativa conditionatorum, quæ sunt libertatis divinæ antevertat omnem determinationem liberam, tàm creatam; quàm divinam actualiter existentem, sitque infallibilis in repræsentando, quia tamen repræsentat exercitium liberum divinum conditionatè exercendum, poterit esse non naturalis, & non læsiva libertatis divinæ.

12 Confirmatur. Scientia divina *strictè* media, & repræsentativa exercitij conditionati liberi voluntati creatæ, tametsi nullam dicat consequentiam ad determinationem liberam voluntatis creatæ actualiter exercitam ob solam dependentiam, & consequentiam ad exercitium liberum conditionatum voluntatis creatæ, & est contingens in existendo, & libertatem creaturæ servat illæsam: ergo Scientia divina *latè* media, & repræsentativa exercitij conditionati liberi voluntati divinæ, quamquàm nullam dicat consequentiam ad determinationem liberam voluntatis divinæ actualiter exercitam ob solam dependentiam, & consequutionem ad exercitium liberum conditionatum voluntatis divinæ poterit esse contingens in existendo, & libertatem divinarum determinationum illæsam conservare. Consequentia videtur tenere, cum non debeat esse minor vis in libertate divina, & eius exercitio conditionatè respecto ad inferendam contingentiam, & non naturalitatem Scientiæ ipsum conditionatè proponentis, ac est illa, quæ datur in libertate creata, eiusque exercitio conditionatè respecto ad similem illationem pro Scientia divina, quæ talem determinationem liberam voluntatis creatæ conditionatè extituram intellectui divino repræsentat.

13 Ad argumentum negatur antecedens quoad primam partem de *naturalitate Scientiæ*: non enim naturalis est, sed contingens, & libera ob contingentiam, & libertatem exercitij divini, quod conditionatè repræsentat. Ad probationem etiam neganda est maior propter eandem rationem: nam licèt benè valeat: *Scientia divina consequitur determinationem liberam actualiter exercitam: ergo est libera, & contingens*: non ideò benè valet: *non consequitur determinationem liberam actualiter exercitam: ergo Scientia non est libera, & contingens*: cùm pro contingentia, & libertate Scientiæ sufficiat consequutio ad exercitium liberum exercendum sub hypothesi, quod Scientia conditionata repræsentat, vt constans debet esse in Scientia conditionata *strictè* media, in qua non consequutio ad determinationem, sivè creatam, sivè divinam actualiter exercitam, non est antecedens sufficiens arguenti ad negandam prædictæ Scientiæ contingentiam, & inducendam naturalitatem. Inde etiam apparet quomodo sine læsione libertatis divinæ ea Scientia componatur: propterea quod licèt Deus oppositum illius veritatis conditionalis, nec non sub purificatione hypothesis oppositum exercitium illius, quod prævisum est, nequeat componere cum illa Scientia, tamen potest per liberam suam determinationem se dividere ab illa, & per libertatem, & exercitium oppositum facere, quod nunquam fuerit determinata illa Scientia, & quod loco illius fuerit ab æterno altera correspondens veritati, & determinationi oppositæ: quomodo videre est in Scientia media *strictè* tali, quæ relinquit creaturæ potestatem ad oppositum illius, quod repræsentat pro sensu diviso sui benè compositam cum sui existentia.

14 Insistes primò. Existente tali Scientia non innixa decreto subiectivè absoluto, & obiectivè conditionato voluntas divina, neque in sensu composito potest ponere, & determinare oppositum illius, quod Scientia repræsentat; cùm Scientia sit infallibilis in repræsentando; neque in sensu diviso eiusdem Scientiæ, cùm nequeat divina voluntas facere, vt non existat Scientia naturaliter conveniens Deo, vtpotè, quæ existit ante omnem determinationem liberam voluntatis; ergo tali Scientia existente, divina voluntas nullam habet potestatem ad oppositum illius, quod repræsentat: ac per consequens obruitur eius libertas.

15 Instantia ista nihil novi continet, quod in antecedenti ratione non fit hoc, vel illo modo propositum, & à nobis solutum. Redit instantia Scientiæ mediæ *strictè* talis, & quæ sit de conditionato nobis libero, in qua idem modus arguendi omninò fallit potente volun-

tate creata impedire Scientiam illam conditionatam, quæ defacto exiſtit, per determinationem oppoſitam ei; quam Scientia repræſentat, quamvis hæc nullam determinationem voluntatis abſolutè exiſtentem præſupponat. Neganda igitur eſt ſecunda pars antecedentis; videlicèt voluntatem divinam non poſſe facere, ne extiterit prædicta Scientia ſe ab illa dividendo per determinationem oppoſitam. Et ad probationem implicitam diſtinguendum. Scientia illa natura liter convenit Deo, quæ antecedit omnã divinam determinationem liberam Dei, *tàm ſubiectivè abſolutam, quàm ſubiectivè conditionatam*, concedo propoſitionem. Quæ antecedit omnem determinationem liberam Dei *ſubiectivè abſolutam*, nego propoſitionem, ſicut, & conſequentiam. Inſuper in prima parte antecedentis conceſſa non eſt confundenda poteſtas in ſenſu compoſito Scientiæ ad oppoſitum illius, quod repræſentat, cum poteſtate ad ſenſum compoſitum Scientiæ, & oppoſiti illius, quod repræſentat. Verum enim fit ex Scientiæ infallibilitate nullam poſſe eſſe in voluntate divina poteſtatem ad ſenſum compoſitum Scientiæ, & oppoſiti illius, quod repræſentat; at in ſenſu compoſito Scientiæ eſt poteſtas voluntatis divinæ ad oppoſitum illius, quod Scientia repræſentat, & ad faciendum ſenſum diviſum oppoſiti, & Scientiæ.

16 Inſiſtes ſecundò. Non eſt indifferentia ad operandum, & non operandum ex parte voluntatis, quando non ſupponitur indifferentia ex parte intellectus eiuſdem conditionis: ſed ſtante prædicta Scientia in intellectu divino non ſupponitur indifferentia ex parte intellectus ad illud, quod Scientia repræſentat, & oppoſitum illius, aliàs Scientia non eſſet infallibilis: ergo neque datur indifferentia ex parte voluntatis ad decernendum id, quod Scientia repræſentat, & oppoſitum illius, quod per Scientiam proponitur. Deſtrueret ergo libertatem divinam prædicta Scientia.

17 Sed quid ſi Deus revelaret creaturæ, vt poteſt, ſe habere Scientiam mediam *ſtrictam* de eo, quod *ſit conſenſura tali determinata libertate inſtructa*, & intellectus creaturæ aſſentiret, vt etiam poteſt, prædictæ revelationi aſſenſu ſupernaturali fidei. Daretur ne tunc indifferentia ad ſic, vel aliter operandum ex parte intellectus operantis? Minimè quidem propter infallibilitatem iudicij. Rueret ergo liberras creata per talem revelationem ſe ipſam falſificantem. Negabis ſequellam, & iure certè: quia tota illa determinatio ex parte intellectus eſt conſequens determinationem ipſam voluntatis liberè ſe determinantis. Et ratio tibi erit. Quia non omnis determinatio ex parte intellectus nocet indifferentiæ voluntatis; ſed illa duntaxat, quæ ſit antecedens ſimpliciter, & quæ ſe habeat in ſigno poteſtatis proximæ ad actum, vt illum regulans. Optimè profectò: ſit ergo tibi ſolutio iſta enodatio difficultatis propoſitæ. Ad quam dicendum: Scientiam illam non ſe habere in ſigno antecedenti, & immediato, & proximo conſtitutivo poteſtatis immediatæ, in qua ſita eſt indifferentia divinę voluntatis ad ſic, vel oppoſitè decernendum; verùm in ſigno remoto, & conſequente obiectivè determinationem liberam Dei: qua ratione determinatio ex parte divini intellectus non eſt deſtructiva indifferentiæ divinæ voluntatis: aliàs tenereris aſſerere Scientiam viſionis divinorum actuum evertere libertatem ipſorum; quia eſt determinatio intellectus ad illud, quod repræſentat, ac proinde incompoſita cum indifferentia voluntatis divinæ neceſſaria ad libertatem pro talibus actibus.

18 Inſiſtit tertiò: Deus nequit efficaciter velle, quod certò, & infallibiliter ſcit à ſe non obtinendum, propterea quod eſſet conari in impoſsibile: ergo ſi ſciat ſe tale decretum habiturum, nequit efficaciter velle illud non habere: ſicut nec per oppoſitum poterit efficaciter velle illud habere, ſi certò, & infallibiliter ſciat ſe non habiturum: manebit ergo in vi Scientiæ neceſsitatus ad vnum, quomodo nullam habebit libertatem in decernendo. Videtur hęc inſtantia plus quam par eſt intendere: nimirum: Deum non modo nõ cognoſcere futura conditionata ſibi libera independenter à decreto ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato; verùm abſolutè illa non cognoſcere; cum Scientia innitens decreto ſit etiam Scientia, qua Deus certò ſcit, ſe habiturum tale decretum, vel oppoſitum ſe non habiturum. Quod ſi reſpondeat: Scientiam illam in tali caſu eſſe infalli-

bi-

bilitatem consequentem decreti; secus antecedentem simpliciter, ideoque rectè componi cum potestate ad efficaciter volendum oppositum; vnde probat infallibilitatem scientiæ non innixæ decreto subiectivè absoluto non esse consequentem ad existentiam decreti, quod infallibiliter proponit extiturum sub existentia hypothesis: præcipuè cum id debeat fateri in Scientia media *strictè* tali, quæ &si non innixa determinationi alicui subiectivè absolutæ, sive creatæ, sive increatæ, componit esse infallibilitatem consequentem actuum liberorum voluntatis creatæ valentis adhùc efficaciter velle oppositum illius, quod scientia repræsentat?

19 Propterea respondendum: Deum non posse velle efficaciter id, quod certò, & infallibiliter scit se non facturum *notitia simpliciter antecedente suam determinationem*; at posse velle efficaciter illud, quod certò, & infallibiliter scit se non facturum *notitia consequente suam liberam determinationem*: quia quando notitia sit huius cõditionis præsupponit aliunde, & independenter constitutam potestatem ad vtrumque extremum, & in tantum proponit infallibiliter Deum non habiturum decretum, in quantum proponit sub hypothesi libertatis ad vtrumvis Deum habiturum decretum, potentē illud non habere, aut per oppositum: Deum non habiturum decretum, cum posset illud habere: qualiter apud omnes scientia visionis representans decretum absolutè existens, non impedit potestatem divinæ voluntatis ad non habendum decretum, seu volendum efficaciter oppositum: quia est notitia consequens, & præsupponens aliunde potestatem constitutam, tum ad decretum, tum ad carentiam illius. Vel si placet, applica terminos solutionis, non tam notitiæ, quam potestati, distinguendo propositionem: Deus non potest *consequenter* velle efficaciter id, quod certò, & infallibiliter scit à se non obtinendum, concedo antecedens; non potest *antecedenter*, nego antecedens, & consequentiam. Nam impotentia, & necessitas consequens non auferunt potestatem, & indifferentiam antecedentem.

20 Obijcit secundò alterum fundamentum suæ sententiæ. Quia in tantum Deus valet independenter à decreto subiectivè absoluto, & obiectivè conditionato cognoscere per scientiam strictè mediam, *quid voluntas creata esset facturа* posita hac, vel illa hypothesi determinatæ libertatis, in quantum super comprehendit liberum arbitrium creatum; vnde cognoscere debet non modo, quod defacto sit; verùm insuper *quid esset*: sed Deus suam voluntatem supercomprehendere non potest: cum non detur excessus necessarius ad super comprehensionem inter obiectum cognitum, & vim cognoscitivam ex æqualitate, quam dicit divina voluntas ad divinum intellectum: ergo Deus non cognoscit eventus conditionatos, sibi liberos per scientiam independentem à decreto subiectivè absoluto, & obiectivè conditionato ex defectu fundamenti ad istam independentiam.

21 Hoc argumentum evolvimus supra agentes de constitutivo futurorum conditionatorum: ideò leviter hic tangendum. Propterea nolentes disputare modò rationem illam super comprehensionis, quam nullam iudicamus ad excludendum decretum subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum pro scientia, qua Deus cognoscit futura conditionata nobis libera; ea tamen in præsenti transmissa respondetur: esse quidem rationem sufficientem ad exclusionem prædicti decreti; (sit ita) verùm non esse rationem vnicam: cum idependenter ab ipsa detur alia sufficiens ad exclusionem similis decreti: nimirùm cognoscibilitas ipsa veritatis obiectivæ conditionatæ, & determinatio intellectus divini ad cognoscendum quidquid cognoscibile est: sicut sufficit, vt Deus cognoscat possibilia, & impossibilia in se ipsis, etiam si Deus nullam habeat cum ipsis connexionem, determinatio ex parte intellectus divini ad cognoscendum quidquid in se habet veritatem obiectivam, & cognoscibilitas passiva, quæ datur ex parte possibilium, & impossibilium. Qua simili ratione sufficit, vt Deus independenter ab omni determinatione actualiter existente cognoscat futura conditionata sibi libera, determinatio ex parte sui ad cognoscendum quidquid cognoscibile est, & aptitudo ex parte obiecti subiectivè conditionati, vt ita cognoscatur, & verificet scientiam divinam sibi correspondentem, quæ quidem non est minor, ac ea, quæ datur in obiecto possibili ad determinandam scientiam infallibilem sui.

Ob-

22 Obijcies tertiò apud Herrera : inevitabile esse decretum aliquod absolutè existens , à quo dependeat Scientia conditionatorum , quæ sint de libertate divina : ergo hæc non cognoscuntur per scientiam independentem ab omni determinatione libera voluntatis divinæ actualiter, & subiectivæ absolutè existente. Antecedens probatur: nam vt modo sit verum, *futurum esse conditionatè eventum A liberum voluntati divinæ*, opus est non dari de præsenti exclusivum talis veritatis, quale esset decretum subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum, quod liberè potest Deus cõcipere de non existentia prædicti eventus sub tali hypothesi ; iam sic: hoc decretum excludi non valet de præsenti, nisi per aliud decretum absolutè, & de præsenti existens, si vera sit sententia communis de impossibilitate puræ omissionis liberæ ; quod si falsa sit hæc sententia, & altera de possibilitate puræ omissionis liberæ sit tenenda, saltem erit necessarium concedere de præsenti, & actualiter exercitam puram omissionem liberam eiusdē decreti , quæ omissio non obscurè dicitur decretum virtuale exclusivum alterius decreti, & pro non requisitione determinationis divinæ actualiter exercitæ ad cognitionem eventuum conditionatorum , qui sunt de libertate divina eandem continet difficultatem: ergo de primo ad vltimum semper agnoscenda est in scientia divina, qua Deus cognoscit sua futura conditionata dependentia aliqua à libera determinatione divina actualiter, & absolutè exercita : ac per consequens falsum est: Deum independenter ab omni determinatione actualiter, & absolutè de præsenti exercita cognoscere prædictos eventus sibi conditionatos.

23 Pro claritate solutionis præmittî debet: hanc quæstionem de requisitione alicuius determinationis liberæ actualiter existentis, vt scientia repræsentet infallibiliter futura conditionata Deo libera, non procedere de quacumque determinatione libera actualiter existenti , etiam si inconnexa sit cum eventu conditionatè futuro; sed determinatè de determinatione libera actualiter existente connexa cum eventu , vt conditionatè futuro , & quæ se habeat, vt medium obiectivum, in quo cognoscantur prædicta futura, taliter , vt eo secluso , non supperet medium aptum ad ea cognoscenda , inde impertinens omninò erit ad præsens intentum omnis illa determinatio , sicut , & probatio illius , quæ quamvis deberet actualiter existere , est tamen præscindens ab eo, quod tale futurum sit sub hypothesi, vel eius oppositum : non minus , ac incongruum quid effet ad probandum scientiam diuinam de futuris non posse esse veram independenter ab aliquo de præsenti connexo cum eventu futuro , adducere connexionem cum possibilibus, & impossibilibus , quæ in plurium sententia necessariò , & de præsenti debet dari in Deo, vt tam Deus , quam scientia illius non repugnet , quæque data, & admissa omninò ex se præscindit ab hac, aut illa determinata veritate de futuro, sive absoluto, sive conditionato.

24 Hoc prænotato respondetur argumento , aut permittendo , aut concedendo totum , quod assumit , vt medium probativum , & negando consequentiam. Ratio est: quia adhùc intellecta determinatione illa libera , sive positiva , sive negativa de præsenti actualiter exercita , & quæ sit exclusiva decreti subiectivè absoluti, & obiectivè cõditionati erga oppositum illius, quod defacto verificatur sub hypothesi, datur indifferentia ex parte voluntatis divinæ ad decernendam hanc veritatem conditionalem , quam supponimus defacto verificari, aut oppositum illius : propterea quod cum decretum illud subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum excludens per præsentem determinationem non sit requisitum ad veritatem conditionalem oppositam cum veritate conditionali , quæ defacto terminat scientiam , adhùc talis veritas potest à voluntate divina determinari. Vnde nõ est determinata divina voluntas in vi præsentis , & actualis determinationis exclusivæ illius decreti ad verificandum futurum illud conditionatum, quod defacto verificat.

25 Exemplum rem alioquî obscuram declarabit. Supponamus futurum conditionatum Deo liberum quod defacto verificatur esse huiusmodi: *Si conferam Petro auxilium efficax ad perseverandum finaliter : conferam etiam Paulo ad similem perseverantiam.* Tunc detur etiam quomodo argumentum intendit, determinatio libera Dei absolutè exercita, sive positiva , sive negativa exclusiva huius decreti: *Decerno , quod si Petro confe-*

ram

ram auxilium efficax ad perseverandum finaliter, non sit in Paulo auxilium efficax ad similem perseverantiam. Dico, quod in vi determinationis liberæ de præsenti existēris, & exclusivæ huius decreti, nulla est de præsenti connexio cum hac veritate conditionali: *Si conferam Petro auxilium efficax ad perseverandum finaliter: conferam Paulo ad similem perseverantiam*; ac proinde hanc determinationem actualem, aut concessam, aut permissam adversarijs non esse medium obiectivum aptum ad cognoscēdam determinatam veritatem illam conditionalem. Assumptum probo: nam determinatio illa præsens, & actualiter existens excludens illud decretum conditionatum: *Decerno, quod si Petro conferam auxilium efficax ad perseverandum finaliter, non sit in Paulo auxilium efficax ad finalem perseverantiam*, non tollit aliquid requisitum ad hanc veritatem conditionalem, *si sit auxilium efficax in Petro ad perseverandum finaliter; non sit in Paulo ad similem perseverantiam*, cum hæc veritas pro modo suo, quo sit, non indigeat illo decreto: ergo determinatio illa actualiter existens non opponitur cum prædicta veritate: ac proinde non connectitur cum hac oppositā illi, videlicèt: *Si existat in Petro auxilium efficax ad perseverandum finaliter, existat in Paulo auxilium efficax ad similem perseverantiam*; patet hæc vltima illatio: siquidem id, quod non opponitur cum vna veritate conditionali, non connectitur cum veritate oppositā illius: igitur clarum liquet determinationem illam actualiter exercitam, quam probant adversarij in suo argumento, esse medium obiectivum indifferens ad illam conditionalem, quæ defacto verificatur, & ideò contra nos nihil probans.

26 Replicabis inferens: ergo saltem negari non potest scientiam illam conditionalem: *Si existat auxilium efficax in Petro ad perseverantiam finalem, erit etiam in Paulo ad similem perseverantiam* requirere de præsenti *determinationem liberam Dei, sive positivam, sive negativam excludentem* illud decretum conditionatum de oppositō, nimirum: *Decerno, quod si sit in Petro auxilium efficax ad perseverantiam finalem, non sit in Paulo auxilium efficax ad similem perseverantiam.* Cōstat illatio: nam si tale decretum subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum de oppositō illius veritatis existeret in Deo; non existeret in intellectu divino scientia illa conditionalis affirmans, quod *si sit in Petro auxilium efficax ad perseverantiam finalem, sit in Paulo auxilium efficax ad similem perseverantiam.*

27 Concedo primò sequelam; sed vt dixi: quid inde pro difficultate, in qua versamur? Cum indigentia determinationis actualiter exercitæ in veritate conditionali, vt sit suo modo, non probet connexionem determinationis illius cum tali veritate; non secus ac *esse requisitam albedinem, vt existat hoc concretum album*, non probat: *existentiam albedinis esse connexam cum hoc concreto albo*: potest enim existente albedine deficere, aut subiectum, aut vnionem albedinis ad ipsum, qua ratione non existet album. Probaret igitur illatio aliquid cōtra nos, si conviceret, determinationem illam liberam voluntatis divinæ, sive positivam, sive negativam habere connexionem cum dicta veritate conditionali, taliter, vt esset medium obiectivum, in quo scientia correspondens tali veritati conditionali eam proponeret: quo non assequuto, in vanum se torquet arguens.

28 Deindè nego sequellam, quam male deductam iudico. Propterea quod, vt diximus supra agentes de possibilitate decreti subiectivè absoluti, & obiectivè conditionati in voluntate divina suadere curaverimus, scientiam illam conditionalem semper respicere hypothesim suam coniunctam cum carentia decreti subiectivè absoluti, taliter, vt de ea, provt sic coniuncta, affirmet conditionatum, vt est necessarium, ne Deus actum agat per suum decretum conditionatum: quomodo eveniret si erga futura conditionata nobis libera, quæ prævidet per Scientiam mediam strictam haberet decretum subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum: vnde pro existentia suo modo huius veritatis conditionalis: *Si existat auxilium efficax in Petro ad perseverantiam finalem, existet auxilium efficax in Paulo ad similem perseverantiam* decretum subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum de oppositō, in cuius sensu compositō, divinus intellectus explorat, quid faceret divina voluntas in casu defectus illius decreti, pro quo potest prævidere æqualiter, aut illam repetitam veritatem conditionalem, aut oppositam illius nō nocet: ac proinde defectus illius de-

decreti conditionati de oppoſita veritate non eſt neceſſarius, vt actualiter, & de præſenti exercitus pro exiſtentia obiectiva, & ſuo modo illius veritatis conditionalis toties memoratæ. Exēplum doctrinā ſuadens in promptu eſt. Nam licèt Deus defacto prævideat conditionatè meum conſenſum ſub libertate determinata, ſitque verum ſub tali prævisione Deum defacto collaturum eandem libertatem, id tamen non prohibet, Deum prævidere conditionatè, *quid faceret ſub defectu prævisionis conditionatæ, quæ defacto datur*, id eſt: *ſi non fuiſſet prævisio illa*, ſub qua hypotheſi pro ſenſu cōpoſito primæ prævisionis poteſt cognoſcere, *ſe non collaturum, aut ſe etiam collaturum illam determinatam libertatem*, quam defacto cōfert: igitur ſequella illa adverſariorum male deducta eſt; ideoque neganda, quamvis, vt quid penitùs inconducens ad aſſumptum valeat, vt legitima concedi, aut permitti.

29 Obijcit quartò Aranda ſub hac forma, vel hæc ſcientia, quam habere dicitur Deus de decretis ſub conditione habendis componi poteſt cum ipſis decretis, vel non? Si non poteſt: ergo quia nititur in exercitio divinæ voluntatis incomponibilis cum decretis huiuſmodi. Nam quænam alia poterit eſſe ratio? Si componi poteſt: hoc oſtenditur falſum; tum, quia prima ratio, vt decreta ſint, eſt ipſa divina libertas in actu ſecundo: iam autem præſupoſita eſſet alia ratio, ſi præcederet ſcientia cum ipſis componibilis, & ſimul cum ipſis ſub hypotheſi connexa; tum etiam, quia neceſſariò tolleretur libertas immediata talium decretorum. Nam divina decreta, vtpotè ſummè voluntaria, neceſſariò reflectunt in omnes formalitates, quibus cùm ipſa coexiſtunt, gaudendo eſſe modo, quo ſunt: ergo reflectunt etiam in notitiam conditionatam ſui, ſi ipſa eſt: atqui ipſa notitia eſt independens à talibus decretis: ergo ipſa notitia præſupponitur: ſed eſt connexa cum ipſis decretis: ergo præſupponitur ad ipſa decreta connexio: ergo tollitur libertas. Vltima iſta conſequentia probatur. Eatenus illa connexio poteſt amica manere libertatis, quatenùs eſt per exercitium liberum evitabilis: ſed nulla manet in exercitio libertas, vt contendit ratio: ergo tollitur libertas talium decretorū. En ad verbum tranſcriptam rationem huius Authoris, quam propter meam tarditatem aliter, nec referre, nec de illa formare conceptum poſſem, manente duntaxat loco admirationi de eo, quod fundamentum iſtud, in quantum illud capere poſſum, valuerit movere propugnatorem Scientiæ mediæ, in qua, ni fallor, omnia iſta agglomerata in propoſita ratione corruunt.

30 Obſervo formam huius perdocti Magiſtri, eam applicans Scientiæ mediæ *ſtrictæ* de noſtris actionibus liberis, & ſic procedo. Vel hæc ſcientia, quam habere Deus dicitur de actibus nobis liberis ſub conditione habendis; v. g. *ſi exiſtat in Petro talis determinata libertas, erit conſenſus*, componi poteſt cum eiſdem actibus noſtris liberis, vel non? Si non poteſt componi: ergo quia nititur in exercitio voluntatis creatæ incomponibili cum exercitijs huiuſmodi. Nam quænam alia poterit eſſe ratio? Si componi poteſt; hoc oſtenditur falſum, quia prima ratio, cur ſic conditionatè intelligantur, eſt ipſa creata libertas in actu ſecundo. Iam autem eſſet præſupoſita alia ratio, ſi præcederet ſcientia cum ipſis componibilis, & ſimul cum ipſis ſub hypotheſi connexa: ergo vel tam repugnat ſcientia conditionata de noſtris actibus liberis ſub hypotheſi ponendis independens ab aliqua determinatione exercita ſubiectivè abſoluta, & obiectivè conditionata, quam ſcientia illa, quam dicitur Deus habere de decretis ſub conditione ponendis, vel forma adhibita ad probandam repugnantiam huius ſcientiæ nulla eſt.

31 Vlterius pars altera eiuſdem formæ ad probandam repugnantiam ſcientiæ prædictæ ex voluntarietate perfecta actuum divinorum, ex qua reflectere debent ſupra ipſam ſcientiam, vnde libertas ipſorum rueret, non eſt fitmior, vtpotè, quæ debet ſolvi ab ipſis adverſarijs in ipſa ſcientia divina, qua Deus cognoſcit: *quod ſi exiſtat in ſe talis libertas ad decernendum ſubiectivè abſolutè, & obiectivè conditionatè, ſic vel aliter operaturum ſub hypotheſi, exiſtet tale decretum.* Etenim, vel iſta ſcienta innititur alij decreto reflexo ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato, vel non? Si *hoc ſecundum*: vide contra tuum decretum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum eaſdem difficultates ex præcedentia ſcientiæ, & voluntarietate actus, quas obijcis contra nos. Si *primum*:

er-

ergo pro illo decreto subiectivè absoluto, & obiectivè conditionato erit necessarium aliud, quod sit medium obiectivum Scientiæ illius, & pro hoc aliud, & sic in infinitum. Ex quo procedit, quod pro voluntarietate actus subiectivè absoluti, & obiectivè conditionati sit necessaria reflexio supra actum illum, à quo procedit, & sic erit decretum subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum mediatè tantùm liberũ, & quod mirabilius est, erit in Deo aliquid mediatè liberum, quin vnquam possimus pervenire ad libertatem immediatam.

32 Si propterea dicant Deum non habere scientiam strictè conditionalem illius, quod defacto sub hypothesi libertatis purificatæ exercet, quia ad scientiam conditionalem strictè talem requiritur, ita suspensivè attingere hypothetim, vt hæc non existat, ideoque decretum subiectivè absolutum, quod defacto habet, vt existens sub hypothesi, cognoscere per scientiam absolutam, qua videt coniunctum libertatis, & talis decreti, incident in duas alias difficultates: vnam ex difficili disparitate, ob quam Scientia media strictè talis possit terri in nostros actus liberos sub conditione ponendos etiam quãdo hypothesis, quam respicit, purificatur. Alteram de veritate conditionali strictè sumpta, & de scientia ipsi correspondente, quæ sint incomponibiles cum purificatione conditionis, & cum existentia absoluta conditionati sub existentia absoluta hypothesis, ita taliter, vt his datis, nec veritas conditionalis, nec scientia vnquam extiterint, cuius impugnationem disputatione immediatè præcedenti latè dedimus.

33 Respondetur. Scientiam illam, quam dicitur Deus habere de decretis sub cõditione habendis esse componibilem cum ipsis decretis. Ad probationem primam in contrarium dicendum: quod & si libertas divina in actu secundo sit prima ratio determinativa, quare talia decreta existant in actu secundo, id non impedit, vt scientia illa conditionata præcedat remotè ad talia decreta: quia ratione non determinat plusquam logicè ipsa decreta, nec aufert libertati primatum in decernendo. Et ratio est: quia tota illa determinatio scientiæ ortum ducit ab ipsa libertate determinante obiectum scientiæ, à quo ipsa scientia determinatur. Non aliter ac de Scientia media nostrorum actuum liberorum verificatur præcedere directivè ad collationem libertatis, & purificationem hypothesis, quin inde liceat inferre, aut tollere, aut minuere primatum libertatis creatę in decernendis suis actibus liberis. Quid ergo specialius, quoad hanc partem invenitur in scientia divina, vt ratione præcedentiæ auferat determinationem propriam libertatis divinæ.

34 Ad secundam probationem desumptam à voluntarietate actuum divinorum, ob quam debent reflectere supra omnes circunstantias, quibus cum coexistunt, variè responderi potest primò: Ad perfectam voluntarietatem actus divini solam illam requiri, quæ sit compatibilis cum libertate ipsius. Vnde si illa reflexio per se destrueret libertatem actus, id ipsum probat, non pertinere ad perfectionem voluntarietatis, sicut non competit actui necessario divinæ voluntatis ad perfectam sui voluntarietatem habere gradum illum voluntarietatis, qui competit actui libero, vt tali, vel è contra. Responderi potest secundò. Ad perfectam voluntarietatem actus non requiri, vt ipse reflectat supra omnes formalitates, & circunstantias, quibus coexistit; sed sufficere, quod agens liberum decernens talem actum habeat advertentiam ad omnes illas circunstantias collocata, & distributa advertentia in signis illis, ad quæ spectat cognitio, quæ advertentia non deficeret in Deo per talem scientiam, imo per ipsam partim constitueretur: vt quid ergo reflexio illa ex parte actus? Responderi potest tertiò. Decreta illa esse reflexiva in scientiam illam conditionalem, quæ defacto datur: cæterùm ad hanc reflexionem non opus esse, vt scientia conditionata sit in signo proximo potestatis ad decretum, cum sufficiat scientia necessaria, qua Deus cognoscit quod si existat tale conditionatum sub tali hypothesi erit scientia conditionalis proponens, quod si sit talis hypothesis erit sub ipsa conditionatum talis decreti, qua scientia necessaria immediatè præsupposita potest decretum tendere reflexivè in scientiam conditionatam quæ proponitur infallibiliter extitura sub ipso.

35 Ad illud vltimum, in quo sistit probatio de non coherentia connexio-

xionis ſcientiæ cum libertate decreti, quia illa eſt inevitabilis per exercitium liberum, à quo ipſa non dependet, refricanda eſt paritas Scientiæ mediæ de noſtris determinationibus liberis ſub hypotheſi à voluntate creatâ exercendis: etenim illa ſcientia divina de actibus liberis voluntati divinæ par omninò eſt quoad dependentiam, & independentiam ab exercitio abſoluto ſcientiæ conditionatæ de noſtris actibus liberis. Nam ſicut illa poteſt dari ſine decreto actualiter exercito, quod proponit ex parte conditionati, quia nullam habet connexionem cum exiſtentia hypotheſis, ſic iſta poteſt dari ſine exiſtentia abſoluta ſui conditionati, quia poteſt exiſtere ſine purificatione hypotheſis. Inſuper: ſicut illa habet connexionem metaphyſicam cum conditionato decreti pro caſu exiſtentiæ hypotheſis: ſic iſta habet connexionem metaphyſicam cum conditionato actus noſtri liberi ſub exiſtentia hypotheſis determinatæ libertatis, & tamen hæc ſcientia cum dependentia, & independentia ponderata a ſuo conditionato non eſt connexio inimica libertati creatæ, nec eſt per exercitium liberum inevitabilis: ergo nec illa, in qua eſt ſimilis dependentia, & independentia à conditionato erit connexio inimica libertati divinæ, nec inevitabilis per exercitium liberū eiuſdem libertatis.

36 Objcit quintò. Hypotheſis, ſub qua Deus videre deberet ſua decreta conditionata contingenter pro priori ad eorum exercitium abſolutum eſt libertas ipſius Dei ſic, vel aliter conſtituta: ſed ſub hac hypotheſi nequit Deus prævidere ſua decreta contingenter conditionatè pro priori ad eorum exercitium actuale: ergo prævidere ea nequit conditionatè cōtingenter per notitiam ſimilem Scientiæ mediæ: ac propterea duntaxat ea videre poteſt in actuali decreto gerente vices futuritionis conditionatæ. Minor, in qua ſtat difficultas, probatur. Quia hypotheſis ſub qua Deus prævidere deberet ſua decreta, eſt hypotheſis cōſtituta per illam eandem ſcientiam: at qui ſub hypotheſi conſtituta per illam eandem ſcientiam, nequit Deus prævidere decreta per notitiam ſimilem Scientiæ mediæ: ergo nequit Deus prævidere ſua decreta conditionatè extitura ſub illa hypotheſi libertatis ſic, vel aliter conſtitutæ. Minor eſt certa. Nam ſi hypotheſis, ſub qua Deus prævideret ſua decreta conditionatè extitura, cōſtitueretur per ipſam ſcientiam, iam illa ſcientia non eſſet contingens, ſed neceſſaria, vtpotè quæ haberet hunc modum tendendi: *Si exiſtat libertas, & ſcientia de eo, quod ſi exiſtat talis libertas exiſtet decretum, exiſtet decretum*, quod quidem neceſſariſsimum eſt. Maior probatur. Quia divina libertas ad decernendum ſolùm variari poteſt ex denominatione contingenti aliàs apta ad conſtituendum ſignum libertatis divinæ: ſed ſcientia illa, ſicut, & quævis alia Scientia media, quæ exiſtat in Deo, eſt ſola denominatio contingens ſic apta: ergo ſcientia illa debet conſtituere hypotheſim. Fateor ingenuè rationes ingenioſas huius Magiſtri me omninò fugere in hac parte.

37 Argumentum inſtantiam patitur, ſicut præcedens in ipſa libertate decreti ſubiectivè abſoluti, & obiectivè conditionati, quod quidem prævideri debet à Deo conditionatè ſub tali hypotheſi; cum nō minus verum ſit: *Conditionatè extiturum ſub tali hypotheſi libertatis, ac reliqua, quæ cōditionatè exiſterent ſub libertatis hypotheſi.* Cui inſtantiæ, ſi parentur eædem ſolutiones, redeunt iterum impugnationes factæ, & difficultates non leves, quibus implicatur. Superaddi etiam poteſt alia inſtantia deſumpta ex revelatione poſsibili, qua Deus mihi revelaret: *Se ſcire, quod ſi conferat mihi talem libertatem determinatam, erit in me conſenſus*, cui, ſi adiungatur aſſenſus ſupernaturalis, & cognitio illius, ſicut & cognitio diſcretiva talis libertatis; nunquam tamen cognitio illa ſupernaturalis de conſenſu ſub hypotheſi, quæ in me eſſet, conſtitueret hypotheſim, nec eſſet apta ad illam conſtituendam propter conſequentiam, quam diceret ad illam veritatem obiectivam conditionalem. Vnde ergo tam firmiter ſtabilitur: ſcientiam illam, quæ eſſet in Deo de ſuo decreto conditionatè extituro, quæque eſſet conſequens ad illam veritatem conditionalem, ingreſſuram ſuam ipſam hypotheſim?

38 Ad obiectionem negatur prima minor: videlicèt, quod ſcientia illa ſub hypotheſi libertatis divinæ ſic, vel aliter conſtitutæ, non poteſt proponere decretum conditionatè extiturum. Ad cuius probationem, neganda eſt maior. Non enim ſcientia illa ingrederetur, aut

conſ-

constitueret suam hypothesim, quomodo converteretur ex contingente in scientiam necessariam. Nec paritas aliarum scientiarum mediarum, quæ constituere possunt illam hypothesim, vrgere valet pro ingressu, & constitutione illius scientiæ: siquidem aliæ veritates conditionales, & scientiæ correspondentes independent ab illa veritate conditionali, nec illam obiectivè consequuntur; at scientia illa conditionalis, & est dependens, & consequens exercitium illud divinum conditionatum ponendum sub hypothesi: ideoque semper manere debet extra hypothesim, nè illam immutet, & reducat connexam cum conditionato: nec contingentia illa libertatis, vt sic, vel sliter constituatur, exigit, vt constitutivum contingentem denominationem scientiæ, quæ in illam tendit: sunt enim plures aliæ cognitiones contingentes independenter ab ipsa proponentes rationes allicientes, & retrahentes ab existentia conditionati, ex quibus sic, vel aliter coalescere libertas divina possit, vt iudica scientias alias conditionales aliorum exercitiorum, sive libertatis divinæ, sive libertatis creatæ, sicu & scientiam istionis horum, aut illorum obiectorum contingentium, ex quibus iam sic, iam aliter constitui vale divina. Vnde igitur probari poterit obligatio liberatis divinæ sic, vel aliter constitutæ ad hanc scientiam determinatam, quæ ipsam libertatem assumit pro hypothesi ad affirmandum conditionatum talis determinati divini decreti.

39 Aliud, quod tangit iste Author de eo, quod omnes scientiæ contingentes non innitentes decreto subiectivè absoluto debeant existere in eodem signo, ex quo conatur deducere, quod sicut aliæ scientiæ conditionales se tenerent ex parte hypothesis, sic etiam illa scientia deberet se tenere ex parte suæ hypothesis, nè extraheretur à signo aliarum; iam supra solutum, & explicatum est disputatione præcedenti, vbi distinximus inter scientias conditionales, quæ debent se habere comitanter, & in eodem signo, & inter alias, quæ debent servare inter se præcedentiam, & subsequutionem; propterea quod sint reflectentes supra alias. Legantur ibi dicta, sicut, & quæ continentur, tractatu de Prædestinatione, tom. 1. disputat 3. quæ est *de directione Scientiæ mediæ* vltra quæ, si aliquid sit dignum animadversione, iam damus capite sequenti.

CAPVT II.

De directione Scientiæ Conditionatæ actuum divinorum, & de signo, in quo debet existere.

40 PRO quæstionis claritate, & resolutione benè notat Herrera scientiam conditionatam respicientem actus divinos posse tripliciter considerari. *Primo modo*: si sit scientia, in qua tam conditionatum, quàm hypothesis sit actus divinus; v. g. *Si decernam alterum mundum, decernam Incarnationem Spiritus Sancti. Secundo modo*: si sit scientia, in qua actus divinus tantum se teneat ex parte hypothesis: *Vt si decernam talem libertatem determinatam Petro, ipse consentiet. Tertio modo*: si sit scientia, in qua conditionatum solum sit actus divinus, vt contingit in ista: *Si Petrus eliciat actum charitatis, decernam illi hoc, aut illud præmium.* Inter quas scientias ea distinctio vlteriùs consideranda est: nimirum illam scientiam, quæ sit de conditionato libero Deo esse scientiam *latè* mediam: cum sit impedibilis, & determinabilis per libertatem divinam: illam verò, quæ sit de conditionato libero creaturæ, quidquid sit: an ex parte hypothesis respiciat exercitium Deo liberum, esse scientiam *strictè mediam*: quia est impedibilis, & determinabilis per solum arbitrium creatum, à cuius nutu libero dependet, quod sit, aut non sit talis scientia. Iuxta divisionem traditam triplex exoritur quæstio. Prima: An omnis ista scientia, vel saltem aliqua debeat præcedere ad purificationem suæ hypothesis? Secunda. An debeat dirigere ad eiusdem hypothesis positionem, si hæc purificetur? Tertia. An possit movere ad purificationem hypothesis?

41 Dixi: *Præsupponi ad hypothesim; dirigere, & movere ad hypothesim* nul-

la facta mentione de *conditionato*: quia extra controverſiam debet eſſe: ſcientiam conditionalem non poſſe conſtituere ſignum hypotheſis continens poteſtatem ad conditionatum, cum ſic immutaret hypotheſim, & ex contingente ad coniunctionem cum conditionato, quomodo opus eſt eſſe, vt ſalva maneat poteſtas libera ad conditionatū, faceret infallibiliter inferentem cōditionatum, qua ratione deſtrueretur poteſtas libera ad conditionatum. Patet: ſiquidem coniunctum ex ſcientia cōditionata, & purificatione hypotheſis habet infallibilem connexionem cum conditionato: alias ſcientia eſſet falſificabilis, vt per ſe conſtat: ergo ſi ſcientia eſſet in ſigno hypotheſis, in ſigno eiuſdem eſſet aliquid connexum metaphyſicè cum conditionato: ac propterea etiam in ſigno poteſtatis aliquid connexum, & inimpedibile per defectum conditionati ſub hypotheſi: nam nulla poteſtas aliter, quàm chymæricè poteſt impediri per exercitium poteſtatis, quod ab ipſa provenit. Nec ſolùm id eſt verum quando hypotheſis conſtituit poteſtatem ad conditionatum; ſed etiam quando hypotheſis, & conditionatum ſint exercitium eiuſdem libertatis: tunc enim, vt per ſe eſt conſtans, ſcientia conditionata de conditionato tali ſub hypotheſi non valet conſtituere libertatem immediatam ad vtrumque, aliàs libertas opponeretur cum carentia condi ionati ſub hypotheſi: quomodo libertas eſſet impedita ad ſuum exercitium: ac proinde deſtrueretur.

42 Iam in controverſia propoſita tenet citatus Herrera ſcientiam conditionalem de aliquo eventu, ſive iſte liber Deo ſit, ſive liber creaturæ ſub conditione alicuius decreti, dirigere Deum, vt in plurimum ad illud decretum, quod ponitur in hypotheſi; v. g. hæc ſcientia conditionalis, *ſi permittam peccatum Adamo, conferam illi auxilium efficax ad pœnitendum* (inquit) eſt in ſigno apto, vt Deus moveatur ex illa ad permittendum peccatum. In eadem ſententia videtur eſſe Ribadeneyra, diſputatione 23. de ſcientia, capite primo, qui & ſi expreſsè hanc quæſtionem non moveat; tamen dum aſſerit dari in Deo ſcientiam conditionatam de actibus divinis in probatione concluſionis, num. 3. iudicium de præcedentia talis ſcientiæ ad purificationem hypotheſis, & de aptitudine eiuſdem, vt moveat, & dirigat ad illius exequutionem, ſatis inſinuat inquiens: *Tum quia independenter à decreto meritorum Divi Petri Deus habet ſcientiam eorum omnium, quæ poſſunt ipſum allicere, vt exiſtentiam talium meritorum diſponat, ad quod valdè Deum optimum allicere poteſt, videre, quod ſi ponantur ea merita, magna Divo Petro gloria decernetur: Tum quia neceſsè eſt idem videre, vt cognoſcat, quàm magnum beneficium Petro fiet, ſi dentur ipſi talia merita: valdè quippè creſcit hoc beneficium ex eo, quod ipſo poſito, tanta gloria decernatur.* Neque enim aut Deus allici poſſet ad exequendam conditionem, aut poſitio conditionis creſcere poſſet in ratione beneficij ex notitia illa divina conditionata de collatione magnæ gloriæ ſub diſpoſitione meritorum, niſi eadem notitia eſſet in ſigno poteſtatis & præcedenti ad purificationem conditionis: ac proinde in ſigno apto ad movendum, & dirigendum, vt ſit hypotheſis per eam ſcientiam attacta.

43 Sit prima concluſio. Scientia iſta, quæcumque illa ſit iuxta diſtinctionem datam, ſemper eſt in ſigno anteriori ad purificationem ſuæ hypotheſis. Probatur conſequenter ad dicta ſupra, diſputatione præcedenti de anterioritate Scientiæ mediæ reflexæ ad Scientiam mediam directam. Quia ſcientia illa habet veram præcedentiam, & prioritatem ad purificationem ſuæ hypotheſis: ſed ſcientia habens veram præcedentiam, & prioritatem ad purificationem ſuæ hypotheſis eſt in ſigno anteriori ad purificationem ſuæ hypotheſis: ergo ſcientia iſta, quæcumque illa ſit iuxta doctrinam traditam, ſemper eſt in ſigno anteriori ad purificationem ſuæ hypotheſis. Probatur maior, in qua eſt difficultas: Scientia, quæ verè eſt prior in ſubſiſtendi conſequentia ad purificationem ſuæ hypotheſis, eſt ſcientia habens veram præcedentiam, & prioritatem ad purificationem ſuæ hypotheſis: ſed ſcientia iſta eſt verè prior in ſubſiſtendi conſequentia ad purificationem ſuæ hypotheſis: ergo habet veram præcedentiam, & prioritatem ad purificationem ſuæ hypotheſis. Maior appareret certa: cum prioritas in ſubſiſtendi

di

di consequentia sit vera prioritas, vt constat ex definitione prioritatis traditа à Philosopho 5. Metaphys. capite 11. *Quædam verò secundum naturam, & substantiam*, (priora, & posteriora dicuntur) *quæcumque contingunt sine alijs, ista verò sine illis minimè*. Probatur minor. Nam à scientia ista ad purificationem suæ hypothesis, non valet consequentia, cum valeat à purificatione hypothesis ad existentiam scientiæ: atqui scientia ista taliter comparatur ad suam hypothesim, vt ab existentia scientiæ non valeat consequentia ad existentiam hypothesis; secus verò ab existentia hypothesis ad existentiam scientiæ: ergo scientia ista est verè prior in subsistendi consequentia ad purificationem suæ hypothesis.

44 Confirmatur primò. Veritas obiectiva conditionalis correspondens eidem scientiæ in tota sua latitudine, & sine exceptione acceptæ haberet prioritatem in subsistendi consequentia ad suam hypothesim: ergo scientia correspondens eidem veritati obiectivæ habet prioritatem in subsistendi consequentia respectu suæ hypothesis. Antecedens est certum: cum valeat consequentia non mutua ab existentia hypothesis ad existentiam veritatis conditionalis. Consequentia probatur: quia non minus intervenit consequentia non mutua inter purificationem hypothesis, & existentiam veritatis conditionalis, ac inter existentiam hypothesis, & existentiam scientiæ: ergo si veritas obiectiva conditionalis præcedit ad purificationem hypothesis habens prioritatem ad illam; etiam scientia conditionalis debet præcedere ad existentiam suæ hypothesis, & habere præcedentiam ad illam.

45 Confirmatur secundò. Necessaria, quæcumque illa sint, talem in omnium sententia habent præcedentiam ad contingentia, vt sint, & intelligantur in signo anteriori ad contingentia: sed non ob aliam rationem inter necessaria, & contingentia intercedit ista signi prioritas, nisi quia à contingentibus ad necessaria valet consequentia; secus à necessarijs ad contingentia: ergo si inter scientiam istam conditionalem in tota sua latitudine acceptam, & purificationem conditionis intervenit similis correspondentia consequentiæ non mutuæ, scientia illa conditionata in latitudine divisionis traditæ debet gaudere tali præcedentia ad suam hypothesim, vt intelligatur in signo anteriori ad purificationem illius. Confirmatur tertiò. Scientia simplicis intelligentiæ, qua cognoscitur possibilis ista Scientia media, sicut, & quævis alia, est in signo anteriori ad ipsam scientiam, non ob aliam rationem, nisi propter independentiam, quam dicit ab existentia illius scientiæ, cum à contrario scientia conditionalis nequeat existere sine scientia simplicis intelligentiæ: ergo propter similem dependentiam, & independentiam, quam habet scientia ista conditionalis à purificatione suæ hypothesis debet existere in signo anteriori ad purificationem illius.

46 Secunda conclusio. Scientia ista conditionalis, quæ attingat ex parte hypothesis aliquod exercitium divinum, præcedit immediatè *directivè*, & *illuminativè* ad purificationem hypothesis, quæ verò attingat ex parte hypothesis exercitium voluntatis creatæ, præcedit *in eodem genere præcedentiæ* tantum *remotè*. Probatur prima propositionis pars. Notitia illa, quæ constituit exercitium immediatum divinæ libertatis, maximè, & perfectissimè voluntarium, est notitia, quæ præcedit immediatè directivè, & illuminativè ad tale exercitium: sed notitia conditionata, quæ attingit ex parte hypothesis aliquod exercitium divinum, est notitia, quæ constituit ipsum exercitium immediatum divinæ libertatis maximè, & perfectissimè voluntarium: ergo præcedit ad ipsum immediatè directivè, & illuminativè. Discursus est legitimus, & maior videtur certa. Nam sicut notitia, quæ constituit divinum exercitium maximè, & perfectissimè liberum, est notitia, quæ præcedit immediatè ex parte libertatis, seu potentiæ liberè se exercentis, sic notitia, quæ constituit exercitium divinum maximè, & perfectissimè voluntarium, debet esse notitia, quæ immediatè præcedit ex parte voluntarietatis, seu potentiæ, quæ se exercet voluntariè. Minor autem probatur. Notitia illa conditionata est repræsentatio alicuius circunstantiæ obiectivæ, cui coexistere debet exercitium

Deo immediatum conſtituendo complexum cum ipſa : ſed notitia taliter ſe habens conſtituit ipſum exercitium divinum , & immediatum maximè , & perfectiſsimè voluntarium : ergo notitia illa conditionata conſtituit exercitium divinum , & immediatum maximè , & perfectiſsimè voluntarium. Minor conſtat : cum ab amplitudine notitiæ circunſtantiarum , cum quibus eſt coniungendum exercitium voluntariũ, creſcit voluntarietas eiuſdem. Maior probatur. Scientia illa conditionata eſt circunſtantia obiectiva , cui coexiſtere debet ipſum exercitium immediatum conſtituendo complexum : ſed illa non aliter proponitur , quàm per ipſam ſcientiam : ergo notitia illa conditionata eſt repræſentatio alicuius circunſtantiæ obiectivæ , cui coexiſtere debet exercitium immediatum conſtituendo complexum cum ipſa.

47 Argumentum factum in ſcientia poteſt ſimiliter confici in ipſa veritate obiectiva conditionali , quam repræſentat ſcientia ipſa conditionata; propterea quod ſit circunſtantia obiectiva , cui coexiſtere debet exercitium immediatum liberum conſtituendo cõplexum cum ipſa : ſed illa circunſtantia obiectiva non aliter proponitur, quàm per illam ſcientiam conditionatam : ergo, vt exercitium liberum immediatum divinum ſit pleniſsimè , & perfectiſsimè voluntarium , debet dirigi per talem notitiam : ac proinde hæc debet immediatè præcedere ad exercitium illuminativè, & directivè.

48 Confirmatur primò à paritate ſcientiæ neceſſariæ , & ſimplicis intelligentiæ , quæ per ſe requiritur, vt dirigens ad perfectam voluntarietatem exercitij divini contingentis , vt tenet communis ſententia , quam tuentur Ribadeneyra , Iunius , Herrera , & plures Recentiores tractatu de *Prædeſtinatione* , & *Providentia* affirmantes ad prædeſtinationem eſſe per ſe requiſitam , tum ſcientiam neceſſariam , qua Deus cognoſcit omnes ſuas divinas perfectiones , tum ſcientiam ſimplicis intelligentiæ , provt reſpicit omnia poſsibilia : quia aliàs prædeſtinatio non procederet perfectiſsimè voluntaria : cum non adeſſet dirigendo ſcientia , ex qua cognoſcit Deus omnes reſpectus intrinſecos , extrinſecos , & ſemiextrinſecos ſui decreti prædeſtinativi : ergo ſimiliter ſcientia illa conditionata debet præcedere ad exercitium divinum conſtituens hypotheſim , nè aliter procedat à divina voluntate ſine advertentia perfectiſsima , quam expoſcit perfectiſsima voluntarietas ad omnes reſpectus , & denominationes , quas poteſt habere hypotheſis purificata. Confirmatur ſecundò. Notitia illa , quam nihil retrahit à ſigno poteſtatis ad hypotheſim eſt notitia , quæ intelligitur in ſigno poteſtatis ad hypotheſim : ſed nihil eſt , quod retrahat hanc notitiam à ſigno poteſtatis ad hypotheſim : ergo debet eſſe in ſigno poteſtatis ad hypotheſim. Maior eſt certa : quia ſine ratione vlla non debet deturbari notitia illa à ſigno poteſtatis. Probatur minor. Siquidem non poteſt retrahere ſcientiam ab illo ſigno conſequentia , quam dicit in linea obiectiva à veritate conditionali , quam reſpicit , vt conſtans eſt in ſcientia conditionata de actione libera creaturæ ; v. g. *Si exiſtat libertas A , exiſtet conſenſus* , quæ cum ſimili conſequentia non retrahitur à ſigno immediatæ poteſtatis divinæ ad conferendam libertatem , ſub qua prævidetur conditionatè conſenſus , neque retrahere poteſt titulus inutilitatis ad purificationem hypotheſis : quia , vt probatum manet , maximè conducit ad perfectiſsimam voluntarietatem exercitij , quod ſe tenet ex parte hypotheſis : deinde non eſt aliud retrahens, vel aſsignetur : ergo nihil eſt , quod retrahat hanc notitiam à ſigno poteſtatis ad hypotheſim.

49 Probatur ſecunda pars , ſcilicèt : *Præcedere remotè ad hypotheſim, quando hæc non ſit aliquod divinum exercitium.* Quia quando hypotheſis ſit talis conditionis , & ſi vtpotè exercitium alterius libertatis non procedat immediatè à Deo electivè , & determinativè, tamen cum tale exercitium non poſsit exiſtere, niſi cum providentia divina in illo permittendo , aut cauſando, ſemper debet procedere præcedente aliqua diſpoſitione divina conſiſtente in aliquo decreto : ſed ad hoc decretum , & ad hanc diſpoſitionem debet præcedere illa notitia propter rationem ponderatam plenæ , & perfectiſsimæ voluntarietatis, quomodo remotè ſe habebit ad hypotheſim provenientem à tali diſpoſitione:

ne : ergo quando hypotheſis non eſt aliquod divinum exercitium, tunc notitia illa conditionata debet præcedere remotè ad diſpoſitionem hypotheſis. Explicatur in hac notitia conditionata, cuius hypotheſis non eſt exercitium liberum divinum : *Si exiſtat actus charitatis in Petro, erit illi hoc, aut illud præmium*, in qua verificatur, quod, &ſi non præcedat immediatè ad actum charitatis conſtituendo poteſtatem ad ipſum, præcedit tamen ad collationem poteſtatis, qua efficitur actus charitatis à creatura conſtituendo divinam poteſtatem elargiendi libertatem creaturæ, & in hoc ſenſu præcedit remotè ad ſuam hypotheſim.

50 Tertia concluſio. Scientia iſta, quæcumque illa ſit, non poteſt movere intrinſecè ad ſuam hypotheſim, poteſt tamen movere extrinſecè medio alio actu reflexo imperante purificationem hypotheſis. Probatur prima concluſionis pars. Motio iſta intrinſeca non valet ſtare ſine intrinſeco reſpectu conditionis ad ipſam ſcientiam conditionalem, cuius eſt hypotheſis : ſed iſte intrinſecus reſpectus eſt implicatorius : ergo ſcientia talis non poteſt movere intrinſecè ad ſuam hypotheſim. Maior eſt certa propter conceptum ipſum motionis intrinſecæ. Probatur minor. Reſpectus ille immutaret hypotheſim, & ipſam ſcientiam : ſed reſpectus immutans hypotheſim, & ſcientiam eſt reſpectus hypotheſis implicatorius : ergo reſpectus intrinſecus eſt implicatorius. Probatur maior. Reſpectus ille reddens hypotheſim connexam cum conditionato, cum debeat eſſe indifferens ad illud, necnon ſcientiam ex contingente neceſſariam, eſt reſpectus immutans hypotheſim, & ſcientiam : at qui reſpectus ille ita ſe haberet : ergo reſpectus ille immutaret hypotheſim, & ſcientiam. Probatur maior. Reſpectus ille intrinſecus redderet hypotheſim connexam cum ipſa ſcientia conditionali affirmante quod *ſi exiſtat hypotheſis, exiſtet conditionatum*, ac proinde haberet connexionem cum exiſtentia conditionati ſub exiſtentia ſui ; deinde haberet connexionem cum eo, quod ſcientia attingeret hypotheſim inſeparabilem ab exiſtentia conditionati ſub exiſtentia ſui, vt per ſe eſt conſtans, poſito in hypotheſi intrinſeco reſpectu ad ſcientiam : ſed hoc eſt reſpectum illum reddere hypotheſim connexam cum conditionato, cum deberet eſſe indifferens ad illud, necnon ſcientiam ex contingente neceſſariam : ergo reſpectus ille vtrumque faceret.

51 Apponamus exemplum claritatis gratia in hac notitia conditionata : *Si ſit decretum de altero mundo, erit decretum de Incarnatione Spiritus Sancti* ; dicimus enim decretum ſe tenens ex parte hypotheſis non poſſe moveri intrinſecè ex tali notitia : quia ſi moveretur intrinſecè ex tali notitia, haberet connexionem metaphyſicam cum ipſa : ac propterea cum obiecto illius, quod eſt veritas illa conditionata : *Si exiſtat decretum de altero mundo, exiſtet decretum de Incarnatione Spiritus Sancti*, quod formaliſsimè eſt connecti cum exiſtentia conditionati ſub exiſtentia ſui, & facere, quod ſcientia affirmet conditionatum ſub hypotheſi connexa cum illo : quomodo ſcientia non eſſet contingens, ſed neceſſaria, nec hypotheſis indifferens ad conditionatum, ſed potius ad illud determinata : ergo reſpectus ille intrinſecus in hypotheſi, in quo conſiſteret motio intrinſeca illius à tali ſcientia, eſt reſpectus immutans, & invertens hypotheſim, & Scientiam : ac proinde multis de titulis implicatorius ; non aliter ac intrinſeca motio hypotheſis, quæ in illo fundaretur.

52 Probatur ſecunda pars de *motione extrinſeca*, per oppoſitam rationem. Nam illa notitia in primis eſt inſigno apto ad movendum extrinſecè ad purificationem conditionis : deinde nullum eſt inconveniens in tali motione : ergo prædicta notitia poteſt movere extrinſecè, & per actum reflexum. Probatur antecedens quoad vtrãque partem. Quoad *primam*. Ex eo, quod, vt probatum manet in antecedentibus illa notitia, & habet præcedentiam in ſubſiſtendi conſequentia ad purificationem hypotheſis, & vlterius præcedit ad ipſam directivè, & illuminativè conſtituendo potentiam ad talem purificationem cum ea voluntarietate requiſita, vt actus purificationis procedat pleniſsimè, & perfectiſsimè voluntarius : ergo eſt in ſigno apto ad movendum extrinſecè. Quoad ſecundam partem : *de excluſione impedimenti ad eam motionem* probatur. Quia actus re-

flexus movens ſe intrinſecè ex tali notitia, & tendens in purificationem conditionis, qua ratione hæc movebitur extrinſecè ab illa notitia, non immutat hypotheſim, quoad intrinſeca, nec transfert ſcientiam à contingente in neceſſariam: ſed hæc ſola ſunt inconvenientia, quæ obſtare poſſent tali motioni: ergo nullum eſt inconveniens in tali motione. Minor huius vltimi diſcurſus apparet certa, cum his inconvenientibus excluſis nullum aliud obſtet. Probatur maior. Actus ille reflexus ſe movens intrinſecè ex tali motione manet omninò extra hypotheſim: inſuper ſcientia non attingit illud ex parte hypotheſis: ergo actus ille reflexus movens ſe intrinſecè ab illa notitia, & tendens in purificationem conditionis, qua ratione hæc movebitur extrinſecè ab illa notitia, non immutat hypotheſim quoad intrinſeca, nec transfert ſcientiam à *contingente* in *neceſſariam*.

53 Explicatur amplius hæc pars, & ratio illius: ſit in Deo iſta ſcientia conditionalis: *Si decrevero alterum mundum, decernam Incarnationem Spiritus Sancti*: in qua ſuppoſitione intendimus, quod, & ſi repugnet decretum de exiſtentia alterius mundi moveri intrinſecè ex prædicta notitia conditionata aſſumente ipſum pro hypotheſi *Incarnationis Spiritus Sancti*; non tamen repugnare, quod Deus id cognoſcens ex fine Incarnationis Spiritus Sancti habeat actum alium dependentem eſſentialiter à tali notitia, quo imperet decretum aliud alterius mundi conſtituens hypotheſim illius ſcientiæ. Pro quo vrget ratio tradita: ſiquidem notitia illa, ſicut eſt anterior decreto conſtitutivo hypotheſis, ſic debet eſſe anterior quocumque alio decreto verſante circa hypotheſim; militat enim reſpectu illius eadem ratio prioritatis in ſubſiſtendi conſequentia, & voluntarietatis perfectæ eiuſdem actus: Deinceps, & ſi tale decretum reflexum, & imperans ſit eſſentialiter connexum cum dicta notitia, & cum exiſtentia conditionati ſub hypotheſi; non vero conſtituit hypotheſim, nec facit illam dependentem intrinſecè, neque à ſe, neque à ſcientia, qua regulatur: quomodo etiam manet illæſa ſcientia, & conſervans ſemper ſuam hypotheſim indifferentem: ergo abſque inconvenienti vllo ponderato pro motione intrinſeca valet intelligi ex ductu prædictæ notitiæ motio extrinſeca erga conditionis purificationem.

54 Confirmatur. Nam propter eandem rationem ſimile quid accidit in ſcientia conditionali *ſtrictè media*; v. g. hac: *Si ſit in Paulo determinata libertas A, erit conſenſus*, ex cuius directione, & prælucentia poteſt Deus iuxta communiorem noſtrorum ſententiam, aut prædefinire efficaciter conſenſum liberum Pauli, aut conferre eidem libertatem per decretum connexum cum conſenſu, & quod intrinſecè referatur ad ſcientiam illam conditionalem. Neque aliud motivum adeſt pro cohærentia prædefinitionis, aut decreti, tum cum ſcientia, tum cum hypotheſi libertatis ad conſenſum, niſi quia nec per prædefinitionem imperantem collationem libertatis, & purificationem hypotheſis, nec per decretum eiuſdem exequutivum læditur, aut immutatur hypotheſis aſſumpta per ſcientiam, aut invertitur conditio ſcientiæ ex amiſsione contingentiæ, & ſubrogatione neceſsitatis: ſed id ipſiſsimum intercedit in motione extrinſeca ponderata hypotheſis illius notitiæ: *Si decrevero alterum mundum, decernam Incarnationem Spiritus Sancti*; etenim applicatio illa ad hypotheſim per decretum reflexum, & imperans ſemper manet extra ipſam hypotheſim: ac propterea relinquit immutatam tendentiam ſcientiæ: ergo aut in vtroque caſu concedenda eſt poſsibilitas motionis extrinſecæ per decretum reflexum, & imperans, aut admittenda pariter repugnantia.

55 In favorem huius *tertiæ* concluſionis quoad vtramque partem probatam: necnon *primæ*, & *ſecundæ* conſpirat (ni fallor) Patrum Authoritas, ex quæſtione illa, quam excitant: *Cur Deus, cum præviderit Adamum peccaturum, ſi ipſum creaſſet, ipſum tamen creaverit, non ſe retrahens à præviſione peccati?* Cui reſpondent, vt videre eſt apud Divum Auguſtinum, & alios, *id accidiſſe: quia ſimul Deus prævidit, quod ſi peccaſſet, erat pœnitentiam acturus.* In quo obſervandū ſe offert primò, agnoviſſe Patres *in Deo ſcientiā iſtam conditionalem de actibus divinis*, vt eſt hæc: *Si creavero Adamum, peccabit: & illa, ſi pec-*

ca-

caverit Adamus, dabo illi auxilium efficax ad resurgendum. Secundò: prædictas scientias existere ante purificationem hypothesis anterioritate signi cōstituentis potestatem ad existentiam conditionis: aliter deficiente ista prælucentia, nulla esset solutio pro difficultate quæstionis. Tertiò. Posse Deum moveri ex illa scientia sine præiudicio hypothesis, & scientiæ. Quartò, quod ex tertio liquet, hanc motionem esse purè extrinsecam: aliàs immutaret hypothesim, & scientiam propter rationem insinuatam de necessitate veritatis conditionalis, & scientiæ. Quæ omnia sunt capita nostræ sententiæ triplici conclusione expressa, quæque ipsam insinuant Sanctorum Patrum menti conformem.

CAPVT III.

Solvuntur argumenta contra propositas conclusiones.

56 CONTRA primam conclusionem nihil occurrit solutione dignum: videtur enim innegabile, & apud omnes inconcussum debere esse, Scientiam conditionatam etiam de actibus divinis modo explicato habere præcedentiam præcisionis, & insubsistendi consequentia respectu purificationis suæ hypothesis: non minus, ac est innegabilis inconnexio eiusdem notitiæ cum existentia absoluta hypothesis, & connexio huius in ratione talis cum existentia notitiæ. Quod si aliquid levis momenti se se offerat contra præcedentiam istam, recognoscenda sunt dicta disputatione præcedente pro simili præcedentia inter Scientiam mediam reflexam, & directam. quæ invtili, & molesta repetitione hic attexerentur; ideò contra secundam conclusionem, quæ pro directione talis Scientiæ ad purificationem suæ hypothesis militat.

57 Objicies primò. Ratio ob quam Scientia illa conditionata deberet præcedere directivè ad hypothesim, esset, quia aliter Deus non perfectè providenter se gereret erga hypothesim, nisi sciret pro priori, quid posita hypothesi, aut pro sua, aut pro alterius voluntate esset extiturum: sed ad perfectam providentiam in hypothesi id non est necessarium: ergo ratio nostræ conclusionis nulla est. Probatur minor. Quia salvatur perfecta providentia in Deo, dum nihil existat, quod sibi involuntarium, & casuale sit: atqui deficiente pro priori illa notia nihil casuale, aut involuntarium Deo existeret: ergo ad perfectam providentiam in hypothesi id non est necessarium. Probatur minor. Deficiente illa notitia pro priori ad purificationem hypothesis, vel liberum est Deo posita hypothesi decernere conditionatum, si hoc pertineat immediatè ad libertatem Dei, vel saltem liberum est Deo posita hypothesi providere de conditionato provisione positiva, aut permissiva, si sit exercitium immediatè liberum alteri agenti: sed stante hac libertate, nihil casuale, aut involuntarium Deo existeret: omne enim quod intervenit in veritate illa conditionali, procederet à Deo cum perfecta cognitione ergo deficiente pro priori illa notitia nihil casuale, aut involuntarium Deo existeret.

58 Probat argumentum: ad summum Scientiam dictam non esse necessariam in illo priori ad salvandum voluntarium simpliciter in Deo, aut ad evitandam in ipso casualitatem simpliciter talem: cæterum non probat, vt opus erat, non conducere ad salvandum perfectissimum voluntarium in Deo, & ad evitandam omnimodam casualitatem in decernendo. Itaque respondendum: ad perfectissimam Dei providentiam, & provt decet agens perfectissimum, & infinitum pertinere, nullum eligere, disponere, aut præparare extremum nisi ex perfecta notitia omnium eorum, quibus coexistet idem extremum, & ad quæ dicit qualemcumque ordinem, & respectum: vnde cū hypothesis purificata, & sit coextitura conditionato, & ad ipsum dicat ordinē, pro perfecta providentia, & voluntarietate sui indiget directione Scientiæ proponentis extremum, scilicèt conditionatum, cui coexistat, & ad quod dicat ordinem, cum aliunde talis Scientiæ prioritas ex nullo capite repugnet. Et confirmari potest solutio ratione desumpta ab ipso conditionato. Nam sicut istud non procederet perfectè provi-

denter, & voluntariè incognita propriori hypotheſi, cui coexiſtet, & ad quam dicit ordinem, ita pariter non procederet hypotheſis perfectè providenter, & voluntariè incognita pro priori exiſtentia conditionati ſub exiſtentia hypotheſis, ad quod dicit ordinem, & cui pro caſu exiſtentiæ ſui debet coexiſtere.

59 Objicies ſecundo. Saltem non probatur, notitiam illam conditionatam debere exiſtere in ſigno poteſtatis ad hypotheſim. Et ratio eſt: quia pro perfecta voluntarietate, & providentia, non eſt neceſſarium Scientiam immediatè præcedere: ſufficit enim remotè tantum ſe habere, & quod in Deo non deficiat in ſigno anteriori ad hypotheſim cognitio illius quod even urum eſt ſub hypotheſi, quamvis hæc cognitio non influat immediatè conſtituendo poteſtatem, quæ aliunde conſtituta per alias cognitiones ſufficiat ad poſitionem hypotheſis.

60 Reſpondeo. Semel conceſſo Scientiam conditionatam antecedere ad poſitionem hypo heſis nullo prudenti fundamento probari poſſe eſſe retrahendam à ſigno immediato, & conſtitutivo poteſtatis: alias eodem mo do diſcurrere poſſent de Scientia ſimplicis intelligentiæ, dicentes: verum eſſe, eam antecedere ſignum hypotheſis; attamen non antecedere immediatè cō ti u ndo po eſtatem ad illam, ſicque fi ri ſatis volun arietati eiuſdem: vlterius cog itionem retrahentem ab actione non conſtituere poteſtatem, aut ſignum immediatum ad illam: cum ſufficiat eſſe pro ſigno anteriori, quamvis non immediato. Quod ſi id non dicunt, nec dicere poſſunt: quia anterioritas immediata conſtituitur per conducentiam ad actum, vel poſitivam, vel negativam, & per repræſentationem eorum, quæ quomodocumque comitantur actum, & ſe habent, vt circunſtantiæ illius, idem applicent. Scientiæ conditionatæ, quæ cum anterioritate conceſſa in argumento, habet immediatam conducentiam ad voluntarietatem perfectam, & perfectam providentiam in exiſtentia, & poſitione hypotheſis.

61 Objicies tertiò. Deus pro ſigno poteſtatis ad hypotheſim; v. g. *decretum de altero mundo* eſt liber ad ita decernendum alterum mundum, vt valeat pro illo ſigno, nempè: *decreti, & hypotheſis* non intelligi, tàm formaliter; quàm interpretativè determinatus ad conditionatum illud: *Incarnationis Spiritus Sancti*: ergo Scientia illa conditionalis: *Si decrevero alterum mundum, decernam Incarnationem Spiritus Sancti* non ſe tenet pro prio i immediato ad purificationem hypotheſis. Antecedens videtur certum: cum inter illud, quod ponitur ex parte hypotheſis, & illud quod ponitur ex parte conditionati nulla interveniat connexio, vnde poſsit alligari determinatio hypotheſis ad determinationem conditionati. Conſequentia, in qua eſt difficultas, proba tur. Nam ſi illa Scientia immediatè præcederet ad hypotheſim, Deus ſe determinaret ad hypotheſim ſciens, quod ſi ita ſe determinet, etiam ſe determinabit ad conditionatum, quod eſt ſaltem interpretativè determinari ad conditionatum: cum determinari ad vnum extremum ſub præviſione determinationis ad aliud poſita prima determinatione, ſit vnam determinationem eſſe interpretativè aliam: ergo ſi Deus pro ſigno libertatis ad hypotheſim eſt liber ad decernendam illam, tàm formaliter, quàm interpretativè abſque conditionato, Scientia illa conditionalis: *Si decrevero alterum mundum, decernam Incarnationem Spiritus Sancti* non ſe tenet pro priori immediato ad purificationem hypotheſis.

62 Inſtatur obiectio in Scientia media *ſtricta*, & quæ ſit de operatione libera creaturæ probando Deum non poſſe conferre libertatem creatam coniungendam cum peccato prælucente immediatè ad decretum collativum eiuſdem libertatis Scientia conditionata proponente futurum peccatum ſub exiſtentia illius libertatis. Nam Deus pro priori ad decretum collativum libertatis creatæ, & ſigno libertatis ad illud eſt ita potens ad decernendam hypotheſim, vt valeat pro ſigno illius non intelligi, tàm formaliter; quàm interpretative decernens peccatum; imò ex ſua natura, & perfectione eſt determinatus ad excludendum ſimilem affectum in peccatum: at ſi Scientia conditionata eſſet pro priori ad decretum collativum libertatis coniungendæ cum peccato, Deus decernens eam libertatem ſaltem interpretativè velet peccatum cum ille, qui ſcit extremum ſuæ determinationis eſſe coniungendum cum peccato, præcipuè quando tale extremum maximè

con-

conducit ad peccatum, vt conducit libertas ad peccandum, & est hypothesis ad illud interpretativè velit peccatum: ergò, vt iste affectus interpretativus vitetur in Deo, debet removeri Scientia media *stricta* de inefficacia libertatis à signo potentiæ liberæ ad eam conferendam.

63 Nec valet, si respondeant: esse disparitatem inter vnum, & alium casum, propterea quod in casu obiecto vnum, & alterum exercitium sit eiusdem voluntatis, nempè divinæ ad quam solùm spectat, & decernere alterum mundum, & decernere incarnationem Spiritus Sancti; secus in casu instantiæ, in quo exercitium hypothesis pertinet ad voluntatem divinam; exercitium verò conditionati pertinet ad voluntatem creatam. Vnde vellè Deum suum exercitiũ coniungendum cum exercitio alterius voluntatis, & libertatis, non est vllo modo velle coniunctum vtriusque. Non inquam valet. Tum quia saltem inferam: ergo quando scientia illa conditionata sit, aut de hypothesi pertinente ad aliam libertatem, & de conditionato spectante ad libertatem divinam, aut quando sit de hypothesi propria libertatis divinæ, & de conditionato proprio libertatis creatæ, debet tunc præcedere immediatè, & in signo potestatis ad purificandam hypothesim, quod est magna ex parte nobis consentire. Tum quia disparitas nulla est: propterea quod inter actiones spectantes ad diversas voluntates, & libertates sit locus affectui interpretativo, vt constat in superiore non impediente, cum possit, actionem pravam subditi. Tum etiam: quia, vt benè vrget Herrera, falsum est illud principium assumptum de voluntario interpretativo in eo, qui sciens suam actionem cõiungendam esse cum alia etiam sua, se determinat ad primam, vt constat in eo, qui prudenter iudicet: *Quod si permaneat in sæculo non eligens statum religiosum, incidet aliquando in peccatum grave*, cui nullo modo, nec formaliter, nec interpretativè imputatur actio illa graviter peccaminosa in vi non eligendi statum religiosum.

64 Quare respondendum est cum ipso Herrera: ad voluntarietatem, & imputationẽ interpretativam vnius in alio non sufficere scientiam illam conditionalem ponderatam de futura coniunctione vtriusque extremi; sed vlterius opus esse, vt illud extremum, quod eligitur, sit connexum cum existentia alterius, vel si sit indifferens ad existentiam illius, saltem adsit obligatio in eligente ad impediendam illam operationem, quam cognoscit cum altera coniungendam: cum autem in Deo hæc duo deficiant, quia sub illa scientia, nec ponit hypothesim connexam cum conditionato, nec adest illi obligatio vlla evitandi purificationem conditionis, ideo ex electione hypothesis manet liber ab affectu adhùc interpretativo in conditionatum, quamvis pro priori stet illa scientia conditionalis proponens futuram coniunctionem hypothesis, & conditionati.

65 Sed insistes. Deus ponendo hypothesim præsupposita illa scientia, ponit aliquid connexum cum conditionato: ergo in vi determinationis ad hypothesim se determinat interpretativè ad conditionatum. Consequentia est legitima ex nostra ipsa solutione. Antecedens probatur. Nam Deus præsupposita scientia conditionali determinans existentiam hypothesis, determinat existentiam complexi *Scientiæ conditionalis, veritatis obiectivæ conditionalis, & purificationis hypothesis*: sed complexum, tum *scientiæ conditionalis*, tum *veritatis obiectivæ conditionalis*, & *hypothesis* est quid connexum metaphysicè cum existentia cõditionati: aliàs existente illa scientia conditionali verissima essentialiter, necnon veritate obiectiva conditionali, & purificatione hypothesis, posset deficere conditionatum sub hypothesi, quod est planè chymericum: ergo Deus ponendo hypothesim præsupposita illa scientia, ponit aliquid connexum cum conditionato.

66 Redarguitur instantia in Scientia media *stricta* de inefficacia, in qua pari titulo probari potest, dari in Deo affectum, & determinationem interpretativam erga peccatum: siquidem Deus conferens libertatem creaturæ, quam prævidet inefficacem, præsupposita ex vna parte scientia, & veritate obiectiva conditionali de inefficacia, ponit ex alia electivè, & determinativè purificationem hypothesis largiendo libertatem creaturæ: ergo ponit, & determinat complexum connexum metaphysicè cum existentia peccati, vt est complexum scientiæ conditionalis inefficaciæ, veritatis obiectivæ conditionalis ei cor-

reſpondentis, & purificationis conditionis, ſub quo non poteſt non eſſe peccatum: aliàs ſcientia falſificaretur, & veritas obiectiva conditionalis nulla foret. Iam inde inferant: *Deum habere affectum, & determinationem interpretativam peccati*, quod ſi ſequella iſta adhùc vitari poteſt, non obſtante electione libera ex parte Dei ſub ſcientia præſuppoſita inefficaciæ: non abſimiliter in noſtro caſu expelli poterit omnis affectus interpretativus conditionati ratione determinationis hypotheſis prælucente ſcientia conditionata de tali hypotheſi.

67 Reſponderi poteſt primò. Deum ponendo hypotheſim, nec ponere complexum illud, nec connexionem illius cum conditionato. Ratio eſt: quia, vt complexum aliquod, & id, quod reſultat ex illo tribuatur agenti libero, nō ſemper ſufficit ponere partem illius, etiamſi ſit vltima; ſed vltra opus eſt ponere illam, aut cum affectu elicito ad totum, aut cum inclinatione, & deſtinatione partis ad totum. Propterea quamvis ego ex præcognitione peccati commiſsi ab alio determinem libere actum ferventiſsimum charitatis, ex quo, & peccato alterius reſultet complexum per ſe malum, & Deo diſplicens, nec mihi imputatur complexum, nec diſplicentia divina ex illo reſultans; verùm vnicè extremum illud, quod laudabiliſsimè, & meritoriè eligo: non ergo eſt bonum argumentum ad probandam imputabilitatem complexi, & illius, quod ex ipſo reſultat aſſumere pro medio electionem, & imputationem vnius partis illud conſtituentis.

68 Reſponderi poteſt 2. Quod quando complexum aliquod denominativè tantum ab vna parte eſt connexum cum aliquo extremo, altera ſe habente præcisè, vt purus caſus connexionis, non imputatur ponenti, & eligenti hanc vltimam partem, nec connexio, nec id, quod denominatur connexum, prout taliter connexum eſt. Id oſtendi valet exemplo decreti Dei decernentis præmium gratiæ pro caſu exiſtentiæ meriti de condigno: quo caſu licèt Petrus ponendo meritum de condigno conſtituat cum decreto complexum connexum metaphyſicè cum exiſtentia gratiæ, non ideò Petro tribuitur, aut connexio metaphyſica cum gratia, aut aliquid connexum metaphyſicè cum illa, non ob aliam rationem, niſi quia extremum electum à Petro eſt ex ſe indifferens ad gratiam, & carentiam illius, & ſe habens duntaxat, vt caſus ſub quo exerceat ſuam connexionem metaphyſicam decretum divinum præmiativum meriti per collationem gratiæ.

69 Reſponderi poteſt tertiò: ad arguendum affectum interpretativum erga aliquod extremum non ſufficere probare electionem, & determinationem cuiuſcumque connexionis cum illo; ſed illam, quæ ſit antecedens determinatio ad tale extremum, & non purè illatio logica: cum autem Deus determinans purificationem conditionis præſuppoſita ſcientia non ponat connexionem antecedentem cum conditionato; ſed conſequentem ad determinationem, & libertatem conditionati, ad quam ſpectat, tàm determinare, quàm impedire notitiam conditionalem, & veritatem obiectivam illius: etenim nec ſcientia conditionalis, nec veritas obiectiva illius determinari, aut impediri valet per ſolam libertatem ad ponendam, vel impediendam hypotheſim, vt incomperto eſt, aliàs Scientia media *ſtricta*, & de operatione mihi libera eſſet determinabilis, & impedibilis per Deū, cui liberum eſt determinare, aut impedire hypotheſim illius: ideò non cenſetur habere aliquem affectum adhùc interpretativum erga conditionatum, ſicut non probatur in exemplo memorato ſcientiæ de inefficacia, adhùc admiſſo, quod Deus ponendo hypotheſim ponat cōnexionem metaphyſicam cum peccato. Sed quid in hoc immoramur? Quando adeſt ſententia communiſsima, & probabiliſsima de *prædefinitione* divina finis connexi cum peccato, vt iudica redemptionem, aut pœnitentiam ante abſolutam prævisionem illius, quin inde liceat deducere affectum non modo formalem; verùm nec interpretativum Dei erga peccatum, non ob aliam rationem, niſi quia connexio illa liberè electa à Deo non eſt ſimpliciter antecedens peccatum; verùm conſequenter, & purè logicè illativa illius.

70 Obijcies quartò. Scientia conditionalis præcedens immediatè, & ex parte poteſtatis ad hypotheſim, quæ ſit exercitium liberum divinum. vt in hac: *Si decrevero alterum mundum, decernam Incarnationem Spiritus Sancti*, aut in iſta: *Si decrevero Petro libertatem ſub prævisione efficaciæ; decernam Paulo ſub prævisione in-*

effi-

efficaciæ, destrueret se ipsam : quia ex contingenti fieret necessaria: ergo præcedere non potest immediatè, & ex parte potestatis ad purificationem hypothesis. Probatur antecedens. Si ita præcederet, constitueret hypothesim connexam cum conditionato: ergo destrueret se ipsam: quia ex contingenti fieret necessaria. Consequentia est legitima. Nam Scientia conditionalis affirmans conditionatum sub hypothesi cum illo connexa non est Scientia contingens; sed necessaria. Antecedens probatur. Si ita præcederet, constitueret libertatem, qua defacto gaudet, exercitium divinum positum in hypothesi: sed exercitium divinum connectitur cum ea libertate, nam essentialiter liberum est: ac proinde connecteretur cum tali Scientia, & cum eo, cum quo connectitur Scientia, nimirum cum eo quod si existat talis hypothesis, existat conditionatum: quomodo hypothesis erit etiam inseparabilis à conditionato & cum illo connexa. ergo si Scientia ita præcederet, constitueret hypothesim connexam cum conditionato.

71 Ante solutionem huius difficultatis occurrit instantia in *decreto indifferenti applicativo Omnipotentiæ* ad nostras operationes liberas, quod quidem procedit in Deo liberè ex Scientia de eo, quod eveniet sub illo in determinatione libera creaturæ: ac proinde ex Scientia media proponente operationem liberam creaturæ sub tali libertate determinata, & constituta per decretum applicativum. Iam sic: si ea Scientia constituat libertatem ad decretum applicativum, hoc, vtpote essentialiter liberum, erit connexum cum ea determinata libertate, à qua procedit: ac per consequens cum illa Scientia conditionata, quæ proponit operationem liberam creaturæ sub ipso: vnde erit etiam hypothesis connexa cum conditionato, ex quo fiet tum destructio libertatis, cum non sit decretum indifferens; sed connexum cum conditionato operationis creaturæ, se tenens ex parte potestatis: tum destructio ipsius Scientiæ, quæ absdubio fieret necessaria per affirmationem conditionati sub hypothesi connexa cum conditionato ex inclusione decreti inseparabilis à conditionato.

72 Respondetur pro omnibus solutione iam alibi insinuata: aliud esse actus divinos liberos esse essentialiter liberos; aliud esse, esse essentialiter liberos ea determinata libertate, qua defacto gaudent. Pro *primo* sufficit, actus divinos liberos esse talis conditionis, vt nunquam valeant procedere à divina voluntate necessariò, pro quo sufficit aliquam libertatem hanc, vel illam non posse illis deficere, quamvis sine hac determinata à qua defacto procedunt, queant existere. Pro *secundo* vlterius est necessaria determinata connexio non modò cum libertate, vtcumque sumpta; verùm cum hac determinata, à qua defacto procedunt. Ex his primum est verum. Nam actus divini liberi non sunt sicut nostri, quibus aliquando deficere potest aut plena, aut totalis libertas ob defectum nostri intellectus, aut ob impetum passionum, quæ omnia longe sunt à perfectione divina. Secundum autem est falsum, imò libertati ipsorum contrarium propter rationem ipsam insinuatam in argumento, quæ non probat Scientiam esse removendam ab illo signo, vt salvetur connexio in actibus divinis cum determinata libertate; sed potius negandam esse hanc determinatam connexionem, ne minuatur libertas, & voluntarietas eorum: etenim perfectiones divinæ sunt amico fœdere componendæ, taliter, vt vna non crescat cum decremento notabili alterius, vt contingeret in casu præsenti vbi ad salvandum gradum illum determinatæ libertatis in actibus adstrueretur modus quidam procedendi cœcus, & non perfectè voluntarius. Vnde ad formam negandum est primum antecedens. Ad cuius probationem negandum iterum antecedens. Denique in syllogismo per quem istud probari intenditur, concessa maiori, neganda est minor. Nam actus ille contentus in hypothesi, quamvis sit essentialiter liber; non ideò essentialiter determinatus est ad hanc determinatam libertatem, à qua defacto procedit, sed hac, vel alia gaudere sufficit.

73 Obijcies quintò. Scientia conditionalis hęc: *Si decrevero alterum mundum, decernam Incarnationem Spiritus Sancti*, debet attingere ex parte hypothesis decretum cõstitutivum illius, vt liberè procedens à Deo: sed non libertate constituta per ipsam Scientiam: ergo libertate aliundè constituta: ac per consequens, Scientia dicta debet non præcedere immediatè ad hypothesim constituendo

po-

poteſtatem immediatam eiuſdem. Diſcurſus eſt rectus, & maior certa: ſiquidem Scientia illa non proponit indiſcriminatim, quod ſi exiſtat decretum de altero mundo, ſivè liberè, ſivè neceſſariò exiſtet Incarnatio Spiritus Sancti; ſed determinatè iuxtà conditionem decreti, quod aliter, quàm liberè exiſtere nequit. Probatur minor. Nam ſi ex parte hypotheſis attingeret decretum, vt liberum libertate conſtituta per ipſam Scientiam, attingeret ſe ipſam ex parte hypotheſis, vnde haberet hanc, vel æquivalentem tendentiam: *Si exiſtat decretum de altero mundo ſub ſcientia de eo, quod ſi exiſtat, exiſtet Incarnatio Spiritus Sancti: exiſtat Incarnatio Spiritus Sancti.* Quomodo Scientia illa iam non eſſet contingens; ſed neceſſaria, vtpote quæ affirmaret conditionatum ſub purificatione conditionis ſimul cum Scientia conditionali de tali conditionato ſub tali hypotheſi, quod quidem coniunctum inſeparabile metaphyſicè eſt ab exiſtentia conditionati.

74 Idem argumentum confici valet contra Scientiam mediam *ſtrictam*, cuius hypotheſis ſit noſtra libertas; v. g. *Si exiſtat talis determinata libertas, exiſtet conſenſus.* In qua hypotheſis illa libertatis creatæ non aliter exiſtere poteſt, quàm liberè à Deo. Vel ergo attingitur à Scientia, vt libera libertate conſtituta per ipſam Scientiam, vel libertate aliunde, & independenter conſtituta? Si *primum*: Scientia erit neceſſaria ex affirmatione conditionati ſub ſe, & ſub hypotheſi. Si *ſecundum*: ergo Scientia illa non conſtituit libertatem Dei ad purificandam hypotheſim: ac proinde non dirigit Deum ad collationem auxiliorum: igitur difficultas propoſita non ſpecialis pro Scientia conditionata actuum diuinorum.

75 Reſpondeo. Scientiam attingere hypotheſim, vt liberam eo modo, quo hypotheſis eſt determinata ad procedendum liberè, non quidem determinatè ſub hac determinata libertate; verùm vagè ſub hac, vel ſub illa libertate: ſed in hoc adhuc reſtat diſtinguendum, nam licèt Scientia attingat libertatem hypotheſis vagè, & indeterminatè acceptam, eam tantùm proponit, vt connotatum hypotheſis; ſecùs, vt conſtitutiuum illius, nimirum affirmando conditionatum ſub libertate adhuc vagè accepta. Itaque Scientia illa non habet hanc tendentiam: *Si exiſtat decretum liberum de altero mundo libertate per me conſtituta, exiſtet Incarnatio Spiritus Sancti.* Neque iſtam: *Si exiſtat decretum liberum de altero mundo libertate conſtituta ſic, vel aliter, exiſtet Incarnatio Spiritus Sancti.* Nam vtraque iſta tendentia eſt neceſſaria, ſed iſtam: *Si exiſtat decretum de altero mundo, quod debet eſſe liberum hac vel illa libertate, exiſtat Incarnatio Spiritus Sancti*, qua ratione Scientia conditionata adhuc manet contingens, cum in hypotheſi ſolummodo ponatur fundamentum connexionis; ſecus termini illius, qui tantum ſe habent, vt connotata eiuſdem. Quæ ſolutio communis eſſe debet omnibus noſtris ad vitandam eandem difficultatem à nobis in inſtantia propoſitam pro Scientia conditionata de hypotheſi noſtræ libertatis ad conditionatum nobis liberum, reſpondendo tendentiam illius Scientiæ mediæ non eſſe: *Si exiſtat libertas ſub me, erit conſenſus*; nec: *ſi exiſtat libertas ſub me, vel ſub Scientia oppoſita, erit conſenſus*; verùm: *ſi exiſtat libertas, quæ aliter, quàm ſub me, vel ſub Scientia oppoſita exiſtere nequit, exiſtet conſenſus*: quomodo Scientia illa media manet contingens, ſe habente ipſa Scientia purè de connotato vagè reſpecto.

76 Replicabis: eo modo, quo affirmatur fundamentum connexionis, vt fundamentum connexionis eſt cum aliquo extremo affirmatur formaliter, vel æquivalenter tale extremum: ſed hypotheſis afirmatur, vt fundamentum connexionis eſt, vagè cum hac, vel illa Scientia tanquam hypotheſis in ordine ad conditionatum: ergo extrema illa ſcilicèt hæc vel illa Scientia, quæ ſunt termini connexionis, affirmantur, vel formaliter, vel æquivalenter, velut hypotheſis ad conditionatum. Nego maiorem, quæ falſiſsima eſt. Nam licèt in exiſtentia abſoluta fundamenti connexionis cum aliquo extremo verum teneat, quod affirmatio fundamenti connexionis cum aliquo extremo, provt tale fundamentum eſt, ſit etiam affirmatio, vel formalis, vel æquivalens termini connexionis quoad exiſtentiam illius; non ſic quando fundamentum connexionis comparatur cum aliquo tertio, & in ordine ad illud affirmatur: tunc enim affirmatio fundamenti connexionis eo modo, quo reſpicit fundamentum, provt tale non debet reſpicere terminos connexionis, vt conſtat in hac

affir-

affirmatione: *Datur vnio inseparabilis ab extremis vniens, & nectens extrema*; quæ nullo modo est affirmatio extremorum, vt vnientia, & nectentia se ipsa. Falsum ergo est: eo modo, quo affirmatur fundamentum connexionis, vt tale, cum aliquo extremo, affirmari formaliter, vel æquivalenter tale extremum.

77 Obijcies sextò. Deus in aliquo signo est indifferens ad decernendum, vel non decernendum alterum mundum præscindendo ab Incarnatione Spiritus Sancti, & ad decernendum simul alterum mundum, & Incarnationem Spiritus Sancti, sivè per vnum decretum, sivè per duo comitanter se habentia, & insuper ad decernendum mundum, & carentiam Incarnationis Spiritus Sancti, taliter, vt aliquod sit signum indifferentiæ ad omnia hæc: ergo neque Scientia conditionata de Incarnatione Spiritus Sancti, neque Scientia opposita se tenent necessariò in signo indifferentiæ, & potestatis liberè ad decernendum alterum mundum. Antecedens apparet certum. Potest enim Deus obiecta, quæ ex sola sua libera voluntate pendent, vel simul, vel divisim decernere. Consequentia probatur. Pro signo libertatis, & indifferentiæ ad aliquod extremum nihil debet intelligi oppositum cum tali extremo: sed Scientia de Incarnatione Spiritus Sancti sub hypothesi alterius mundi opponitur exercitio, quo simul decernat Deus mundum, & defectum talis Incarnationis. Insuper Scientia opposita de carentia eiusdem Incarnationis sub existentia alterius mundi opponitur exercitio, quo simul decernat Deus alterum mundum, & existentiam Incarnationis Spiritus Sancti: ergo nulla ex dictis Scientijs potest se tenere pro priori immediato, & ex parte libertatis ad hypothesim: sic contra se, & contra nostram sententiam proponit Herrera.

78 Huic obiectioni occursum est per notatum stabilitum num. 41. huius disputationis, quod renovare oportet. Ad solutionem: diximus enim ibi, & vt certum supponimus: Scientiam conditionatam de divino exercitio non posse præcedere immediatè, & ex parte potestatis liberæ ad hypothesim quando hypothesis, & conditionatum considerentur, vt exercitia eiusdem libertatis potentis separare conditionatum ab hypothesi. Nam si tunc Scientia conditionata de conditionato illo sub hypothesi constitueret libertatem, ex vna parte libertas illa, quia talis, posset coniungi cum carentia conditionati sub hypothesi, & ex alia, quia includens Scientiam affirmantem conditionatum sub hypothesi, esset determinata ad existentiam conditionati sub hypothesi, qua ratione includeret prædicata sibi repugnantia, efficereturque chymærica. Vnde subinfertur: Scientiam conditionatam, de qua diximus, præcedere immediatè ad hypothesim, constituendo potestatem ad illam, semper debere respicere hypothesim, vt procedentem à diversa libertate, ab ea, ex qua procedit conditionatum sub tali hypothesi.

79 Inde ad argumentum: concesso, vel permisso antecedenti, distinguo consequens. Neque Scientia de Incarnatione Spiritus Sancti sub existentia alterius mundi, neque Scientia opposita: *quæ sit consequens libertatem, & potestatem indivisam hypothesis, & conditionati* concedo consequentiam, & nego suppositum: cum de hac non procedat quæstio: *quæ sit consequens, & respiciens libertatem divinam* conditionati, & hypothesis, nego consequentiam. Est dicere: tripliciter potest considerari hæc Scientia: *Si existat decretum alterius mundi, existet decretum de Incarnatione Spiritus Sancti.* Vno modo si respiciat conditionatum, quod sit idem exercitium indivisibile realiter, & virtualiter cum exercitio hypothesis: Altero: vt proponat existentiam mundi alterius, & Incarnationis Spiritus Sancti, vt duo exercitia virtualiter divisa eiusdem libertatis, & potestatis. Demum, vt respiciat existentiam alterius mundi, vt exercitium vnius potestatis, & libertatis, & existentiam Incarnationis Spiritus Sancti, vt exercitium alterius potestatis, & libertatis distincte à potestate, & libertate hypothesis. Iam si primo modo consideretur, non est Scientia conditionata contingens; sed necessaria propter inseparabilitatem hypothesis à conditionato, quæ Scientia necessaria sine inconvenienti vllo potest præcedere, & se tenere ex parte hypothesis sicut Scientia simplicis intelligentiæ. Si secundo modo: Scientia illa non potest præcedere immediatè ad hypothesim, cum sit incomponibilis cum carentia conditionati sub hypothesi, quæ divisio, vt supponitur, est exercitium potens provenire ab illa libertate, & potestate ponendi hypothe-

theſim: ſed quid mirum, nec quid contra nos, ſi Scientia talis à quæſtionis initio maneat excluſa, propterea quod libertas ad hypotheſim, & conditionatum ſit vna, & eadem. Si tertio modo: Scientia illa poteſt, & debet præcedere ad purificationē hypotheſis. Nam quod Deus ſub libertate indiviſa ad omnia illa extrema ſit operaturus, aut per poſitionem vtriuſque extremi, aut per excluſionem vtriuſque, aut per excluſionem vnius tantùm ſub altero, non impedit, quod pro priori Deus cognoſcat, quod ſi detur hypotheſis ſub libertate diviſa à libertate conditionati, ſit aut non ſit extiturum conditionatum illud: *Incarnationis Spiritus Sancti.*

80 Obijcies ſeptimo. Si Scientia de decreto Incarnationis Spiritus Sancti ſub conditione decreti de altero mundo ſe teneret pro priori immediato, & ex parte poteſtatis ad decretum de altero mundo, Deus, exiſtente altero mundo, non eſſet indifferens ad decretum de Incarnatione Spiritus Sancti: ergo dicta Scientia non poteſt præcedere immediatè, & ex parte poteſtatis ad hypotheſim eiuſdem. Probatur antecedens. Nam ſi ea Scientia præcederet ad hypotheſim, etiam ſe teneret pro priori immediato, & in ſigno poteſtatis ad decernendam incarnationem Spiritus Sancti Scientia viſionis de decreto alterius mundi, vt dependenti à tali Scientia conditionata, vt defacto dependeret: ſed poteſtas conſtituta per talem Scientiam viſionis non eſſet indifferens ad Incarnationem Spiritus Sancti: ergo ſi illa Scientia conditionata præcederet ad hypotheſim modo dicto, poteſtas ad decernendam Incarnationem Spiritus Sancti exiſtente altero mundo non eſſet indifferens. Probatur maior. Nam in ſigno poteſtatis ad decernendam *Incarnationem Spiritus Sancti* debet intelligi cognitio & Scientia repræſentans, vt exiſtens illud, quod non ſe habet, vt quid impertinens ad exiſtentiam, & decretum Incarnationis Spiritus Sancti, quomodo non ſe habet decretum de altero mundo: ſed Scientia, quæ repræſentat aliquod extremum, vt exiſtens, vtporè viſio illius proponit illud, vt dependens ab omni ſua cauſa, aut quaſi cauſa à qua defacto dependet: ac proinde debet proponere illud decretum de altero mundo, vt coniunctum cum illa Scientia conditionata, à qua defacto dependet: ergo ſi Scientia illa conditionata præcederet ad hypotheſim, etiam ſe teneret pro priori immediato, & in ſigno poteſtatis ad decernendam Incarnationem Spiritus Sancti, Scientia viſionis de decreto alterius mundi, vt dependenti ab illa Scientia conditionata à qua defacto dependet: ac propterea aliquid connexum cum Incarnatione Spiritus Sancti exiſtente altero mundo: quomodo poteſtas ad dictam Incarnationem non eſſet indifferens; verùm ad ſummum determinata.

81 Concedit nobis obijciens: quod ſi decretum de altero mundo ſe haberet impertinenter, & diſparato modo ad decretum de Incarnatione Spiritus Sancti, tunc Scientia conditionata poſſet, & deberet præcedere ad purificationem hypotheſis. Deinde ad caſum, in quo non ita impertinenter ſe habeat, poſſet reſponderi ex probabili ſententia non eſſe neceſſarium, vt decretum de Incarnatione Spiritus Sancti moveatur ex decreto alterius mundi, quod Scientia viſionis talis decreti, & dependentiæ, quam habet à Scientia conditionata, ſe teneat in ſigno priori ad decretum dictæ Incarnationis; ſed ſufficere ſi comitanter ſe habeat, non aliter ac apud dicentes intellectionem neceſſariam Dei non diſtinguî adhùc virtualiter ab amore neceſſario eiuſdem, poteſt Deus abſque vlla præcedentia cognitionis ad amorem moveri ex bonitate divina ad ſe amandum; & ſe propter ſe amare perfectiſsimè voluntariè: qua doctrina data, cognitio, & viſio decreti de altero mundo, vt vides, non officeret libertati Dei ad decernendam Incarnationem Spiritus Sancti ex ſuppoſitione decreti de altero mundo, cum nihil connexum exiſteret pro priori ad decretum talis Incarnationis. Nec licebit inferre ſententiam iſtam nobis nocere, cum ex eodem capite poſſet impugnari præcedentia Scientiæ conditionatæ ad hypotheſim dicendo pro voluntarietate & directione hypotheſis ſufficere comitantiam illius notitiæ conditionatæ: quomodo in caſu præſenti ſufficit comitantia Scientiæ viſionis, & notitiæ abſolutæ. Quia eſt diſparitas inter notitiam conditionatam, & abſolutam: nam conditionata habet præcedentiam in ſubſiſtendi conſequentia reſpectu hypotheſis, & vlterius nihil eſt, quod vetet Scientiam condi-

tio-

tionatam existere in signo priori ad hypothesim, quæ duo deficiunt in Scientia absoluta decreti alterius mundi comparata cum decreto Incarnationis Spiritus Sancti.

82 Absolutè tamen respondendum est: Scientiam visionis alicuius obiecti non debere proponere dependentiam, quam habet tale extremum à suis causis: præcipuè quando dependentia est purè extrinseca, vt est illa, quam habet decretum de altero mundo ab illa determinata notitia conditionata, cum cuius notitia opposita posset similiter existere. Nam licèt Scientia visionis, quia comprehensiva sui obiecti sit determinata, vt non deficiat in Deo notitia dependentiæ,& existentiæ causarum, à quibus extremum dependet; non tamen indiget, vt ipsa neque formaliter, neque virtualiter sit talis repræsentatio. Modò, quo etsi propter eundem titulum sit determinata, vt non deficiat in Deo notitia possibilitatis illius extremi; non ideò exigit, vt ipsa, neque formaliter, neque virtualiter sit repræsentatio eiusdem, vt possibilis. Vnde ad formam argumenti negandum est antecedens. Ad cuius probationem neganda est maior, sicut in syllogismo probativo huius concessa maiori, neganda est minor in qua continetur, Scientiam visionis cuiusque extremi debere proponere illud, vt dependens ab omni eo, quod se habet pro priori, & à quo defacto dependet, quod, vt vidimus, falsum est.

83 Obijcies octavò contra *tertiam conclusionem*, quatenus asseruimus in ipsa exercitium hypothesis, eam constituens, non posse moveri intrinsecè à Scientia conditionata sui. Nam motio intrinseca ista hypothesis non repugnat per ordinem, quem dicit hypothesis ad conditionatum: quia id, quod reddit firmiorem existentiam conditionati sub hypothesi non facit repugnantem hypothesim per ordinem ad conditionatum. Insuper non repugnat ex parte libertatis ad hypothesim. Nam quod hypothesis sit inseparabilis à conditionato, non impedit hypothesim existere liberè à divina voluntate: sicut quod decretum mundi videatur, etsit connexum metaphysicè cum mundo, non tollit quod liberè, & à potestate divina indifferenti decernatur mundus: ergo non repugnat exercitium divinum positum in hypothesi moveri intrinsecè à Scientia conditionata sui tenente se ex parte potestatis ad hypothesim.

84 Respondeo. Prædictam motionem intrinsecam repugnare non modò ex capite assignato; verùm ex parte Scientiæ; & vndequaque. Ratio est: quia repugnat *per ordinem ad conditionatum*: cum ordo, quem debeat dicere hypothesis ad conditionatum sit ordo contingens, sicut contingens est veritas ipsa conditionalis. Hic autem ordo immutaretur, & fieret ex contingenti necessarius. Vnde illa maior firmitas adducta in probationem, ipsum destrueret: vlteriùs repugnaret ex capite *libertatis ad hypothesim*: cum libertas constituta per illam notitiam conditionatam respiciat, vt extremum suum *hypothesim*, quam Scientia conditionata contingens proponit: hæc autem hypothesis evanesceret posita connexione ipsius cum conditionato: ideò nulla est paritas adducta decreti, quo Deus decernit mundum, quod quidem semper manet immutatum, sicut manet immutata Scientia necessaria, per quam proponitur ita connexum. Demum repugnaret ex *parte Scientiæ*: quæ, vt supponi debet, est Scientia conditionata contingens, & aliunde quia assumeret pro hypothesi aliquid cum conditionato connexum fieret necessaria, vt fieret conditionalis obiectiva correspondens conditionato sub hypothesi ab ipso inseparabili.

85 Obijcies nonò contra eandem conclusionem quoad aliam partem, qua continetur *non repugnantia motionis extrinsecæ*; v.g. *alterius actus reflexi imperantis exercitium contentum in hypothesi*. Nam de illo decreto reflexo imperante ex fine incarnationis Spiritus Sancti decretum de altero mundo reddit eadem difficultas. Etenim de illo decreto dabitur Scientia conditionata contingens ipsum assumens pro hypothesi in ordine ad plura conditionata, quæ contingerent sub tali decreto: vel ergo ista Scientia præcederet, vel non præcederet ad ipsum decretum? Si *non præcederet*: igitur nulla præcederet: cum nulla sit maior ratio pro vna; quàm pro altera Scientia. Si *præcederet*: aut decretum posset moveri intrinsecè ex ea notitia, aut duntaxat extrinsecè? Si possit moveri *intrinsecè*; poterit etiam moveri intrinsecè decretum directum; quin sit necessarium decretum reflexum, & imperans; si verò tan-

tantùm valeat moveri *extrinsecè*, pro illo decreto imperante erit necessarium aliud decretum reflexum, & pro illo alio aliud, & sic in infinitum: ergo vel vtrumque exercitium potest moveri intrinsecè, vel nullum potest moveri adhùc extrinsecè.

86 Respondeo Actum imperantem, & reflexum comparatum cum Scientia conditionata sui in ordine ad conditionata, quorum sit hypothesis contingens, considerandum esse æqualem actui directo, quem imperat, & dicendum Scientiam conditionatam præcedere ad ipsum præcedentia explicata *directionis*, & *illuminationis*, vltra præcedentiam in subsistendi consequentia; non tamen posse præcedere movendo *intrinsecè* ad illum; secus movendo *extrinsecè*, & *per alium actum reflexum*, in qua motione nulla est difficultas ponderata infinitarum reflexionum: nam posse movere non est movere actualiter: cum hoc sit liberum Deo sub potestate constituta per illam Scientiam. Vnde licèt ad motionem extrinsecam sit necessarius actus reflexus, non debet hic necessariò existere existente actu directo: cum possit Deus nolle se moveri adhùc *extrinsecè* à notitia illa dirigente, aut se movere pro actu directo; non verò pro reflexo, aut pro vno reflexo, & non pro alio, quem supra primum reflexum habeat. Iam si in ipsa omissione movendi se extrinsecè velis considerare necessarium actum positivum excludentem talem motionem: hoc erit se immiscere extra rem quæstione de possibilitate, aut repugnantia puræ omissionis liberæ in Deo. In qua, si puram omissionem liberam admittas, non erit opus actus positivus ad excludendam motionem extrinsecam, si verò, vt repugnantem, aut chymæricam neges, tunc erit necessarius actus positivus pro exclusione motionis extrinsecæ in primo actu, & pro exclusione in secundo, & tertio, & sic in infinitum, nisi perveniatur ad aliquem actum, qui ex essentia sua non possit moveri adhùc *extrinsecè* ab illa Scientia, quod si hæc dura tibi sint non neges *possibilem* puram omissionem liberam in Deo, & sic facilè ista vitabis incommoda.

Sed iam tempus iter longi cohibere libelli
Ne tractus sine fine ferat fastidia cursus.

Aiebat Prudentius in fine libri contra Symmacum. Ideo hæc satis, tàm de præsenti quæstione; quàm de toto Tractatu divinæ Scientiæ, in cuius enodatione, si veritati enixè studentes, à veritate tamen defleximus, in causa fuit ipsa materiæ celsitudo, quæ velut thesaurus absconditus latet nostros debiles oculos dicente Iob cap. 1. *Sapientia enim vbi invenitur, & quis est locus intelligentiæ?* Vnde permissis nobis tantùm aliquibus signis, vt in detegendo indefessè laboremus; divitiæ tamen *Sapientiæ*, & *Scientiæ* Dei adeò sunt altè defossæ, quæ omninò visum nostrum subterfugiant, nec vix à longe rimari possimus. Etenim, vt scitè dixit Tertulianus: *Deus talis non esset, si quæ sunt Dei, nobis paterent.* Cœdat igitur labor noster susceptus in Dei, & Deiparæ Virginis honorem, & quæ bono animo scripsimus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, necnon sapientum correctioni sint subiecta.

FINIS.

INDEX

INDEX

DISPVTATIONVM, ET CAPITVM, quæ in hoc ſecundo Tomo continentur, vbi loca in quibus à Magiſtro, iuxta P. Ripaldam excitantur, aut excitari poſſunt, vt illationes ex excitatis ponuntur.

DISPVTATIO XV.

De obiecto Scientiæ liberæ.

CAP. I. Proponuntur ea, quæ certa ſunt circa obiectum Scientiæ liberæ, pag. 2.

Cap. II. Nonnullis ex immediate dictis procedentibus fit ſatis, pag. 11.

Cap. III. In quo medio cognoſcat Deus futura contingentia abſoluta? pag. 22.

Excitantur in Mag. iuxta Rip. libr. 1. diſtinct. 35. quæſt. 6. & 7. diſt. 36. quæſt. 5. diſt. 38. quæſt. 2. diſt. 89. quæſt. 4.

Cap. IV. An & quomodo cum Scientia certiſsima quam Deus habet de abſolutè futuris, componantur, & eorum contingentia, & creata libertas, pagina 39.

Excitatur in Mag. iuxta Ripald. libr. 1. diſt. 38. quæſt. 5. & diſtinct. 39. quæſt. 5. & excitari poteſt, diſt. 35. & 36.

DISPVTATIO XVI.

Prævia ad Scientiam contingentem Deo non liberam De futuritione conditionata in tota ſua latitudine.

CAP. I. Examinatur Conſtitutio futuri conditionati in tota ſua latitudine, pag. 57.

Cap. II. Alteri dubio occurritur, pag. 66.

Cap. III. An veritas obiectiva conditionalis de futuro, & generatim omnis conditionalis veritas rectè dividatur in *illativam, cauſalem, purè coniunctivam, & mixtam*, pag. 74.

Cap. IV. Altera concluſio proponitur, pag. 82.

Cap. V. Dubium occurrens diſſolvitur, pag. 94.

Caput VI. Quam præciſionem ab ſtatu abſoluto requirat vera conditionalis, vt talis ſtrictè ſit, vbi de conditionalibus de hypotheſi, aut conditione impoſsibili pag. 98.

Cap. VII. Præcedentes concluſiones liberantur ab obiectis, pag. 108.

Excitatio harum quæſtionum pertinet ad libr. 1. Mag. diſtinct. 8. diſt. 35. 36. 38. & in alijs locis, quibus agatur de Scientia, qua Deus hæc futura cognoſcit, & de decretis circa ipſa propter rationem, quam dedimus in indice primi tomi, diſp. 13.

DISPVTATIO XVII.

Appendix præcedentis de conſtitutivo futuri conditionati.

CAP. I. Illationes aliquę, quoad conſtitutionem futuri conditionati, pagin. 117.

Cap. II. Quidquid authoritatis, & rationis reſtat ad intentum proponitur, pagin. 130.

Cap. III. Solvuntur obiectiones aliquæ ab authoritate, & ratione pro conſtitutione futuri conditionati dependenter pro formali, à decreto ſubiective abſoluto, & obiective conditionato, pag. 138.

Cap. IV. An præpoſitæ illationes exceptionem aliquam admittant, pag. 156.

Excitatio horum pertinet ad eadem loca, ac præcedentia.

DISPVTATIO XVIII.

Prævia ad Scientiam contingentem Deo non liberam, in qua, de veritate propoſitionum ſingularium, & conditionalium de futuro contingenti.

CAP. I. An prædictæ propoſitiones habeant determinatam veritatem, pag. 167.
Cap. II. Solvuntur obiectiones pag. 186.
Cap. III. An propoſitiones de futuro cõtingenti conditionato habeant determinatam veritatem independenter ab aliquo de præſenti connexo cum eventu conditionatè futuro pag. 195.
Excitatur iuxta Rip. libr. 1. Mag. diſt. 38. quæſt. 1. diſt. 39. quæſt. 1. & excitari poſſunt in locis citatis diſputat. antecedenti.
Cap. IV. An ſit poſsibilis in Deo voluntas efficax ſubiecti. è abſoluta, & obiectivè conditionata? pag. 209.
Excitatio huius quæſtionis pertinet ad librũ 1. Mag. diſt. 45. quæſt. 7. diſt. 46. quæſt. 2. & diſt. 47. quæſt. 4. in quibus omnibus locis cum interrogetur an Deus habeat voluntatem abſolutam, & efficacem noſtrorum actuũ liberorum, poteſt etiam interrogari an talis voluntas poſsit eſſe conditionata.

DISPVTATIO XIX.

Prævia ad Scientiam conditionatam Deo non liberam.

CAP. I. An Deus certò cognoſcat futura conditionata nobis libera, pag. 229.
Cap. II. Eadem propoſitio authoritate PP. & ratione probatur ſimulque obiectiones ſolvuntur pag. 246.
Cap. III. An Deus certo, & infallibiliter cognoſcat futura contingentia conditionata ſibi libera? pag. 257.
Excitatio harum quæſtionum pertinet ad iib. 1. Mag. diſt. 35. & 36. & expresè excitantur, diſt. 38. quæſt. 3. & diſt. 39. quæſt. 4.

DISPVTATIO XX.

De Scientia qua Deus cognoſcit futura conditionata nobis libera.

CAP. I. Referuntur ſententiæ, & poſt hiſtoricam digreſsionem notatum conducens ad quæſtionis reſolutionem præmittitur, pag. 267.
Cap. II. Reſolvitur quæſtio, & pars electa authoritate; & ratione firmatur, pag. 273.
Cap. III. Solvuntur cõtraria fundamenta ab authoritate deſumpta pag. 283.
Cap. IV. Solvuntur fundamenta contraria rationis, pag. 301.
Excita ur lib. 1. diſt. 35. quæſt. 10. diſt. 38. quæſt. 3. & diſt. 39. quæſt. 4.

DISPVTATIO XXI.

De medio obiectivo, in quo Deus hæc futura conditionata cognoſcat.

CAP. I. An in ipſa veritate obiectivà futuri conditionati, Deus illud cognoſcat? pag. 323.
Cap. II. An ſit aliud medium obiectivum diſtinctum à veritate obiectiva futuri contingentis conditionati, & nobis liberi, in quo Deus illud cognoſcat? pag. 324.
Cap. III. Quale ſit medium obiectivum, in quo Deus primariò cognoſcat futura conditionata nobis libera? p. 327.
Excitantur iam expreſsè, iam implicitè lib. 1. Magiſt. diſt. 35. quæſt. 7. diſt. 38. quæſt. 3. diſt. 39. quæſt. 4.

DISPVTATIO XXII.

De determinativo Scientiæ mediæ ſtrictè talis.

CAP. I. Oſtenſa difficultatis, & dubitandi ratione, ſententiæ referuntur, pag. 331.

Cap.

Cap. II. Aliquibus præsupositis resolvitur determinativum Scientiæ mediæ strictè talis, pag. 337.
Cap. III. Argumenta contra conclusiones propositas dissolvit, pag. 353.
Cap. IV. Per illationes aliquas impugnantur aliorum sententiæ, quoad determinativum Scientiæ mediæ strictè talis, pag. 372.
Excitatio huius disputationis pertinet ad eadem loca Mag. ac præcedens.

DISPVTATIO XXIII.

De hypothesi Scientiæ strictè mediæ, seu quid ex parte hypothesis illius possit attingi?

CAP. I. Leviora dubia circa hypotesim Scientiæ strictè mediæ resolvuntur, pag. 382.
Cap. II. An ex parte hypothesis Scientiæ mediæ, alia Scientia media se tenere queat? sive an possibilis sit, & detur in intellectu divino Scientia media reflexa? pag. 403.
Cap. III. An Scientia media reflexa formaliter, & strictè talis valeat attingere ex parte hypothesis Scientiam directam defacto existentem; an verò duntaxat, quæ posset esse, & defacto non est, pag. 426.
Cap. IV. Solvuntur obiectiones, pag. 437.
Excitatio huius pertinet etiam ad loca citata disput. mediatè antecedenti, in quibus cum rogetur an, & quomodo Deus cognoscat futura conditionata, pertinet agere de natura, & proprietatibus talis Scientiæ.

DISPVTATIO XXIV.

De Scientia, qua Deus cognoscit futura conditionata, sibi libera.

CAP. I. Qualis sit hæc Scientia, per quam Deus prædicta futura cognoscit? pag. 445.
Cap. II. De directione Scientiæ conditionatæ actuum divinorum, & de signo, in quo debet existere, pag. 457.
Cap. III. Solvuntur argumenta contra propositas conclusiones, pag. 463.
Huius, vt consideranti patebit, excitatio pertinet ad loca eadem, ac præcedens, propter rationem ibi insinuatam.

INDEX

RERVM, ET VERBORVM, QVÆ in vtroque tomo continentur, in quo T. tomum. D. Diſputationem. C. Caput. N. numerum marginalem ſignificat.

A

Actio.

ACTIONIS realis formalis intellectivæ ratio Deo negatur, tom. 1. diſput. 5. cap. 3. num. 48. & 49.

Activa.

Omni paſsivæ correſpondet ſua activa; ſed non ideo omnis modus appellans ſupra patiens debet appellare ſupra agens, tom. 2. diſput. 22. cap. 3. à n. 63.

Amo, & amor.

Deus ſemper amore amicabili proſequitur illum, quem ſemel amavit, & ſi aliquando eum odio habuiſſet propter peccatum, reſpective verò ad tempus pro quo dignum fuit amore amicabili: idem, & eodem modo dicitur de odio aliquando habito, tom. 1. diſput. 2. cap. 4. à num. 60. vſque ad 71.

Angelus.

Quo ſenſu dicatur Angelus, aut alius intellectus creatus cognoſcere futura contingentia provenientia à cauſis neceſſarijs, tom. 2. diſput. 15. cap. 2. à num 36.

Apoſtolus.

Locus Apoſtoli: *quis eſt, qui te diſcernit*, exponitur ex mente D. Auguſtini, & ex eo convincitur nihil rei continere pro decreto ſubiectivè abſoluto, & obiectivè conditionato, tom. 2. diſputat. 17. cap. 2. à num. 67.

Apprehenſio.

Quid ſit ſimplex apprehenſio, tom. 1. diſp. 2. cap. 2. num. 10.

In Deo repugnat. Ibidem, à num. 11. vſque ad 27.

Ariſthoteles.

Ariſthoteles ſic explicat ſeparabilitatem arguentem diſtinctionem: *amplius ſi poteſt vnum ſine altero eſſe non erit Idem*, tom. 1. diſput 4. cap. 2. num. 13.

Explicatur Ariſthoteles, qui inſinuare videtur Deum ſe ipſum non cognoſcere, tom. 1. diſput. 6. cap. 1. num. 15.

Ariſthoteles non negavit veritatem determinatam propoſitionum ſingularium de futuro contingenti, tom. 1. diſput. 14. cap. 2. à num. 54.

Aſtrologia.

Aſtrologia iudiciaria, quàm inutilis ſit ad futura contingentia cognoſcenda, & quàm exoſa Eccleſiæ, tom. 2. diſputat. 15. cap. 2. num. 68.

Attributum.

Attributa divina ſunt plura *negativè*, in quantum Deus non eſt præcisè realiter vnum attributum. Et in hoc ſenſu ſunt intelligendi SS. Patres, ſicut, & quando dicunt vnum attributum addere aliquid ſupra aliud, tom. 1. diſput. 3. cap, 3. num. 69.

Omnia divina attributa pleno ore dicenda ſunt Deo ſimpliciter, & abſolutè competere, & ſi eorum proximitas, & expeditio ad exercitia ſit tantum in Deo terminativè conditionata, tom. 1. diſput. 9. cap. 3. n. 48. & 49.

Attributa divina, quæ negativa dicuntur ſunt omnino independentia à carentijs imperfectionum, quæ de ipſo Deo negantur, tom. 1. diſput. 9. cap. 4. à num. 92.

Aver-

Averrois.

Averrois argumenta erroneè asserentis Deum non cognoscere aliquid à se distinctum, proponuntur, & solvuntur, tom. 1. disput. 6. cap. 1. à num. 18. vsque ad 22.

Augustinus.

Quomodo intelligendum dictum illud Augustini ex lib. 7. de Trinitate, cap. 5. *Non eò Pater, quò Deus, nec eò Deus, quò Pater*, tom. 1. disp. 3. cap. 3. num. 75.

Quo sensu dixerit Augustinus: *res esse quia à Deo cognoscuntur*, tom. 1. disput. 7. cap. 5. à num. 112.

Sanctus Augustinus defensor Scientiæ mediæ probatur, tom. 2. disput. 20. cap. 2. a num. 27. Et ibidem à num. 60. ab impostura retractationis liberatur.

Quid interrogaverit D. Prosper D. Augustinũ in epistola eius ad hunc, quæ ponitur ante librum de Prædestinatione Sanctorum. Ibidem à num. 64.

D. Augustinus ad Simplicianum, lib. 2. non aliud intendit, & si aliud significare videri possit quàm Deum non cognoscere futura modo tendendi de futuro, tom. 1. disput. 2. cap. 7. num. 123. & 125.

Vis argumenti quo vsus fuit Augustinus contra Maximum, tum negantem identitatem perfectionum divinarum, tum dicentem tres Personas in divinis non esse componibiles cum vnicitate Dei, explicatur, tom. 1. disput. 3. cap. 3. à num. 72.

B

Bernardus.

Argumentum quo vsus fuit D. Bernardus contra Gilbertum Episcopum Pictaviensem contra Scotistas vrgere videtur, tom. 1. disput. 3. cap. 2. num. 26. 27. 28. & 29.

Boecius.

Boecius æternitatem sic definiens: *Interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio*, intelligendus est non de æternitate, quæ sit attributum semiextrinsecum Deo resultans ex existentia necessaria Deo, & existentia temporis extrinseci, qua ratione æternitas successionem dicit: sed de æternitate, quæ sit attributum adæquatè intrinsecum Deo, tom. 1. disp. 2. cap. 5. num. 84.

Bonum.

Bonum creatum potest movere, & movet divinam voluntatem, tom. 1. disput. 7. cap. 5. num. 118. & 119.

Borrull.

Proponitur, & solvitur fundamentum, quod movit Borrull ad asserendum veritatem conditionatam nobis liberam non posse strictè determinare Scientiam mediam ipsi correspondentem, tom. 2. disput. 22. cap. 3. à num. 94.

C

Caietanus.

Quomodo intelligunt AA. sententiam Caietani circa constitutionem actuum Dei liberorum, quando eam censuris inurunt, tom. 1. disp. 4. cap. 3. n. 50.

Carentia rei.

Carentiç rerum positivarum sunt obiectum materiale divinæ scientiæ, tom. 1. disput. 6. cap. 3. num. 73.

Causa.

Determinatio causæ ad causandum effectum debet esse *in essendo* ipsi intrinseca; *in causando* verò, vel intrinseca, vel extrinseca, tom. 1. disputat. 11. cap. 2. num. 89. & 90.

In quo causa exemplaris conveniat cum finali, & in quo differat, tom. 1. disput. 11. cap. 3. num. 127.

Causalis.

Causalis veritas stat rectè absque consequentia causali, & si non è contra, tom. 1. disput. 11. cap. 2 à num. 65.

Certitudo.

Certitudo formalis actus est determinatio ex parte actus ad sui veritatem formalem pro modo certitudinis, tom. 1. disput. 2. cap. 1. num. 1.

Cognitio, & cognoscibilitas, & cognosci.

Ad cognoscibilitatem intrinsecam obiectivam non requiritur realitas obiecti, provt realitas opponitur *non enti positive existenti*; sed provt opponitur ficto, tom. 1. disput. 6. cap. 4. à num. 106.

Quodlibet cognoscibile est cognoscibilitate proportionata suo esse. Ibidem à num. 110.

Cognitio divina habet respectum re-

flexum quo seipsam cognoscit, respectu cuius est ipsa cognitio obiectum formale physicè motivum, tom. 1. disput. 7. cap. 3. num. 68. & 69.

Cognitio, qua Deus cognoscit creaturas propter ipsas est constitutivè infinitè perfecta formaliter, tom. 1. disput. 7. cap. 4. num. 86.

Quid sit *cognosci vnum in alio*, provt contra distinctum à *cognosci vnum ex alio*, tom. 1. disp. 8. cap. 1. num. 1.

Cognoscit Deus suam essentiam in suis prædicatis, tàm absolutis, quàm relativis, tàm divisim, quàm complexim sumptis; & hæc in sua essentia, tom. 1. disput. 8. cap. 1 à num. 2.

Ad cognitionem vnius in alio non requiritur, quod detur vnum, & aliud positivè realiter sed negativè, tom. 1. 1. disp. 8 cap. 1 à num. 9.

Deus se cognoscit in creaturis, tàm possibilibus, quàm existentibus, tom. 1. disp. 8. cap. 2. à num. 32.

Cognosci directè, & indirectè quomodo opponantur, & quomodo non, & quot sunt acceptiones horum terminorum. Ibidem à num 45.

Quid sit cognosci vnum ex alio, & quotupliciter accipi valeat, tom. 1. disput. 8. cap. 7. à num. 151.

Cuius conditionis sit cognitio, qua Deus cognoscit futura contingentia absoluta in medio obiectivo moraliter, aut physicè cum ipsis connexo, tom. 2. disput. 15. cap. 3 à num. 115.

Quomodo in divina cognitione non sit imperfectio, sed summa perfectio tendentia conditionata in obiectum conditionatè existens, tom. 2. disput. 19. cap. 2. num. 87.

Cognitio practica comprehendit sub se prudentiam, & artem, tom. 1. disput. 10. cap. 3. num. 48.

Complexum.

Complexum ex Deo, & creatura, provt tale infinitè distat in perfectione à solo Deo, tom. 1. disputat. 6. cap. 6. per totum.

Componere.

Deus non cognoscit, seu iudicat componendo, tom. 1. disput. 3. cap. 1. n. 6.

Comprehensio.

Ad comprehensionem non sufficit cognoscere quidquid est in obiecto, tom. 1. disput. 9. cap. cap. 3. num. 52.

Conceptus.

Omnium omnino conceptuum extinctionem, & anihilationem Deus ex se permittit, tom. 1. per totam disp. 9.

Conditio.

Duplex acceptio conditionis, tom. 2. disput. 16. cap. 4. num. 117.

In quonam diversificetur significatio harum loquutionum: *hoc existit sub conditione alterius*: *hoc existit cum conditione alterius*. Ibidem. num. 118.

Ex impertinentia conditionis ad conditionatum non infertur existentia absoluta conditionati, sivè existat, sivè non existat conditio: sed tantum posse sic existere. Ibidem, cap. 5. à num. 125.

Conditionalis.

Quid disparitatis sit inter conditionales, quando considerantur ex parte intellectus, ac quando considerantur ex parte voluntatis, tom. 2. disput. 16. cap. 7. à num. 195.

Conditionalis conceptus.

Triplex status distinguitur in conceptu conditionali, tom. 2. disput. 16. cap. 1. num. 10.

Duratio conditionati, non hypothesis, est mensura status conditionatorum *præsentis, præteriti, & futuri*. Ibidem, num. 26.

Conditionalis veritas.

Quid sub nomine veritatis conditionalis obiectivæ, *illativæ, causalis purè coniunctivæ, & mixtæ* significetur: & quid diversitatis inter ipsas sit, tom. 2. disput. 16 cap. 3 à num. 59.

Datur veritas obiectiva conditionalis, quæ *illativa* non sit. Ibidem à num. 66.

Dantur veritates conditionales *purè coniunctivæ*. Ibidem, cap. 4. à num. 85.

Conditionatum.

Quo sensu possit dici esse absolutè id quod conditionatè tantum existit, tom. 2. disput. 18. cap. 3. num. 107.

Deus habet certissimam, & firmissimam notitiam conditionatorum contingentium, quæ sunt sub nostra libertate, tom. 2. disput. 19. cap. 1. à num. 5.

Conditionatum in actu primo proximo consistit in aptitudine proxima ad se habendum conditionatè sub hypothesi, quæ constituit determinatam conditionalem, & in quo consistat hæc

hæc aptitudo, tom.2. diſput. 15. cap. 2.num.39. & 40.

Conditionatum in actu ſecundo conſiſtit in ſimultate conditionatæ exiſtentiæ abſolutæ ipſius, & hypotheſis, & qualis hæc ſimultas ſit. Ibid. à n.51.

Deus certò cognoſcit contingentia conditionata ſibi libera, tom.2. diſp. 19. cap. 1. à num. 93.

Confuſio.

Confuſio non opponitur diſtinctioni indiſcriminatim, imò eam ſupponit; ſed diſtinctioni ordinatæ, tom.1. diſput. 3. cap. 3. num. 78.

Connexio, & connecti.

Connexio Dei cum poſsibilibus, & contingentibus, quæ non ſit abſoluta; ſed ex ſuppoſitione nullam imperfectionem arguit in Deo, tom.1. diſput. 9. cap.3.num.65. & 66.

Impoſsibilia, vt defacto talia ſunt connectuntur metaphyſicè cum Deo; quare in ipſis Deus ſe cognoſcit, tom. 1.diſp.8.cap.2.à num.65.

Ex ſuppoſitione quod Deus connectatur cum poſsibilibus, in vi huius connexionis non cognoſceret Deus impoſsibilia in ſeipſo, tom. 1. diſput. 8. cap.3.num.72. & 73.

Si Deus connecteretur cum impoſsibilibus, in vi talis connexionis cognoſceret Deus poſsibilia in ſe ipſo. Ibidem, num.74. & 75.

Ex ſuppoſitione inconnexionis Dei cum poſsibilibus, & impoſsibilibus, nulla alia ſuppoſitione facta, Deus non cognoſceret poſsibilia, & impoſsibilia in ſe ipſo, tom.1.diſput.8.cap.5.à n.92.

Poſitis poſsibilibus, impoſsibilibus, & exiſtentibus, Deus connectitur metaphyſicè cum illis omnibus, tom.1.diſput.8. cap.5.à num.111.

Connexio hæc eſt ſemper ſubiectivè abſoluta, in modo autem reſpiciendi terminum conditionata. Ibidem, à num.114.

In tali connexione quod adæquatè infert, eſt omnipotentia, & quidem *abſolutè*, ſed non abſolutè ſine reſtrictione; ſed cum illa *pro caſu poſsibilium*, &c. Ibidem à num.120. vſque ad 124.

Quid ſit connexio vnius cum alio, & quotuplex, tom.1. diſpuatt.9. cap.1. à num.1.

Non eſt idem Deum non connecti metaphyſicè cum poſsibilibus, &c. ac abſolutè non dari vllam neceſsitatem metaphyſicam, vt ſit cum illis, tom. 1.diſput.9.cap.1.num.6.

Deus cum nullius poſsibilis poſsibilitate, aut impoſsibilis impoſsibilitate connectitur metaphyſicè, tom.1. diſput.9. cap.2.à num.11.

Deus connexus cum poſsibilibus, &c. non eſt perfectè, & infinitè neceſſarius in *ſuo eſſe*. Ibidem, num.29.

In caſu, in quo Deus probaretur connexus cum poſsibilibus, non ideo probaretur connexus cum impoſsibilibus. Ibidem, num.38.

Si Deus probaretur connexus cum impoſsibilibus, probaretur etiam connexus cum poſsibilibus. Ibid.n.39.

Hæc veritas, & aliæ ſimiles: *Si exiſteret Petrus ſine contradictione, Deus cognoſceret ſic exiſtentem*, non probat connexionem metaphyſicam Dei cum aliquo à ſe diſtincto, tom. 1. diſput. 9. cap.4.num.87. & 88.

Creaturæ connectuntur cum Deo, provt includente omnia ſua prædicata, tom. 1.diſput.8.cap.2.à num.48.

Quòd connexio creaturarum cum Deo, vt includente omnem perfectionem non appareat, vt talis intellectui creato, non probat quod talis connexio non ſit ex ſe patens; ſed debilitatem intellectus creati. Ibidem, num.51.

Conſequentia.

In hac conſequentia: *eſt principium reale virtuale*: ergo *eſt principium reale*, & in alijs ſimilibus non arguitur à reſtricto ad non reſtrictum, ſed ab improprio, & alienato ad proprium, tom.1.diſp. 5.cap.4.num.65.& 66.

Quando ſit bona conſequentia ab ſtatu abſoluto ad ſtatum conditionatum, tom.2. diſp.16.cap.7.num.175.

Contingens.

Quodvis conditionatum contingens ex ſuppoſitione quod ſit, eſt conſequenter neceſſarium in eſſe talis, tom. 2. diſput.18.cap.2.num.70.

In quavis contingenti veritate determinata duplex determinatio conſiderari poteſt *formalis*, & *intrinſeca* vna; & alia *extrinſeca*: illa datur de præſenti modo quo de præſenti datur veritas contingens. Secunda non eſt neceſſarium quod de præſenti detur; ſed ſufficit quod danda ſit. Ibid.num.78.

Obiectum contingens ſemper perſeve-

re

rat cum cognoſcibilitate, & veritate, quàm ſemel habuit eo modo, quo eam ſemel habuit, tom. 1. diſput. 2. cap. 4. num. 51. & 52.

Actus Dei contingentes conſtituuntur per terminationem quandam ad obiectum contingens realiter cum Deo identificatam; realiter verò defectibilem, tom. 1. diſp. 4. cap. 2. à num. 10.

Eo modo quo actus contingentes Dei deficiunt, deficit ipſe Deus, ſcilicèt *reſpectivè*, & eo modo quo hic exiſtit, exiſtunt, & illi, ſcilicèt abſolutè. Ibidem, num. 25. & 26.

Quando Deus, & actus ipſius contingentes deficiunt à reſpiciendo obiectum contingens, Deus, actus contingentes, & reſpectus ille, neque identificantur, neque diſtinguuntur modo illo reſpectivo, benè tamen abſolutè. Ibidem, à num. 27. vſque ad 34.

Omne contingens, qua tale, eſt antecedenter fallibile, & incertum; at conſequenter infallibile, & certiſsimum, tom. 2. diſput. 15. cap. 4. num. 161.

Contingentia.

Contingentia clarius, & ſpecialius cernitur in ſingularibus, quàm in vniverſalibus propoſitionibus, tom. 1. diſput. 14. cap. 1. num. 1.

Contradictorium.

Quàm falſum ſit, quod eo modo quo non exiſtit vnum contradictorium, exiſtit aliud; verum tamen ſolum eſt quod eo modo, quo non exiſtit vnum contradictorium, illud deficit, tom. 1. diſput. 14. cap. 5. num. 138.

Inter contradictoria, vt contradictoria ſunt non datur medium; datur verò inter ipſa ſpecificativè ſumpta, tom. 2. diſput. 18. cap. 1. n. 18.

Propoſitiones affirmantes contradictoria ſub conditione impoſsibili, contradictoriæ non ſunt, tom. 1. diſput. 6. cap. 3. num. 60.

Creatura.

Scientia Dei habens pro obiecto formali creaturas ſpecificatur tantum extrinſecè ab ipſis, tom. 1. diſput. 7. cap. 4. num. 90. & 91.

Deus cognoſcit creaturas, & omnia à ſe diſtincta in ſe ipſis *materialiter*, & ſecundum proprium eſſe, & conceptum, tom. 1. diſp. 6. cap. 4. à num. 87.

Creaturas non extitiſſe ab æterno, ſed in tempore determinato incœpiſſe eſt Dogma Fidei, tom. 1. diſputat. 2. cap. 5. num. 74.

Creaturæ non ſunt ab æterno phyſicè præſentes Deo, præſentia Dei ad ipſas. Ibidem, à num. 107.

Ex eo quod creatura, quando exiſtit, toti æternitati coexiſtat, non infertur ab æterno exiſtere. Ibidem, cap. 7. num. 129. & 130.

Creaturæ non ſunt poſitivè præſentes, nec præteritæ, nec futuræ reſpectu æternitatis Dei *intrinſecè* ſumptæ. Ibidem, num. 131. Vide *futura*, *præſentia*, & *æternum*.

D

Decretum.

Non eſt contra perfectionem divini decreti exiſtere *conditionatè*, tom. 2. diſputat. 17. cap. 4. à num. 154.

Poſsibile eſt in Deo decretum efficax *ſubiectivè* abſolutum, & *obiectivè* conditionatum, tom. 2. diſput. 18. cap. 4. à num. 134.

Nec titulo aſſertionis, nec comminationis, nec promiſsionis conditionatarum probatur rectè in Deo poſsibile decretum *ſubiectivè* abſolutum, & *obiectivè* conditionatum. Ibidem, à num. 136.

Quomodo decretum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum non ſit fruſtraneum, & inutile pro caſu purificationis conditionis. Ibidem, à num. 156.

Quo modo tale decretum non eſſet fruſtraneum, & imprudens pro caſu nunquam purificandæ conditionis. Ibid. à num. 165.

Decreta divina ſunt intrinſecè libera; non verò intrinſecè libera ea libertate, qua defacto gaudent, tom. 2. diſput. 23. cap. 1. num. 10.

Defectus, & deficere.

Duplex eſt rei defectus *abſolutus* vnus, *reſpectivus* alius. Vbi quid ſit rem deficere abſolutè, quid reſpectivè, tom. 1. diſput. 4. cap. 1. num. 8. & 9.

Defectibile purè reſpectivè coniungibile eſt imò defacto coniungitur cum infinita perfectione, tom. 1. diſput. 4. cap. 3, à num. 37. vſque ad 41.

Per defectibilitatem purè reſpectivam conſtituitur Deus in genere entis realis ſummè, & infinitè perfecti. Ibid.

Demonſtratio.

Demonſtratio ex ſuo conceptu non dicit diſcurſum, ſed præcisè *eſſe cognitionem oſtendentem vnum per aliud, ſive à priori, ſive à poſteriori, ſive à comitanti*; quod ſine diſcurſu poteſt ſtare, tom. 1. diſput. 1. cap. 1. num. 15. & 18.

Denominatio.

Denominatio *ſcientis* eſt adæquatè intrinſeca Deo, & ipſi indefectibilis: quapropter cum Deo identificatur adæquatè, tom. 1. diſputat. 3. cap. 1. num. 78.

Denominationes ſemiextrinſecæ Deo, vt ſunt *coexiſtentis creaturis*: *ipſis ſimilis*; inadæquatè diſtinguuntur à Deo. Ibidem.

Denominationes *vniti, incarnati, & præſentis*, & ſi intrinſecæ Deo, ipſi ex conceptu ſuo ſunt defectibiles: quarè abſtracta illarum poſſunt eſſe à Deo realiter diſtincta. Ibidem.

Dæmones.

Quomodo abſque naturali, & certa cognitione futurorum componatur, quod Dæmones aliquando vera prædicant, tom. 1. diſp. 15. cap. 2. à n. 44.

Determinativum.

Ratio dubitandi, & difficultates militantes contra determinativum ſcientiæ mediæ proponuntur, tom. 2. diſp. 22. cap 1. à num. 1. vſque ad 12.

Determinativum formaliſsimum, & immediatum intellectus divini in actu ſecundo cognoſcentis eſt ipſa ſcientia determinata, qua in actu ſecundo conſtituitur in eſſe ſic cognoſcentis. Ibidem, cap. 2 num. 19 20. & 21.

Intellectus divinus ſubiectivè, & in actu primo conſideratus habet in ſe determinativum ſubiectivè abſolutum, & terminativè conditionatum ad Scientiam mediam determinatè ſumptam; v. g. *conſenſus*. Ibidem, à num. 22.

Hæc prædicta determinatio componibilis eſt, tàm cum illa determinata Scientia media, quàm cum oppoſito illius. Ibidem, à num. 28.

Veritas ipſa obiectiva futuri conditionati nobis liberi in conſideratione determinationis phyſicæ eſt determinativum *quo* Scientiæ mediæ ſtrictè ſumptæ, quæ defacto datur. Ibidem, cap. 2. à num. 33.

In conſideratione *determinationis phyſicæ* vnicum determinativum *quod* quoad Scientiam ſtrictè mediam, quæ defacto datur, eſt intellectus divinus, tom. 2. diſput. 22 cap. 2. num. 40.

Veritas obiectiva futuri in conſideratione *determinationis liberæ*, & in hoc ſenſu moralis eſt vnicum determinativum *quod* Scientiæ mediæ, quæ defacto datur. Ibidem, à num. 42.

Omnibus penſatis, dici debet Deum habere in ſe principaliſsimum determinativum cuicumque alij præferendum Scientiæ mediæ ſtrictè ſumptæ, quæ defacto detur, quæcumque illa ſit. Ibidem, à num. 49.

Deus.

Dei Scientia in communi ſumpta, *eſt cognitio, ſeu expreſsio intellectualis obiecti perfectiſsima*; vel *eſt cognitio comprehenſiva omnis ſcibilis*, tom. 1. diſput. 1. cap. 1. à num. 1. vſque ad 6.

Deo convenit Scientia in omni proprietate, & rigore accepta, tom. 1. diſput. 1. cap. 1. à num. 6. vſque ad 18.

In Deo dari Scientiam, veritas de fide eſt, & nota præterea antiquis Philoſophis; oſtenditurque ratione naturali à priori, & à poſteriori, tom. 1. diſput. 1. cap. 2. à num. 19. vſque ad 32.

Scientiam Dei eſſe veriſsimam, certiſsimam, & evidentiſsimam præterquam quòd eſt de fide, conſtat inſuper ex ratione naturali, tom. 1. diſput. 2. numer. 2. & 3.

Deus non poteſt ſcire plura, aut pauciora, quàm defacto cognoſcit, tom. 1. diſput. 2. cap. 3. num. 38.

Deus ſolus ſecundum neceſſaria ſui, eſt obiectum Scientiæ neceſſariæ neceſſitate abſoluta, & reſpectiva, tom. 1. diſput. 12. cap. 1. à num. 4.

Non eſt idem nomen *Deus* derivari à *videre*, & *ſcire*; ac *eſſe metaphyſicum* Dei conſiſtere in *videre*, & *ſcire*, tom. 1. diſputat. 5. cap. 6. num. 116. Vide *Scientia divina, decretum*, & *cognoſci*.

Differentia.

Quo ſenſu differentia vltima eſt rei cõſtitutiva, tom. 1. diſputat. 5. cap. 6. numer. 125.

Differentia notanda inter actum intelligendi divinum, & intellectum, tom. 1. diſput. 7. cap. 4. num. 94.

Discursus.

Repugnat in intellectu Dei discursus realis formalis, tom. 1. disput. 8. cap. 7. num. 152.

Non potest dici absolutè dari in divina Scientia discursum virtualem; secus verò si explicetur munus, cui æquivalet. Ibidem, à num. 170.

Scientia Dei, neque est, neque potest esse discursus realis formalis, tom. 1. disput. 3. cap. 1. num. 6.

Disiunctio, & disiunctiva.

Non repugnat aliqua esse vera sub disiunctione pertinente ad suppositionem confusam quorum nullum sit determinatè verum; secus si disiunctio pertinet ad suppositionem determinatam, tom. 1. disputat. 14. cap. 2. num. 49.

Propositio disiunctiva in eo distinguitur à disiuncta, quòd *disiunctiva* pro sui veritate disiungat propositiones, at *disiuncta* terminos tantùm, tom. 1. disput. 14. cap. 3. num. 72.

Quomodo veritas necessaria *disiunctivæ* versantis erga contradictoria contingentia sit efficax ad probandam veritatem determinatam propositionum de futuro contingenti, tom. 1. disput. 14. cap. 3. à num. 87.

Disiunctivè iudicare pro meritis obiecti non dicit imperfectionem; secus iudicare disiunctivè alio modo, tom. 2. disputat. 15. cap. 3. num. 109.

Distinctio.

Distinctio alia est vtrimque *positiva*, quæ inter extrema positivè existentia datur; alia partim *positiva*, partim *negativa*, quæ datur, quando vnum extremum existit, secus aliud, tom. 1. disput. 8. cap. 4. à num. 76.

Distinctio ex natura rei formalis.

Distinctio ex natura rei formalis Scotica probatur vniversaliter inter quæcumque identificata repugnans, tàm authoritate, quàm ratione, tom. 1. disput. 3. cap. 2. à num. 15.

Distinctio ex natura rei formalis æquè opponitur divinæ simplicitati, ac distinctio realis, & præterea vna ab altera videtur non discerni. Ibidem, à n. 30. vsque ad 42.

Hæc distinctio est inutilis ad finem intentum à suis defensoribus. Ibidem, num. 43. & 44.

Proponuntur fundamēta militantia pro distinctione ex natura rei formali. Ibidem, cap. 3. a num. 46. vsque ad 51.

Illorum solutio data à P. Suario, & quam dât Ruiz, & alij impugnatur. Ibidem, a num. 52. vsque ad 60.

Illorum vera responsio, & explicatio propositionis, qua nituntur. Ibidem, à num. 61. vsque ad 79.

Distinctio rationis.

Distinctio rationis est duplex; scilicèt *rationis ratiocinantis*, & *rationis ratiocinatæ*, tom. 1. disput. 3. cap. 5. num. 125.

Vltima hæc distinctio *est forma vi cuius, quæ realiter sunt vnum, apparent intellectui vt plura*, sic communiter: sed hæc explicatio non placet. Ibidem, num. 126. & 127.

Vlterius hæc distinctio dividitur in *positivam*, & *negativam*. Ibidem, num. 128.

Divina attributa inter se mutuò, & ab essentia divina distinguuntur distinctione *rationis ratiocinatæ* ab intellectu cognoscente per species alienas. Ibidem, à num. 130.

Obiectiones cōtra hanc propositionem solvuntur. Ibidem, à num. 136. vsque ad 141.

Distinctio virtualis.

Distinctio virtualis est æquivalentia ad distinctionem realem absque conceptu realis distinctionis, tom. 1. disputat. 3. cap. 4. num. 80.

Quadruplex est acceptio distinctionis virtualis apud Authores. Ibidem, numer. 81. & 82.

Distinctio virtualis intrinseca.

Distinctio intrinseca virtualis sumpta pro æquivalentia in re realiter indivisibili ad realiter distincta, quoad suscipienda in se prædicata contradictoria absque repugnantia probatur generaliter repugnans authoritate, & ratione, tom. 1. disputat. 3. cap. 4. à num. 87. vsque ad 123.

Talis distinctio implicat, quia cum sit æquivalentia ad distinctionem realem sine distinctione reali, continet in se conceptum formalem distinctionis realis. Ibidem, num. 115.

Dis-

Distinctio hæc implicat ex eo, quod æquivaleat impossibili vt tali. Ibidem, num. 116. 117. & 118.
Prædicta distinctio inutilis est ad temperandas difficultates, quæ in divinis Mysterijs occurrunt. Ibid, num. 121.
Distinctio intrinseca virtualis, & si daretur, omninò impertinens est ad principium virtuale, & emanationem virtualem in Deo statuendam, tom. 1. disput. 5. cap. 4. num. 55. & 71.
Quamvis Deus cognosceret distinctionem intrinsecam virtualem, si daretur, non præscinderet in *attigendo*, & si præscinderet in *attribuendo*, tom. 1. disput. 6. cap. 1. à num. 11. vsque ad 15.

Durandus.

Impugnatur Durandus asserens essentiam, & relationes distingui tanquam rem, & modum, & solum negativè identificari, tom. 1. disp. 3. cap. 2. n. 45.

Duratio, & durare.

Duratio rei in aliquo conceptu non rarò auget rem in ipso, tom. 1. disputat. 2. cap. 1. num. 9.
Quid sit *durare*, tàm *radicaliter*, quàm *formaliter* sumptum, tom. 1. disput. 2. cap. 5. num. 80.
Durare non est præcisè *existere*, sed existentiæ superaddit perseverantiam in *esse*. Ibidem, num. 81.
Duratio increata, & Deo intrinseca Deum æternum intrinsecè constituit, præscindendo à quacumque successione. Ibidem, num. 82.
Duratio Hæc Deo intrinseca optimè explicatur per necessitatem metaphysicam existendi, vi cuius Deus est determinatus, vt cuicumque existenti coexistat. Ibidem, num. 85.
Huic durationi Deo intrinsecæ secundum se sumptæ nulla res est præsens, nisi ea, quæ habet indeficientiam, & necessitatem existendi. Ibidem.
Summa actualitas durationis Dei solum exposcit determinationem, vt non deficiat, tom. 1. disput. 2. cap. 7. n. 147.

Dionisius.

Divus Dionisius comparat concursum omnipotentiæ cum causis secundis cum influxu Solis, tom. 1. disput. 13. cap. 2. num. 65.

E

Ens.

Verus sensus huius axiomatis: *nullius entis nullæ sunt proprietates*, tom. 2. disput. 22. cap. 3. num. 83.

Ens rationis.

Ens rationis est obiectū materiale Scientiæ divinæ: quod, si consistat in obiecti impossibilis cognitione, Deus illud faciet; secus si in fictione intellectus, tom. 1. disput. 6. cap. 3. num. 64.

Essentia.

Essentia, substantia, & natura pro eodem accipitur in Deo à Concilijs, Patribus, & Theologis, tom. 1. disput. 5. cap 5. num. 81. & 82.
Essentia genericè, & in tota sua latitudine accepta, est id quo præcisè non posito in rebus, reliquis per possibile, aut impossibile positis, non ponitur res. Ibidem, num. 83.
Essentia metaphysica rei est id, quo præcisè non posito, non ponitur simpliciter res, physica verò id, quo non posito, non ponitur res completivè tantum identicè. Ibidem, num. 84.
Essentia tam physica, quàm metaphisica consideratur adæquatè, & inadæquatè. Ibidem, num. 85. & 86.
Essentia physica ad Deum contracta Theologice, & philosophice considerari potest. Ibidem, num. 87.
Essentia metaphysica Dei constituenda est per prædicatum *aseitatis*, seu *existendi per essentiam*. Ibidem, num. 103. & cap. 6. num. 127.
Essentia metaphysica Dei non consistit in aggregato omnium perfectionum absolutarum. Ibidem, cap. 5. à n. 106.
Essentia metaphysica Dei debet esse toti Trinitati communis. Ibidem, num. 109. Vide *intellectio*.

Et.

Particula & non probat distinctionem aliquam realem inter extrema per ipsam copulata, tom. 1. disputat. 3. cap. 3. num. 71.

Evidentia.

Evidentia *actus* est claritas, & perspicuitas talis in repræsentando, vt dubium excludat circa obiectum, tom. 1. disput. 2. cap. 1. num. 1.

Exclusio.

Exclusio alicuius rationis pro formali sui non excludit ab entitate, in qua illa ratio *formaliter* non invenitur, participationem talis rationis constitutivè, tom. 2. disputat. 22. cap. 3. n. 93.

Æ

Æquivalentia.

Æquivalentia, seu virtualitas ad aliud non est æquivalentia, seu virtualitas illius, quod dicitur æquivalere alteri; sed est quid formale sui, tom. 1. disput. 13. cap. 5. à num. 161.

Æternitas, & æternum.

Æternitas simpliciter talis convertibilis est cum immutabilitate simpliciter tali, secus non sic sumptæ, tom. 1. disput. 2. cap. 4. num. 40.

Æternum quoad *esse* dicitur cõmuniter illud, quod in tempore non incepit, sed semper fuit. Ibidem.

Æternitas Dei secundum se considerata non est præsens physicè ab æterno omnibus, quæ successivè existunt. Ibidem, cap. 6. à num. 107.

Æternitas intrinseca Dei non identificat secum omnes differentias formales durandi. Ibidem, à num. 113.

Æternitas intrinseca Dei non est indistans positivè à rebus præteritis, & futuris propter indistantiam completæ sufficientiæ. Ibidem, à num. 117.

Existere in æternitate est quid distinctum à *coexistere æternitati*. Ibidem, cap. 7. à num. 133.

Æternitas intrinseca Dei secundum se sumpta non dicit ordinem *futuritionis, præsentiæ*, aut *præteritionis*. Ibidem, num. 155.

Divinæ æternitati non opponitur realis defectibilitas respectiva actuum Dei contingentium, tom. 1. disput. 4. cap. 2. à num. 15. Vide *creatura*, & futura.

F

Falsificatio.

Non falsificatio Scientiæ potest accidere dupliciter, vel non existendo scientiam, vel existendo conformem suo obiecto.

Forma.

In formis respectivis non benè valet ab *esse* ipsarum simpliciter ad suas denominationes, tom. 1. disput. 13. cap. 5. num. 169.

Forte.

Particula *forte* divinis prædictionibus adiuncta non minuit infallibilitatem eventus prædicti; sed solum significat libertatem in facturo ipsum, tom. 2. disputat. 19. cap. 1. num. 43.

Futuritio.

Futuritio tot modis venit dividenda, quot futurum, tom. 1. disputat. 13. cap. 1. num. 23.

Futuritio quam vocant *secundumquid, signi*, aut *rationis* se implicat in terminis, tom. 1. disp. 13. cap. 6. à num. 191.

Nullius futuri distincti à decreto formalis futuritio consistit in divino decreto, tom. 1. disput. 13. cap. 2. à n. 38.

Nulla futuritio rei distinctæ à præparatione causarum consistit formaliter in earum præparatione. Ibidem, cap. 3. à num. 68.

Nullius rei distinctæ à Scientia divina, formalis futuritio consistit in Scientia divina. Ibidem, à num. 82.

Nullius rei futuritio consistit in transitu quodam rei ab *esse*, quod habet in causa, ad *esse*, quod in seipsa aliquando habitura est. Ibidem, à num. 98.

Quo sensu futuritio rei possit dici talis transitus. Ibidem à num. 102.

Futuritio habet realitatem propriam futuritionis, antequam existat realitas rei futuræ in ratione *præsentis*; at non, antequam hæc existat in ratione *futuri*. Ibidem, cap. 4. à num. 173.

Futurum.

Quid sit futurum, & quid essentialiter dicat, tom. 1. disput. 13. cap. 1. num. 10.

Futurum aliud est *absolutum*, aliud *conditionatum*. Ibidem, num. 11.

Vlterius aliud est *positivum* aliud *negativum*. Ibidem.

Non eſt de ratione futuri conditionati, quod nunquam extiturum ſit. Ibidem.à num.11.

Futurum aliud eſt *contingens*, aliud *neceſſarium*: aliud *purum*, aliud *non purum*. Ibidem,num.19.& 20.

Futurum conſideratur, & *formaliter*, & *determinativè*. Ibidem,num.21.

In omni futuro intervenit aliquid negativum de præſenti, & quale debeat eſſe tale negativum. Ibidem, num. 24. & 25.

Quando futurum non purè tale eſt res poſitiva, provt tale futurum eſt, includit ſemper aliquid poſitivum de præſenti.Ibidem,num.26.

In omni futuro abſoluto contingenti intervenit aliquid divinum de præſenti, Ibidem,num.27.

Nullum futurum abſolutum neceſſarium neceſſitate metaphyſica datur, quin detur aliquid de præſenti connexum cum eventu futuro. Ibid.n.28.

Omne futurum abſolutum, cuius ſubiectum denominatum ſit conſervatio rei,non poteſt dari ſine aliquo de præſenti exiſtenti in aliquo inſtanti futuritionis. Ibidem, num.29.

Reſpectu cuiuſvis futuri datur aliquid de præſenti connexum cum eventu futuro pertinens ad divinum intellectum. Ibidem, num.35.

Aliquando ex parte cauſarum datur determinatio de præſenti ad eventum futurum. Ibidem num.31.

Rem eſſe futuram completè,& adæquatè conſiſtit formaliter in exiſtentia rei futuræ, provt correſpondente durationi poſteriori, & quæ modò non exiſtit,vel abſolutè vel conditionatè. Ibidem,cap.4.à num.103.

Si aliquando futurum exigit conſtitutivè aliquid de præſenti, id non diſtinguitur ab ipſo eſſe rei futuræ, provt correſpondentis durationi præſenti. Ibidem,à num.115.

Quid in conſtituto *futuri* ſe habeat tanquam ſubiectum, & quid tanquam applicatio, vel quaſi applicatio. Ibidem,num.117.& 118.

Qua præſentia gaudeat futurum, provt tale, quo ſenſu dicatur eſſe modò futurum. Ibidem, à num. 116. vſque ad 130.

Futurum, provt tale nunquam exiſtit de præſenti adæquatè ſumptum.Ibidem, à num.130.

Futurum, & futuritio provt talia, ſunt præſentia reſpectu denominationis; ſecus in exiſtendo. Ibidem, à num. 132. vſque ad 137.

Exiſtentia futuri poſt habenda, & ſi de præſenti non exiſtat formaliter, exiſtit tamen de præſenti virtualiter. Ibidem, num.153.

Quomodo differant futurum conditionatum, & veritas conditionalis. Ibidem,à num.182.

Futura contingentia nullo proprio, & rigoroſo ſenſu poſſe dici ab æterno,& in æternum phyſicè præſentia æternitati, ſed tantum obiectivè præſentia, probatur authoritate Patrum, tom.1. diſput.2.cap.5.num.88.89.& 90.

Idē probatur authoritate Angelici Præceptoris.Ibidem num.91.& 92.

Probatur etiam ratione. Ibidem,à num. 93.94.& 95.

Impugnatur ſolutio dicens, creaturas non exiſtere ab æterno in æternitate tanquam in menſura propria, exiſtere verò ab æterno in æternitate tanquam in aliena menſura communi,& ſuperexcedenti. Ibidem, à num.96. vſque ad 106.

Futura poſſunt dici phyſicè ſimultanea Deo virtualiter,ſecus formaliter. Ibidem,cap 7.num.123.& 125.

Futura, præſentia, præterita quæ talia ſunt reſpectu noſtri, talia etiam ſunt reſpectu Dei Ibidem num 156.

Etſi decretum de re futura exiſtat de præſenti, id non provenit ex indigentia futuri formaliter quia talis, tom.1. diſput.14 cap.5 num.143.

Repugnantia de eo, quod propoſitio de futuro ſemel determinatè vera talis non ſit,datur de præſenti eo ſenſu quo futurum in ratione futuri de præſenti datur. Ibidem num.156.

Explicatio diſcriminis *futuri* à *purè poſſibili*, & à *poſsibili præciſivè*. Ibidem, num. 158.

Quo ſenſu quòd futurum eſt, poſsit dici futurum dubium.Ibidem,num.160.

Futurum abſolutum.

Omnia futura abſoluta cōtingentia cognoſcit Deus in ſe ipſis ita vt ratio obiectiva ipſorum independenter conſtitutivè à quovis alio ſit ratio intentionaliter motiva divinæ ſciētiæ,tom. 2.diſput.15.cap 3 à num 87.

In quouis medio metaphyſicè connexo cum futuris abſolutis contingentibus Deus cognoſcit illa.Ibidem, à n.90.

In nullo medio absolutè indifferenti ad futurum absolutum contingens, potest Deus absolutè cognoscere illud; benè tamen ex suppositione eiusdem futuri. Ibidem, à num. 111.

Primariò cognoscit Deus futura contingentia absoluta in se ipsis, & secundariò in quovis alio medio obiecti o determinante ad eorũ cognitionem. Ibidem, à num. 123.

Futurum conditionatum.

Dividitur futurum conditionatum in varia membra, tom. 2. disput. 16. cap. 1. à num. 2.

Non esse constitutivum omnis futuri conditionati est, *non esse* de præsenti illius quod denominatur futurum conditionatum, provt foret in duratione sequenti, si poneretur conditio. Ibidem num. 8.

Hoc non esse constitutivum futuri conditionati ita comparatur ad conditionem illius, vt sive hæc existat, sive nõ; semel quod illud verificetur, semper in rebus verificativè datur. Ibidem, num. 11.

Non esse de præsenti quod invenitur in futuro conditionato purè tali, aut *strictissimè*, aut minus *strictè* non est insepa abile à ratione futuri. Ibid. n. 17.

Accidentale est omnino rationi futuri conditionati, quod existat, aut non existat hypothesis: & tantum poterit esse essentiale facta aliqua reduplicatione in ratione talis futuri Ibid. n. 24.

Accidentale est etiam rationi futuri conditionati non esse conditionatum illius sub absoluto defectu conditionis. Ibidem num. 27.

Futurum conditionatum consistit formaliter in *non esse* de præsenti, & in *esse* quod foret tempore sequenti, si poneretur conditio. tom. 2. disput. 17. cap. 1. num. 1.

Futurum conditionatum non consistit formaliter in decreto divino subiectivè absoluto, & obiectivè conditionato. Ibidem, à num. 3.

Exponitur in favorem prædictæ propositionis locus sapientiæ: *Raptus est, ne malitia, &c.* Ibidem, à num. 14.

Deinde exponitur in idem intentum locus, Matthæi cap. 11. & Lucæ 10. *Ve tibi Corozain*, &c. Ibidem, à num. 20.

Vltimò exponuntur alij duo, Lucæ cap. 16. *Si Moysem, & Prophetas, &c.* Et cap. 22. *Si tu es Christus, &c.* Ibidem, à num. 41.

Etiamsi veritates conditionales de futuro conditionato pertineant ad divinam libertatem, independent constitutivè formaliter ab omni de præsenti absoluto connexo cum eventu conditionato. Ibidem cap. 4. à num. 130.

Quo sensu futurum, sive conditionatum, sive absolutum habeat coexistentiam æternitati Dei, tom. 2. disput. 18. cap. 2. num. 80.

Futurum conditionatũ contingens non est nunc sed esset præsentia propria præsentis; at præsentia propria futuri conditionati est de præsenti, & nunc. Ibidem cap. 3. à num. 97.

Deus cognoscit omnia futura conditionata contingentia nobis libera in se ipsis, taliter vt ratio obiectiva ipsorum sit ratio intentionalis motiva divinæ Scientiæ, tom. 2. disputat. 21. cap. 1. num. 1.

In quocumque medio metaphysicè cõnexo cum eventu conditionatè futuro nobis libero provt tali Deus cognoscit prædicta futura. Ibidem, cap. 2. num. 3.

In nullo medio ex se indifferenti ad cõditionatum nobis liberũ potest Deus absolutè cognoscere tale futurum nisi fiat suppositio eiusdem futuri & veritatis obiectivæ illius. Ibidem, à n. 7.

G

Illustr. Godoy.

Solutiones, quas Illustr. Godoy iudicat probabiliter suadere, non probari certò ex authoritate Scripturæ Deum certò cognoscere conditionata contingentia nobis libera, proponuntur, & reijciuntur, tom. 2. disput. 19. cap. 1. à num. 11.

Divus Gregorius.

Explicatur in sensum rectum D. Gregorius, qui asserere videtur animam hominis posse certò naturaliter cognoscere futura contingentia, tom. 2. disput. 15. cap. 2 num. 64.

Gregorius Ariminus.

Gregorij Ariminensis sententia circa Trinitatis mysterium benè intellecta cum propositionibus modificatis defensanda suscipitur, tom. 1. disput. 4. cap. 5. à num. 65.

H

Habitus.

Habitus ſcientifici vera ratio datur in Deo, tom. 1. diſp. 5. cap. 2. à num. 23.

Herice.

Impugnatur P. Herice aſſerens divinam eſſentiam non eſſe obiectum divinæ cognitionis eo quod velit inter obiectum, & cognitionem dari aliquam diſtinctionem, tom. 1. diſput. 6. cap. 1. à num. 7.

D. Hieronymus.

Divi Hieronymi verba in Abacuc cap. 1. quibus videtur excludere à Deo providentiam, & Scientiam minutarum rerum, explicantur de excluſione reſpectiva, tom. 1. diſput. 2. cap. 3. à num. 31.

Homo.

Quo ſenſu dicatur de homine illud Geneſis faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, tom. 1. diſput. 11. cap. 4. à num. 149.

Referuntur, & expenduntur aliqua quæ videntur probare poſſe homines certò cognoſcere aliqua futura contingentia, tom. 2. diſp. 15. cap. 2. à num. 56.

Hypotheſis.

Ratio hypotheſis non eſt cognoſcibilis niſi per ordinem ad conditionatum, ſicut neque iſtud aliter quam per ordinem ad hypotheſim, tom. 2. diſput. 15. cap. 11. num. 34.

Dupliciter conſideratur hypotheſis, ſicut, & conditionatum *in actu primo*, & *in actu ſecundo*. Ibidem, num. 35.

Ratio hypotheſis in actu primo proximo conſiſtit in aptitudine proxima, vt inſeparabiliter ſe habeat in exiſtendo ab exiſtentia alterius pro caſu exiſtentiæ Scientiæ, & in quo hæc aptitudo conſiſtat. Ibidem, num. 36.

Ratio hypotheſis in actu ſecundo conſiſtit in inſeparabilitate, vi cuius inſeparabiliter ſe habet in exiſtendo ab exiſtentia alterius pro caſu quo ipſa exiſtat, & qualis ſit hæc inſeparabilitas. Ibidem, à num. 43.

Hypotheſis conſtitutiva veritatis contingentis modo quo ipſam, vt talem conſtituit, eſt talis, vt ſub ipſa, vt ſic conſtitutiva, poſsit impediri veritas conditionalis, tom. 2. diſp. 20. cap. 4. num. 120.

Per Scientiam mediam de exercitio libero creaturæ attingit Deus ex parte hypotheſis ſolum libertatem creatam, tom. 2. diſp. 20. cap. 4. num. 128.

Aliqua ſophiſmata contra Scientiam mediam deſumpta ex conſtitutione ſuæ hypotheſis proponuntur, & ſolvuntur tom. 2. diſp. 20. cap. 4. à n. 136.

Nullum decretum Dei connexum metaphyſicè cum conditionato poteſt ſe tenere ex parte hypotheſis Scientiæ ſtrictè mediæ, tom. 2. diſput. 23. cap. 1. num. 1.

Nihil divinum connexum cum conditionato, ſivè Deo liberum, ſivè contingens poteſt ſe tenere ex parte hypotheſis prædictæ Scientiæ. Ibid. n. 2.

Nihil connexum metaphyſicè cum conditionato, adhùc vagè acceptum poteſt conſtituere hypotheſim prædictæ Scientiæ Ibidem, à num. 3.

Quodcumque divinum non connexum cum conditionato poteſt conſtituere hypotheſim Scientiæ ſtrictè mediæ. Ibidem à num. 7.

Aliquod indefectibile poteſt conſtituere etſi non adæquatè inadæquatè verò, & tanquam pars hypotheſim Scientiæ ſtrictè mediæ. Ibid. à n. 12.

In ſententia inconnexionis Dei cum impoſsibilibus, aliquod impoſsibile poteſt eſſe hypotheſis vel adæquatè, vel inadæquatè Scientiæ mediæ ſtrictè talis, ſecus in ſententia oppoſita. Ibidem, è num. 15.

Falſum eſſet, omnia ea cum quibus complexim coniungeretur conditionatum, poſſe eſſe diviſim, & præciſivè ab alijs hypotheſim adæquatam Scientiæ ſtrictè mediæ. Ibid. à n. 23.

Si inter conſtitutiva libertatis detur aliquod aut præſupponens, aut ſecum eſſentialiter afferens reliqua, tunc ſimile conſtitutivum poteſt attingi tantum ſub hypotheſi Scientiæ mediæ ſtrictè acceptæ. Ibidem, à num. 37.

Decretum indifferens divinæ Omnipotentiæ applicativum poteſt eſſe adæquata hypotheſis Scientiæ mediæ ſtrictæ. Ibidem à num. 40.

Ex parte hypotheſis poteſt attingere Scientia media plura extrema, *vagè*, & *indeterminatè*. Ibidem, à num. 50.

Scientia media ſtrictè talis poteſt habere pro adæquata hypotheſi aliquid omninò diſparatum reſpectu conditionati liberi creaturæ. ibid à n. 61.
Nullam inducit confuſionem convenientia hypotheſis, & conditionati in eodem conceptu obiectivo, dummodò ſit quoad diverſam veritatem, vnam *directam*, & aliam *reflexam*, tom. 2. diſp. 23. cap. 2. num. 83.

I

Idæa.

Quid ſit idæa, à quo nomen aſſumat, & quotuplex tom. 1. diſp. 11 cap. 3. n. 98.
Idæa debet eſſe forma realiter diſtincta à rebus, quarum eſt forma. Ibid. n. 99.
Conſtans eſt Theologis, & Phyloſophis Deo competere idæas creaturarum, quod ſine temeritate, & periculo erroris negari non poteſt. Ibid à n. 100.
Et etiam conſtans debet eſſe, divinam idæam non conſiſtere vnicè, aut primariò in aliquo exiſtente in tempore, & producto. Ibidem à num. 105.
Nihil à Deo diſtinctum quomodocumque acceptum habet rationem idææ divinæ propriè, & ſtrictè acceptæ, neque inadæquatè. Ibidem, à num. 110.
Actualis intellectio repræſentans Deo rem operabilem, & modum, quo operabilis eſt habet adæquatè, & vnicè rationem formalis, & propriæ idææ divinæ. Ibidem, cap. 4. à num. 132.
An ad rationem idææ neceſſaria ſit reflexio ſupra cognitionem proponentem rem operabilem, & modum quo operabilis eſt, problematicè defenditur, etſi in affirmativam ſententiam magis feratur. Ibidem, à num. 142.
Idæa, vt eſt cognitio vera, dirigit, ſed ly *vt vera*, etſi ſit conſtitutivum *actualis dirigere*, non eſt conſtitutivum formæ dirigentis. Ibidem, num. 151. & 152.
Idææ divina non eſt aliud, quàm Scientia ſimplicis intelligentiæ. Ibidem, n. 155.
Idææ divinæ non ſunt de vniverſalibus, ſed de ſingularibus ſolum. & quo ſenſu. Ibidem, n. 158. & 159.
Idæa, & exemplar operis ſunt mutuò idem formaliter. Ibidem, num. 161.

Ignorantia.

Ignorantia *ſigni* ſe implicat in terminis, tom. 1. diſput. 11. cap. 2. à num. 93.

Identitas.

Nulla eſt adeò rigida identitas inter intellectum, & voluntatem, & inter ſuos actus, quæ impediat, & confundat conceptus, & munera, quæ cuilibet, provt tali convenit, tom. 1. diſp. 7. cap. 5. à num. 107.
Scientiam divinam realiter identificari cum divina ſubſtantia, accepta identitate reali per oppoſitum ad diſtinctionem realem ſimpliciter talem conſtat ex fide ex vniformi Patrum conſenſu, & ratione, tom. 1. diſput. 3. cap. 1. à num. 1. vſque ad 6.
Sicut convenientia in prædicatis arguit identitatem, ſic diſconvenientia diſtinctionem, tom. 1. diſp. 3. cap. 4. n. 119. & 120.
Non eſt contra conceptum realis identitatis inter aliqua extrema, nec *realiter identificari*, nec *realiter diſtingui*, tom. 1. diſp. 4. cap. 1. num. 7
Solum eſt de conceptu identitatis realis, vt ſic, quod eo modo, quo exiſtunt, verificetur *hoc eſt illud* & quod dum ſic exiſtunt, non poſſet verificari oppoſitum. Ibidem, cap. 3. à num. 34.
Identitas inter abſolutum, & conditionatum, quæ intercedit in obiecto Scientiæ mediæ ſtrictè talis non obſtat quominus hæc duntaxat determinetur ab *eſſe obiectivo* conditionato futuri conditionati nobis liberi ſecus ab *eſſe obiectivo* abſoluto eiuſdem, tom. 2. diſp. 22. cap. 3. num. 74.
In identitate reali duorum etſi non detur inadæquatio realis formalis *poſitiva*, poteſt dari *negativa*; aut virtualis *poſitiva*, tom. 1. diſp. 8. cap. 1. à num. 14.

Immateriale.

Non repugnat ſubſtantia immaterialis non cognoſcitiva, ſumpto *immateriali* pro receſſu à materia in tota ſua latitudine, tom. 1. diſput. 1. cap. 4. à num. 61.
Non repugnat ſubſtantia immaterialis non cognoſcitiva, ſumpto *immateriali* pro ratione ſpiritus. Ibidem, à num. 62. vſque ad 87.

Immutabile.

Immutabile quoad *eſſe* dicitur illud, quod non poteſt tranſire de *non eſſe* ad

ad *esse*, neque de *esse* ad non esse, tom. 1. disput. 2. cap. 4. num 40.
Immutabilitas quoad *esse* stat sine necessitate in essendo. Ibidem.
Realis defectibilitas respectiva actuum Dei contingentium non opponitur eius *immutabilitati*, tom. 1. disput. 4. cap. 2. num. 20. vsque ad 24.

Impossibile.

Impossibile obiectivum non inde præcisè infertur, quia terminis impossibilitatis explicetur; sed quia aliquæ sunt veritates, aut falsitates, quæ sine impossibilitate obiectiva esse non possunt, tom. 1. disput. 6. cap. 2. num. 51. & 52.
Impossibile adæquatè distinctum ab omni possibili necessario concedendum est, tom. 1. pag. 191. num. 55.
Conceptus obiectivè impossibiles sunt obiectum materiale Scientiæ divinæ, tom. 1. disput. 6. cap. 2. num. 23.
Ad perfectam, & plenam cognitionem possibilium pertinet cognoscere impossibilia Ibidem num. 23. 26. & 27.
Non percipitur impossibilitas *veritatis* sine impossibilitate *entitatis*. Ibidem, à num. 28.
Quo sensu dicatur, omnia esse Deo possibilia & nihil esse apud eum impossibile, tom. 1. disputat. 6. cap. 2. num. 37. & 38.
Quo sensu potest dici impossibile habere aliquam possibilitatem. Ibidem, num. 49. & 50.
Explicatur qua ratione intelligendæ sunt aliquæ propositiones, quasi reflexæ circa impossibilia, quæ prima fronte difficiles proponuntur. Ibidem num. 45. 46. 47. & 48.

Inconnexio.

Supposita inconnexione Dei cum possibilibus, & impossibilibus, si addatur dari suo modo possibilia, & impossibilia, imò si existant creaturæ, Deus cognoscit in quolibet prædicato suo possibilia, impossibilia, & creaturas existentes, tom. 1. disputat. 8. cap. 5. à num. 109. Vide *connexio.*

Independentia.

Independētia omnimoda ab omni non ipso est attributum proprium Dei, cui quælibet dependētia opponitur, tom. 1. disput. 9. cap. 2. à num. 17.
Independentia, quam Deus habet ab omni non ipso, non intelligenda est relativè, & tanquam dicens respectum ad aliud; sed absolutissimo modo, & omnino independenti ab illo, tom. 1. disput. 2. cap. 2. num. 19. & 20.

Indifferentia.

Indifferentia, & determinatio in diverso genere non opponuntur, tom. 1. disputat. 11. cap. 2. num. 91. & 92.

Influxus.

Influxui obiectivo, qui improprius influxus est, solum impropriè convenit esse causalitatem, & omne id, quod est proprium causalitatis propriæ, provt talis, tom. 1. disputat. 7. cap. 5. à num. 116.

Isaias.

Expenduntur verba illa Isaiæ: *Priora quæ fuerunt, nuntiate*, quæ quomodocūque explicentur, non probant, notitiam cuiusque præteriti esse notam infallibilem divinitatis, tom. 2. disput. 15. cap. 2. à num. 71.

Intellectio.

Quot intercedant in intellectionibus creatis, & constituant actum primum intelligendi, tom. 1. disputat. 5. cap. 1. num. 5.
Datur in Deo intellectus per modum actus primi physici, & realis, tàm respectu intellectionis necessariæ, quàm contingentis. Ibidem, cap. 2. à n. 10.
Hic actus primus, qui verè, & propriè datur in Deo respectu intellectionis non est realiter formaliter productivus, aut respectivus intellectionis. Ibidem, num. 18.
Ex parte actus primi ad intellectionem datur in Deo vera ratio speciei intelligibilis. Ibidem, à num. 19.
Intellectio divina non est constitutivum adæquatum, neque inadæquatum essentiæ metaphysicæ Dei; sed tantum ad essentiam physicam Dei spectat, tom. 1. disputat. 5. cap. 5. à numer. 94. Vide *species intelligibilis, Potentia, & memoria.*

Intellectum, & intellectus.

Intellectus, & res intellecta semper quoad formam constitutivam potentiæ proximè intelligentis, & intelligibilis, quæ est species impressa, & similiter quoad formam *actu* denominantem intellectum *actu* intelligentem, & obiectum actu intellectum, quæ est cognitio; aliquando verò quoad res ipsas, quando scilicèt intelligens seipsum intelligit, sunt idem, tom. 1. disput. 1. cap. 3. à num. 45.

Etsi intellectus non possit immutare intrinsecè rerum naturas, quas cognoscit; potest tamen illas extrinsecè immutare, tom. 1. disputat. 3. cap. 5. num. 135.

Intellectus divinus nullam habet dependentiam à divina voluntate quoad modum cognoscendi obiectum, suppositâ huius aptitudine vt cognoscatur, tom. 2. disput. 15. cap. 3. num. 97.

Intellectus divinus nullum realem influxū præstare potest per modum principij formalis realiter activi in suam scientiam, tom. 1. disput. 5. cap. 1. à n. 1.

Intuitio.

De conceptu perfectissimæ intuitionis solum est cognoscere rem, vt existentem in aliqua differentia temporis, tom. 1. disputat. 2. cap. 7. num. 132.

Iuramentum.

Quomodo intelligendum sit iuramentum in Deo, quando Scripturæ dicunt Deum iurare, tom. 2. disputat. 18. cap. 4. num. 141.

L

Libertas.

In libertate connexa vagè cum vno ex suis extremis, inter quæ versatur, cognoscit Deus futurum vagè vnum, vel alterum extremum, tom. 2. disp. 15. cap. 3. à num. 17.

Proponitur difficultas, quæ apparet in cohærentia divinæ Scientiæ cum libertate, & eadem ostenditur esse in ipso statu futuritionis respectu libertatis præsentis, tom. 2. disp. 15. cap. 4. à num. 136.

Ratio cohærentiæ divinæ præscientiæ cum libertate nostra, quæ petitur ex natura, & conditione ipsius præscientiæ, necnon ex natura termini contingentis, & libertatis, signatè tantum, & in expressione vocum difficultatem componit. Ibidem, à num. 141, vsque ad 149.

Proponitur vera, & efficax ratio pro tali cohærentia. Ibidem, à num. 150.

Qui liberè potest impedire aliud, non ideò potest illud determinare, tom. 2. disputat. 17. cap. 3. num. 111. & disput. 20. cap. 4. à num. 113.

Qualis debeat esse condeterminatio duplicis libertatis ad idem exercitium, vt sit nociva ipsi libertati, tom. 2. disput. 18. cap. 4. num. 163.

Libertas creata quomodocumque consideretur vt talis, non est medium aptum, vt in ea Deus cognoscat futura conditionata nobis libera, tom. 2. disput. 22. cap. 2. num. 8.

Tam Scientia media determinata de consensu; v. g. quàm veritas obiectiva ei correspondens non indigent statu absoluto libertatis creatæ potentis liberè consentire, tom. 2. disputat. 22. cap. 3. num. 110.

Limitatum.

Limitatum, & finitum, &si intrinsecè non possit specificare infinitum, & illimitatum, benè tamen extrinsecè, tom. 1. disputat. 7. cap. 4. à num. 89.

M

Malum.

Mala *naturæ, culpæ*, & *pœnæ* sunt obiectum divinæ Scientiæ: præterea mala *culpæ* non sunt obiectum divinæ Scientiæ *approbativæ*, tom. 1. disputat. 6. cap. 3. num. 86.

Masilienses.

Errores Masilienſium, qui Duces, & præcipui Semipelagiani fuerunt, & contra quos D. Augustinus accerrimè pugnavit, proponuntur, tom. 2. disputat. 20. cap. 3. à num. 51.

Memoria.

Memoriæ ratio verè, & propriè datur in

in Deo, tom. 1. disputat. 5. cap. 11. à num. 26. vsque ad 31.

Mensura.

Quod sit necessaria ad perfectionem divinæ Scientiæ adæquatio cum suo obiecto non probat talem adæquationem esse mensuram perfectionis divinæ Scientiæ, tom. 1. disput. 11. cap. 2. num. 88.

Mensura statuum *præsentis, præteriti*, & *futuri* est tempus præsens, tom. 1. disputat. 13. cap. 1. num. 1.

P. Molina.

Sensu quo Sapientissimus D. P. Molina dicatur primus inventor Scientiæ mediæ, tom. 2. disputat. 20. cap. 3. à num. 80.

Motivum.

Imperfectio entitativa *motivi* non redundat in cognitionem, & intellectum ei innitentes, tom. 1. disputat. 7. cap. 4. num. 79.

Quid sit motivum realiter formaliter adæquatum, & motivum realiter tantum virtualiter adæquatum; tom. 1. disputat. 8. cap. 2. à num. 63.

Moyses.

Quo sensu, & fine Deus dixerit Moysi illa verba Exodi, cap. 4. Si non crediderint tibi, &c. tom. 2. disputat. 19. cap. 2. num. 79. & 80.

Mutatio, & mutari.

Quid sit mutari, & mutatio in rigore Philosophyco, & quid ab hoc rigore præscindendo, & quo ex his sensibus possit Deus mutari, tom. 1 disputat. 4. cap. 3. num. 49.

N

Necessarium.

Non liberum latius patet, quam *necessarium*, tom. 1. disputat. 10. cap. 2. numer. 33.

Notitia practica, & directiva non est talis respectu obiecti necessarij, tom. 1. disput. 10. cap. 3. num. 54.

Non est contra rationem *necessarij* dependere ex aliqua suppositione contingenti determinata non exacta, ab aliquo contingenti, tom. 1. disputat. 14. cap. 3. num. 85.

Inter necessarium, & Deo liberum datur medium, scilicèt esse contingens, tom. 2. disput. 18. cap. 3. num. 113.

Quo sensu verum, & quo falsum sit dicere: *omne intellectum ante omne decretum Dei esse ipsi necessarium.* Ibidem, 118.

Necessitas.

Necessitati disiunctim vaganti, vel inter terminos, vel inter propositiones semper fit satis per id quod determinatè non requirit. Ibidem.

Nexus.

Nexus illi excogitati à Patre Antonio Perez pro determinativo Scientiæ mediæ impugnantur. tom. 2. disputat. 22. cap. 4. à num. 117.

Nunc.

Nunc correspondens præsentiæ futuri est æternum *à parte ante*, & defectibile *à parte post*, tom. 2. disputat. 18. cap. 3. num. 100.

O

Obiectum.

Disparitas, quæ versatur inter scibilitatem, & amabilitatem obiecti finiti, tom. 2. disputat. 18. cap. 3. num. 123.

Ad obiectum scientiæ Deo absolutè tantum necessariæ pertinent omnes veritates obiectivæ essentiales quidditativæ omnium omninò possibilium distinctorum à Deo, tom. 1. disput. 12. cap. 2. à num. 16.

Aliquæ veritates obiectivæ indistinctæ realiter à Deo sunt etiam obiectum Scientiæ divinæ absolutè tantum necessariæ. Ibidem, num. 21.

Huius prædictæ Scientiæ sunt etiam obiectum omnes veritates obiectivæ, quæ reputantur de conceptu quidditativo impossibilium. Ibidem, n. 23.

Indifferentia obiecti, vt sit, vel non sit, sicut per propositionem affirmatur, non opponitur determinatæ veritati propositionis, sed necessariæ veritati illius, tom. 1. disputat. 14. cap. 2. à num. 28.

Obiectum formale.

Quot modis accipi soleat obiectum formale, tom. 1. disputat. 7. cap. 1. à num. 1.

Nihil extra Deum est obiectum *primò*, & *per se* cognitum ab intellectu divino, tom. 1. disputat. 7. cap. 1. à num. 10.

Nihil extra Deum potest esse obiectum *phisicè* motivum intellectus divini. Ibidem, num. 11.

Solus Deus est obiectum specificativum intrinsecum cognitionis divinæ. Ibidem, num. 12.

Nulla Scientia potest carere obiecto formali, & motivo, sumpto pro ratione *sub qua* attingendi id, quod per ipsam repræsentatur. Ibidem, n. 13.

Ad obiectum *formale motivum* intellectus requiritur, tum quod sit cognitum, tum quod cognitio sit aliquomodo ab illo, & tandem quod sit id, cui innitatur intellectus ad assentiendum. Ibidem, num. 14. & 15.

Quodcumque attributum divinum est obiectum formale *physicè motivum* Scientiæ divinæ sibi formaliter correspondentis, tom. 1. disputat. 7. cap. 2. à num. 26.

Omnis conceptus obiectivus, ad quem potest terminari Scientia divina est obiectum formale *intentionaliter motivum* eiusdem Scientiæ. Ibidem, à num. 30.

Obiectum formale primarium.

Ens increatum est obiectum formale primarium, & principale divinæ Scientiæ, tom. 1. disputat. 7. cap. 2. num. 52.

Deus solus appellandus est absolutè obiectum specificativum Scientiæ divinæ. Ibidem, num. 53.

Quomodo debeat intelligi hoc axioma *ab obiecto, & potentia paritur notitia.* Ibidem, num. 61. & 62.

Ad rationem formalem obiecti formalis *physicè motivi* non est necessarius influxus realis, aut virtualis obiecti in cognitionem, tom. 1. disputat. 7. cap. 3. num. 74. & 75.

De ratione obiecti formalis primarij tantum est habere principalitatem in in tali ratione, ita vt non permittat aliud eiusdem principalitatis in tali munere, tom. 1, disputat. 7. cap. 4. num. 96. & 97.

Obiectum materiale.

Obiectum materiale divinæ Scientiæ per contrapositionem ad formale est omne illud, quod terminat divinam cognitionem, quia sub ratione motiva, & specificativa divini intellectus comprehenditur, tom. 1. disputat. 6. cap. 1. num 1. 2. 3.

Ratio obiecti materialis divinæ cognitionis convenit omni cognoscibili. Ibidem, num. 4.

Omne increatum, seu Deus *adæquatè* sumptus est obiectum materiale divinæ cognitionis. Ibidem, num. 5.

Deum adæquatè sumptum esse actualiter obiectum materiale divinæ Scientiæ est metaphysicè necessarium. Ibidem, num. 6.

Omne creatum est obiectum materiale divinæ cognitionis. Ibidem, à num. 16. vsque ad 22.

Obiectum cognitum, qua tale, neque est nobilius cognoscente, neque est perfectio huius, neque talem perfectionem tribuit, plusquam arguitivè, tom. 1. disputat. 6. cap. 1. num. 21.

Obiectum materiale primarium.

Obiectum materiale primarium, seu principale divinæ Scientiæ est solùm ens increatum, tom. 1. disput. 6. cap. 5. à num. 121.

Obiectum materiale primarium, & principale divinæ Scientiæ est Deus completè sumptus, & non tantum secundum rationem essentiæ. Ibidem, à num. 131.

Obiectum primarium.

Non est idem cognoscere aliquid in obiecto primario, ac cognoscere illud primariò: imò cognoscere aliquid in obiecto primariò, est cognoscere illud secundariò, tom. 2. disput. 15. cap. 3. à num. 130.

Odium.

Quem semel Deus odio inimicabili habuit, semper habet; respectivè verò ad tempus solum pro quo tali odio dignus fuit, tom. 1. disp. 2. cap. 4. n. 60.

Omninò.

Particula *omninò* suam vniversalitatem servat, accomodatam verò terminis, & si restrictis, quibus adiungitur, tom. 1. disput. 5. cap. 6. num. 114.

Omnipotens.

Quod impossibilia nequeant à Deo fieri, non obstat quominus Deus absolutè & simpliciter dicatur *omnipotens*, tom. 1. disp. 6. cap. 2. à num. 41.

Qua ratione conceptus *omipotentis* competat soli Deo, & si inconnexo cum possibilibus, tom. 1. disputat. 9. cap. 3. num. 82.

Omnipotentia.

Neque conceptus omnipotentiæ *ſecundum ſe*, neque quia *inconnexæ* eſt conceptus relativus, ſed abſolutus, & hoc modo cognoſcitur à Deo, tom. 1. diſput. 8. cap. 5. à num. 107.

Omnipotentia Dei inconnexa cum alio à ſe diſtincto eſt perfectior, quàm connexa, tom. 1. diſp. 9. cap. 2. à n. 27.

Quid ſit conceptus omnipotentiæ. Ibidem, cap. 3. num. 85.

Operatio.

Quid ſit formaliter operatio, & quomodo in divina intellectione reperiatur, tom. 1. diſput. 5. cap. 3. num. 50.

P

Paritas.

Paritas ab intellectu ad voluntatem, vel è contra eſt infirma, tom. 1. diſput. 7. cap. 4. à num. 87. & diſput. 8. cap. 7. à num. 161.

Paſsio.

Paſsionis realis formalis ratio non datur in divina intellectione, tom. 1. diſput. 5. cap. 3. num. 49.

Sancti Patres.

Quando Patres dicunt, Deum eſſe ſapientiam, & Scientiam loquuntur in ſenſu reali præſcindenti à ſenſu metaphyſico, tom. 1. diſput. 5. cap. 6. à num. 111. vſque ad 116.

Patres, qui ex eo quod verbum procedat per intellectum inferunt eſſe filium præ Spiritu Sancto, id non inferunt, quia intellectio ſit formaliter natura divina, ſed quia eſt expreſsio intentionalis divinæ naturæ. Ibidem, num. 115.

Quando Patres dicunt, Deum non cognoſcere creaturas in ſe ipſis, & alio ſimili modo loquuntur, ſolum ſignificare volunt, eas non cognoſcere per ſpeciem acceptam ab ipſis, tom. 1. diſp. 6. cap. 4. à num. 101.

Principium quod Patres ſtatuunt ad arguendum contra Arianos, dicentes verbum eſſe creaturam non eſt hoc: *hoc eſt liberum Deo*: ergo *eſt creatura*; ſed hoc: *non eſt liberum Deo*: ergo *non eſt creatura*, tom. 1. diſput. 4. cap. 5. n. 44.

Patres negantes Deo præſcientiam futurorum, & concedentes ſcientiam eorum, quia hæc præſentia affirmantur ab ipſis Deo non aliam præſentiam, quam obiectivam futuris concedunt, tom. 1. diſp. 2. cap. 5. n. 85.

Præterea nihil aliud connantur quàm negare Deo Scientiam futurorum obſcuram, & imperfectam ſimilem noſtræ. Ibidem, & cap. 7. n. 121. 122. & 123.

Quando Patres reddunt pro ratione divinæ cognitionis ab æterno futurorum, eorum præſentiam intentionalem, non probant idem per idem, quia de præſentia intentionali in actu primo ſunt intelligendi. Ibidem, num. 126. 127. & 128.

Hæc Patrum adverſativa: *res non ſunt, quia ſciuntur, ſed ſciuntur, quia ſunt*, procedit de Scientia viſionis, tom. 1. diſput. 11. cap. 1. à num. 9.

Patrum authoritate probatur Deum certò cognoſcere conditionata contingentia nobis libera, tom. 2. diſput. 19. cap. 2. à num. 58.

Perfectio.

Aliud eſt, actus divinos contingentes *dicere perfectionem*, aliud *addere perfectionem*: quiquidem actus, & ſi dicerent *perfectionem* in Deo, non tamen augerent divinam *perfectionem* abſolutè, ſed ex ſuppoſitione, tom. 1. diſput. 4. cap. 1. num. 3. & 4.

Perfectio cuiuslibet attributi commenſuranda eſt cum perfectione, & requiſitione aliorum, ita vt ex complexo omnium evadat Deus vndequaque infinitè perfectus, tom. 1. diſp. 4. cap. 3. num. 41. 42. & 43.

Pluralitas.

Pluralitas actuum Scientiæ divinæ realiter diſtinctorum penitùs excludenda eſt, tom. 1. diſp. 3. cap. 1. num. 6.

Vnum non eſſe præcisè realiter aliquid, non probat eſſe vnum, & aliud cum pluralitate reali. Ibidem, cap. 3. n. 68.

Poſsibile.

Poſsibilium, & impoſsibilium Scientia eſt Deo neceſſaria tantum neceſsitate extrinſeca, tom. 1. diſput. 9. cap. 3. num. 75. & 76.

Detegitur fallacia, quæ contra conceptum poſsibilis, ſcilicèt, *ſi exiſtat, non implicabit* deſumpta ex poſsibilitate *purè poſsibilis*, tom. 2. diſput. 23. cap. 4. num. 175.

Potentia.

Potentia ſubiectivè tantum abſoluta in Deo perfectior conſideratur potentia omnino abſoluta, tom. 1. diſput. 9. cap. 3. num. 45.

Quo ſenſu verum ſit: *fruſtra dari potentiam, quæ non reducitur ad actum*; & nullam

lam potentiam posse existere sine suo obiecto. Ibidem, num. 50.

Potentia physica.

De ratione potentiæ *physicæ*, & *realis* non est, neque distingui realiter à suo exercitio, neque dicere ordinem prioris, neque successionem aliquam respectu illius, tom. 1. disp. 5. cap. 3. à num. 36. vsque ad 42.

Potentia, seu potentialitas actui purissimo repugnans est illa, quæ sit ad terminum distinctum, per quem mutatur, secus illa quæ sit ad suos actus perfectissimos internos, vel ad actus externos. Ibidem, num. 43.

Potestas.

Qualis sit verus sensus huius propositionis: *In signo scientiæ consensus non datur vera potestas ad dissensum*, tom. 2. disp. 15. cap. 4. num. 190.

Practicum.

De ratione iudicij practici non est applicare ad executionem operis; sed tantum dirigere Artificem, tom. 2. disput. 19. cap. 2. num. 89.

Repugnat scientiam simplicis intelligentiæ esse practicam in virtute, & in actu primo, & non posse esse practicam actualiter, & in actu secundo, tom. 1. disputat. 10. cap. 4 à num 64.

Scientia simplicis intelligentiæ est practica, & causa rerum simpliciter, actualiter, & immediatè. Ibidem, à n. 65.

Præscientia.

Præscientia futurorum contingentium certa, & infallibilis, ita Dei est propria, vt nulli intellectui creato naturaliter possit convenire, tom. 2. disp. 15. cap. 1. à num. 16.

Præsentia.

Præsentia rei accommodanda est conditioni termini, conceptus, seu denominationis, quibus applicatur, tom. 1. disput. 14 cap. 5. à num. 125.

Præsentia est duplex, alia *physica, intentionalis* alia, tom. 1. disput. 2. cap. 5. numer. 71. & 72.

Præsentia intentionalis, seu obiectiva est duplex, alia *in actu secundo*, alia *in actu primo*, & vtraque hac presentia sunt res creatæ obiectivè præsentes Deo ab æterno. Ibidem, num. 86.

Quomodo intelligendi sunt PP. & DD. qui dicunt cuncta esse Deo præsentia Ibidem, num. 87.

Præsentia physica creaturarum ab æterno Deo, non componit difficultatem ortam ex cognitione Dei circa veritates de *præsenti*, *præterito*, & *futuro*, tom. 1. disput. 2. cap. 7. num. 152. & 153.

Principium.

Intellectus divinus quoad suam intellectionem, tàm necessariam, quàm contingentem est principium virtualiter activum, & sic respectivum, tom. 1. disput. 5. cap. 4. à num. 56. vsque ad 61.

Solvuntur obiectiones oppositum huius propositionis intendentes probare. Ibidem, à num. 61.

Ratio principij realis, qua vsi fuerunt Patres contra Sabelium confundentem personas in divinis, est ratio principij realis formalis. Ibidem, num. 64.

Intellectui divino non est concedenda ratio principij virtualis passivi absolutè; sed solum explicato munere, in ordine ad quod æquivalet principio realiter formaliter passivo. Ibidem, num. 77.

Processio.

Processio verbi præ processione Spiritus Sancti est generatio, quia ordine cognitionis est prima, tom. 1. disp. 5. cap. 6. num. 126.

Propositio.

Propositiones singulares conditionatæ habent determinatam veritatem, aut falsitatem, tom. 2. disputat. 18. cap. 1. à num. 3.

Dictæ propositiones ex conceptu suo determinatè verè independenter cõstitutivè ab omni de præsenti connexo cum eventu futuro, tom. 2. disputat. 18. cap. 3. à num. 92.

Propositiones singulares absolutæ de futuro contingenti habent determinatam veritatem, aut falsitatem, tom. 1. disput. 14. cap. 1. à num. 4.

Quomodo componatur propositiones contingentes esse indifferentes ad veritatem, & esse determinatas ad illam, tom. 1. disp. 14 cap. 2. num. 33.

Non est idem propositionem esse veram ab æterno, & si sit essentialiter vera, ac esse æternæ veritatis, sensu quo à Philosophis accipitur æterna veritas. Ibidem num. 37.

Omnis propositio absoluta de futuro contingenti requirit ad sui veritatem formalem aliquid divinum de præsenti existens. Ibidem cap. 3. num. 59.

Ad veritatem formalem propositionis absolutæ de futuro contingenti, titulo talis non requiritur aliquid de præsenti connexum cum eventu futuro,

vt

vt constitutivum eiusdem veritatis. Ibidem, à num. 63.

Propositio disiunctiva vera de futuro contingenti verificatur de præsenti ab extremo disiunctionis, quod in re erit futurum, tom. 1. disput. 14. cap. 5. num. 168.

Q

Quæstio.

Maximè inter se distant hæ duæ quæstiones: *Vna: cur ex duobus hominibus indifferenter vocatis, imò æqualiter vndequaque pulsatis, vnus consentiat, alter verò dissentiat?* Altera: *cur Deus videns, aut respectu vnius, tum auxilium sub quo consentiat, tum auxilium sub quo dissentiat, tribuat auxilium sub quo dissentiat, relicto auxilio, sub quo consensurus erat: aut respectu plurium, cur vni tribuat auxilium, quo est salvandus, omissis alijs sub quibus reprobus fieret, alteri verò tribuat auxilium, quo reprobus fiat, omissis alijs, quibus salvus redderetur?* tom. 2. disputat. 20. cap. 3. à num. 90.

Quirós.

Actiones conditionatæ adinventæ à Patre Quirós pro determinativo Scientiæ Mediæ impugnantur, tom. 2. disp. 22. cap. 4. à num. 121.

R

Reflexio.

Reflexio interminabilis, seu infinitas reflexionum est propria intellectus divini, & quomodo, tom. 1. disput. 8. cap. 2 à num. 53. vsque ad 61. & tom. 2. disp. 23. cap. 2. num. 79. & 80.

Relatio.

Relationes divinæ nullo modo distinguntur à parte rei ab essentia, nec distinctione *actuali*, nec *virtuali*, & *æquivalentia*; sed si aliqua distinctione distinguuntur, solum distinctione *rationis*, tom. 1. disput. 4. cap. 4. à num. 54. vsque ad 60.

Solvuntur obiecta contra hanc indistinctionem relationum ab essentia. Ibidem à num. 65. vsque ad 86.

Authoritate Patrum, & Conciliorum fulcitur. Ibidem num. 81. 82. & 83. Vide *Trinitas.*

Requisitum.

Non est idem, non esse aliquid requisitum ad aliud, & esse ad illud inutile, & inconducens, tom. 2. disp. 18. cap. 4. num. 159.

P. Ruiz.

Deficit P. Ruiz iudicans ex authoritate non posse efficaciter probari Deum cognoscere certò, & infallibiliter conditionata contingentia sibi libera, tom. 2. disp. 19. cap. 3. à num. 101.

S

Sapientia.

Divina Sapientia movilior est movilibus *effectivè*, & *manifestativè* in creaturis, secus *in se*, & *quoad proprium esse*: sicque debet intelligi illud Sapientiæ cap. 7. *Omnibus movilibus movilior est Sapientia*, tom. 1. disput. 2. cap. 4. num. 53.

Scientia.

Scientia ex se, & formaliter sumpta præscindit à discursu, tom. 1. disput. 1. cap. 1. à num. 8. vsque ad 11.

Ex proprio, & formali conceptu præcisè est *cognitio certa*, & *evidens*; at verò sic definita: *habitus per demonstrationem adquisitus*, non definitur, prout convenit omni Scientiæ, sed tantum Scientiæ in specie sumptæ, tom. 1. disp. 1. cap. 1. num. 14.

Ratio Scientiæ strictè sumptæ contrahibilis est per differentias *intelligentiæ*, *sapientiæ*, & *Scientiæ*, tom. 1. disput. 1. cap. 1. num. 16. & 17.

Scientiæ amplitudo.

Scientiæ amplitudo, & vniversalitas est duplex; alia *extensiva*, *intensiva* alia, tom. 1. disput. 2. cap. 3. num. 28.

Scientia divina.

Dividitur Scientia Dei in Scientiam *simplicis intelligentiæ*, & *visionis*, & hæ explicantur, tom. 1. disput. 10. cap. 1. à num. 1.

Scientia *simplicis intelligentiæ*, & *visionis* non differunt ex obiecto. Ibid. à n. 8.

Scientia visionis strictè, & proprie accepta est intuitiva sui obiecti, non sic Scientia simplicis intelligentiæ. Ibidem num. 18.

Vlterius dividitur Scientia Dei in *necessariam*, & *contingentem*, & explicantur hæ Scientiæ. Ibidem cap. 2. n. 26.

Scientia contingens dividitur in *liberam*, & *non liberam*. Ibidem à num. 31.

Scientia Deo *libera* dividitur in Scientiam liberam Deo *positive*, & *negative*, & *influxive*. Ibidem, num. 34.

Scien-

Scientia Deo *non libera* dividitur in Scientiam *neceſſariam*,& *mediam*.Ibid. n.36.

Scientia *approbationis* explicatur.Ibidem à num.38.

Quæ ſit Scientia Dei, quæ dici poſsit Scientia *reprobationis*.Ibidem num.40.

Scientia diuina dividitur tandem in *practicam* & *ſpeculativam*.Ibid.à num.44. vſque ad 51.

Scientia Dei ſaltem, provt repræſentat divinam eſſentiam non eſt cognitio practica. Ibidem cap. 3.num. 51. & 52.

Scientia divina provt reſpicit amorem neceſſarium,aut productionem Spiritus Sancti non eſt notitia practica. Ibidem,num.53.

Scientia Dei dicenda eſt *ſimpliciter* & *abſolutè* ſpeculativa, & *ſecundum quid practica* proprie tamen. Ibidem à n. 55.vſque ad 59,

Scientia Dei eſt practica comparative ad res moraliter turpes, negationes, ſeu privationes &quomodò;reſpectu vero impoſsibilium nequit eſſe practica.Ibidem à num.59.

Scientia contingens conditionata repræſentat ſuum obiectum dependens à decreto conditionatè tantum exiſtente,tom.2.diſput.19 cap.2.n.91.

Quam vtilitatem habeat Scientia Dei conditionata contingens de obiecto ſibi libero Ibidem cap.3.num. 112.

Divinam Scientiam habere ab obiecto creato perfectionem ſuam ſolum in genere obiectivo non dedecet ipſam, tom.1.diſput.11.cap.2.n.87.& 88.

Scientiæ divinæ amplitudo.

Scientiam Dei eſſe vtroque modo vniverſaliſsimam,& ampliſsimam conſtat ex fide,ex conſenſu Patrum,& ex innata exiſtimatione hominum. Ibidem num.29.& 30.

Ad Scientiæ Dei amplitudinem ſpectat eſſe comprehenſivam ſui obiecti, nec non eſſe reflexivam ſupra ſe. Ibidem à num.33.vſque ad 37.

Scientiæ divinæ immutabilitas.

Scientiam Dei eſſe immutabilē quoad *eſſe* habetur certum de fide, tom. 1. diſput.2.cap.4.num.41 & 42.

Probatur ratione quoad Scientiam neceſſariam. Ibidem num. 43.

Quoad Scientiam verò contingentem Deo,impugnatis aliorum rationibus, probatur ratione propria. Ibidem à num.44.vſque ad num.52.

Scientia libera.

Deum per Scientiam liberam cognoſcere omnia omninò præſentia, & præterita abſoluta contingentia, necnon omnia abſoluta futura contingentia, eſt penitùs certum,tom.2. diſp.15.cap.1.à num.1.

Scientia Media.

Narrantur breviter initium, progreſſus necnon adverſitates, quibus, nata enutrita, & adulta eſt Societatis doctrina circa Scientiam mediam, tom. 2.diſput.20.cap.1.à num.5.

Scientia, qua Deus cognoſcit futura conditionata nobis libera, eſt Scientia conditionalis contingens ipſi non libera, quæ eſt Scientia media ſtrictè talis,tom.2.diſput.20.cap.2.n.17.

Breviter exponitur, quomodò Scientia media non opponatur divino dominio, & omnipotentiæ, quinimò hæc attributa commendare: vlteriuſque quomodo cum illa ſalvetur optimè quod Deus ſit primum liberum, ſicut & primò diſcernens prædeſtinatum à reprobo.Ibid.cap.4.à n.102.

Voluntas creata tan in ſtatu conditionato quam in ſtatu abſoluto poteſt impedirè Scientiam mediam. Ibid. num.110 & 111.

Scientia media ſtrictè talis non eſt dicenda determinabilis, & impedibilis per exiſtentiam abſoluram conditionati, aut per defectum abſolutum illius ſub exiſtentia abſoluta conditionis,niſi *impropriè*, *ſecundumquid*, & *purè logicè* tom.2.diſput.22.cap 3.à n.106.

Impugnatur ſententia aliquorum Recentiorum dicentium Scientiam mediam eſſe determinativum ſui, ſeu eſſe à ſe determinatam, tom.2.diſput. 22.cap.4.à num.125.

Scientia media late.

Deus cognoſcit futura conditionata ſibi libera per Scientiam conditionalē *latè mediam*,tom.2. diſp. 24. c.1.à n.3.

Poteſt Deus cognoſcere futura conditionata ſibi libera per Scientiam ſimpliciter liberam,& nullo modo mediam. Ibidem à num.9.

Scientia conditionalis actuum Deo liberorum ſemper eſt in ſigno anteriori ad purificationem ſuæ hypotheſis, tom.2.diſput.24.cap.2.à num.43.

Talis Scientia conditionalis, quæ attingat ex parte hypotheſis aliquod exercitium divinum præcedit immediatè,directivè,& illuminativè ad puri-

fi-

ficationem hypotheſis, quæ verò attingat ex parte hypotheſis exercitiũ voluntatis creatæ, præcedit in eodem genere præcedentiæ tantum remotè. Ibidem,à num.46.

Prædicta Scientia non poteſt movere intrinſecè ad ſuam hypotheſim, poteſt tamen movere extrinſecè medio alio actu reflexo imperante purificationem hypotheſis.Ibidem,à n.50.

Scientia media reflexa.

Scientia media reflexa alia eſt *ſtrictè* talis,alia *latè talis*:& quid ſit vna,& alia, tom.2.diſput.23.cap.2.num.67.

Scientia media, ſive *latè talis*, ſivè ſtrictè accepta, poteſt attingere ex parte ſuæ hypotheſis alteram Scientiam mediam,ideoque Scientia media, ſivè *latè*,ſivè *ſtrictè* poteſt ſuſcipere denominationem Scientiæ mediæ reflexę. Ibidem,à num.69.

Explicatur ordo,quo gaudeat Scientia media *reflexa* reſpectu *directæ*, & *aliarum*.tom.2.diſp.23.cap.2.à num.88.

Scientia media reflexa ſi ſit de conditionato libero Deo, eſt liberè impedibilis,& determinabilis per voluntatem divinam, ſi verò ſit de conditionato libero creaturæ eſt liberè impedibilis, & determinabilis per voluntatem creatam.Ibidem à n.109.

Hæc Scientia media reflexa, *ſi prævidero libertatem A. efficacem, illam conferam*, & quæ huius conditionis fuerint,non ſunt impedibiles, & determinabiles per voluntatem creatam ante exiſtentiam abſolutam libertatis creatæ,quæ fuerit hypotheſis Scientiæ directæ. Ibidem, à num.112.

Poſita abſoluta libertate, quæ eſt hypotheſis Scientiæ *mediæ directæ* aſſumptæ in hypotheſim Scientiæ mediæ *reflexæ* ſi hæc ſit de conditionato libertatis creatæ non conceſſę:vt hæc: *ſi prævidero libertatem A. efficacem, illam non conferam*, non poteſt voluntas creata illam determinare ; poteſt tamen illam impedire *negativè*, *& influxivè*. Ibidem,à num.115.

Poſita libertate abſoluta, quæ eſt hypotheſis Scientię medię directę aſſumptæ in hypotheſim Scientiæ mediæ reflexæ,ſi hæc ſit de conditionato libertatis creatæ conceſſæ,vt hæc: *ſi prævidero libertatem A. efficacem, illam conferam*, non poteſt voluntas creata illã impedire , poteſt tamen illlam negativè determinatè, & influxive adquirere.Ibidem,à num.120.

Scientia media reflexa ſtrictè talis in ratione tendentiæ conditionalis attingit ex parte hypotheſis non ſolum Scientiam directam, quæ foret, ſed etiam Scientiam mediã directã, quæ ſit, & de facto exiſtit. Ibid. à n. 134.

Scientia neceſſaria.

Nullus conceptus obiectivus diſtinctus realiter à Deo eſt obiectum Scientiæ neceſſariæ *abſolutè*, & *reſpectivè*, tom. 1. diſput.12.cap.1.num.2.

Non omnis conceptus obiectivus indiſtinctus realiter à Deo eſt obiectum Scientiæ ipſius neceſſariæ *abſolutè* , & *reſpectivè*. Ibidem,num.3.

Scientia Dei neceſſaria *abſolutè*, & *reſpectivè* eſt Scientia viſionis,tom.1. diſp. 12.cap.1.n.10.& 11.

Prædicta Scientia non eſt practica, ſed purè ſpeculativa. Ibidem,num.13.

Quo ſenſu talis Scientia ſit Scientia approbationis,& quo non. Ibid.n.14.

Scientia abſolutè tantùm neceſſaria ſub ſe comprehendit Scientiam ſimplicis intelligentiæ, & Scientiam viſionis, tom.1.diſp.12.cap.2.à n.24.

Scientia abſolutè tantum neceſſaria eſt Scientia ſimplicis intelligentiæ, non modo reſpectu poſsibilium,quę nunquam extitura ſunt, ſed reſpectu eorum,quæ aliquando exiſtent.Ibidem, à num.28.

Scientia abſolutè tantùm neceſſaria partim eſt practica, partim verò ſpeculativa. Ibidem,num.40.

Hæc eadem Scientia partim eſt Scientia approbationis, partim ſimplicis notitiæ.Ibidem,num.41.

Hæc tandem Scientia non coaleſcit ex pluribus actibus virtualiter intrinſecè diſtinctis.Ibidem,num.47.

Scientia ſimplicis intelligentiæ.

Scientia ſimplicis intelligentiæ eſt neceſſaria in exiſtendo; contingens verò in influendo,tom.1.diſp.10. cap.4.à num.77.

Scientia viſionis.

Scientia viſionis non libera , Scientia ſcilicèt media,eſt practica,tom.1.diſput.11.cap.1.n.3.

Scientia viſionis libera nullo modo eſt cauſa rerum; id verò competit Scientiæ ſimplicis intelligentiæ,tom.1. diſput.11.cap.1.à num.9.

Scotus.

Quid ſub nomine diſtinctionis ex natura rei formalis intelligat ſubtilis Doctor

ctor Scotus, vt à ſuis explicatur, tom. 1. diſput. 3. cap. 2. num. 16.

Separabilitas.

Qualis debeat eſſe ſeparabilitas, quæ apud omnes habetur pro irrefragabili argumento diſtinctionis realis, tom. 1. diſput 4. cap. 1. num. 5. & diſp. 9 cap. 1. à num. 12.

Similitudo.

Similitudo intentionalis non conformatur quoad eſſe cum obiecto, tom. 1. diſput. 6. cap. 3. n. 83.

Simplicitas.

Simplicitas in *eſſe* eſt indiviſio in *eſſe* oppoſita proinde compoſitioni, & diſtinctioni, tom. 1. diſput. 3 cap. 1. n. 1.

Simplicitati divinæ tribuenda eſt ſumma identitas denominationum, dum oppoſitum non conſtet per fidem. Ibidem, num. 12.

Non opponitur divinæ ſimplicitati realis defectibilitas reſpectiva actuum Dei contingentium, tom. 1. diſput. 4. cap. 2. à num. 11 vſque ad 15.

Somnium.

Quo ſenſu ex ſomniis poſsit aliqualiter colligi aliquod futurum contingens, tom. 2. diſput. 15 cap. 2. n. 66. & 67.

Species.

Species deſerviens cognitioni divinæ ad cognoſcendum creaturas, eadem eſt cum ſpecie deſerviente ad cognitionem ipſius Dei, tom. 1. diſput. 8. cap. 2. à num. 42.

Munus proprium, & ſpecificum *ſpeciei intelligibilis* non eſt ſupplere concurſum obiecti in cognitionem; ſed determinare poſitive, vel negativè potentiam quoad ſubſtantiam, & modum cognitionis, tom. 1. diſput. 5. cap. 2. num. 20. & cap. 3. num. 44. 45. & 46.

Nihil ſivè creatum, ſivè increatum quomodocumque diſtinctum ab intellectu divino ipſum movet per modum *ſpeciei impreſſæ*, tom. 1. diſput. 7. cap. 2. à num. 21. Vide *intellectio*.

Specificativum.

Specificativum extrinſecum, & arguitivum non eſt regula menſurandi ſui ſpecificati, tom. 1. diſput. 7. cap. 4. num. 92.

Status.

Inter ſtatus rei correſpondentis menſuræ ſucceſsivæ ea conſideratur diverſitas, quod ſtatus *præſentiæ*, & *futuritionis* rei, ſemel quod ſit, deperditur, at ſtatus *præteritionis*, ſemel quod ſit, nunquam deperditur, tom. 1. diſput. 13. cap. 1. num. 2.

Status *præſentiæ*, & *præteritionis*, ſemel quod ſint, in determinata duratione incipiunt; ſtatus autem *futuritionis* ſemel quod ſit ſemper extitit. Ibid. n. 5.

Statui *futuritionis* poteſt convenire præſentia, & præteritio reflexa; ſed non reflexa futuritio; ſtatui verò *præteritionis* futuritio, & præſentia reflexa, & non reflexa præteritio: ſtatui *præſentiæ* præteritio, futuritio, & præſentia reflexa. Ibidem, à num. 7.

T

Tendentiæ.

Tendentiæ dubitativæ, & probabiles nõ ſunt debitæ cognoſcibilitati paſsivæ obiecti verùm ex imperfectione intellectus creati provenientes, t. 2. diſput. 23. cap. 1. n. 59.

Terminativum.

Terminativum immediatum Scientiæ mediæ ſtrictè talis eſt ipſa veritas obiectiva conditionalis de conditionato nobis libero, tom. 2. diſput. 2. cap. 2. num. 18.

Theos.

Nomen Theos, quod à *Theaſte*, quod eſt *videre*, ſivè à *Thei*, quod eſt *diſponere* Philoſophi Deo tribuerunt, tom. 1. diſput. 1. cap. 2. num. 22.

D. Thomas.

D. Thomæ ratio ad probandam Scientiam in Deo deſumpta ex in materialitate expenditur, tom. 1. diſput. 1. cap. 3. à num. 33. vſque ad 40.

Huius rationis explicatio data à Carmelitanis Salmanticenſibus impugnatur. ibidem à num. 40 vſque ad 48.

Impugnatur etiam data ab Herice, & data à Patre Antonio Perez, necnon data ab alijs. Ibidem, à num. 48.

Quo ſenſu D. Thomas negaverit Deo Scientiam vniverſalem, & particularem, tom. 2. diſp. 2. cap. 3 num. 39.

Explicatur mens D. Thomæ circa conſtitutionem futuri, tom. 1. diſput. 13. cap. 5. à num 119.

Falſo imponitur ab aliquibus D. Thomę diviſio Scientię Dei in *liberam*, & *naturalem* ſub his terminis, tom. 2. diſput. 20. cap. 3. num. 99.

Trinitas.

Proponitur profundiſsimum Santiſsimę Trinitatis Myſterium, & difficultas, quæ

quæ in ipſo interveniunt, tom. 1. diſput 4. cap. 4. à num. 51. vſque ad 54.

Solvitur, & explicatur difficultas quæ in hoc abſcondito Sanctiſsimæ Trinitatis Myſterio invenitur. Ibidem, à n. 60. vſque ad 65.

Quomodo in Trinitatis Myſterio non violentur principia illa philoſophica: *quæ ſunt eadem vni tertio*, &c. *Quodlibet eſt, vel non eſt*, tom. 1. diſp. 4. cap. 4. num. 62. 63. & 64. Vide *Relationes*.

V

Vaguum.

Quid intelligatur per individuum vagum, tom. 1. diſput. 14. cap. 2. num. 51.

Veritas.

Duplex eſt veritas, alia *tranſcendentalis*, quæ Soli enti reali competit: *alia formalis, & conformitatis*, quæ etiam in impoſsibili reperitur, tom. 1. diſput. 6. cap. 2. num. 39 & 40.

Poteſt deficere fundamentum ad prælationem veritatis præ falſitate, vel è contra in propoſitione ſingulari, ſed non ideò debet deeſſe ad affirmandum, veritatem, vel falſitatem determinatam ipſi dicto covenire, tom. 2. diſput. 18. cap. 2. à num. 87.

Veritates eſſentiales Deo convenientes cognoſcuntur à Deo per repræſentationem, & modum tendendi abſolutum, tom. 1 diſput. 12. cap. 1. num. 12.

Veritas formalis.

Veritas *formalis* actus eſt conformitas actus cum obiecto, tom. 1. diſput. 2. cap. 1. num. 1.

Non invenitur incõveniens in eo, quod actus divinus neceſſariæ veritatis dicatur magis verus, quàm actus eiuſdem, qui ſit contingentis veritatis, ſenſu ſolùm ſignificante actum primum ſemper debere exiſtere verum; cum ſecundum eo modo, quo poteſt deficere, poſsit ſimiliter verus non eſſe. tom. 1. diſput. 2. cap 1. à num. 5. vſque ad 10.

De ratione veritatis formalis ſimpliciter talis ſolum eſt, quod obiectum non habeat diſconformitatem poſitivam ad actum; non verò quod obiectum habeat omnem gradum conformitatis poſsibilis ad actum. Ibidem, num. 8.

Veritas obiectiva.

Deus non cognoſcit veritates de *præſenti, præterito*, & *futuro* per propoſitiones conſtantes verbo de *præſenti, præterito*, & *futuro*, ſicut nos; ſed modo quodam inefabili, & per ſimplicem intuitum, tom. 1. diſp. 2. cap. 7. n. 154.

Quæ, & cuius conditionis ſint obiectivæ veritates, quæ habent aliquam præcedentiam obiectivam; & in hoc genere obiectivum influxum in Scientiam divinam ſibi formaliter correſpondentem, tom. 1. diſputat. 7. cap. 2. à num. 38.

Veritas obiectiva conditionalis.

Omnis veritas obiectiva conditionalis, vt talis ſtrictè ſit, & in intellectu perfectè cognoſcentis, modus tendendi conditionatus, & ſuſpenſivus ipſi correſpondeat, debet ab ſtatu abſoluto coniunctionis hypotheſis, & conditionati præſcindere, tom. 2. diſput. 16. cap 6. à num 144.

Præciſio ab ſtatu abſoluto in veritate obiecti a conditionali non eſt præciſio, tàm ex parte conditionis, quàm conditionati; ſed ſufficit ſe habere ex parte vnius. Ibidem, à num. 151.

Quomodo veritas obiectiva conditionalis diſcernatur à veritate disiunctiva. Ibidem. num. 153. 154. & 155.

Præciſio illa incompleta, quæ ſufficit ad ſtrictam veritatem obiectivam conditionalem debet dari determinatè ex parte hypotheſis. Ibidem, à n. 157.

Præciſio aſsignata pro conſtitutivo veritatis obiectivæ conditionalis ſtrictè talis debet eſſe ſolum præciſio *vniverſalitatis*. tom. 2. diſput. 16. cap. 6. à numer. 160.

Quomodo veritates obiectivæ de hypotheſi impoſsibili præſcindant præciſione *vniverſalitatis* ab ſtatu abſoluto coniunctionis hypotheſis, & conditionati. Ibidem. à num. 165.

Veritas conditionalis contingens de cõditionato nobis libero, vtpotè Deo non libera, eſt in ſigno neceſſariorum, id eſt Deo non liberorum, ſecus in ſigno neceſſariorum, id eſt talium in exiſtendo, tom. 2. diſput. 18. cap. 9. à num. 119.

Veritas ipſa obiectiva futuri conditionati nobis liberi eſt medium obiectivum, in quo divinus intellectus primariò ea cognoſcit, tom. 2. diſput. 21. cap. 3. à num. 13.

Verum.

Non eſt idem dicere verum, ac dicere certò ſciens eſſe verum: imò neque

eſt

est idem proferre verum, ac talem prolationem procedere ex iudicio, quo iudicetur esse verum, tom. 2. disput. 15. cap. 2. num. 55.

Virtualitas, & virtualiter.

Virtualitas idem est, ac æquivalentia, & vnum esse virtualiter aliud idem, ac æquivalere alteri absque conceptu illius, tom. 1. disput. 3. cap 4 num. 80. & disput. 5. cap 4 num. 51. 52. & 53.

Virtualitas, sive æquivalentia in Deo solum potest esse ad ea, quæ involvunt imperfectionem, tom. 1. disput. 5. cap. 4. num. 54.

Cuius conditionis debent esse ea, quæ possiunt dici de Deo virtualiter absolutè, & sine modificatione, & ea, quæ non, quin addatur modificatio, & expressio muneris. respectu cuius dicitur Deus eis æquivalere, tom. 1. disp. 5. cap. 4. à num. 67.

Non datur in divina Scientia progressio virtualis ab vno actu in alium, sumpta virtualitate pro præcedentia cognitionis vnius obiecti cõnexi ad cognitionem alterius, quod sit terminus connexionis, tom. 1. disput. 8. cap. 7. à num. 156

Visio aut *videre.*

Visio aut *videre* Scientiæ Dei applicatum non semper stat pro Scientia visionis; sed omni Scientiæ divinæ rectè applicatur, tom 1. disp. 10. cap. 4 n. 76.

Quot modis considerari possit Scientia visionis, tom. 1. disp. 11. cap. 1. num. 1.

Scientia *visionis*, qua Deus se, & sua necessaria cognoscit, est ex se practica respectu alterius obiecti. Ibidem, à num. 2.

Scientia *visionis* vnius obiecti potest esse Scientia practica respectu alterius obiecti. Ibidem, num. 4.

Voluntas, & voluntarium.

Quod aliqua notitia non sit necessaria ad voluntarium *simpliciter*, non probat non esse necessariam ad voluntarium *perfectissimum*, tom. 2. disput. 14. cap. 3. num. 58.

De ratione divinæ voluntatis perfectissimæ solum est non manere suspensam, & sine exercitio quoad obiectum contingens, eo modo, quo fuerit existentia talis obiecti, tom. 2. disput. 17. cap. 4. num. 150.

Voluntas divina non est sibi regula honestatis *formaliter*, sed *arguitivè*, tom. 1. disp. 10. cap. 3. num. 49. & 50.

Scientia *simplicis intelligentiæ* ex se indifferens, vt potius in hunc, quàm in alium effectum concurrat, indiget à voluntate divina determinari, tom. 1. disputat. 10. cap. 4. num. 82. Vide *Scientia, & practica.*

Vorstius.

Vorstius Calvinista hæreticè errat asserendo actus Deo liberos à Deo realiter distingui, tom. 1. disput. 4. cap. 1. num. 1.

Vviclephus.

Error est contra fidem Vviclepho tributus asserere divinas idæas consistere in aliquo *esse reali* æterno, & à Deo distincto, tom. 1. disputat. 11. cap. 3. num. 104.

FINIS.

Stadt-Bibl.
Hs 28
Tab 5a

Chronica

1996
4147